Google

C. II 16

Digitized by Google

JOANNIS BONA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

RERUM LITURGICARUM

LIBRI DUO

Cum Notis, & Obſervationibus

D. ROBERTI SALA.

Digitized by Google

RERUM LITURGICARUM
LIBRI DUO
AUCTORE
JOANNE BONA
S. R. E. TIT. S. BERNARDI AD THERMAS
PRESBYTERO CARDINALI
ORDINIS CISTERCIENSIS
PEDEMONTANO PATRITIO MONTIS REGALIS

Hac noviſſima Editione denuo recogniti, auĉti, Notis, Obſervationibus, ac perpetuo fere Commentario Hiſtorico, Critico, Dogmatico illuſtrati, noviſque acceſſionibus locupletati, ac in tres Tomos diſtributi, Quibus &c.

Non ſine ſpe, favente Deo, Quartum ſuperaddendi, uti dictum eſt in Præfatione generali,

STUDIO, ET LABORE
D. ROBERTI SALA TAURINENSIS
Ejuſdem Ord. & Congr. S. Bernardi Abbatis Tit. S. Mariæ de Monte Ciniſio, Sac. Facultatum, & in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Profeſſoris.

TOMUS TERTIUS

Sive Liber II. Quo ſingulæ Miſſæ partes, ac Ritus ſingillatim explicantur:

VIDELICET

De Sacerdotis ad Altare proceſſione, Introitu, alterni cantus origine, Miſſa Fidelium, Oblationum ritu, Canone, & Nominum recitatione, ſeu vivorum Diptychis, de Conſecrationis forma, & ritu, memoria Defunctorum, Benedictionibus, & Orationibus ante, & poſt Communionem, vario ipſius Communionis nomine, modo, ordine, & Communicantium ſitu, ac denique de gratiarum actione, ac Miſſæ conſummatione, & clauſula.

ACCEDUNT PRO APPENDICE

Miſſa Latina a Flacco Illyrico edita; atque Fragmentum Miſſæ ab initio uſque ad Evangelium: & ſuper Miſſam Illyricam nonnullæ Eruditorum opiniones. Summa Rubricarum particularium, & generalium Miſſalis Auguſtani, maxime in quo differunt a Ritu Romano. Miſſa Euſebiana ad uſum Eccleſiæ Vercellenſis juxta priſcum Ritum, excerpta e pluribus antiquiſſimis Miſſalibus.

CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

Offerens in eo holocauſtum, & Sacrificia, ut Dominus imperaverat.
Exodi 40. 27.

BIBLIOTECA DELLA R. UNIVERSITÀ DI TORINO

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCLIII.
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Digitized by Google

PRÆFATIO

BIBLIOTECA DELLA R. UNIVERSITÀ DI TORINO

IN RERUM LITURGICARUM LIBRUM SECUNDUM, SIVE OPERIS TOMUM TERTIUM.

ECCE jam tertio venio ad te, benigne Lector, Liturgici Operis Tomum tertium exhibens, qui profecto præ duobus antecedentibus vere, ac proprie de ſacra Liturgia totus eſt, ſeu de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio; In illis nempe fuit ſermo de ipſius Euchariſticæ menſæ diviniſſima inſtitutione, apparatu, variis Miſſarum generibus, templis, ædibus, locis, altaribus, vaſis, luminibus, inſtrumentis, ac Miniſtris diverſis eorum claſſibus, ipſorumque multiplicis formæ, figuræ, ac coloris juxta tempus, indumentis, aliiſque multis ad hæc ſpectantibus, quæ quidem omnia paraſcevaſtica, ſeu præparatoria ſunt, ac Miſſæ celebrationem præcedunt. In hoc autem tomo, qui Rerum Liturgicarum Librum ſecundum continet, ipſius Miſſæ ſingulæ partes ſingillatim explicantur, ideſt a proxima Sacerdotis ad celebrandum præparatione, de jejunio ſcilicet naturali ad Sacrificii conſummationem, ſeu Euchariſticam communionem percipiendam neceſſario, de interna, & externa animæ, corporiſque munditie; deinde totus ſacræ Liturgiæ Ritus & ordo, integerque contextus ab acceſſu ipſius Celebrantis ad Altare uſque ad ejus ab eodem receſſum diſtincte deſcribitur, exponitur, & illuſtratur. Quibus profecto bene multa ſcitu digna deducuntur ad lucem, pleræque etiam quæſtiones, ac controverſiæ dogmaticæ, hiſtoricæ, & polemicæ ad rem Liturgicam pertinentes, proferuntur, examinantur, ac dilucidantur.

Et quidem primo, ut reliqua taceam, de neceſſario præmittenda Sacramentali ad aures Sacerdotis peccatorum confeſſione, ſi quis alicujus culpæ reus eſt, contra Dallæum, Binghamum, alioſque Sectarios. De ſacris vigiliis olim apud priſcos fideles in Eccleſia uſitatis adverſus Baſnagium. De vero, proprio, Divinoque, ac perpetuo novæ Legis Miſſæ Sacrificio adverſus Calviniſtas, & Lutheranos. De veteri ſacræ Scripturæ verſione 70. Interpretum dicta, & an Origenes Alexandriæ ejus prototypon videre potuerit. De alterni cantus origine, & antiquo ejus uſu adhuc ſervato. De Collectis, earumque ab Apoſtolis derivatione; item ab eorum tempore legi cœptum in ſacris Fidelium conventibus Evangelium, & traditum eiſdem fidei Symbolum

lum. De vino aqua miſcendo ex inſtitutione Chriſti, ac de Canonis antiquitate. De invocatione Spiritus Sancti, an per ea tantum & non per verba Chriſti, uti Græci contendunt Schiſmatici, fiat tranſubſtantiatio elementorum panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. De Hoſtiæ fractione, ejuſque vetuſtate contra Binghamum. De ejuſdem ſacræ Euchariſtiæ aſſervatione in Eccleſiis ad infirmorum, & Fidelium communionem contra Baſnagium. Item de priſco veterum uſu communionis ſub utraque ſpecie, nunc in Eccleſia obſoleto, & ſub una tantum ſpecie præſcripto adverſus Binghamum, alioſque Sectarios. Sunt denique & alia nonnulla huc ſpectantia, tam quoad hoc auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, quam circa præcipua aliquot Fidei Catholicæ dogmata ab Hæreticis impetita, a Cardinali noſtro viriliter propugnata, & oſtenſa, atque a nobis pertractata, iterumque vindicata eo meliori modo quo libuit; quæ omnia profecto ſtudioſis Liturgicarum Rerum Candidatis grata, & non injucunda fore futura confido:

. . . . nec amplius unquam
. . . .
Zoilus, aut Momus, ſive Ariſtarchus iniquus.
Contra nos poterit dicere: inepta damus,

Sed ne inter ſacra ex profanis jocemus, inepta revera non ſunt, nec eſſe poſſunt, qualiacumque extent hæc Commentaria, vel additamenta ad Card. Bonæ Liturgica, ſicuti nonnihil exſibilatum eſt; ea quippe, & per ſe patent; dum ex hagiographis paſſim, ac SS. PP. teſtimoniis, probatiſque Scriptoribus deprompta exponuntur, ut vero in caſu obſtruatur os loquentium iniqua: non verebor lætus dicere cum Regio Propheta: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones: Quoniam in te, Domine, ſperavi, Tu exaudies me Domine Deus*. Et quidem in hoc Opere ad majorem tui gloriam expleto.

Te interim alloquor, Catholice Lector, ad cujus ſacram eruditionem hæc pro modulo conſcripta ſunt. En tibi tandem in Euchariſtiæ Sacramento Myſterium Divinorum omnium maximum, quo Dei Filius Verbum Patris pro nobis caro factum; idem Victima, & Sacerdos inſtituit ſui amoris ſacrificium, & latens idem ac præſens in Aris verſari gaudet, ejuſque delicias eſſe cum filiis hominum, idem fons gratiæ, & gloriæ pignus. Hinc ipſe convivator, & convivium, paſcit, & paſcitur, immolatur, & immolat. In hujus itaque auguſtiſſimi diſquiſitione, ac contemplatione myſterii immoremur, quo miſericors, & miſerator Dominus, dum memoriam faciens mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe, Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem in potum tribuens, in hoc quippe admirabili facto (ut ait Roſſignolus in Præf. ad Tract. de Euchariſtia) conſummatur Divina potentia, conſummatur Sapientia, cum ædificans ſibi domum miſcuit vinum, & poſuit menſam, conſummatur Amor, nam cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, divitias divini erga homines amoris ſui velut effundens, ut loquitur Concilium Tridentinum ſeſs. 13. cap. 2. & ſeqq. eique dilectioni quaſi colophonem, ideſt ſupremam tanto operi manum appoſuit per admirabilis Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutionem. Gloſſa hæc eſt Guerrici Abbatis Igniacenſis

cenſis inter Opera D. Bernardi Serm. de Aſcenſione Domini, ubi poſtquam Chriſtum Dominum, quandiu in terris hæſit paſſibilis, atque mortalis, parcius dulcedinem ſuam, & amorem in filios prodidiſſe dixerit, addit: *Cum autem tempus, quo ab eis receſſurus erat, inſtaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu viſus eſt, ut magnam multitudinem dulcedinis ſuæ, quam eis abſconderat, diſſimulare non poſſet; hinc illud eſt: cum dilexiſſet ſuos &c. Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipſe ſicut aqua effunderetur pro inimicis; Tunc eis Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui tradidit, & celebrandum inſtituit, neſcio virtute, an charitate mirabiliori; hoc namque genus manſionis adinveniens in conſolationem receſſus ſui, ut ſi diſcederet ab eis ſpecie corporis maneret non ſolum cum eis, ſed etiam in eis virtute Sacramenti*. Ita Guerricus Abbas S. P. N. Bernardi Diſcipulus.

His in anteceſſum delibatis (Religioſe Lector) ſi toto mentis affectu juſte ac pie intuearis iſtud ineffabile ſimul, & admirabile commercium, quod inter Deum & hominem in hoc Sacramento intercedit profecto uno conſpectu cernes omnium cæremoniarum, quæ ab orbe condito fuerunt, aut eſſe poterant, hanc fore ſanctiſſimam, & auguſtiſſimam; omnium Sacramentorum ſummum: vel (ut Dionyſius cap. 3. Eccl. Hierar. appellat) Sacramentorum Sacramentum, ac conſummationem; Sacrificium vero unicum tremoris & majeſtatis plenum, in quod omnes omnium temporum & fidelium populorum hoſtiæ reſolutæ ſunt, quemadmodum legitur in veteri Miſſali Francorum apud Thomaſium, & Mabillonium de Liturgia Gallicana pag. 325. *Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem Tibi, ſumme Pater, hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus*: & expreſſius S. Leo I. Papa Serm. 8. de paſſione Domini affirmat dicens: *Nunc carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias, hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis tui* (Domine) *implet oblatio, quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & ita in te univerſa perficis myſteria, ut ſicut unum eſt pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum*. Et ex ipſo fortaſſe deſumpta ſecreta Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſtem, quæ ſic eſt: *Deus, qui legalium omnium hoſtiarum differentias unius Sacrificii perfectione ſanxiſti* &c. Omnium denique miraculorum eorum, quæ Chriſtus fecit, maximum, & quod caput eſt, univerſorum beneficiorum, ac donorum Dei ſummum compendium, in quo utilitas omnis, quæ mortalibus ex gratia Incarnationis obvenire debuit, luculentiſſime continetur, & ſuaviſſime tribuitur. Nam (ſicut ſcite obſervat Guillelmus Alanus Anglus Duacenſis Academiæ Regius Theologiæ Profeſſor lib. 1. de Euchariſtiæ Sacram.) ſi cuipiam profuit conceptus, & natus Deus crucifixus, ac ſacrificatus Deus, reſuſcitatus & corpore glorificatus Deus: certe ſic in utero Virginis, in Cruce, in Sepulchro, in Cœlo, hominum uſibus mira dignatione per carnem aptus, & utilis factus, nunc unica ſingularis Sacramenti actione reipſa donatur nobis: & qui in omnibus aliis Myſteriis veluti parabatur, nunc hic vere & actu exhibetur, & proprie a nobis accipitur. Et rurſum, quia non habemus aliud, quod retribuamus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis, Panem hunc, & Calicem ſalutaris accipimus, & in eo nomen Domini unico, & incomparabili modo invocamus.

Summum ergo hominis bonum, datum in Sacramento, oblatum in Sacrificio conjunctum in una, & eadem cæremonia appellatur a nobis Euchariſtia, quam Majores noſtri poſt S. Gregorium Papam (ut

vi-

videre eſt in 2. p. Decreti c. 1. q. 1. can. *Multi*) non tam vim verbi Græci intelligentes, licet ad id etiam alluſum fuerit, quam rem intuentes appellarunt antonomaſtice Bonam gratiam, (quia ut idem Gregorius interpretatur) Chriſtum ipſum Auctorem gratiæ continet, & ut D. Thomas exponit, (quem ſequitur in eo Catechiſmus Tridentinus) quod ex hoc Sacramento in primis venit vita æterna, quæ a D. Paulo ad Rom. 6. dicitur *gratia*. Cur autem hoc Sacramentum, ſeu græce, ſeu latine a gratiarum actione nomen habeat, tres potiſſimum cauſæ ſunt, una ex parte Sacramenti, altera ex parte Sacrificii, tertia ex utroque. Prima eſt quod in ea nobis impertiatur, ut diximus omnium gratiarum, ac benedictionum ſpiritualium, omniumque donorum, ac beneficiorum optimum maximumque, id autem in his rebus, eoque modo & ordine, ut omnem erga nos amorem, ac favorem divinum plane exprimat. Veteris itaque illi ſancti homines majores noſtri qui hoc admirabile donum ſumma animorum gratitudine, ut oportuit, acceperunt, appellarunt actionem illam & cæremoniam, in qua hæc ſingularis gratia facta eſt, Euchariſtiam. Ita Chryſoſtomus hom. 16. in Matth. *Optima beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio. Propterea, & reverenda, ac ſalutaria illa myſteria, quæ omni certe Eccleſiæ congregatione celebramus*: Euchariſtia, *ideſt* gratiarum actio, *nuncupatur*. Ex eo autem pariter quod plerique Patres, Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ, & Ambroſius in funere Satyri fratris, aliique paſſim dicant Euchariſtiam *confici, portari, offerri, manducari*, perſpicuum eſt Euchariſtiam non tantum eſſe nomen actionis, ſed etiam rei, ad quam gratiarum actio terminatur.

Secunda Euchariſtiæ vocabuli notio, ejuſque cauſa proinde eſt ex parte Sacrificii, eaque illuſtrior & verior; quia Deus voluit hanc eſcam carnis ſuæ non ſolum eſſe in paſtum fidelis populi, verum etiam, ut in ea conſtituatur memoria omnium mirabilium ſuorum, & cultus Chriſtianæ religionis, atque Sacrificium laudis, quo ſolo ſublatis aliis omnibus per Regium Prophetam inter cæteros (Pſal. 49. 110.) ſe honoratum iri prædixit, ait enim ibi poſtquam aliqua de carnalibus antiquis Sacrificiis præmiſerit: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*. Ut hic jam non tam pro ipſo dono, quam in ipſo, & per ipſum, quod peragitur Sacrificium ſumma laus, & continua gratiarum actio pro gratia novi Teſtamenti peragatur: Ipſum enim opus, quod hic ſanctiſſime perficitur eſt Sacrificium pacificum, & genus gratiarum actionis, ac laudis incomparabile, non verbi conſtans, aut interno ſolo gratitudinis affectu, ſed in oblationis officio, quo ſummum illud, quod Deus donavit in Sacramento, nos eodem actionis momento reddimus in Sacrificio. Et hanc divinorum beneficiorum recordationem per hoc Sacrificium fieri debere admonuit Salvator noſter cum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*: Hinc D. Auguſtinus frequentiſſime id innuit, & explicat, lib. 1. contra Adverſ. Leg. & Proph. cap. 8. *Quod eſt* (inquit) *ſacratius laudis Sacrificium, quo Dominus honorificabitur, quam quod eſt in gratiarum actione? & unde majores gratiæ agendæ ſunt, quam pro ipſius gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? quod totum Fideles in Eccleſiæ Sacrificio ſciunt*. Eleganter etiam in Lib. de Spir. & litt. cap. 11. ait: *Cultus Dei in hoc maxime conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata. Unde in veriſſimo, & ſingulari Sacrificio Domino Deo noſtro gratias agere jubemur*. Quod & confirmat in Epiſt. ad Honoratum, & alibi pluries. Principaliſſima igitur ac ſubli-

miſſima

miſſima laudatio, & gratiarum actio, quæ Deo per nos pendi poſſit juxta Auguſtinum locis citatis, ſita eſt in confectione Corporis Chriſti; inde factum eſt, ut ei inditum ſit antonomaſtice nomen Euchariſtia, ut jam indicatum eſt, quod & confirmat Nicolaus Cabaſilas quoad Græcos in Expoſit. Liturgiæ cap. 52. Sed & id perhibent antiquiſſimi Patrum, qui Corpus & Sanguinem Domini tradunt eſſe Euchariſtiam, ſeu Sacramentum. Vide quæ dicta ſunt ſupra Tom. I. ſeu lib. I. cap. 4. §. 4. ubi plura in hanc rem congeſta habes eorumdem veterum teſtimonia, quibus addere poteris Tertullianum in Carmine adv. Marcionem lib. 4. cap. 4.

Namque ſuo ſocios homines ſibi ſanguine fecit,
Atque Sacerdotes voluit ſui Corporis eſſe,
Ipſe Patris ſummi perfectus jure Sacerdos.

Itaque ſi Sacerdotes illius Corporis ſunt, oportet profecto ipſius Corpus hoſtiam, & Sacrificium eſſe; quod utique etiam docet Cyprianus de Cœna Dom. dicens: *illud viſibile quod eſt in Euchariſtia eſſe Sacramentum latentis ſubſtantiæ divinæ.*

Tertia denique cauſa eſt exemplum ipſius Chriſti Domini, qui dum hanc ſtupendam ordiretur actionem, ſtudioſe obſervatur a tribus Evangeliſtis, & Paulo gratias egiſſe Deo Patri, & gratias agendo, ſeu benedicendo panem etiam, & vinum conſecraſſe; ita enim indifferenter vetus Matthæi interpres vertit, nunc *benedixit*, nunc *gratias egit*; & S. Juſtinus in Apologia ſecunda pro Chriſtianis ad Antoninum Imp. hanc allegat rationem, cur *Euchariſtia* dicatur, quia nimirum ſit benedictus panis & calix, hoc eſt (ut ita dicam) *Euchariſtizatus*, nam ille utitur verbo hoc paſſive, & tranſitive appellans hoſtiam ſacram, *Panem, ſuper quem gratiæ actæ ſunt*. Et Irenæus lib. 4. adv. hær. cap. 34. vocat itidem *Panem, in quo gratiæ actæ ſunt*: ideſt *euchariſtizatum* eadem ratione. Propter has ergo præcipue cauſas Euchariſtiæ appellatio facta eſt vulgaris, & communis, atque huic ſacroſanctæ, divinæque cœremoniæ veluti peculiaris, quamquam alia pariter nomina illi attributa fuerint, vel ex materia, ex qua fit, ut cum dicitur Sacramentum *Panis, vel Calicis*, aut ex re contenta, ut cum *Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini* vocitatur, vel ex loco ſacro, in quo celebratur, ut cum *Sacramentum Altaris dicimus*; vel ex eo tempore inſtitutionis, ut cum *Cœnæ Dominicæ* nomen habet: vel ab uſu, ut cum *Viaticum* vocatur, quia tribui ſolet his ad ſubſidium, qui adhuc in ſæculo vivunt, aut in aliam vitam tranſeunt, ſicut ab alio uſu *Synaxis* etiam dicitur, quia ad hoc præcipue Sacramentum fidelis populus ad cultum congregatur; vel ab aliquo externo ritu in ejus miniſterio, ut cum dicitur *Fractio panis* in Actis Apoſtolorum, vel ab effectu, quo modo a Punicis Chriſtianis appellabatur *Vita*, teſte Auguſtino lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 24. Denique a S. Paulo Apoſtolo *Communio*, quæ vox adhuc communis facta eſt ad ſignificandam Euchariſtiam. Reliqua hujuſmodi, quæ ſpectant ad Euchariſtiæ nomina, vide ſupra Tom. I. lib. I. cap. 3. §. 2. & 3.

Cur autem, & quibus de cauſſis Chriſtus Dominus hoc divinum myſterium, & admirabile iſtud Sacrificium Euchariſticum inſtituere dignatus ſit, etſi nonnulla jam mox indicaverimus, breviter, & expreſſius aliquid aliud edicere operæ pretium eſt, ut inde amplius eidem ſupre-

mo largitori pro tam altiſſimo dono nobis collato poſſibiles omnes gratiarum actiones referre valeamus. Et primo quidem id factum eſt, ut nova Eccleſia militans, quam ipſe Chriſtus ſuper Petrum tanquam ſupra firmam petram fundavit, adverſus quam portæ inferi non prævalerent, præſtantiſſimum munus, ac Sacrificium haberet, quo Deum optimum maximum, tum propter ejus excellentiſſimam majeſtatem, tum ob innumera in nos ipſos collata beneficia, honore ſummo coleremus; continet enim, ut antea innuimus, Sacrificium, ſupremum latriæ cultum ſoli Deo unice debitum, & proteſtationem ejus ſummi dominii, & noſtræ ſubjectionis, eumdemque non tantum ex opere operantis, ut olim in veteri Teſtamento fiebat, verum etiam ex opere operato nobis propitium, ac placabilem redderemus, uti Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. S. Thomas Opuſc. 58. cap. 1. & 3. aliique Theologi docent. Etenim cum religio qualibet Deum externo, & ſenſibili Sacrificio veneretur, quaſi interioris Sacrificii ſymbolo, id multo convenientius facere debuit novo aliquo, & peculiari Sacrificio Evangelica omnium præſtantiſſima, ut argumentatur D. Paulus in Epiſt. ad Hæbr. cap. 7. 8. 9. & 10. Legales namque hoſtiæ, holocauſta, & oblationes pro peccato, eo quod umbram tantum futurorum bonorum lex contineret, non res ipſas, nunquam poterant accedentes perfectos facere, cum eſſet impoſſibile ſanguine animalium deleri peccata, quæ Chriſti Domini, Sacerdotis æterni ſecundum ordinem Melchiſedech, immaculato ſanguine delenda erant; Unde & prius abſtulit teſtamentum, ut ſtatueret poſterius, ut idem Paulus obſervat dicto cap. 10., in quo veritate collata ceſſarent umbræ, & ſublatis pecudum Sacrificiis ad tempus ſervis datis, tanquam rerum meliorum ſignis, incruentum holocauſtum Corporis, & Sanguinis Chriſti æterno Patri a filiis offerretur, ut jam paulo ante advertimus ex Liturgia Gallicana, & S. Leone Magno, itemque firmat S. Auguſtinus lib. 6. contra Fauſtum, cap. 5 & lib. 20. cap. 21. ubi ait: *Hujus Sacrificii Caro & Sanguis ante adventum Chriſti: per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſſione Chriſti per veritatem reddebatur, poſt Aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur.*

Præterea hoc dulciſſimum Sacrificium & Sacramentum inſtituit Chriſtus Dominus, ut ejus ſummi in nos amoris eſſet argumentum, nam ut ait Joann. cap. 13. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*. Cum enim Deus initio naturam noſtram ſimilitudinis unione ſibi copulaſſet, hominem creans ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, *Geneſis cap.* 1. eumdemque deinde gratiæ, & charitatis unione ſibi arctius devinxiſſet, uti legitur in Oſee cap. 11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis & neſcierunt quod curarem eos. In funiculis Adam, traham eos, in vinculis charitatis*: poſtea unione illa mirabili, qua ſe ipſum naturæ noſtræ ineffabiliter conjunxit, atque hypoſtatice univit; qui enim Deus natura eſt, vere homo factus eſt, ita ut verus Deus, & homo ſit; his divinus amor non contentus, ſciens Jeſus jam veniſſe horam ut tranſeat de hoc mundo ad Patrem, ut amoris ſui evidens argumentum daret, nec ullo umquam tempore a nobis abeſſet inexplicabili conſilio, & quod omnem naturæ ordinem & conditionem ſuperat, admirabilem hanc ſacramentalem reperit unionem, de qua eodem S. Joanne teſtante cap. 6. dixit Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*: Unde recte Chryſoſtomus hom 61. ad Populum Antioch. & hom. 45. in Joan. *Cum enim ſuum* (inquit) *in nos amorem indicare vellet, per Cor-*

pus

pus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus cum capite unitretur; hoc enim amantium eſt. Ita etiam Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Joan. cap. 26. aliique SS. Patres bene multi, quibus innititur Concilium Trident. loco indicato. Et ſane majus beneficium optare non poteramus quam Chriſtum Dominum hominem factum, Cruci affixum, & conſidentem ad dexteram Patris ita largiri ſe nobis, ut ejuſdem Corpore, & Sanguine nunc etiam veſcamur, illique media Euchariſtia incorporemur. Quantopere igitur decet nos ſuſpicere, & intimo cordis affectu venerari adeo exuberantem, ac tranſcendentem omnem dilectionis modum, Chriſti amorem, cum nos ſervos ejus, quin etiam inimicos, ſua divina carne, & ſanguine ſaginarit? Profecto haud minus vere de hujus myſterii, & Sacramenti divina inſtitutione, quam de ejuſdem incarnatione & morte pro noſtra ſalute dici poteſt, præclarum illud D. Bernardi effatum, *de Deo triumphat amor* Serm. 54. in Cantica. Vide ſupra quæ dicta ſunt ad hanc rem ex Guerrico Abbate Igniacenſi ejuſdem Melliflui Doct. Diſcipulo.

Inſtituit quoque Dominus hoc Sacrificium, ut ſuæ pro ſalute noſtra ſuſceptæ Paſſionis eſſet memoriale perpetuum, ipſomet dicente, Lucæ 22. Matth. 26. *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Et D. Paulo 1. ad Corinth. 12. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Itemque ut eſſet fidelium animarum cibus: *Accipite* (ait) Lucæ 22. *& manducate hoc eſt Corpus meum*: & Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*: cujus miros effectus explicans Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi* (inquit) *voluit Chriſtus Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes in vita illius, qui dixit qui manducat me & ipſe vivet propter me*. Et ſane cibus hic menſas omnes ſuperat magnitudine & amplitudine doni, cum cibus apponatur Deus ipſe. Unde Tertullianus lib. de Reſurr. Carnis: *Caro Corpore, & Sanguine Chriſti veſcitur, & anima de Deo ſaginatur*. Deinde etiam ut haberemus adverſus peccatorum morbos & venena paratum medicamentum & antidotum, uti etiam notavit D. Thomas 3. p. q. 79. & Opuſc. 58. c. 24. & per ſe ſatis indicatur illis verbis Domini Jo. 6. *Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non morietur. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Denique ut eſſet promiſſæ futuræ gloriæ pignus, quod etiam tradidit D. Thomas Opuſc. 57. ubi prædicta confirmat dicens: *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Et Concil. Trident ſupracitat. *Pignus præterea* (ait) *id eſſe voluit* (Chriſtus) *futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis*: Et evidenter colligitur ex dicto Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Audiatur etiam Mellifluus noſter D. Bernardus Serm. de Cœna, qui inc. *Panem Angelorum. Gratulare Sponſa, gaude incomparabiliter, præſidentem habes, & rectorem Sponſum in præſentis exilii militia. Pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter Sponſo uniaris in patria. Glorioſa & amabilis Sponſa, in terra Sponſum habes in Sacramento, in cælis habitura es ſine velamento, & hic, & ibi veritas, ſed hic palliata, ibi manifeſta* &c. De his porro omnibus ſuſe ſatis & apte agit Joannes Baptiſta Scortia Soc. Jeſu de ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio lib. 1. cap. 10. qui & ſequenti plura ex Sanctis Patribus habet cur voluerit Chriſtus Miſſæ Sacrificium in Eccleſia iterari, ut ſcilicet præcipue cultus Chriſtianæ religionis, quæ ſine Sacri-

 ficio

ſicio eſſe non poteſt , in Dei honorem tanti myſterii frequentatione conſervaretur .

Vidimus hactenus breviter, etſi per ſpeculum in ænigmate, magna opera Domini in Euchariſtiæ Sacramento, ejuſque jugi Sacrificio, Sacramentum utique auguſtiſſimum , Sacrificium majeſtatis plenitudine undequaque ampliſſimum myſterium Deo plenum , Deum ipſum in ſe continens, omniumque perfectionum conſummationem & complementum . Nihil propterea poteſt a nobis excogitari ſublimius , nihil difficilius inveſtigari, nihil utilius aut mentis contemplatione , aut ſermonis eloquio , ſive Theologicis Commentariis attingi . Neque vero id conantibus præſtigiæ hæreticorum hominum ſunt nimium pertimeſcendæ ; ſiquidem *adverſus eos , qui tribulant nos* , & laceſſunt adverſus inſidias dæmonum , hæreſumque portenta , *hæc menſa Domini in conſpectu noſtro* parata eſt : & ex illa dummodo non accedamus indigni , ſurgimus hoſtibus formidabiliores, quemadmodum plerique Patrum oſtendunt , præcipue S. Joannes Chryſoſtomus in Allocutione ad Neophytos, & infra ut dicetur ; idque facile eveniet , ſi nobis ſemper, & firma inſideat præclara illa melliflui Abbatis Bernardi ſententia Serm. de Excell. SS. ſeu de dignit. Sacerd. *Mira ſunt quæ de Sacramento iſto dicuntur , fides eſt neceſſaria , ſcientia rationis ſupervacua , ſcientia ratione , & intellectu colligitur , fides ſola authoritate inducitur* . Auguſtinus contra Felicianum, *Hoc fides credat , intelligentia non requirat , ne aut non inventum putet incredibile , aut repertum non credat ſingulare . Hæc ſunt , fratres , quæ fidem neceſſario exigunt , rationem omnino non admittunt . Expetunt ſimplicem creditorem, arguunt impium diſcuſſorem . Et ideo credi oportet ſimpliciter , inveſtigari non poteſt utiliter . Hic eſt torrens , quem tranſvadere non potuit Eliſæus . Nolite itaque, nolite quærere quomodo fiat , nolite dubitare utrum fiat .* In eumdem ſenſum conſonant antiqui Patres Græci , & Latini . Ex iis laudatus S. Joannes Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Credamus* (ait) *ubique Deo , nec repugnemus ei , etiamſi ſenſui , & cognitioni noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit . Superet & ſenſum , & rationem noſtram ſermo, quæſo, ipſius . Quod in omnibus , & præcipue in myſteriis faciamus ; non illa , quæ ante nos jacent ſolummodo aſpicientes , ſed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non poſſumus , ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt. Illa falſa eſſe non poſſunt , hic ſæpius , atque ſæpius fallitur . Quoniam ergo ille dixit :* hoc eſt Corpus meum , *nulla teneamur ambiguitate , ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus*. Ita in Chryſoſtomo loquuntur Græci Patres ; neque aliter Latini pronunciant in Auguſtino , qui in Serm. 68. ſuper Joann. inter cætera hæc habet : *Quia ergo in hac peregrinatione noſtra expedit latere Chriſtum, ut credatur, bene igitur Chriſtus ſub Sacramento dedit nobis ſeipſum , ut per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ ſuæ augeat beneficium, dum in terrena quadam, & prorſus ſolita panis & vini forma , majeſtatem Sapientiæ Verbi Dei ſubſtantialiter comprehenſam, incomprehenſibilem credere, & venerari non erubeſcimus, quæ quantitate , & qualitate ſua , ita ejus excellentiæ videtur indigna , ut nullatenus etiam æſtimari debeat , niſi quia ipſe eſt Deus , qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra , niſi quia etiam caro ejus ipſa eſt , cui data eſt omnis poteſtas in cælo , & in terra, ut poteſtate tali ſit in veritate perſonæ in cælo & in terra quandocumque, & quomodocumque ipſi placuerit.*

Satis in hiſce duobus primariis Partibus , cum quibus & reliqui omnes unanimi ſenſu conſpirant , univerſalis Eccleſiæ vocem audivimus, fidem de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia perſpeximus, uti jam

tomo

tomo I. pleriſque locis firmatum eſt, & hoc tertio Tomo in decurſu Miſſæ ulterius conſpiciemus, cum maxime ut dicta hæc omnia fidelium mentibus infixa manerent (ita ratiocinatur Ivo Carnotenſis) voluit Eccleſia, & in forma conſecrationis Calicis poſuit ea verba *myſterium fidei* . Ut quid ergo *myſterium* (ſubdit Guitmundus lib. 1. de Euchar.) niſi quia occultum ; Ut quid *fidei*, niſi quod hoc non carnis oculo, ſed intuitu fidei convenit contemplari ? nam ſicut ait S. Gregorius Papa : *non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum* . Inquirit porro perquam diligenter Algerus lib. 2. de Euchar. cap. 4. cur conveniens fuerit Euchariſtiam adeo abſcondi, ut myſterium fidei eſſet, nec circa eam ratio, ſed humilis fides verſari deberet. Et rationem ejus rei adhibet, quam brevius his verbis perſtrinxit Rupertus Tuitienſis lib. 3. in Exod. cap. 12. ubi præfatus, Judæos tentatos fuiſſe circa cibum, addit : *Porro ut de hoc ſpirituali cibo, & potu tentemur nos, æquum eſſe manifeſta defendit ratio. Tentatus enim fuit homo a diabolo, & victus eſt ; Tentetur a Deo, ut illius tentatoris fraudem vincat, & tali antidoto juxta naturam morbi competenter vitæ ſuæ ſubveniat. Tentati*, inquam, *ſunt primi homines a Diabolo dicente* : Comedite, & eritis ſicut Dii, *& crediderunt ei pluſquam Deo dicenti* : in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini : *Proinde tententur homines a Filio Dei dicente de pane & vino* : Comedite hoc eſt Corpus meum ; Hic eſt Sanguis meus : *Comedite & eritis filii Dei. Credamus verbo ejus pluſquam oculis noſtris carnalibus, quibus nonniſi exteriorem panis, & vini ſpeciem intuemur : & ita, iniquam credulitatem parentum noſtrorum pia credulitate in nobiſmetipſis evacuemus.* Hæc Rupertus, qui ſic inter cætera hoc argumento ſcite, & appoſiſite impias Sacramentariorum omnium, Calviniſtarum ſcilicet, aliorumque perduellium Euchariſtici Sacrificii, & Sacramenti hoſtium malignas cavillationes & præſtigias viriliter confodit. Quod quidem multis ante ipſum ſeculis S. Hilarius Pictavienſis lib. 8. de Trinit. recte cum Eccleſia Catholica concluſit, dicens: *non eſt ergo de veritate præſentiæ Chriſti in Euchariſtia relictus ambigendi locus* : iis quidem, qui Chriſtum Dominum verum Deum agnoſcunt, alienum a mendacio in verbis, ac impotentia in exequendis ſuis dictis, atque promiſſis ; Qualem certe eum diffiteri videntur Sacramentarii, cum quibus nobis in hoc tomo agendum erit, qui myſoliturgi, & metonymici omnia Chriſti verba de hoc Sacrificio & Sacramento ad ſenſum figurativum, & metaphoricum traducunt.

Credamus itaque verbo Dei qui dicit : *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*, item : *Panis quem ego dabo caro mea eſt* . Audimus *vere, quem ego dabo* . Hoc non poteſt accipi de Chriſto ut fidei objecto, quia Chriſtus ſub ea ratione jam datus erat per ſuam inter homines converſationem, qua pro nobis incarnari dignatus eſt. Dictum igitur de Chriſto in cibum ſenſibilem ſub ſpeciebus panis, & vini promiſſo, ſed modo ſpirituali, ſeu ſacramentali realem præſentiam non excludente, ut verificetur quod caro vere ſit cibus, & ſanguis vere ſit potus ; Quod autem promiſſum hoc ſuum exolverit Chriſtus Dominus, & reipſa exolviſſe, teſtantur in cœna ultima Matthæus, Marcus, & Lucas, necnon Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. referentes Chriſtum accepto pane dixiſſe *hoc eſt Corpus meum*, & accepto vini calice dixiſſe : *hic eſt calix Sanguinis mei*, & addidiſſe illud eſſe corpus quod erat tradendum, & ſanguinem, qui pro humano genere fundendus erat. Quæ Chriſti verba licet tam inſulſis, & inſanis,

im-

immo deteſtandis obtorſionibus vexata ſint a Sacramentariis, ut Chryſtophorus Ruſpergerus jam ab anno 1577. libellum confecerit ducentas eorumdem verborum depravationes continentem, ex quo in ipſa linguarum, & ſermonum confuſione, inconſtantia ac falſitas eorum doctrinæ manifeſte conſpicitur diris omnibus Sathanæ, ex quo ſumpta eſt, devovenda. Miſſis itaque nugivendulis iſtis, ac inferni nebulonibus, quorum finis interitus, audiamus Eccleſiam veritatis magiſtram; Jam Latinam in Hilario, Auguſtino, aliiſque mox audivimus, Græcam in Cyrillo Hieroſolymitano Catech. myſtag. 4. ubi idem ſentit, poſt Chryſoſtomum audiamus: *Cum igitur*, inquit, *Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane*, hoc eſt Corpus meum, *quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, & dicente*: hic eſt Sanguis meus, *quis inquam dubitet, & dicat non eſſe illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt Sanguini propinquum in Cana Galilææ ſola voluntate. Et non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias invitatus corporeas ſtupendum miraculum operatus eſt, non multa magis Corpus & Sanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe illum, confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur Sanguis, ut ſumpta Corpore & Sanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps, Corporis, & Sanguinis Chriſtophori. Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt Chriſtum ferentes, cum ejus Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus: atque ita, ut B. Petrus dicit: divinæ naturæ conſortes efficiemur*. Et poſt pauca: *Ne ergo conſideres tanquam panem nudum, & vinum nudum, Corpus enim eſt, & Sanguis Chriſti ſecundum ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certiſſimo, ita ut nulla ſubeat dubitatia, eſſe tibi donata Corpus & Sanguinem*. Similia videre eſt apud S. Ambroſium lib. 4 de Sacram. cap. 4. & 5. itemque apud reliquos Patres, præcipue apud Adelmannum Epiſtola ad Berengarium.

Sic ſtabilita hac Catholica veritate realis præſentiæ Chriſti Domini in Euchariſtia, *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua*, Pſal. 85., & antequam introibo ad altare Dei, Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, & ordinem, ejuſque ſingulas partes deſcribens, claudam illis verbis Franconis Abbatis Affligemienſis lib. de gratia Dei in Bibl. PP. Lugd. tom. 21. qui de eodem Euchariſtico Pane ſcripturas hæc habet: *Ad panem verum, & vivum, qui de cælo deſcendit, tranſeamus, ipſum toto cordis affectu obſecrantes, ut de ſe ſcribenti inolita benignitate adeſſe dignetur, ut ipſa inſpirante ſe digna, & legentibus ſcribam proficua*. Sic oro, & exopto, jejuna ſiquidem ſcriptio, & exſucca erit, ſi Scriptori manum is non porrigat, de quo ſcribitur. Immitte huic menti te ipſum, Amor dulciſſime, illabi dignare Deus, qui charitas es, immitte aliquid amoris tui, puritatis tuæ, ſapientiæ, & ſanctitatis tuæ, ut tam eximio argumento aliqua ex parte reſpondeam, dum illud verſo; Non ſit felicior tomus iſte, qui euchariſticas, ac proinde cœleſtes omnes Dei divitias exhibet, quam ſit Authoris mens, a qua prodire illud velim, quod hic implanto. Utque vere in charitate maneam, & Deus in me ſit, devotum ac pium Lectorem togo, itemque monitum cupio, ſicut alias expoſui, mihi in hoc Liturgico Opete, ſive in iis, quæ ab aliis collecta fuerunt, ſive de proprio adjecta nunquam mentem fuiſſe vel in minimo apice recedendi ab iis, quæ a Sancta Romana Eccleſia aut definita, aut declarata ſunt in rebus, vel fidei,

vel

vel ſacrorum Rituum, quam, veluti veritatis magiſtram, & ingenue profiteor, & eximie obſequenti animo veneror, & colo. Porro huic Præfationi finem impono iiſdem ſenſibus, quibus ſuum ſacrorum Electorum Volumen tertium claudit vir pius & doctus Aloyſius Novarinus Cler. Reg „ Tu, Amor, ſub Euchariſtiæ velamine latens, ſcri-
„ bentis mentem ſpecta, quæ honorem tuum, gloriam tuam ſpectat,
„ & imbecillitatis ſuæ oblita, rapi ſe ad argumenti tractationem per-
„ miſit, quod eo excellentius, & majus, quo ſub viliori, minorique
„ integumento deliteſcit, atque ſcriptionem omnem non tam implet,
„ quam obruit, & quodammodo inſepelit. Commendare Sacramen-
„ tum voluit, quod omni commendatione majus eſt, conatum lauda,
„ laus tota in te reſiliet, ſi conatus dignus laude aliqua ſit; verum
„ ego laudem non quæro, laudem non poſtulo, veniam quæro, ve-
„ niam poſtulo. Ignoſce mihi Amor meus, qui adeo impurus verſa-
„ re argumentum volui, quod ab ipſiſſima puritate verſandum erat,
„ non quia purus eſſem, ſcriptioni meæ tradidi, ſed ut purior evade-
„ rem, ideo ſcripſi, de Agno Euchariſtico egi, ut hac tractatione hu-
„ jus Agni ſanguinem mentis meæ ſtolam abluerem, maculaſque om-
„ nes Agni immaculati virtute abſtergerem, ut melior, puriorque a
„ ſcriptione abeam, quam ad ſcriptionem venerim. Paſcor hac ſpe,
„ *quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*.

APPRO-

APPROBATIO
THEOLOGORUM ORDINIS.

Rerum Liturgicarum Liber ſecundus, quo ſingulæ partes, ac ritus ſingillatim explicantur, ab Emin. Cardinali Bona eruditiſſimo variis editionibus jam evulgatus, & ab Adm. R. P. Abbate D. Roberto Sala notis, additionibus &c. in præſens illuſtratus, ac in tertium Tomum ejuſdem Operis redactus, de mandato Reverendiſſimi P. D. Pauli Antonii Ruffini noſtræ Sabaudo-Pedemontanæ Provinciæ Abbatis Viſitatoris Provincialis, a nobis attente perlectus eſt. Atque omnia in hoc volumine contenta Fidei Catholicæ conſona, Sacerdotibus, aliiſque Miniſtris Altaris neceſſaria, ad errores Miſoliturgicorum extirpandos ſelecta, necnon eruditis Criticis, Sacrarumque Liturgiarum ſtudioſis proficua agnoſcentes, hac inſpecta Sanctæ Matris Eccleſiæ utilitate, typis demandari judicavimus.

D. CONSTANTIUS Sona
Sacræ Scripturæ Explanator.

D. BONIFACIUS Gaſtaldus
Sacræ Theologiæ Lector.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS.

Congregationis Monachorum Reformatorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis in Sabaudo-Pedemontana Provincia Abbas Viſitator Provincialis.

Opus, cui Titulus: *Rerum Liturgicarum Liber ſecundus, quo &c.* ab A. R. P. D. Roberto Sala Abbate Titulari exaratum, cum a duobus ex noſtris ſacræ Theologiæ Lectoribus, quibus id injunximus, recognitum fuerit, & approbatum, ut typis mandari poſſit, quantum in Nobis eſt, tenore præſentium, ac ſervatis de jure ſervandis, facultatem impertimur. In quorum fidem &c. Datum Taurinorum Auguſtæ e noſtro B. M. V. Conſolatricis Cœnobio hac die 13. Septembris 1753.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS
Abb. Viſit. Provincialis.

Loco ✠ Sigilli.

D. IDELPHONSUS RAYMUNDI Secr.

Imprimatur. Joannes Dominicus Allonus Magiſter, & Vicarius Generalis S. Officii.

V. Franciſcus Ferrerius Collegii Teologorum Taurinenſium Præſes.

Se ne permette la Stampa. Morozzo per la Gran Cancellería.

I N D E X
CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET NOTARUM.
Q U Æ
In hoc Rerum Liturgicarum Libro II. ſive Tomo III. continentur.

Notandum, quod ea, quæ reperiuntur inter parentheſim, & clauſulam, ſunt errata correcta.

CAPUT I.

De Sacerdotis ad celebrandum præparatione.

§. I. SAcerdotis ad celebrandum præparatio in quo conſiſtat. Præmittenda peccatorum confeſſio. Quædam obiter de priſco uſu confeſſionis. *pag.* 1.

Puritas mentis, & corporis Sacerdoti ad ſacrificandum neceſſaria. *ibid.*

Si eadem deſit, ante celebrationem per auricularem peccatorum confeſſionem alteri Sacerdoti faciendam comparanda. 2.

Si vero rem divinam facturo nihil confeſſione expiandum occurrat, precationibus tamen, ſeu Apologiis, quas ita veteres appellabant, incumbendum. *ibid.*

Apologia Sacerdotis. 3.

Nota 1. Non ſolum in lege veteri Sacerdotes puri jubebantur ad Sacrificia accedere, ſed etiam Gentiles. *ibid.*

2. Confeſſionem auricularem neceſſario a peccatore faciendam Sacerdoti ante Euchariſtiæ ſumptionem plures veteres Patres teſtantur. 4.

Eamdem eſſe de præcepto divino inſignes Theologi. *ibid.*

3. Et hanc ſecretam, ſeu auricularem faciendam intelligit Tertullianus. *ibid.*

Et quidem non ſoli Deo tantum, ſed ipſi, & ejus Sacerdotibus, qui reis pœnitentiam imponant, qua Deo ſatisfaciant. *ibid.*

Neque de publicis dumtaxat, ac notoriis, ſed & de internis, aut occultis peccatis confitendis Tertullianus clare dignoſcitur intelligendus. *ibid.*

Qui & tres hujus Sacramenti partes, contritionem ſcilicet, confeſſionem peccatorum, & ſatisfactionem exprimit. 5.

{ *Ad hanc pag. col.* 1. *lin.* 11 *lege* foras. }

Indicantur nonnulli recentiores Theologi, qui de neceſſaria homini lapſo ſacramentali confeſſione ſcripſerunt. *ibid.*

Confeſſionem Sacramentalem pro communi Reipub. bono neceſſariam, falſa, ac proinde reſtituendam experiit a Carolo V. Imp. Norimbergenſis Civitas. *ibid.*

Joſeph Binghamus dictæ ſacramentalis Confeſſionis neceſſitati obſiſtens confutatur. 6.

Ipſiſque ſuis argumentis refellitur. *ibid.*

Iiſdemque evidenter oſtenditur confeſſionis peccatorum ad aures Sacerdotis neceſſitas homini lapſo ante Communionem, non ex conſilio tantum, ſed ex præcepto. *ibid.*

Maldonatus a Binghamo male intellectus contra ipſum defenditur. 7.

Explicatur item Clementis Romani textus a Binghamo allatus, & in eumdem retunditur. *ibid.*

Eadem ratio in aperitione vitiorum corporis Medico, ac vitiorum animæ Sacerdoti, ſeu Medico ſpirituali. 8.

Hinc ſicut infirmus non detegens medico infirmitatem ſuam ſanari non poteſt, ita & peccator non revelans peccata Sacerdoti cum poſſit, ex ſe ſalutem animæ conſequi non valebit, niſi dolens, ſaltem cum abſit Sacerdos, ejuſdem confeſſionis votum habeat. *ibid.*

(*Ad hanc pag. col.* 1. *lin. a fine* 30. *dele* comam *et* &)

Hæc veritas Orthodoxa neceſſariæ lapſis ſacramentalis confeſſionis ante communionem ulterius veterum monumentis confirmatur. *ibid.*

Lutherus ipſe vel invitus confeſſionem occultam utilem, immo neceſſariam admittit. 9.

Græci, aliique Orientis incolæ hujus Pœnitentialis obſervantiæ teſtes. *ibid.*

Inter quos Armeni, Copti, Æthiopes &c. *ibid.*

§ II. Apologiæ, Præces præparatoriæ, & Pſalmi. 10.
Preces præparatoriæ apud antiquos prolixæ. ibid.
N. 1. Oratio præparatoria ad Miſſam, quæ incipit *Summe Deus &c.* S. Ambroſio potius tribuenda, quam S. Anſelmo Cantuarienſi. 11.
4. Quot Pſalmi ante Miſſam olim & nunc recitati. ibid.
§. III. Reconciliatio, & pax cum omnibus. Puritas animi. 12.
N. 2. Quam neceſſaria animæ puritas ad communicandum, Sancti Patres teſtantur. 13.
§. IV. Olim in uſu erat noctis antecedentis Pervigilium Jejunium neceſſarium, carnis munditia. ibid.
N. 2. Vigiliarum uſus in Eccleſia antiquiſſimus, qui & ad ſeculum XV. perduravit. 14.
Neque ab ullo umquam veterum Patrum ſublatus. ibid.
Afferuntur nonnulla veterum vigiliarum teſtimonia, tum apud Judæos, tum apud Chriſtianos. 15.
{*Ad hanc pag. col. 1. lin. a fine 5. lege* huic.}
Polydorus Virgilius quoad antiquorum vigilias confutatus. ibid.
Item quoad eaſdem Baſnagius. 16.
Sublatæ in Eccleſiis nocturnæ promiſcui ſexus vigiliæ, & earum loco aucta jejunia. ibid.
Refelluntur Sectarii jejunia execrantes. 17.
Idque ex Latinis & Græcis Patribus. ibid.
Quare ipſis tam aperte adverſari inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe demonſtratur. ibid.
Sacræ vigiliæ noctis adhuc nunc temporis in Eccleſia latina fideliter cuſtodiæ contra Baſnagium. 18.
2. An recitatio matutinalis Officii prærequiratur ex neceſſitate præcepti ante Miſſæ celebrationem. ibid.
§. V. Lotio manuum, & nitor Veſtium. 19.
Manuum lotio ante Sacrum tractandum Græcis, Ægyptiis, atque Hebræis, atque inde Chriſtianis communis. ibid.
Obſervatus item apud omnes templum ingreſſuros veſtium nitor. 20.
N. 1. Hunc ritum lavandi manus antequam ad communionem accederent priſci fideles, plures alii Patres confirmant. ibid.
2. Veſtium nitor ab Ethnicis in eorum ſacris adhibitus, quanto magis a Chriſti fidelibus communicaturis cuſtodiendus. 21.
§. VI. De veſtibus ſacris, & orationibus a Sacerdote dicendis, dum illis induitur. 22.
Recenſentur orationes a Sacerdote dicendæ, dum ſacris veſtibus induitur, quas Græci antequam ſumant, ſemper benedicunt. ibid.
N. 1. Ritus aliquot Eccleſiarum ſumendi Amictum poſt Albam antiquiſſimus eſſe videtur, & ab Eccleſia Romana deſumptus. 23.
2. Morales, & myſticæ ſacrarum veſtium ſignificationes. ibid.
3. An Orationes a Sacerdote dici præſcriptæ dum ſacris veſtibus induitur, abſque gravi culpa omitti poſſint. ibid.
{*In hac nota in ultimum lege* poſſint.}
§. VII. Panis, & vini proxima præparatio. 24.
N. 1. Orationes quas Græci recitant in præparatione panis ad Protheſim. 25.
2. Etiam Carmelitæ præparant vinum, & aquam ante Miſſam. ibid.

CAP. II.

De Sacerdotis acceſſu ad Altare, deque dicendis ad ejus gradus.

§. 1. Sacerdotis ad Altare duplex proceſſio. 26.
Deſcribitur prima ſolemnis Pontificalis proceſſio. ibid.
Et quidem Summi Rom. Pontificis ad Miſſam in Eccleſia Stationali celebrandam. ibid.
N. 2. Defenſores S. R. E. qui fuerint, quando, & a quo inſtituti. 28.
3. Mos olim in Eccleſia Romana, ut procedenti ad Altare Summo Pontifici ſacra præferretur Euchariſtia. ibid.
§. II. De ſecunda Sacerdotis proceſſione a ſacrario ad Altare. 29.
Deſcribitur cæterorum Epiſcoporum ſolemnis proceſſio ad Altare. ibid.

APPENDIX

Ad hunc §.

Solemnis aquæ benedictio qualibet die Dominica non prætermittenda. 30.
Sacerdotis in Miſſa privata ad Altare proceſſio. ibid.
§. III. De ritu confeſſionis ante Miſſam, præmiſſo Pſalmo Judica me Deus. 31.
N. 1. Sacerdos quare profunde inclinatus Miſſam incipit, ſignat ſe ſigno Crucis. 32.
3. Solemniter celebrans Epiſcopus poſt dictas Orationes Evangelium oſculatur. 33.
5. Claudius De-Vert notatus. 34.
Pſalmus *Judica* a variis diverſimode recitatus. ibid.
Neque Cæleſtino I. Papæ, neq; Ambroſio Mediolanenſi recitationis hujus inſtitutio tribuenda. ibib.
Pſal. *Judica* cum ſua Antiph.
non

non ante annos mille initio Miſſæ recitari conſuetus. *ibid.*

§. IV. Confeſſio generalis omnium gentium more probatur. 35.

§. V. Variæ ejuſdem confeſſionis formulæ. 37.

N. 1. Formulæ confeſſionis in Miſſa recitari ſolitæ incertus Auctor. 38.

3. Non amplius addendum in confeſſione publica alicujus ſancti nomen. 39.

§. VI. Sequuntur aliæ confeſſionis formulæ. *ibid.*

N. 1. Joſeph Binghamus iterum confutatus. 41.

{ *Ad pag.* 42. *col.* 2. *linea a fine* 19 *lege* Aglae }

§. VII. Sanctorum poſt confeſſionem commemoratio. 44.

N. 1. Confeſſio hujuſmodi publica peccatorum in aliquibus Eccleſiis extra Altare facta. 45.

Quare Ritu Romano fit confeſſio a Sacerdote etiam ſacris veſtibus induto. *ibid.*

N. 2. Quomodo intelligendæ nonnullæ antiquæ confeſſionis generalis formulæ. *ibid.*

N. 3. Varii ritus circa locum, & modum hujus publicæ confeſſionis in Miſſa. 46.

§. VIII. De Sacerdotis oratione oſculo Altaris. *ibid.*

2. Liturgiæ fere omnes Sacerdoti ad ſacram aram accedenti dicendam aliquam orationem præſcribunt. 47.

{ *Ad hanc pag. col.* 2. *n.* 3. *in fine ſive linea a fine* 7. *ante* effici *adde* amanter. }

CAP. III.

De introitu, & ejus inſtitutione &c.

§. I. DE introitu, & ejus inſtitutione. Antiphona Quid ſit. 48.

N. 1. Quæ antiquitus pars dextera, & quæ ſiniſtra Altaris. 49.

Quæ nunc ſit pars Altaris dextera, & quæ ſiniſtra. 50.

2. Canere Antiphonatim id eſt alterius Choris. *ibid.*

5. Liturgia Gallicana magno quidem Gregorio antiquior, ſed hæc quam habemus an eadem ac illorum temporum, id probandum eſſet. *ibid.*

7. Card. Bona a Scheleſtratii nota vindicatus. *ibid.*

11. Antiphona, quæ initio Miſſæ recitatur, quare dicta introitus. 51.

Quæ etiam ab aliquibus Officium dicitur, & ab Ambroſianis Ingreſſa. *ibid.*

§ II. Hymnum *Gloria Patri* Apoſtolicæ traditionis eſſe. 52.

N. 2. *Gloria Patri &c.* ab Apoſtolica traditione derivari denuo probatur. 53.

§. III. Omnes introitus, ex Pſalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quædam illorum exempla. 54.

N. 1. Varii introitus modi deſcribuntur. 55.

§. IV. De veteri verſione Pſalmorum, quæ Italica dicitur, ejuſque uſu in Miſſa. 56.

Omnes fere introitus a Gregorio compoſiti ex ſacræ Scripturæ verſione Itala dicta deſumpti. *ibid.*

Græca verſio 72. Interpretum Apoſtolis, primiſque fidelibus initio Eccleſiæ admodum uſitata. 57.

Verſio deinde Itala dicta, atque etiam Romana nuncupata, omnibus verſionibus præſtantior. *ibid.*

Cujus tamen integrum corpus nullibi extat, ſolumque remanſit. Pſalterium, cum Canticis, quæ in divinis Officiis recitabantur. *ibid.*

{ *Ad hanc pag. linea* 17. *lege* interierit. }

Quod Pſalterium cum Canticis ſola Baſilica Vaticana retinuit, & adhuc ſervat. 58.

N. 1. Quod Origenes 70. Interpretum Autographum viderit nonnulli Clar. Viri affirmant. *ibid.*

Alii vero diſſentiunt. 59.

Quibus tamen reſpondetur. *ibid.*

Cum maxime probabile ſit, atque admodum veriſimile dictum prototypon a flammis ſervatum fuiſſe. *ibid.*

Quod & ſuis monumentis hiſtoricis comprobatur. *ibid.*

Serapæum locus erat a Serapidis Templo. *ibid.*

Reſpondetur argumentis, quæ in contrarium objici poſſunt. 60.

Septuaginta Interpretum libri non in Serapæo collocatis, ſed in Bruchio teſte S. Epiphanio. *ibid.*

Quod Bruchium non ante medium ſeculum 3. ſed hoc exeunte direptum fuit. *ibid.*

{ *Ad pag.* 61. *n.* 2. *col.* 1. *linea* 13. *lege* quot. }

3. Septuaginta Interpretum ſacræ Scripturæ verſio latine reddita in uſu apud Eccleſias. 61.

Quæ veteris nomine appellabatur. *ibid.*

{ *Ad hanc pag. col.* 2. *lin.* 2. *lege* juſſu. *Et linea* 30. *lege* præferret. }

5. Flaminius nobilius verſionem Italam veterem pene extinctam conatus eſt. 62.

Verum ab ipſo non integre omnino illa reſtituta fuit. *ibid.*

Quæ tamen feliciori ſucceſſu per Theologos a Summis Pontificibus vulgatæ editioni Typis Vaticanis imprimendæ deputatos pri-

priſtinæ puritati reddita fuit. 63.
Hinc nonnullis Theologis viſum eſt hodiernam noſtram vulgatam unam, & eamdem eſſe, cum Itala antiqua, licet alii aliter ſentiant. 64.
Cæterum Italica vetus Latina nullibi integra reperitur. *ibid.*
7. Duplicem Pſalmorum verſionem ſe adornaſſe memorat Sanctus Hieronymus. *ibid.*
Quinimmo idem Eccleſiæ Doctor maximus quater circa Pſalterium emendandum elaboravit. 65.
8. Pſalterium ex Hieronymi verſione cur Gallicanum dictum.
(*Ad hanc notam col. 2. penult. lin.*) (*adde* uti *ante obſervat.*)
9. Sola Romæ Baſilica Vaticana verſione veteri Pſalmorum in divinis Officiis utitur. 66.
Card. Bonæ votum circa hoc Pſalterium. *ibid.*
Item quoad ipſum Clar. Merati obſervatio. *ibid.*
(*Ad hanc pag. col. 1. linea 2.*) (*lege* verſibus.)
§. V. Eam adhuc vigere apud nonnullos in Divinis Officiis. 67.
Uſus Pſalterii juxta veterem Italicam verſionem ante an. ſexcentos & ultrà ſublatus. *ibid.*
An expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales hactenus S. Gregorio Magno attributa, vere ipſius ſit, primus dubitavit Cardinalis noſter. 68.
N. 1. Ambroſiani, Mozarabes, & Patriarchalis Eccleſia S. Marci Venetiarum eadem verſione Italica utuntur. *ibid.*
Variæ Pſalterii Romani Editiones indicatæ. *ibid.*
2. Veteris Pſalterii Romani Expoſitores ſec. XI. *ibid.*
4. Commentaria in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales olim S. Gregorio Magno tributa, quod ipſius non ſint, ſed alterius Gregorii, demonſtratur. 69.
Et quidem hæc Gregorio VII. potius, quam Magno tribuenda. *ibid.*
Neque obſtant, quæ in contrarium adduci poſſunt, quibus reſpondetur. *ibid.*
5. Jo. Stephanus Durantus notatus. 70.
§. VI. Græcorum duplex Introitus. *ibid.*
Eorum ſolemnis ad Altare acceſſus. *ibid.*

CAP. IV.

Item de Introitu, & ejus inſtitutione &c.

§. 1. Alterni Cantus origo. De precatione *Kyrie eleiſon*. Eam ſemper, & ubique in uſu fuiſſe. Cur a Latinis Græce dicatur. 71.
Quis fuerit alterni cantus auctor, diſquiritur. *ibid.*
Etiam apud gentes lumine fidei deſtitutas communis precatio *Kyrie eleiſon*, ſeu Domine miſerere. 72.
N. 1. Baſnagius notatus, & ab ipſius cenſura vindicatus Card. Baronius. 73.
(*Ad hanc pag. col. 2. linea 4.*) (*pone* Comam *poſt effluit, &*) (*dele* eam *poſt diluculum.*)
2. Etiam apud Ethnicos alternus cantus uſitatus. *ibid.*
4. Cantu ſic in Eccleſia introducto, inſtituti etiam Cantores, qui eum dirigerent. 74.
Miri cantus Eccleſiaſtici in animam effectus SS. PP. deſcripti. *ibid.*
Reges olim, ac Imperatores voces ſuas ſubditorum vocibus miſcebant in cantu Eccleſiaſtico. *ibid.*
8. Quis *Kyrie eleiſon* dici in Miſſa inſtituerit, variæ opiniones. 75.
10. Nonnulli Authores emendati circa *Kyrie eleiſon* a Latinis, & Græcis cantatum. *ibid.*
Cur novem vicibus dicatur *Kyrie eleiſon*. *ibid.*
Cur *Chriſte eleiſon* ad Filium dicamus, non *Kyrie*, ſicut ad Patrem, & Spiritum Sanctum. *ibid.*
§. II. Quo ritu cantari *Kyrie eleiſon* conſueverint. Ipſi addita aliquot verba. 76.
Kyrie cantatum in aliquibus locis, quibuſdam clauſulis interpoſitis additum. *ibid.*
N. 1. Uſque ad 5. Variæ item interpoſitiones. 78.
§. III. Prolixæ preces olim poſt *Kyrie eleiſon*. 79.
In diebus, quibus non dicebatur *Gloria* olim poſt *Kyrie* prolixe preces dictæ. *ibid.*
N. 1. Irenicæ Preces, ſeu Litaniæ alternis choris olim decantatæ. 80.
§. IV. De Hymno *Gloria in excelſis*, a quibus compoſito. 81.
Hymnus *Gloria in excelſis*, cur Angelicus dictus. *ibid.*
Quis eidem cætera verba addiderit. *ibid.*
N. 1. Variæ apud veteres hujus Hymni nuncupationes. 82.
4. Athanaſii liber de Virginitate plerſque ſpurius reputatur. 83.
Verum alii viri docti idem opus Athanaſii eſſe propugnant. 84.
(*Ad hanc pag. col. 1. lin. a fine*) (*24. poſt ejus delle* (*& pone*) (comam, *poſt qui pone* ( )
7. Nonnulla Romanorum Pontificum decreta circa hujus Hymni Angelici recitationem. *ibid.*
8. Hymnus Angelicus in publicis gratiarum actionibus adhibitus. *ibid.*
Item ad matutinas laudes. *ibid.*

§. V.

§. V. Priſco more a ſolis Epiſcopis dicebatur. 85.
N. 1. Olim a Presbyteris Hymnus Angelicus non dicebatur niſi in Paſchate. ibid.
Quare ex hodierno more veteris Eccleſiæ inſtitutio non æſtimanda. ibid.
§. VI. Inſerti eidem Hymno quidam verſiculi. 86.
N. 2. Variæ circa hujus Hymni cantum Eccleſiarum conſuetudines. 87.
Sublatæ poſtea fuerunt hujuſmodi interpolationes per Sanctum Pium V. ibid.

CAP. V.

De ſalutatione Sacerdotali, & de Collectis &c.

§. 1. ORigo, & uſus Sacerdotalis ſalutationis *Dominus vobiſcum*. Græcorum ſalutatio *Pax omnibus*. Epiſcopi quoque pacem precantur. 88.
Salutatio *Dominus vobiſcum* antiquiſſima. ibid.
Origo ſalutationis Epiſcopalis *Pax vobis* pariter antiquiſſima. 89.
Utraque tamen teſſera eſt communionis & pacis, qua Fideles in Chriſto adunantur. ibid.
Reſponſio item populi *Et cum ſpiritu tuo* antiquiſſima. 90.
N. 2. Olim & alii ab Epiſcopis, ſcilicet Lectores, Diaconi, ac Presbyteri Populum eadem formula *Pax vobis* ſalutabant. ibid.
Quod poſtea illis vetitum, & ſolis Epiſcopis, veluti proprium relictum. 91.
4. Joſeph Binghamus Cardinalem Bona male vellicans refellitur. ibid.
6. Epiſcopi tamen in reliquis poſt primam ſalutationem dicunt *Dominus vobiſcum*. ibid.
8. Salutatio Eccleſiaſtica Hæreticis danda. ibid.
10. Quid vere ſignificat ſalutatio, & Populi reſponſio. 92.
Si Sacerdos celebret in Altari vultu ad populum converſo dicens *Dominus vobiſcum* immotus maneat. ibid.
§. II. Quare præmitti ſoleat ante Collectam *Oremus*, & aliquando *Flectamus genua*. 93.
Olim orationem dare quid fuerit, atque illius ritus proferuntur exempla. ibid.
Ritus flectendi genua ad Orationem. 94.
N. 6. Veteres Chriſtiani modo ſtantes, modo genuflectentes orabant. ibid.
§. III. Collectæ nomen æquivocum. 95.
Collecta pro hominum multitudine unita ſimul, & verius pro conventu fidelium ſumpta. ibid.
Tandem pro brevi Oratione Sacerdotali ſuper populum dicta. ibid.
Quandoque olim Collectis nomen benedictionis tributum. 96.
N. 3. Collectæ, breves Orationes paucis verbis multa concludentes. ibid.
7. Ambroſio hactenus adſcripta commentaria in Epiſtolas Pauli non ipſi, ſed Hilario Diacono tribuenda plures exiſtimant. 97.
Alii e contra eadem aliis ab Hilario adſcribenda cenſent. ibid.
Indicantur rationes, quibus dicta Commentaria Ambroſio adjudicanda videntur. ibid.
Et Hilario adſcribenda. 98.
§. IV. A quo primum Collectæ, ſive Orationes inventæ, & quæ forma in iis ſervanda. ibid.
Orationes publicas in Eccleſia fieri ab Apoſtolis traditum. ibid.
Quæ poſtea, nonniſi approbatæ, dicerentur in Miſſa. 99.
Gregorianæ Orationes a Gelaſianis diverſæ. ibid.
Sicut & ab iſtis Ambroſianæ, & Mozarabes. ibid.
Illæ vero, quæ a recentioribus editæ ſunt, facile ab antiquis diſcernuntur. 100.
N. 1. Collectarum antiquitas ab Apoſtolica traditione derivata. ibid.
Earumque Ordo ferme idem olim extitit, ac nunc eſt. 101.
3. Ven. Card. Thomaſius obſervatus. ibid.
4. Codex Gelaſianus Præfationum, & Orationum ab Anaſtaſio indicatus extat in Bibliotheca Vaticana. ibid.
Jacobus Baſnagius quoad hunc Gelaſianum Codicem confutatus. 102.
Ab ipſo etiam Guillelmo Cave.
Refellitur item Chriſt. Matth. Pfaffius Baſnagii vindex. ibid.
Ejuſdem item objecto reſpondetur. ibid.
5. Codices Sacramentorum a Thomaſio editi nongentis annis vetuſtiores. 103.
Thomaſii rationes de his libris Gelaſio tribuendis additur & alia, Miſſa ſcilicet de Nativ. B. M. V. ibi deſcripta. ibid.
Quæ ſolemnitas Auguſtini ævo nondum erat inſtituta. ibid.
Et Sergio Papæ I. a nonnullis tribuitur. ibid.
Verius tamen Gelaſio tribuenda videtur. ibid.
Quæ etiam ſolemnitas fortaſſe ante Gelaſium in aliquibus locis celebrata fuit. 104.
7. Duplex Collectarum ſtylus, deprecatorius, & hiſtoricus. ibid.
Collectarum maxime veterum ſeries, & diſpoſitio quatuor partibus conſtans. ibid.

§. V.

§. V. Collectarum concluſio explicatur. 105.
Oratio in Collectis Miſſæ ad Patrem fere ſemper directa. *ibid.*
Raro ad Filium, non ita ad Spiritum Sanctum invenitur. *ibid.*
(*Ad hanc pag. linea a fine* 10. *lege* Morinum.)
N. 1. Collectarum concluſiones aliquot ex antiquiſſimis Patribus priorum trium ſeculorum. 106.
2. Quamvis ad Patrem dirigatur Oratio, tota tamen Trinitas exoratur. *ibid.*
Hujuſmodi Collectarum clauſula plurium hæreſum perfidia jugulatur. *ibid.*
3. Statutum in Conciliis Orationes in Eccleſia ad Patrem dirigi, & nonniſi probatas adhiberi. 107.
Cur ad Perſonam Spiritus Sancti Collecta non dirigatur ſpecialis in Miſſa. *ibid.*
Micrologus notatus parumæquæ in Romanos cenſuræ. 108.
4. Clauſula *in ſecula ſeculorum* in fine Collectarum appoſita, antiquiſſima. *ibid.*
Card. Bellarminus, & Tournellius obſervati. 109.
§. VI. Aliæ earum Collectarum concluſiones, deque ipſarum numero. 110.
De clauſula finali, & voce *Amen*. *ibid.*
Quot in Miſſa Collectæ dicendæ ex antiquis Sacramentariis. *ibid.*
Collecta ab aliquibus olim barbaro vocabulo dicta *Rogus Dei*, atque etiam extra divina officia completa. 111.
N. 1. Vox *Amen* ex ipſis Moſaicis cæremoniis traducta in Eccleſiam. 112.
2. Olim una tantum Collecta deinde tres, & poſtmodum plures ad Miſſam dictæ uſque ad novem. *ibid.*
3. Collectæ in numero fere ſemper diſpari dictæ. *ibid.*
4. Collectæ non tantum in Miſſa, ſed etiam in quibuslibet Divinis Officiis dictæ. 113.
Quin etiam in fine cujuſque Pſalmi recitatæ. *ibid.*
(*In hac nota lege* Quin.)
(*Ad hanc pag. col. 1. lin. a fine* 18. *lege* Wolbodonis *& a fine* 38. *adde poſt* verum id.)
5. Quibus Orationibus bis reſpondebatur *Amen*. *ibid.*
Idque ſolum, cum eas Epiſcopi, vel Presbyteri recitarent. 114.
§. VII. Cur dum recitantur, manus, & brachia extendantur. *ibid.*
Ex utroque Teſtamento manus, & brachia extendebantur ad Orationem. *ibid.*
Pluribus parvulis notis id comprobatur. 115.
§. VIII. De Laudibus, quæ olim poſt Collectam dicebantur. *ibid.*
N. 1. Quoad hujuſmodi Laudes, ſeu Litanias poſt Collectam decantatas varii Eccleſiarum Ritus. 117.
Earum Laudum Cantoribus data pecuniæ retributio. *ibid.*
Hæ Laudes etiam poſt Antiphonam ad communionem decantatæ. 118.
2. Eædem non ſolum Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ſed & Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis factæ.
Inter quas antiquiſſimæ illæ ab Hipponenſi Clero, & Populo S. Auguſtino publice in Eccleſia factæ. *ibid.*

CAP. VI.

De Epiſtola, Graduali, Tractu, Sequentiis, &c.

§. I. Epiſtolæ nomen cur Lectionibus Liturgicis tributum ſit. 119.
Sacræ Scripturæ Lectio in Eccleſia ex Synagogæ exemplo ab Apoſtolis deducta. *ibid.*
N. 3. Epiſtola S. Pauli Apoſtoli ad Laodicenſes Apocrypha. 121.
5. Epiſtolæ ſacræ in Eccleſia lectæ dum divina peragentur myſteria.
§. II. Earum uſus antiquiſſimus. 122.
Lectæ olim etiam in Eccleſia Summorum Pontificum, aliorumque Epiſcoporum, Epiſtolæ. *ibid.*
Hieronymi liber Comitis dictus qualis fuerit. 123.
N. 1. Unde orta conſuetudo legendi in aliquibus Eccleſiis SS. Martyrum, & Confeſſorum acta. 124.
3. Imperatorum etiam Epiſtolæ quandoque in Eccleſia lectæ. *ibid.*
4. Hieronymi liber, qui *Comes* dicitur, non primis ſeculis, ſed Eccleſia in ſumma pace conſtituta in ordinem diſpoſitus. *ibid.*
In ordine Lectionum probabile, ac veriſimile eſt Eccleſiam primitivam eumdem morem ſervaſſe, quem olim habuit Judæorum Synagoga. 125.
Idque & ab initio Eccleſiæ obſervatum colligitur. *ibid.*
Clariſs. Joannes Pinius notatus, & ab ejus cenſura vindicatus Card. Bona. *ibid.*
§. III. Lectæ aliquando Epiſtolæ. Ordo lectionum a quo primum inſtitutus. Quo olim ſitu, & a quibus legerentur. 127.
Ambo quid? Ejus derivatio, & uſus in Eccleſia. *ibid.*
Quo tempore cœperint Subdiaconi Epiſtolam legere, incertum. 128.
N. 1. Varia apud veteres Ambonis nomina. 129.
Vindicatur Card. Bona a Joſeph Binghami nota, illiuſque ſen-

Digitized by Google

ſententia confirmatur. *ibid.*
3. Quidquid publice in Eccleſia legendum erat ex Ambone annuntiabatur. *ibid.*
4. Deſcribuntur veterum Ambones. 130.
6. Plura referuntur quoad Lectoris ætatem, gradum, & officium. *ibid.*
8. Tres libri ad legendum in Miſſa olim ſuper Altare collocati. *ibid.*
9. Poteſtas legendi ſcripturas in Eccleſia quandoque Principibus viris delata. *ibid.*

§. IV. De Graduali, ſeu Reſponſorio, ejuſque origine, & variis ritibus. 131.
Quid fuerint olim & nunc item ſint Laudes apud Hiſpanos. 132.
N. 1. Graduale quid? A quo denominatum, variæ de eodem denominationes. 133.
3. Quis Reſponſoriorum Author fuit. *ibid.*
Graduale Reſponſorium olim ab uno tantum Cantore, deinde poſt ſeculum x. a duobus, vel pluribus cantatum. *ibid.*
Fœminis vero etiam ſanctimonialibus id genus modulationis, ſeu publice in Eccleſia pſallere interdictum. 134.
Qui autem Cantor Reſponſorium Graduale inchoabat, ipſe uſque ad finem ſolus cantabat, præcipue in Eccleſia Romana. *ibid.*
Reſponſorium a reſpondendo dictum. *ibid.*
Erat & olim Liber Gradalis dictus, ſeu Cantatorius, ex quo Gradualia, Reſponſoria, & Tractus canebantur. 135.
4. Quomodo, quando, & ubi primum contractus Reſponſorius Pſalmus. *ibid.*
Id forte, vel S. Gelaſii Papæ, aut S. Gregorii ævo fieri inceptum. *ibid.*
7. Garzias Loaiſa recte a Card. notatus. 136.

§. V. Vox *Alleluja* quando primum audita. Uſus ejus in Miſſa. Cur omittatur in Septuageſima. Tractus quid ſit. *ibid.*
David Rex primus, qui cantaverit *Alleluja*. *ibid.*
Neuma quid? & quomodo, ac quare in *Alleluja* decantando protrahatur. 137.
N. 1. Variæ de hac voce *Alleluja* opiniones. *ibid.*
Cur vox *Alleluja* retenta fuerit in Hebraico idiomate ab Eccleſia. 138.
Familiare non tantum Clericis in Eccleſia, ſed & Ruſticis apud Syros *Alleluja*. *ibid.*
Quater ab Angelis in Apocalypſi cantatum *Alleluja*, & cur? *ibid.*
Item *Alleluja* canticum, quando cani debeat in Eccleſia forte etiam ex Synagoga deſumptum. *ibid.*
Olim antiquo more proclamatum *Alleluja* in ipſis funeribus defunctorum. *ibid.*
2. Sozomenus recte a Card. Baronio notatus, quidquid e contra Valeſius ſentiat. 139.
Vindicatur a Valeſii nota Card. Baronius. *ibid.*
5. Diebus Quadrageſimæ intermiſſum *Alleluja*. *ibid.*
Quidquid in contrarium oblatret Lutherus. 140.
6. Tractus quid? & cur ita appelletur. *ibid.*
Olim in Pſalmis tituli eorum pronuntiati. 141.

§. VI. De ſequentiis, & illorum Authoribus. *ibid.*
Sequentiæ cur ſic appellatæ. *ibid.*
Sequentia in Miſſis Defunctorum impropriе dicta. 142.
N. 3. Carthuſiani, & Ciſtercienſes, ſequentias non admiſerunt, atque Carmelitæ, & Prædicatores in Miſſis privatis non admittunt. *ibid.*
5. Varii ſequentiarum Authores referuntur. *ibid.*
12. Sequentia *Dies iræ* non admodum antiqua, ſed fortaſſe circa ſec. XIV. addita in Miſſis Defunctorum. 143.

CAP. VII.

De Evangelii lectione, ejus legendi ritibus, ac ſermonibus &c.

§. I. Lectum Evangelium in Eccleſia a tempore Apoſtolorum. Non ſtatim hoc munus tributum Diaconis. 145.
Mos legendi Evangelium in Eccleſia antiquiſſimus, & ab ipſius exordio. *ibid.*
N. 1. Quiſnam fuerit ille, *cujus laus eſt* in Evangelio; circa hoc Lingfootii, & Baſnagii opiniones confutatæ. 147.
2. Refelluntur Sectarii negantes jam ab Apoſtolico ævo lectum fuiſſe Evangelium. *ibid.*
4. Priſci Fideles erant in longa Oratione perſeverantes. *ibid.*
Quæ poſtea preces tepeſcente poſteriorum credentium pietate ac devotione reſtrictæ fuerunt. *ibid.*

§. II. De priſco more legendi Evangelium, & varii ritus legentium, & audientium. 148.
Sacræ benedictioni ritus antequam quid publice legatur, in Eccleſia antiquiſſimus. 149.
N. 2. Olim ſacer Evangeliorum Codex magno apparatu ad Altare delatus. 150.
6. Olim Epiſtola, & Evangelium variis linguis publice ad Miſſam recitata. *ibid.*
8.

8. Quare a Diacono præmittatur ſalutatio populi antequam legat Evangelium. 151.

§. III. Ad Evangelium baculi depoſiti, & alia quædam in ejuſdem lectione, & auditione obſervatu digna. *ibid.*

Cur etiam ad Evangelium baculi depoſiti, & ſtantes omnes illud audiant. *ibid.*

Milites religioſi, & equeſtris ordinis viri enſi manum admovent, vel de vagina educunt, cum recitatur Evangelium. 152.

(*Ad hanc pag. linea* 10. *adde* ſive 137.)

N. 1. Epiſcopi etiam, & Abbates baculos deponunt, dum Evangelium legitur. 153.

Item Imperator diadema. *ibid.*

4. Juſſum item Sacerdotibus ab Anaſtaſio Papa, ut nec ipſi ad Evangelii lectionem ſederent, ſed cum cæteris erecti ſtarent. *ibid.*

5. Diaconus dum legit Evangelium, vertit ſe ad Aquilonem. *ibid.*

6. Idque etiam ex antiquo more. 154.

§. IV. Lecto Evangelio ab omnibus reſponſum Amen, etiam in Miſſa Mozarabum, & idem oſculandum traditum. Libro Evangeliorum habitus honor in Eccleſia, in Synodis, publice, & privatim. *ibid.*

Olim lecto Evangelio, ipſum univerſo Clero, & Populo deoſculandum porrigebatur. *ibid.*

N. 1. In oſculo Evangelii nonnullæ olim Orationes dictæ. 155.

Evangelii oſculum, etſi olim populo conceſſum, poſtea tamen ademptum, & viris tantum Principibus, ac Magiſtratibus indultum. *ibid.*

2. Evangelii Codex Celebranti apertus, cæteris vero clauſus ad oſculandum datus.

3. Amuleta, ſeu Phylacteria quid? *ibid.*

4. Evangelium Codices olim pretioſiſſime ornati. 156.

Sacer Evangeliorum Codex olim in publicis Proceſſionibus delatus. *ibid.*

§. V. Ritus, qui Maronitæ legunt Evangelium. 157.

§. VI. Vetus quidam Monachorum mos. *ibid.*

Cur unum potius, quam aliud Evangelium in Miſſa legatur. *ibid.*

N. 1. Puerorum oblatio, ſive propria, ſive ex parentum devotione facta, antiquiſſima. 158.

§. VII. Sermones, Homiliæ, & Monitiones ad Populum poſt Evangelium. Quædam de ſolemni Pœnitentium abſolutione. 159.

Munus concionandi in Eccleſia poſt Evangelium, Epiſcoporum proprium, & ab initio ad noſtra uſque tempora obſervatum. *ibid.*

Ad hoc autem officium Epiſcopos teneri per ſe ipſos, niſi fuerint legitime impediti, demonſtratur. 160.

Proprium etiam Parochorum onus in ſuis reſpective Eccleſiis eſſe colligitur. *ibid.*

N. 1. Deſcribitur Ritus, quo poſt concionem Indulgentiæ conceduntur. 161.

2. Romæ ante S. Leonem a nemine habitos fuiſſe ſermones ſcribunt Sozomenus, & Caſſiodorus, quibus adhæret Valeſius. *ibid.*

(*Ad hanc pag. col.* 2. *lin. a fine* 8. *poſt perducat adde* Vos.)

(*Et col.* 2. *lin. a fine* 17. *lege* differetur.)

(*Et in Nota* 2. *dele* multos *& pone* a nemine.)

At ſicut illi ex mala auditione ſcripſerunt, ita ex nimia confidentia hallucinatus Valeſius, quod clare oſtenditur. 162.

Quod autem Summi Pontifices Romani ad populum prædicarent, Chronologice demonſtratur. *ibid.*

Et quidem initium ducendo a Clemente I. Romano, quoad Summos Pontifices oſtenditur. *ibid.*

(*Ad pag.* 164. *col.* 2. *linea* 27. *dele* S. *&* IV. *& pone* VI.)

3. Epiſcopi olim ſi per ſe non poterant concionari, ſermones ſuos, vel aliorum legi jubebant. 165.

4. Ita etiam alii inferiorum Eccleſiarum Paſtores, ſeu Parochi dicti. *ibid.*

CAP. VIII.

De Symbolo, quotuplex ſit, & quando cantari cæptum.

§. I. INcipit Miſſa Fidelium. Symbolum, ejus initium ab Apoſtolis ſine ſcripto traditum. 166.

Miſſæ Fidelium initium a Symbolo. *ibid.*

N. 1. Miſſa Fidelium dicta etiam Miſſa Sacramentorum. 167.

3. Symbolum Apoſtolicum ita dictum vere ab ipſis Apoſtolis conditum fuiſſe demonſtratur. 168.

(*Ad hanc pag. col.* 2. *lin. a fine* 32. *lege* Baſnagius.)

4. Antiquitus, & nunc Symbolum Apoſtolicum dictum, ſive ſinguli ſuum articulum condiderint, ſive omnes unanimiter confluxerint. 169.

5. Quamvis Tertullianus aliquos in Symbolo articulos prætermiſerit, eos tamen Africana tenuit Eccleſia uti de fide credendos. *ibid.*

8. Confutatur Baſnagius falſo aſſerens nos Catholicos Symbolum Conſtantinopolitanum Apoſtolico præferre.

§. II.

§. II. Symbolum quotuplex ſit, & quando cœperit in Eccleſiis cantari. 171.
Quis primus Symbolum Liturgiæ inſeruerit, aut cantari præceperit, incertum. ibid.
Symbolum in Hiſpania apud Mozarabes poſt conſecrationem recitatum. 172.
Seculo V. addita Symbolo particula *Filioque*. ibid.
In Eccleſia Romana Symbolum non cantatum in Miſſa, niſi poſt annos mille. 173.
N. 1. Morem cantandi Symbolum in Miſſa primi inter Latinos receperunt Hiſpani. ibid.
2. Varii ejuſdem Symboli recitandi ritus. ibid.
Chriſt. Lupus notatus quoad ritum Symboli recitandi in Hiſpania. ibid.
4. Et quidem ſeculo ineunte V. in Concilio Braccarenſi. 174.
5. Qui fuerint Legati a Leone Papa miſſi ad Concilium Aquiſgranenſe, & quæ acta de voce *Filioque*. ibid.
6. Quando cœperit Romæ cantari Symbolum in Miſſa. ibid.
Id cantari cœptum videtur jam ante ſeculum nonum. 175.
Referuntur hac de re diſſidentes recentium Scriptorum ſententiæ. ibid.
Quibus reſpondetur, & noſtra ſtabilitur ſententia.
Peculiaris Chartuſianorum, & aliquot Galliæ Eccleſiarum Ritus circa Symboli cantum. ibid.
A ſeculo nono ad undecimum Symboli recitatio in Sacrificio quandoque Romæ intermiſſa. 176.
8. Quatuor primis Chriſtianæ Fidei ſeculis fere omnes Eccleſiæ non alio, quam Apoſtolico Symbolo uſæ ſunt. ibid.
Symbolum aliquibus in locis Occidentis Græce cantatum. ibid.
Radulphus Tungrenſis notatus. 177.
Indicantur dies, quibus in Miſſa Symbolum dicitur. ibid.
9. Myſticæ Symboli ſignificationes deſcriptæ. ibid.
§. III. Offertorium, ejuſque Ritus. 178.
N. 1. Mos canendi Offertorium ſeculo IX. introductus: & tunc oblatio duplex erat. 179.
2. Ad ipſum Antiphonæ ſingulos verſus cantatæ. ibid.
3. Quod etiam nunc obſervatum in aliquibus Galliarum Eccleſiis. ibid.
4. Quando ceſſaverint Populi Oblationes, incertum. ibid.
Probabile quod ceſſaverint circa ſeculum nonum. 180.
Quo tempore ex piarum largitionum incremento Sacerdotes ipſius ſibi panes ad Sacrificium præparabant. ibid.
Quod & pluribus argumentis demonſtratur. ibid.
Aliæ item cauſæ ceſſationis dictarum oblationum aſſignantur. 181.
Quarum tamen veſtigia adhuc pleriſque in locis viſuntur. ibid.
Atque hæ quidem factæ oblationes tantum in Miſſa ſolemni, & publica. ibid.
Cantus Pſalmorum audientes allicit. ibid.
Melodiæ miri effectus in animis mortalium. 182.
§. IV. Mos panem, & vinum offerendi antiquiſſimus. ibid.
Priſco ritu ea tantum offerebantur, quæ ſacrificio uſui erant. ibid.
N. 2. Qualis olim ordo ſervatus fuerit in oblationibus. 183.
Qualis olim fuerit, & nunc eſſe debeat vini color. 184.
Pro fidelium libito vinum alterutrius coloris, utpote materia apta, oblatum. ibid.
§. V. De Agno a Romanis oblato, calumnia Photii. Diſcrimen inter munera, & oblationes. Non omnium dona ab Eccleſia recepta. 185.
Munera, & oblationes inter ſe invicem diſtinguuntur. ibid.
N. 1. Photii calumnia in Romanos de Agno Paſchali diluitur. 186.
Et quidem plures afferuntur rationes, quibus Paſchali tempore Agnus comedendus benedicitur. 187.
2. Poteſtas offerendi olim unita cum poteſtate communicandi, poſtea ſenſim inductum, ut qui non communicarent, ſi tamen voluerint, eorũ oblationes reciperentur. ibid.
3. Offerentium nomina olim publice in Eccleſia recitata, de quibus item infra. ibid.
§. VI. Communio duplex, una ſcilicet participatio cum fidelibus in communi conſortio, & orationibus, altera in jure ſumendæ Euchariſtiæ. Non ſemper qui offerebant, communicabant. 188.
Sicuti oblationis nomen æquivocum, ita & communionis, cujus ſpecies duæ deſcribuntur. ibid.
Aliæ vero communionis Eccleſiaſticæ diverſitates ſuo loco explicabuntur. ibid.
N. 1. Cum duæ fuerint olim ad Altare oblationes, duæ etiam erant præcipuæ communiones Chriſtianæ. 190.
Chriſtiana communio in Eccleſiaſticam, & Laicam. ibid.
Communio item per Epiſtolas data, duplex. ibid.
De reliquis ad priſcæ oblationis ritum ſpectantibus, videlicet de aqua pariter cum vino oblata. 191.
Qui ab oblationis onere eximebantur. ibid.
De tempore, die, ac loco, quibus fiebat oblatio. ibid.

§. VII. Offerentium nomina publice olim recitata. *ibid.*

N. 1. Recitata etiam illorum nomina, qui ſublevandis fratribus in anguſtiis poſitis aliquid contulerunt. 193.

Non tamen omnium ubique, ſed præcipuorum in urbibus. *ibid.*

§. VIII. Offerendi mos quando deſierit. Oblationum Chartæ poſitæ in Altari. 194.

Probabile admodum offerendi uſum ceſſaſſe apud Latinos cum panis azimus pro Miſſæ Sacrificio a Miniſtris Altaris confici cœpit. *ibid.*

Chartæ donationum, & oblationum olim ab antiquis ſuper Altare poſitæ. 195.

N. 1. Loco priſcarum oblationum ſuffecta pecuniæ oblatio. 196.

Diſtributa pecunia iis, qui Miſſæ ſolemni inſerviebant. *ibid.*

Non ex Epiſcopi ſumptibus, ſed ea Fidelium oblationibus. 197.

4. Exempla donationum aliquot, quarum Chartæ ponebantur ſuper Altare. *ibid.*

CAP. IX.

De Ritu Oblationum, vino aqua mixto, Thurificatione &c.

§. I. Ritus Oblationum deſcribitur. An omnes Offerentes accederent ad Altare. 198.

An populus ſua dona oblaturus ad Altare accederet. 199.

N. 1. Fanon quid? Triplex ejus ſignificatio. *ibid.*

2. Poſt ſuſceptas oblationes Epiſcopus manus lavat, & lotionis tempore cantatus olim Pſalmi *Lavabo* verſiculus. 200.

§. II. Orationes, quibus munera offeruntur, diverſas eſſe in diverſis Eccleſiis. *ibid.*

Oblatio, quod vocalis ſit, ac certis Orationibus prolata ad Sacrificii integritatem non pertinet. 201.

N. 2. Oblatio quid? & in quo conſiſtat. 202.

3. Olim in Defunctorum Miſſis, quia privatæ erant, & ſine populi communione oblationes non fiebant. 204.

§. III. Vinum aqua miſceri ex Chriſti inſtitutione. 205.

Diluitur quædam objectio quoad primam oblationis orationem *Suſcipe Sancte Pater*. *ibid.*

Alexander Papa I. non Author mixtionis aquæ in calice, ut nonnulli perperam ſcribunt. *ibid.*

Ejuſdem aquæ vino miſcendæ omiſſio, etſi lethalis ſit, non tamen invalidam efficit conſecrationem. *ibid.*

Aqua in modiciſſima quantitate vino miſcenda. *ibid.*

N. 1. Conſimilibus eaemplis explicantur verba primæ orationis ad oblationem. 207.

2. Variæ circa apparatum panis ſuper patenam, ac vini & aquæ in calice nonnullarum Eccleſiarum conſuetudines. *ibid.*

Indicantur, & alii teſtes hujus ſacræ mixtionis aquæ in calice cum vino. *ibid.*

7. Explicatur S. Cypriani mens circa aquæ cum vino mixtionem in calice. 208.

Adeoque ex communi Theologorum ſententia vinum in Sacrificio neceſſarium neceſſitate Sacramenti, aquam neceſſitate præcepti eſſe concluditur. 209.

Idque arguitur, tum ex perpetua Eccleſiæ traditione, tum ex plurium Conciliorum Decretis. *ibid.*

Confutantur Sectarii circa dictam aquæ mixtionem Eccleſiam Romanam calumniantes. 210.

Atque inter ipſos Baſnagius. *ibid.*

9. Syrorum, & Moſcovitarum, ſeu Ruthenorum Ritus circa quantitatem aquæ vino in calice admiſcendæ. 211.

{ *Ad hanc pag. col.* 1. *lin.* 26. *lege* Næ. }

Honorii papæ III. Decretalis non ſatis ad captum expoſita in Gloſſa. 212.

In vino potius albo, quam rubro conſecrandum propter Altaris munditiem; Et cautio ad id neceſſaria. *ibid.*

10. Cochlearis uſus ad infundendam aquam in calicem in nonnullis Monachorum Eccleſiis, aliiſque. 213.

11. Reprobatur quorumdam Sacerdotum uſus hoſtiam anhelitu afflantium, dum illam conſecrant. *ibid.*

De benedictione ſuper aquam, olim, & nunc uſitata. *ibid.*

12. Variæ Orationes ad ipſam in pleriſque Eccleſiis dictæ. *ibid.*

§. IV. Græci bis aquam miſcent. Quo apparatu dona ſacranda deferant e Protheſi ad Altare. 214.

N. 1. Quoad hanc aquæ calidæ cæremoniam, quam apud Coptos, & Jacobitas ignorari ajunt, Edmundus Martene, & Renaudotius notati. 215.

2. Vindicatur Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus a cujuſdam in ipſum cenſura, quoad dictum aquæ calidæ uſum apud Græcos. 116.

Ac proinde Græci non ob hunc ritum culpandi. *ibid.*

§. V. Quo ſitu olim collocaretur Hoſtia ſuper Altare. Thurificatio. 217.

N. 1. Cur in oblatione calicis oratio dicatur in plurali. 218.

3. Quo ſitu olim Hoſtia collocari con-

conſueviſſet ex antiquis Ritualibus. 219.
6. In incenſi benedictione nonnullis videtur expungendum Michaelis nomen, & ejus loco reponendum Gabrielis. *ibid.*
At retinendum eſſe nomen Michaelis oſtenditur. 220.
7. Etſi apud Romanos olim non incenſarentur oblata, alibi tamen id pene ubique fiebat. 221.
8. Adjiciuntur nonnulla de Thure, ac Thuribulis alibi prætermiſſa. *ibid.*
§. VI. Lotio manuum; Sacerdotis pro ſe ad populum deprecatio, & Orationes ſecretæ. 222.
Ritus manuum ablutionis poſt Oblationem omnibus nationibus communis. *ibid.*
Cur Chriſtiani ſe invicem mutuo fratres appellent. 223.
N. 1. Aliæ lotionis manuum rationes indicantur. *ibid.*
Duvertius notatus circa originem Ablutionis manuum, ejuſque cauſam. 224.
2. Cur etiam fideles in hac formula *Orate fratres*, cum Sacerdote Sacrificium offerre dicantur. 225.
Ipſique etiam pauperes, qui præter deſiderium nihil habent, quod offerant. *ibid.*
3. De ſecretis Orationibus, ſeu Collectio. 226.

C A P. X.

De Præfatione, ipſius uſu antiquiſſimo, earum numero &c.

§. I. PRæfatio Miſſæ, ejuſque ratio, nomina, & inſtitutio. 227.
Quis primus Præfationum Auctor extiterit, incertum; verum earum inſtitutio Apoſtolicis viris tribuenda. *ibid.*
N. 1. Præfatio olim etiam dicta *Immolatio*, & *Conteſtatio*. 229.
2. Joannes Dallæus Calviniſta notatus.
3. Initium Præfationis non a *Per omnia &c.* ſed a *Surſum corda*. *ibid.*
§. II. Uſus Præfationis antiquiſſimus in omnibus Eccleſiis, ſed formulæ diverſæ. Tot olim erant Præfationes, quot Miſſæ. 230.
Præfationum formulæ, licet variæ in diverſis Eccleſiis, earum tamen argumentum idem ubique. *ibid.*
Quod quidem circa Dei perfectiones, & attributa, æternam Verbi generationem, ipſiuſque Incarnationem, ac immenſam erga homines miſericordiam verſatur. 231.
N. 2. Apud Latinos, Mozarabes præcipue, myſteria feſtivitatis, vel Sancti, cujus eſt Miſſa, Laudes in Præfationibus decantatæ. 232.
§. III. Præfationes poſtea in Romana Eccleſia redactæ ad novem.
Tributa perperam hæc reſtrictio Pelagio Papæ. Addita una communis, & altera de Beata. *ibid.*
N. 1. Pelagii Papæ II. epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, quam dubiam cenſet Cardinalis, reliqui Eruditi pariter uti ſpuriam habent. 234.
2. Præfationes a ſeculo XI. uſque ad numero decem redactæ.
3. Indicantur nonnullæ Præfationes, quæ in pleriſque Miſſalibus impreſſis olim alicubi dicendæ ex ſpeciali privilegio erant. *ibid.*
4. Vindicatur ab aliquot Eruditorum Cenſura Card. Bona, quoad Auctorem Præfationis de Beata Maria Virgine. 235.
5. Idem etiam a Canonici Panormitani Joannis de Joanne graviter inflicta nota, quoad numerum Præfationum purgatur.
§. IV. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus Ritus, & Origo. *ibid.*
Hymnus Seraphicus olim alicubi quandoque interpolatus. 236.
N. 1. Cur ter *Sanctus* dicatur, & ſemel *Deus*.
2. De voce *Oſanna*, & quid ſignificet.
3. Nonnullæ olim Orationes a Sacerdote recitandæ præſcriptæ, dum Chorus decantaret *Sanctus*. *ibid.*
4. Ad *Benedictus qui venit &c.* Sacerdos ſignat ſe Crucis ſigno, & Campanula pulſatur. 238.
§. V. Duplex Triſagion, Quot ſint Hymni Liturgici. *ibid.*
Hymni Liturgici apud Græcos quatuor, apud Latinos tres. 239.
N. 1. Indicantur præcipui Authores veteres, qui de Triſagii inſtitutione ſcripſerunt.
2. Calendion Triſagium a Fullone corruptum reſtituere conatur.
3. Indicantur item recentiores præcipui, qui de eodem Triſagio ſcripſere.
4. Quemadmodum de Collectis ſupra obſervatum eſt, Præfationes ad Patrem directæ leguntur. *ibid.*
In quo (ſicut & in aliis Perſonis ipſe) per unitatem naturalem ſingulæ in ſingulis includuntur. 240.
Quare in Patre ſemper intelligitur Filius, & Spiritus Sanctus.
Sacerdos etiam Populi nomine Deo ter *Sanctus* proclamat.
Cur huic hymno Seraphico poſt *Sanctus &c.* adjungantur illa verba *Oſanna in excelſis*, & quæ ſequuntur.
Subduntur nonnulla de hymno Triſagio, qui in Paraſceve canitur. *ibid.*
Deſcribuntur errores in Fullonis Appendice ad Triſagium contenti. 241.
Petrus Fullo juſte damnatus,

quia in dicta Appendice Deum ipſum, ſeu totam Trinitatem crucifixam aſtruebat.

Quod tamen additamentum pravoFullonis conſilio dempto, ad Catholicum ſenſum redigi poſſe Petavius, & Pagius explicant.

Nihilominus, ut omnis adimeretur errandi ſuſpicio, ſapientiſſime Eccleſia illud additamentum ſuſtulit. *ibid.*

CAP. XI.

De Canone, ejus origine, & nominum recitatione.

§. I. DE Canone. Ipſum interpolare illicitum. Varia ejus nomina. 242.

Olim in antiquis Sacramentariis, uti & nunc in hodiernis, Canoni præfixa Crucifixi Imago depicta conſpiciebatur. *ibid.*

Varia Canonis nomina apud antiquos referuntur. 242.

N. 1. Multa a Sacerdotibus in Miſſa ſecreto dici uſum eſſe antiquiſſimum demonſtratur. *ibid.*

Quo tamen non obſtante gravis exorta eſt inter Eruditos controverſia; an Canon ſemper ſecreto recitatus fuerit. 244.

2. Canon proprie, non a Præfatione, ut olim nonnulli arbitrati ſunt, ſed a *Te igitur* incipit. *ibid.*

§. II. Origo, & Auctores Canonis inveſtigantur. 245.

De Scholaſtici nomine apud Gregorium miræ quorumdam nugæ, & ineptiæ.

Canon antiquior Gelaſio, Muſæo, Voconio, aliiſque, qui Sacramentorum libros compoſuerunt. *ibid.*

N. 1. Quare incertum quis fuerit Canonis Author. 246.

4. Ac propterea ex Apoſtolica traditione derivari certo credendum eſt. 247.

6. Indicarunt authores, qui de Canone Miſſa aliquid ſcripſere.

Jacobus Baſnagius Canonis antiquitatem impugnans juſte a Matthæo Pfaffio confutatur.

Et uberius Canonis antiquitas confirmatur. *ibid.*

Neque obſtat Canonis antiquitati, quod a pluribus iſte compoſitus fuerit. 248.

Indicantur, quæ in Canone ſunt Apoſtolicæ inſtitutionis, & quæ Pontificiæ. *ibid.*

Nonnullæ aliæ probationes circa Canonis antiquitatem proferuntur. 249.

Non obſtat, quod olim Canon varius fuerit pro diverſitate Miſſarum. *ibid.*

Ulterius Canonis antiquitas ex Miſſa a Flacco Illyrico edita comprobatur. 250.

Ordo ſiquidem Canonis quoad ſubſtantiam, ejuſque partes eſſentiales ubique conſimilis.

§. III. Agitur de prima Canonis Oratione: in ea mentio Papæ, & Epiſcopi fit. *ibid.*

Ab univerſi orbis communione ſeparati erant olim etiam, qui inter ſacra myſteria Romani Pontificis memoriam non faciebant. 251.

N. 1. Oratio *Te igitur* non eadem apud omnes, qui de ipſa mentionem faciunt. 252.

2. Primatus Petri Cathedræ ſuper omnes adverſus Oxonienſes Cypriani editores vindicatur. *ibid.*

3. Commemoratio Summi Pontificis in Miſſa, ejus nomine recitatio in prima Canonis Oratione, antiquiſſima. 253.

§. IV. Addunt etiam Græci Imperatoris nomen, & aliquot Latinæ Eccleſiæ Regis ex Apoſtolica traditione; Orat deinde Sacerdos generaliter pro cunctis Fidelibus circumſtantibus. 254.

Orandum pro Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliiſque Dominantibus in ſeculo, etiam infidelibus, aut hæreticis ex Apoſtolo docent Sancti Patres. 255.

§. V. Orat Sacerdos etiam ſpecialiter pro Offerentibus. De nominum recitatione. 256.

Nonnulla addita in aliquot antiquis Codicibus, quæ ſuperflua videntur.

Recitata deinde nomina illorum, pro quibus Sacrificium offerebatur. *ibid.*

N. 1. Antiquis precibus pro ſingulis hominum gradibus ſubſtituta una generalis, quæ omnes comprehenderet. 257.

2. Recitata olim nomina alta voce, poſtea ſubmiſſa, nunc ſola mentis intentione recognita. *ibid.*

Benefactorum nomina olim per Diaconos alta voce recitata. 258.

4. Tempore veterum Oblationum, in Oratione dicebatur tantum *qui tibi offerunt*. *ibid.*

5. Suſceptorum ad baptiſmum nomina recitata. 259.

6. Eadem nomina ſive offerentium, ſive ſuſceptorum non recitata die Dominico, aut feſtis ſolemnibus, & cur. *ibid.*

CAP. XII.

De Dipthychis, & quot ſint, varioque eorum uſu.

§. 1. DIptycha quid ſint, & quot eorum genera, qui uſus. 260.

Dipty-

Diptychorum Eccleſiaſticorum tria genera. *ibid.*

A ſacris Diptychis expungi pœna iis, qui vel a fidelium communione ſejuncti erant. 261.

N. 1. Diptycha Eccleſiaſtica a profanis diſtincta, & in quo. *ibid.*

4. Gaſpar Suicerus Acatholicus Scriptor confutatus. 263.

5. Omnes olim Patriarchæ ſua invicem nomina ſacris ſuarum Eccleſiarum Diptychis inſcribebant.

§. II. Inſcripta Diptychis nomina vivorum, & defunctorum. De ſolis vivis hic agitur. *ibid.*

In Diptychis inſcribendis olim delectus habebatur, & eorum tantum nomina recitata, qui præ cæteris eminebant. 264.

Uſus commemorandi B. Virginem, & Sanctos in Miſſa immemorabili conſuetudine comprobatus. *ibid.*

N. 2. In hac Sanctorum Commemoratione illud obſervat Eccleſia, quod & in veteri Teſtamento Antiquitas agere conſuevit. 265.

Cur nulla veterum Patriarcharum mentio fiat in Canone Romano.

Cur item in Canonis parte nulla inter Apoſtolos S. Matthiæ fit mentio. *ibid.*

§. III. Cur fiat in Canone quorumdam Sanctorum Commemoratio. Quædam notatu digna de SS. Coſma, & Damiano. Diverſos fuiſſe mores Eccleſiarum in hac Sanctorum Commemoratione. 266.

In Canone Romano poſt B. Virginem, Apoſtolos, ac Martyres nulla Confeſſorum mentio, & cur.

In aliquibus tamen particularium Eccleſiarum Sacramentariis addita Confeſſorum nomina. *ibid.*

N. 3. De primis B. Petri ſucceſſoribus variæ eruditorum ſententiæ. 267.

Quibus non obſtantibus comprobatur Lino, & Cleto Clementem ſucceſſiſſe. 268.

4. Joannes Launojus notatus, quoad diverſum unius ab alio cultum Sanctis ab Eccleſia exhibitum. 269.

Cur poſt Cornelium Cypriani nomen, non Stephani in Canone adſcriptum fuerit.

5. Clariſs. Tillemontius notatus quoad SS. Coſmam, & Damianum Fratres, & Martyres. *ibid.*

8. SS. Marcus, & Lucas Evangeliſtæ dubium, an vere in martyrio occubuerint. 270.

Nullus Sanctorum in Canone poſt Apoſtolos, niſi certo Martyr appoſitus. 271.

Ac propterea Xiſtus II. non primus, in Canone appoſitus.

9. In nonnullis antiquis Codicibus additum nomen Sancti, cujus ea die Feſtivitas celebratur.

§. IV. De Oratione *Hanc igitur Oblationem*, ejuſque variis formulis apud Antiquos.

Variæ hujus Orationis formulæ antiquæ indicantur. *ibid.*

N. 3. Olim ad Orationem *Hanc igitur* Sacerdos ſe uſque ad Altare inclinabat. 273.

Nunc Sacerdos pariter ae in Ritu Legali veteri manus ſuper Hoſtiam, & Calicem, ideſt ſuper Victimam, expanſas tenet.

Quatuor a Deo poſtulantur in Oratione, quæ contra hæreticorum calumnias vindicantur. *ibid.*

CAP. XIII.

De Conſecratione, ejus forma, ritu, Sacramenti elevatione &c.

§. 1. DE Conſecrationis forma, & titu apud Latinos, & Græcos. Olim Fideles poſt verba conſecrationis reſpondebant *Amen*. 274.

N. 2. Explicatur Oratio: *Quam Oblationem &c.* quomodo intelligi debeat. 276.

3. In Conſecratione nonnulla verba adddita ex Apoſtolica traditione. *ibid.*

4. Cæremoniæ a Chriſto Domino adhibitæ in Sacrificii Euchariſtici inſtitutione cum antiquo Hebræorum Rituali fere omnes conveniunt. 277.

5. Nonnullæ Euchariſticæ Conſecrationis formulæ antiquorum referuntur.

9. Olim ad Conſecrationis verba a Populo reſpondebatur *Amen*.

In qua voce *Amen* continetur fidei confeſſio de reali præſentia Corporis Chriſti, quæ ſic a Populo fiebat. *ibid.*

Juſtiniani Imp. Legem de non proferendis ſecreto verbis Conſecrationis, Sectarii magnificant; ſed refutantur. 278.

10. Hoſtiæ elevatio ante Conſecrationem prohibita. *ibid.*

11. Ritus, quem nunc ſervat Eccleſia, ſacra Conſecrationis verba ſecreto proferendi, Sanctus & ſua ipſa antiquitate venerabilis eſt. 279.

Quamvis inter eruditos quæſtio ſit an ſemper, & ubique ſecreto verba Conſecrationis pronunciata fuerint. *ibid.*

§. II. Mos elevandi Sacramentum antiquiſſimus apud Græcos. Quando cœperit apud Latinos. 280.

. Elevationis Hoſtiæ exemplum in veteri Teſtamento habetur. *ibid.*

Cam-

Campanulæ pulſatio ad elevationem recentis inſtituti, & quando apud Latinos, in Italia, aliiſque regionibus cœperit Sacramenti elevatio, incertum. 181.

N. 1. Nonnulli Ritus obſervati ad elevationem Sacramenti, tum apud Græcos, tum apud Latinorum aliquot Eccleſias. *ibid.*

2. Sacri Ritus elevationis, Sacramenti antiquitatem deridens Baſnagius confutatur. 282.

Iterum quoad eamdem idem Heterodoxus annaliſta refellitur. *ibid.*

Elevatio Sacramenti poſt Conſecrationem recentior quidem apud Latinos, ſed ſeculo XII. longe antiquior. 283.

3. Itidem confutatur Baſnagius, quoad Sacramenti elevationem apud Æthiopes. *ibid.*

4. Quamvis olim nonnulli Euchariſtiam ſtatim poſt Conſecrationem non elevarent, poſtea tamen omnes eamdem adorandam elevarunt, ſicut nunc. 284.

5. Nonnullæ veterum ſignificationes elevationis Sacramenti. *ibid.*

8. D. Thomæ Aquinatis ævo Calicis elevatio in uſu fuiſſe non videtur. 285.

Utramque hujuſmodi hoſtiæ, & calicis elevationem poſt exortam Berengarii hæreſim cœpiſſe plerique putant.

Duas proinde donorum elevationem nonnulli diſtinguunt.

Eodem ferme tempore, quo elevatio Sacramenti præſcripta, Campanulæ pulſatio introducta. *ibid.*

Apud nonnullos Regulares in eorum antiquis Ritualibus nulla elevationis Calicis mentio. 286.

9. Vindicatur Card. Bona a nonnullorum Eruditorum cenſura.

Et præcipue Samuel Baſnagius confutatur. *ibid.*

Euchariſtiæ adoratio ab omnibus Eccleſiæ Patribus tum Latinis, tum Græcis aſſerta. 287.

Quare hanc debitam Chriſto Domino adorationem ab Apoſtolica traditione deſcendere credendum eſt.

Neque obſtat Pelagii II. Decretum, quod in contrarium opponi poſſet. *ibid.*

12. Sacra Euchariſtia olim poſt Conſecrationem ſtatim pallio, aut velo obvoluta. 288.

Nonnulla proferuntur ab aliquot recentioribus ſcripta circa publicam expoſitionem SS. Euchariſtiæ Sacramenti. *ibid.*

Soli Carthuſiani inter Occidentales Hoſtiam poſt Conſecrationem palla contegunt. 289.

Et excuſatur Mabillonius ab Alexandri Plovvierii cenſura, quoad dictam publicam Expoſitionem Sacramenti. *ibid.*

§. III. Explicantur reliqua uſque ad commemorationem Defunctorum. 290.

Chriſti Domini mandatum, ut ipſum Sacrificium in ejus memoriam faciamus, in omnibus Liturgiis memoratum. *ibid.*

N. 2. Variæ apud diverſos formulæ Orationis: *Unde & memores*. 292.

Atque in eamdem variorum obſervationes.

Superflua evincitur quædam Maldonati obſervatio. *ibid.*

§. IV. Error Græcorum Schiſmaticorum perſtringitur. 292.

Deprecatio poſt Conſecrationem in Liturgia Chryſoſtomi a Græcis Orthodoxis contra Schiſmaticos Catholice interpretata. 294.

N. 2. Verba *Jube hæc perferri* in Oratione: *Unde & memores* quomodo intelligi debeant. *ibid.*

4. Verbum imperativum *fac* quod extat in Liturgia Baſilii non legitur in vetuſtiſſimis Euchologiis Bibliothecæ Vaticanæ. 295.

5. Explicatur contra Cabaſilam, quid vere in hac Oratione apud Latinos precetur Sacerdos.

Sancti Angeli nomine hoc loco videtur intelligendus ipſe Chriſtus Dominus. *ibid.*

7. Græci, & Binghamus iis adhærens confutatur. 296.

§. V. Latini a Græcorum calumnia vindicantur. 298.

Quamvis in aliquibus Occidentis Eccleſiarum Liturgiis poſt Conſecrationem brevis Oratio legatur, qua invocatio Spiritus Sancti præſcribitur, hæc tamen Catholicum ſenſum non excludit. *ibid.*

Diverſæ variorum Explicationes verborum invocationis Spiritus Sancti referuntur. 299.

N. 2. Vindicatur a pleriſque Card. noſter contra Renaudotii in ipſum cenſuram.

3. Hæc Catholica interpretatio invocationis Spiritus Sancti poſt Conſecrationem pluribus exemplis demonſtratur. *ibid.*

Et quidem ante invocationem Spiritus Sancti ſtatim poſt prolata verba Chriſti peragi Conſecrationem pleroſque crediſſe tum Orientales, tum Occidentales, demonſtratur. 300.

5. Idem invocandi Spiritus Sancti modus, ac forma in omnibus Orientalibus Liturgiis reperitur.

Antiquiſſima, & communis dudum fuit Eccleſiæ diſciplina, ut preces fierent ad Deum etiam poſt completum Sacramentum, quaſi peractum non fuiſſet.

Et

Et plura in hanc rem afferuntur exempla. *ibid.*

Non ſolum in conficienda Euchariſtia, ſed & in aliis Sacramentis. 301.

Sancti Patres quando dicunt Euchariſtiam confici precibus Sacerdotum, hoc unum ſignificant ad verba Domini preces præmitti, & ſubſequi. *ibid.*

7. Et quidem ea ratione poſt Conſecrationem invocatur a Græcis Spiritus Sanctus, ut Eccleſia participatione Euchariſtici Sacramenti unum Corpus cum Chriſto efficiatur. 302.

Quod autem ſupradicta vera ſint, & iſte Eccleſiæ Græcæ Catholicæ ſenſus, ex ipſa Chryſoſtomi Liturgia demonſtratur. *ibid.*

8. Indicantur Authores, qui de hac quæſtione pro, & contra ſcripſerunt. 303.

CAP. XIV.

Item de Conſecratione, ejus forma, ritu, Sacramenti elevatione &c.

§. 1. Refertur, & rejicitur quædam interpolatio.

Memoria Defunctorum recitatis eorum nominibus. 304.

In antiquis Miſſalibus lectæ quædam interpolationes ex privata Scriptoris licentia. *ibid.*

Commemoratio Defunctorum Fidelium in omnibus Liturgiis deſcripta. 305.

N. 1. Sacerdos non ſolum orat pro iis, quos ſpecialiter commendat Deo, ſed pro cæteris omnibus omnino defunctis in Chriſto quieſcentibus. *ibid.*

3. Defunctorum etiam Epiſcoporum, qui ab Eccleſia excommunicati erant, nomina e Diptychis expuncta. 306.

§. II. Cur Dionyſius ſola Diptycha mortuorum commemoret, ac nonnulla ad hæc ſpectantia. 307.

Nomina Defunctorum per Eccleſias, & Monaſteria tranſmiſſa, ut in Diptychis deſcriberentur, & cum aliis recitarentur. *ibid.*

§. III. Specialis Ritus Mozarabum. Qua ratione Sacrificium oblatum pro Sanctis. 308.

N. 1. Quomodo nomina ſive vivorum, ſive mortuorum ad Altare recitarentur. 309.

Nomina Defunctorum in Miſſa recitari deſiiſſe admodum probabile, eum anniverſaria perpetua pro Defunctis celebrari cœperunt. 310.

§. IV. De Oratione pro Defunctis. Quare cum iis nomina ſimul Sanctorum recenſeant. *ibid.*

N. 2. Explicantur quomodo intelligi debeant nonnulla verba ab antiquis adhibita, quoad Sanctorum cultum. 312.

§. V. De Oratione *Nobis quoque peccatoribus*. Olim poſt eam benedictiones frugum, & aliarum rerum fieri ſolebant. Omnes Sacræ, & Eccleſiaſticæ functiones intra Miſſarum ſolemnia. Finis Canonis. 313.

Sancti Martyres in hac oratione ex diverſis Ordinibus ſelecti. *ibid.*

N. 2. Rationes aliquot cur nonnulli ſancti in hac oratione nominentur. 315.

4. Ritu Ambroſiano nonnulli ſancti additi Canoni leguntur. 316.

SS. Confeſſores in Canone quamvis non expreſſi, implicite tamen continentur. *ibid.*

6. Veterum aliquot explicationes hujus orationis *Per quem hæc omnia &c.* 317.

8. De Calicis, cum Hoſtia elevatione.

(*Ad hanc pag. col. 2. lin. 20. lege* Per quem, *in lin. 27. lege* Et quum.)

De ſignis Crucis quæ ſupra, & extra Calicem fiunt cum Hoſtia, ac variæ de iis veterum explicationes. *ibid.*

CAP. XV.

De Oratione Dominica, alia ſubſequenti, & Hoſtiæ fractione &c.

§. I. De priſco uſu Orationis Dominicæ in Sacrificio. Gregorii Magni hac de re ſententia expenditur. Ipſius Orationis Præfationes. 319.

Uſus recitandi Orationem Dominicam in Miſſæ Sacrificio ab Apoſtolica traditione, & ex eorum more derivatur. *ibid.*

Variæ referuntur ipſius Dominicæ Orationis Præfationes. 320.

N. 1. Card. Bona a Clar. Nic. Antonelli centura, quoad intelligentiam verborum S. Gregorii Magni vindicatus. 321.

5. Non ſolum apud Græcos, ſed & apud Latinos olim alicubi ab adſtante Populo Dominica Oratio recitabatur. 322.

(*Ad hanc pag. col. 2. linea 16. lege* timeamus.)

7. Antiquitus uſus recitandi Orationem Dominicam in Eccleſia ad Miſſam cum illius Præfatione comprobatur. 323.

Dominica Oratio a quibuſdam antiquis *PP. legitima, & cœleſtis* dicta.

Eadem Dominica Oratio olim etiam clara, & alta voce recitata, *Et quare?* *ibid.*

§. II. Oratio Dominica olim interdicta Catechumenis. Brevis ejus expoſitio. Addita Oratio *Libera nos*, quæ Emboliſmus nominatur. 324.
N. 4. Feſtum S. Andreæ olim æquali ſolemnitate ac S. Petri celebratum in Eccleſia Romana. 326.
5. Olim alicubi poſt S. Andream additi nonnulli Sancti. 327.
§. III. Fractio Hoſtiæ. Hoſtiam frangi, & particulam in Calicem mitti, mos eſt omnium Eccleſiarum. *ibid.*
Nonnulli veterum textus afferuntur de modo, quo Chriſtus Dominus exiſtit realiter præſens in Euchariſtia. 328.
N. 1. Joſephi Binghami Heterodoxi Scriptoris Angli Cenſura in ſacram hujuſmodi fractionem expenditur. *ibid.*
Ad ſingula objecta reſpondetur. 329.
Et quidem ex ipſo Binghamo, itemque ex Clar. Scriptoribus.
Chriſti Domini memoria in triplici hoſtiæ fractione convenientius cæteris repræſentata. *ibid.*
Reſpondetur ad ſecundum Binghami objectum. 330.
Non enim antiquitus de Sacerdotis proprio pane conſecrato participabant fideles, ſed unuſquiſque de ſuo &c.
Poſtea vero, ut panis pro ſingulis communicandis eſſet integer, nitidus, atque uniformis, inſtitutæ modicæ oblatæ, hodiernis ſimiles.
Quas jam inde a ſæculo ſecundo in uſu fuiſſe penes Eccleſiam Romanam demonſtratur. *ibid.*
Antiqui Ritus veſtigia quædam in Miſſa ſolemni Summi Pontificis, & in conſecratione Epiſcopi adhuc obſervata. 331.
§. IV. Horum Rituum (fractionis ſcilicet) antiquitas.
Varii Ritus circa ſacræ Hoſtiæ fractionem. *ibid.*
N. 1. Variæque partitiones in diverſis Eccleſiis de eadem factæ. 332.
6. Immiſſio particulæ in calicem varie apud quoſdam antiquitus habita. 333.
7. Nonnullæ quæſtiones circa commixtionem particulæ cum Sanguine expenduntur. *ibid.*
Commixtio particulæ Hoſtiæ cum Sanguine antiquiſſima. 334.
Varii antiqui Ritus olim obſervati circa particulam Hoſtiæ in Calice immittendam. *ibid.*
(*Ad hanc pag. col.* 1. *lin.* 6.)
(*lege* 3866. & *col.* 2. *lin.* 8)
(*fine* 25. *lege* Siricii.)
Nonnullæ rationes cur mittebatur in calicem particula reſervata. 335.
Myſticæ aliæ rationes immiſſionis particulæ Euchariſtiæ in calicem afferuntur. *ibid.*
Cur hæc particulæ immiſſio in calicem conſecratio dicatur. 336.

CAP. XVI.

De Benedictionibus, Denunciationibus, aliiſque ante Communionem.

§. I. Benedictiones Epiſcopales ante Communionem, & priſcus earum uſus. 337.
N. 1. Benedictio ſolemnis data olim antequam diceretur *Agnus Dei*, adhuc nunc in aliquibus Eccleſiis obſervatur.
2. Quæ ſolemnis benedictio cenſebatur finis Miſſæ.
3. Hujuſmodi benedictiones: etſi Epiſcoporum propriæ, quandoque tamen a Presbyteris datæ. 338.
§. II. Variæ harum benedictionum formulæ. *ibid.*
§. III. De duplici benedictione in Miſſa. Olim preces indictæ poſt Orationem Dominicam. Nomen benedictionis quandoque ſumptus pro Collecta, ſive Oratione, quæ in fine Miſſæ recitatur. 340.
Notantur quidam noſtri temporis Scriptores hanc benedictionem Epiſcopalem cum ea, quæ in fine Miſſæ ab omnibus Presbyteris datur, male confundentes. *ibid.*
N. 2. Olim accepta benedictione ante communionem Miſſa cenſebatur expleta, ac propterea licebat iis, qui non communicabant, diſcedere. 341.
§. IV. Mos antiquus denuntiandi feſta, jejunia, aliaſque functiones poſt fractionem Hoſtiæ. 343.
Pſalmi aliquot olim recitati antequam diceretur *Agnus Dei*. *ibid.*
N. 1. Item preces aliquot dici præſcriptæ pro parte Eccleſiæ. 344.
Dictas preces recitantibus Indulgentiæ conceſſæ, & confirmatæ. 345.
2. Jejunium quatuor Temporum ex veteri lege deſumptum, ex Apoſtolica traditione in Eccleſia retentum. *ibid.*
4. Denunciatio feſtorum ex antiquo Ritu facta a Diacono in Miſſa ſolemni. 347.
§. V. Ritus dicendi *Agnus Dei* quando, & a quo inſtitutus. *ibid.*
N. 1. *Agnus Dei* olim a Clero, & Populo tantum, poſtea a Sacerdotibus etiam ad Altare recitatur. 348.
3. Quoad *Agnus Dei* ſingularis Lateranenſis Baſilicæ Ritus. *ibid.*
4. Notantur Macri fratres, aliique, ac vindicatur Angelus Rocca a nonnullorum cenſura. 349.
5. Hujuſmodi poſtulatio pacis jam in uſu, antequam narrata B. M. V. Apparitio contigiſſet. *ibid.*

7. Aliæ

7. Aliæ *ad Agnus Dei* interpolationes olim ex quorumdam licentia uſurpatæ. 350.
{ *In hac nota lege* interpolationes. }

§. VI. De tribus ante Communionem Orationibus. Oſculum pacis; plura ad hunc Ritum ſpectantia, & a quo inſtitutus fuerit.
Diverſi quoad oſculum pacis Eccleſiarum Ritus. *ibid.*

N. 1. Quare non detur pax in Miſſis Defunctorum. 352.
2. Pleriſque in locis pax data antequam ſacra celebraretur Oblatio.
In Eccleſia autem Romana eadem pax data poſt confecta myſteria. *ibid.*
3. Olim in Galliis introducta conſuetudo bis pacem dandi ad Miſſam. 353.
Variæ olim in dando pacis oſculo Eccleſiarum conſuetudines.
Vindicatur Card. Bona a Baſnagii cenſura. *ibid.*
6. Hodiernus Græcorum uſus ſibi invicem iterum pacis oſculum dandi poſt Communionem. 354.
7. Nonnulla alia referuntur de pacis oſculo. 355.
Negatum pacis oſculum quibuſcumque ab Eccleſia notorie proſcriptis: *ibid.*

§. VII. De oſculo, ejuſque attributis, & quare eodem careant Miſſæ Defunctorum. 356.

N. 2. In Miſſis Conventualibus Monachorum pax data, etſi nonnulli contrarium ſcripſerint. 357.
4. Indicantur nonnulli recentiores, qui de hoc veteri pacis oſculo ſcripſerunt.
5. Varia olim oſculatorii nomina.
Varii item Ritus pacem dandi in diverſis Eccleſiis.
Mos oſculandi Euchariſtiam olim in aliquibus Eccleſiis uſu receptus. *ibid.*
Poſtea intermiſſus, non ſine rationabili cauſa, & oſculata vaſa ſacra, aut linteamina. 358.
Deinde eorum loco ſubrogatus mos oſculandi Altare.
Tandem reſtitutus circa finem ſeculi xv. inſtrumenti deoſculatorii uſus.
Cum antea mos mutui amplexus invariatus permanſerit uſque ad ſeculum xiii.
6. De aliis duabus Orationibus ante Communionem. *ibid.*

CAP. XVII.

De Communione, ejuſque diſtribuendæ vario ritu, ac uſu &c.

§. I. Ritus, & uſus Antiphonæ, quæ Communio nuncupatur. Orationes Sacerdotis ante Communionem. 359.

N. 1. Singularis quidam Communionis Ritus in veteri Miſſali FF. Minorum præſcriptus. 360.
Qui tamen non videtur in Romana Curia viguiſſe, ut ibi dicitur. 361.
Fabuloſa, & putida narratio, quoad Communionem ex Dominicano ritu diſpellitur. *ibid.*
Ejuſdemque Ritus antiquitas ab ipſius Ordinis Prædicatorum inſtitutione demonſtratur. *ibid.*
2. Olim Pſalmi cantati ad Communionem. 363.
4. Invictiſſimum, & ineluctabile argumentum præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia ex Liturgia Gallicana veteri adverſus noſtri temporis Sectarios. *ibid.*

§. II. Dandæ, & accipiendæ Communionis diverſa conſuetudo. Quotidiana olim veterum Communio ad Clerum, tum ad Miniſtros Altaris redacta. *ibid.*

N. 2. Chronotaxis Cōmunionis Euchariſticæ Populi ab initio Eccleſiæ uſque nunc quo modo obſervatæ. 365.
5. Inter cæteras SS. PP. querelas de infrequenti Euchariſtica Communione vindicatur S. Joannis Chryſoſtomi textus adverſus Sectarios. 366.

§. III. Olim ante Communionem clamabat Diaconus, *Sancta Sanctis*, quam accipiens Populus reſpondebat: *Amen*. Euchariſtia priſce manu excepta. 367.
Olim tabellæ communicaturis expoſitæ, nunc linteamina. *ibid.*
Et ad recitata Sacerdotis verba: *Corpus Domini* &c. reſponſum *Amen*. *ibid.*
Qua manuum compoſitione olim a viris Euchariſtia excepta. 369.
Eadem a fœminis, non manu, ſed linteolo mundo accepta. *ibid.*

N. 1. Modus, & formulæ, quibus invitabantur Fideles ad Communionem. *ibid.*
2. Quæ ſanctitas requiratur ad Communionem. 370.
3. Mos olim communicandi apud Monachos. *ibid.*
9. Olim in Eccleſia Hieroſolymitana Peregrinis adminiſtrata Euchariſtia extra Sacrificium Miſſæ. 371.
10. Iterum de Dominicali, ſeu fœminarum velo ad earum Communionem. *ibid.*
12. Tribus modis apud Orientales Euchariſtia diſtributa. 372.

§. IV. Eadem Euchariſtia delata domi, & ſervata. 373.

N. 1. Reſpondetur Samuelis Baſnagii cavillationibus. 374.

Iterum confutatur Baſnagius, & ab ejus nota vindicatur Card. Baronius. ibid.

§. V. Euchariſtia ad Abſentes Miſſa, atque in itinere delata. 376.

Id pluribus veterum exemplis demonſtratur. ibid.

N. 1. Alia in idem argumentum exempla quoad Monachos, & Virgines Deo ſacras. 377.

Quandiu nam perſeveraverit conſuetudo iſta tum apud Græcos, tum apud Latinos, diſquiritur. ibid.

2. Euchariſtia non ſolum ab Epiſcopis, ſed a Presbyteris in itinere delata. ibid.

§. VI. Euchariſtia cuſtodita in Eccleſiis, Defunctis conſepulta. ibid.

N. 1. Afferuntur Calviniſtæ Baſnagii argumenta contra aſſervationem Euchariſtiæ ad Viaticum infirmorum. 379.

Reſpondetur omnibus, & ſingulis prædictis Baſnagii objectionibus. 381.

Item de Columbis ad eumdem ſacrum uſum deſtinatis. 385.

3. Baſnagius circa Euchariſtiam olim in Eccleſiis aſſervatam ab ipſis ſuis gregalibus confutatus. 387.

4. De Turribus ad conſervandam in eis Euchariſtiam olim in Eccleſiis adhibitam. ibid.

Dallæus, & Baſnagius circa dictam Turrium ſignificationem, & uſum confutati. ibid.

Jo. Baptiſtæ Thierſii argumentum nobis contrarium refertur, & difflatur. 388.

5. Columbas aureas, ſive argenteas Altari ſuſpenſas, in quibus Euchariſtia recondebatur, pluribus antiquorum documentis oſtenditur. 398.

7. Vindicatur Card. Bona a Joſephi Binghami cenſuræ, circa veterum nunc abrogatam conſuetudinem conſepeliendi mortuis Euchariſtiam. 390.

Excuſatur item S. P. Benedictus circa conſepultam, quam juſſit, defuncto Monacho ſacram Euchariſtiam. ibid.

§. VII. Hi mores an, & quando defierint. Qui fuerint alicubi in Communione abuſus. 392.

Admodum credibile tunc cœpiſſe Corpus Chriſti ore accipi a Fidelibus Sacerdotum miniſterio, cum in Pane Azymo confici cœpit. ibid.

N. 2. Nonnulla antiqua proferuntur exempla Euchariſtiæ a Fidelibus ore ſumptæ. 393.

§. VIII. Modus, Ordo, & Situs communicantium. 394.

Olim præmittebatur ante Communicantium notitia, & nomen eorum, qui ignoti erant, perquirebatur. ibid.

Græci etiam nunc ſtantes, ſed prono capite, ac demiſſis oculis; Latini genibus flexis Communicant. 395.

N. 3. Latinos etiam olim ſtantes, ſicuti Græci, Communicaſſe nonnulli ex antiquorum aliquot monumentis nituntur oſtendere. 396.

4. Communio, ſi fieri poteſt, miniſtranda adſtantibus inter Miſſarum ſolemnia. ibid.

Formula, ſeu verba dicenda a Sacerdote in miniſtranda Communione, & aliquorum abuſus in eadem fœminis data. ibid.

Variæ apud Græcos Communionis formulæ. 397.

Oſculum enim ab Epiſcopo, ſive a Sacerdote Communicantibus datum. ibid.

Vinum poſt Communionem ſumere volentibus porrectum ad oris ablutionem. 398.

CAP. XVIII.

Sequitur de Communione, ejuſque diſtribuendæ vario ritu, & uſu &c.

§. I. COmmunio olim ſub utraque ſpecie. Sub una tantum nunqua vetita; imo multoties uſitata a primis Eccleſiæ ſeculis, & deinceps. ibid.

Communio ſub utraque ſpecie ad ſeculum XII. a Fidelibus ſumpta. 399.

Dicta tamen Communio ſub utraque ſpecie, nec divinitus inſtituta, ideſt a Chriſto præcepta, nec ad ſalutem neceſſaria. ibid.

N. 2. Non tamen videtur dicti ſeculi XII. initio Calicis uſus Laicis præberi deſiiſſe. 400.

Sed circa ſeculi XIII. vel ſequent. XIV. initia dictum uſum obſoleviſſe ſcribunt nonnulli. 401.

Verba Card. Bona circa hanc materiam in ſuo ſenſu, & ſano modo interpretanda. ibid.

4. Refertur Binghami oppoſitio adverſus Card. Bona. 402.

Reſpondetur ad Binghami dicteria contra Card. Bona. 403.

Et vindicatur Communio extra Sacrificium ſub una tantum ſpecie omnibus ſufficiens, & neceſſaria. ibid.

Quæ comprobatur tum ex ipſo Chriſti facto, tum ex ejus Apoſtolis, atque ex ipſa primitivæ Eccleſiæ praxi; ex aliis denique Theologicis argumentis. 404.

§. II. Quando, & qua occaſione fieri deſierit ſub utraque ſpecie. 405.

Alia indicantur veterum exempla communionis ſub unica ſpecie etiam in Eccleſia Orientali. ibid.

Et quidem omnes fere Orientis Nationes ſub unica panis ſpecie

eos,

eos , qui Eccleſiam adire non poſſunt , communicant. 406.

N. 1. Nonnulla Orientalium placita de Communione aſſervata. 407.

2. Reſpondetur Baſnagii cenſuræ in Card. Bona quoad Æthyopum, ſeu Abaſſinorum communionem. 408.

§. III. Græcorum ritus in paranda Euchariſtia, quam pro Infirmis conſervant. Mos eorum diſcutitur Corpus Domini Sanguine intinctum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem uſus in Occidente. Horribile exemplum damnationis Hæreticorum calamo intincto in Sanguine Chriſti. 409.

Olim aliquando obtinuit uſus Communionis intinctæ etiam in Eccleſia Occidentali. ibid.

N. 2. Nonnulla ex medii ævi monumentis afferuntur Communionis intinctæ exempla. 411.

3. Ritus peculiaris Græcorum ſubſcribendi calamo Sanguine Domini intincto Hæreticorum damnationem. ibid.

CAP. XIX.

De Communione Puerorum , Laica , Eccleſiaſtica , Peregrina , deque Eulogiis.

§. I. Communio puerorum. De ea quid ſenſerint antiqui Patres. 412.

Exponitur genuinus Patrum ſenſus circa Euchariſtiam Infantium, quam vere non putabant illi cum Baptiſmo neceſſariam ad ſalutem. ibid.

N. 2. Rationes propter quas dabatur antiquitus Puerorum Communio. 413.

3. Sine neceſſitate tamen ſalutis dabatur. ibid.

5. Sententiam D. Auguſtini explicatur , una cum nota 4. antecedenti. 414.

§. II. Quæ de eadem puerorum Communione veteris Eccleſiæ praxis fuerit.

Varia narrantur ex veterum monumentis circa Infantium Communionem. ibid.

N. 2. De Puerorum Communione veterum Ritualium Rubricæ ; & quamdiu hæc Communio duraverit. 416.

§. III. Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Euchariſtiæ, & mutuam Fidelium Societatem ſignificat. Quæ fuerit Communio Laica, quæ Eccleſiaſtica. ibid.

Communionis Eccleſiaſticæ tot ſunt ſpecies, quot Ordinum gradus. 417.

N. 1. Referuntur nonnulli Auctores, qui de hac Communione Laica ſcribunt. ibid.

§. IV. Duplex eſſe apud antiquos Viaticum, abſolutionis ſcilicet, & Euchariſtiæ. Euchariſtiæ Viaticum quibuſdam olim in fine vitæ negatum. 418.

Ex veteris Eccleſiæ diſciplina diverſitas animadverſionis erga delinquentes ex criminum diverſitate deſumpta. ibid.

N. 5. Prædictus ſeveriſſimæ diſtrictionis rigor erga criminoſos extremo ſupplicio puniendos, ad ſec. 13., in Anglia, & Gallia uſurpatus. 419.

Qui poſtea a S. Pio V. ann. 1568. penitus ſublatus eſt. ibid.

§. V. De Communione, quæ peregrina dicebatur. Quidam eam cum Laica confundunt, & varia de ejuſmodi ritu judicia, atque decreta. 420.

Variæ eruditorum ſententiæ circa Communionem Peregrinam, quid proprie fuerit. ibid.

N. 2. Nullum hucuſque exemplum profertur ex veteris Eccleſiæ monumentis, quo particularis pro Peregrinis Euchariſtiæ Oblatio fieret, ut nonnulli opinantur. ibid.

§. VI. De eadem Peregrina Communione examinantur Doctorum ſententiæ, & conjecturæ. ibid.

Quomodo olim exciperentur Eccleſiaſtici Peregrini advenientes : Epiſcopi, Presbyteri, aliique Clerici, ſine formatis, ſive commendatitiis Epiſtolis. ibid.

N. 1. Ex hoc Agathenſis Concilii Canone tria obſervanda deducuntur quoad Communionem Peregrinam.

2. Quæ licet non ſatis Emin. Auctori ex ſui ingenua ſinceritate perſpecta, uberius tamen ex aliis monumentis illuſtratur. 422.

§. VII. De Eulogiis, earumque uſu, ac diſtributione. 423.

Vide etiam de Eulogiis Dominicum Guillel. Marlot. (p. 284. Hiſt. Metropolis Remenſis.) ibid.

Errant, qui decepti loco quodam Auguſtini, Catechumenis non ſal, ſed panis Eulogias datas perperam arbitrantur. Item Eulogiarum variæ denominationes, & uſus. 424.

N. 1. Indicantur nonnulli Auctores, qui Card. Bonæ ſententiam tuentur. 425.

Iterum reſpondetur P. Auguſtini Macedonis exceptionibus contra Card. noſtri ſententiam. ibid.

CAP. XX.

De Ablutione, Orationibus reliquis, & fine Miſſæ.

I. ABlutio, & gratiarum actio poſt Communionem. 427.

N. 1. De Orationibus ſecreto dicendis poſt Communionem. 428.

2. Cur Sacerdos abluat digitos poſt ſumptionem Sacramenti, & cur ipſos ter abluat. *ibid.*

De Orationibus dicendis in Purificatione Calicis, & digitorum ablutione. ibid.

3. Ablutionem digitorum probabilius a Sacerdote ſumptam fuiſſe videtur, quam in Sacrarium projectam. 429

§. II. Orationes pro his, qui communicarunt. Oratio ſuper Populum. *ibid.*

N. 2. De Communione Populi extra Miſſam ex hodierna conſuetudine, an licet antiquæ praxi difformis, toleranda ſit, ac permittenda. 431.

Toleranda videtur hæc conſuetudo, ſi multi fuerint communicandi, non vero, ſi pauci. *ibid.*

Vindicatur Card. Bona a P. de Berlendis exceptione. 432.

§. III. Dimiſſio adſtantium, dicente Diacono: *Ite Miſſa eſt*. Cur hæc dimiſſio certis diebus omittatur. 433.

N. 1. Varii Eccleſiarum Ritus annunciandi dimiſſionem Populi, ſeu de *Ite Miſſa eſt*, aut *Benedicamus Domino*. 434.

(*Ad hanc pag. col.* 1. *lin.* 14. *lege* vertit ſe.)

§. IV. Conſummatio Miſſæ, & Populi Benedictio, ejus origo, & Ritus diverſi. 436.

N. 2. De hac benedictione nulla ante annos mille mentio facta habetur. 438.

5. Ritus trinæ benedictionis in Miſſa olim permiſſus, nunc in Miſſali Romano abrogatus. 439.

§. V. Evangelium poſt Miſſam. Uſus ipſius recentior. 440.

Recitatio initii Evangelii S. Joannis in fine Miſſæ a S. Pio V. præcepta. *ibid.*

N. 1. S. Pius V. decrevit tantum alta voce recitandum hoc Evangelium, quia a nonnullis Sacerdotibus antea ſecreto recitabatur; ultra videtur in ſeqq. notis.

§. VI. Receſſus Sacerdotis ab Altari. Hymnus trium Puerorum. Sacrarum Veſtium depoſitio. Finis Libri. 442.

N. 1. Reſponſio *Deo gratias* ad finem Evangelii. *ibid.*

2. De Hymno *Te Deum*. Et operis clauſula, & pro eo gratiarum actio. 443.

I N D E X
AD APPENDICES, ET SUPPLEMENTA.

Appendix I. ad Cap. XII. Lib. I. ſeu Tomi I.

Miſſa Latina a Flacco Illyrico edita. pag. I.

Appendix altera idem Cap. XII. §. 4.

Fragmentum Miſſæ ab initio uſque ad Evangelium. xxix.

R. P. Honorati &c. De Miſſa Latina, quam Matthias Flaccus Illyricus Lutheranus in publicum edidit, cenſuræ, & animadverſiones. xxxvi.

§. I. Variæ de Liturgia iſta opiniones. ibid.

§. II. Momenta, quibus Wicellius, & Bona perducti ſunt, ut Liturgiam hanc oppugnarent. xxxvii.

Prima, & quarta difficultas tolluntur. ibid.

Objectio ſecunda diſpellitur. xxxviii.

Reſponſum Argumenti tertii.

Miſſa Latina a Flacco Illyrico vulgata, eadem eſt, ac Miſſa Eccleſiæ Romanæ. Hoc Loci fit Synopſis Liturgiæ. ibid.

Præparatio Sacerdotis, atque alii Ritus uſque ad Canonem. ibid.

A Canone uſque ad finem Miſſæ. xxxix.

Judicium Thomaſii, & Mabillonii de Miſſa Latina. xl.

§. IV. Objecta Menardi adverſus Miſſæ Latinæ antiquitatem. xli.

ARTICULUS V.

De antiquitate Miſſæ Latinæ, ab Illyrico Flacco vulgatæ.

§. I. De Miſſa ſolemni primis Eccleſiæ ſeculis uſitata. xlii.

§. II. Miſſa Latina confecta fuit ſub exitum ſeculi IV. vel initium ſeculi V. ibid.

§. III. Efficitur teſtimoniis Patrum, conſuetudinem fuiſſe primorum Eccleſiæ ſeculorum, offerre & communicare ſingulis diebus in Miſſa ſolemni. xliii.

§. IV. Alia Argumenta pro antiquitate Myſſæ Illyricianæ. xliv.

§. V. Miſſa Latina vetuſtiſſima eſt omnium Liturgiarum cum Græcarum, tum etiam Latinarum, quæ ad noſtram notitiam traductæ ſint. xlv.

§. VI. Miſſa Latina fons eſt, & origo omnium Liturgiarum Eccleſiæ Occidentis. xlvi.

§. VII. Liturgia Gelaſii eadem eſt, ac Miſſa Latina nonnullis immutatis. xlvii.

§. VIII. Miſſa Sancti Gregorii originem ducit a Miſſa Illyriciana. ibid.

§. IX. Argumenta objecta adverſus antiquitatem, uſumque Miſſæ Latinæ. xlix.

De eadem Illyriciana Miſſa

Ex Joannis Mabillonii Liturgia Gallicana Lib. I. cap. 3. num. 4.

Quæ, & qualis fuerit quondam Liturgia Gallicana, an ea, quæ a Matthia Illyrico edita eſt. Certæ ejus notæ, hæc integra tandem reperta. li

In eamdem Miſſam Illyricianam.

Ex Edmundi Martene.

De antiquis Eccleſiæ Ritibus

Tom. I. Lib. I. Cap. IV. Art. 12.

Monitum ad Lectorem. lii.

Quoad eamdem MiſſamIllyricianam

Ex P. Cajetani Mariæ Merati

Tom. I. Par. I. in Rubric. Gener.

Comment., & Obſerv. Prælim.

Ad Sacrum Rituum Theſaurum D. Bartholomæi Gavanti nota XXXI. liii.

APPENDIX.

Ex Ludovici Antonii Muratorii Liturgia Romana veteri.

Tom. I. Cap. VII. Diſſertationum ejus.

De Rebus Liturgicis col. 86.

Ritus quotidianæ Miſſæ, expreſſi ex Codice Mutinenſis Eccleſiæ ante annos ſexcentos ſcripto. liv.

SUMMA.

Rubricarum generalium Miſſalis Auguſtani, maxime in quo differunt a Ritu Romano. lviii.

SUMMA.

Rubricarum particularium Miſſalis Auguſtani. lx.

Miſſa Euſebiana.

Juxta priſcum Ritum, excerpta e pluribus antiquiſſimis Miſſalibus. lxvi.

ADDEN-

ADDENDA

Ad hujus Tomi III. Textum,

Juxta Editionem Billaineanam Pariſiis 1678. cum in antecedentibus cætera inter (&) proprio ſuo loco ſint poſita.

Ad Cap. XIII. §. 5. *pag.* 298. *lin.* 12. *poſt verba:* Hoſtia ſpiritalis.

ITem in die Circumciſionis. Hæc nos Domine inſtituta, & præcepta retinentes ſupplicitor oramus, uti hoc Sacrificium ſuſcipere, & benedicere, & ſanctificare digneris, ut fiat Euchariſtia legitima in tuo, Filiique nomine, & Spiritus Sancti, in transformationem Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Unigeniti tui, per quem omnia creas, creata benedicis, benedicta ſanctificas, & ſanctificata largiris. Ita ſæpius &c. *ut ibi ſequitur.*

Eadem pag. 298. *lin. a fine* 12. *poſt num.* (3)

Idem ſenſus exprimitur in prædicto Codice Gallicano: Nam in Miſſa Sancti Leodegarii poſt ſecreta ſic orat Sacerdos: Ut deſcendat hic benedictio tua ſuper hunc Panem, & Calicem in transformatione Spiritus tui Sancti, uti hæc benedicendo benedicas, ſanctificando ſanctifices, ut quicumque ex utraque benedictione ſumpſerimus, æternitatis præmium, & vitam conſequamur æternam. *Et in Miſſa Dominicali:* Te Pater Omnipotens deprecamur, ut ſuprapoſita Altari tuo munera lætus aſpicias, atque hæc omnia obumbres Sancti Filii tui Spiritu, ut quod ex hac tua benedictione acceperimus, æternitatis gloria conſequamur. *Conſentiunt Syri in hac explicatione, ut docet S. Maronius in Expoſitione Liturgiæ cap.* 33. Hoc loco, *inquit*, quærendum eſt, qua de cauſa invocamus Spiritum Sanctum, ut deſcendat ſuper panem, & vinum, dum jam Filius deſcendit, & commutavit ea in Corpus; & Sanguinem ſuum pretioſum. Hinc quæſtio: reſpondemus nos non invocare Spiritum Sanctum, ut efficiat, ideſt commutet panem & vinum in Corpus, & Sanguinem Salvatoris noſtri; ſed ut oſtendamus illa eſſe Corpus & Sanguinem Domini Doſtri, & ut efficiat, ut ſint ſumentibus illa in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam. Et hæc quidem &c. *ut ibi ſequitur.*

Ad dictum Cap. XIII. §. 5. *ſed. pag.* 299. *lin.* 7. *poſt verba:* dicitur ter.

Extat denique in omnibus Liturgiis omnium nationum, quæ per Orientem diſperſæ ſunt, ut Ricardus Simon oſtendit, docte, & prolixe de hac re diſſerens in notis ad Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphienſis *num.* 9. *a pag.* 143. *uſque ad* 185. Alii ipſam &c. *ut ibi ſequitur.*

Ad Cap. XVI. §. 3. *pag.* 341. *lin. a fine* 7. *poſt verba:* Temporum conſideratione.

Ut enim infra notabimus, cum Eulogiæ his, qui non communicaverant, in fine Miſſæ diſtribui ſolerent, hac conſuetudine introducta omnes in Eccleſia permanebant, donec peracto ſacro eas acciperent. Nec obſtat &c. *ut ibi ſequitur.*

In fine iſtius §. 3. *pag.* 342. *poſt ultima verba:* Miſſæ recitatur.

De benedictionibus, earumque antiquitate, forma, & effectibus prolixe agit Lupus P. V. Synodorum in notis ad ſeptimum Concilium Romanum ſub Gregorio VII.

Ad Cap. XVII. §. 3. *pag.* 369. *lin. a fine* 3. *poſt verba:* Exhibent.

Et hunc quidem Linteolum nihil aliud eſſe quam ſupra dictum Dominicale Baronii ſententia eſt, quam alii ſecuti ſunt. Vir tamen eruditiſſimus Stephanus Baluſius in notis ad Gratianum 33. *qu.* 5. *c. Mulier.* Docet Dominicale genus quoddam velaminis eſſe, ſine quo non licebat fœminis ad ſacram Communionem accedere. Ait enim præcitatum Canonem in veteri Codice ſic legi: *Si mulier communicans Dominicale*

nicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem non communicet. Cœterum apud Orientales nullam inter viros, & mulieres in hac re differentiam invenio; Nam ſilent &c. *ut ibi ſequitur.*

Ad dictum Cap. XVII. §. 4. *pag.* 374. *poſt ultimum verbum*: Germinaſſe.

Aliud miraculum ſingulare narrat Auguſtinus *Lib.* 3. *Operis perfecti contra Julianum num.* 164. Nam cum quidam Acatius clauſis oculis natus eſſet a religioſa matre ſanatus fuit, applicato Cataplaſmate ex Euchariſtia, quam domi aſſervabat.

Ad Cap. *XIX.* §. 2. *pag.* 416. *lin.* 12. *poſt verba*: Et dimittendum arbitrabatur.

E contrario autem adhuc in Gallia eodem ſeculo Puerorum Communionem permanſiſſe Guibertus Abbas teſtis eſt *Lib.* 1. *de Piguoribus Sanctorum cap.* 2. §. 1. Idem confirmat Gilbertus Porretanus Epiſt. ad Abbatem S. Florentii, quam affert in notis ad citatum Guiberti librum Lucas Dacherius. Ne vero &c. *ut ibi ſequitur.*

Ad Cap. XX. §. 1. *pag.* 427. *lin. a fine poſt verba*: Milleſimum ſcriptis.

De conſuetudine abluendi Calicem ſcribit Uberto Presbytero Petrus Damiani *Lib.* 5. *Epiſt.* 18. Nihil autem &c. *ut ibi ſequitur.*

Ad Appendices pag. v. *poſt Verſiculum*: Ne intres &c.

Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum: Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus, *reliqua ut ibi.*

Digitized by Google

RERUM LITURGICARUM

LIBER SECUNDUS,

Quo ſingulæ Miſſæ partes ac ritus ſingillatim explicantur.

DIſcuſſis in primo Libro, ut vires meæ tulerunt, omnibus, quæ ad Miſſam, ejuſque originem, progreſſum, diſciplinam, varioſque ritus, & apparatum pertinere viſa ſunt, ſuſcepti operis ratio exigit, ut in hoc ſecundo ſingulas ejus partes in ordinem digeſtas aggrediar, illarumque cauſas, inſtitutionem, incrementa, mutationes, & ſi quid in illis abditum, obſcurum, & difficile occurrit ex antiquis monumentis, & ex praxi Eccleſiæ, quantum fieri poterit, ſeorſum expediam, & explanem. Ordior autem a proxima Sacerdotis ad celebrandum præparatione, poſt quam totum Liturgiæ contextum ab acceſſu ipſius Sacerdotis ad Altare uſque ad receſſum, Deo opitulante, explicabo.

CAP. I.

Sacerdotis ad celebrandum præparatio in quo conſiſtat. Præmittenda peccatorum confeſſio. Quædam obiter de priſco uſu confeſſionis. Apologiæ, preces præparatoriæ, & Pſalmi. Reconciliatio & pax cum omnibus. Puritas animi. Olim in uſu erat noctis antecedentis Pervigilium. Jejunium neceſſarium, & carnis munditia. Lotio manuum, & nitor veſtium. Orationes recitandæ a Sacerdote, dum ſacris veſtibus induitur. Panis & vini proxima præparatio.

§ I.

Sacerdotis ad celebrandum præparatio in quo conſiſtat. Præmittenda peccatorum confeſſio. Quædam obiter de priſco uſu confeſſionis.

Puritas mentis, & corporis Sacerdoti ad Sacrificandum neceſſaria.

SACERDOS Miſſam auſpicaturus primo ſe ipſum ad tantum opus diſponit, ut ſit purus mente, & corpore (1): tum ea præparat, quæ ſpectant ad Sacrificium. (1) Et animæ quidem puritatem comparat ſacramentali Confeſſione, ſi alicujus culpæ ſibi conſcius ſit. Id enim Apoſtolus præcepit dicens, *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. Eccleſiaſtica autem conſuetudo, ſicut Patres Concilii Tridentini docent *ſeſſ.* 23. *cap.* 7. declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Ideo Chryſoſtomus initio ſuæ Liturgiæ ait; *Sacerdos Divinum Myſterium peracturus ante omnia confiteri, & cum omnibus re-*

conciliatum ſe habere debet . Et in Liturgia Baſilii exclamat Pontifex, *Sancta Sanctis* : cujus formulæ idem quoque Chryſoſtomus meminit *hom.* 61. *ad pop. Antioch.* & *hom.* 17. *in Epiſt. ad Hebræos* . In antiquo Miſſali Romanæ Eccleſiæ monetur Sacerdos celebraturus conſcientiam ſuam per puram confeſſionem optime præparare . Atque ut antiquius teſtimonium proferam , hoc ipſum Cyprianus apertiſſime docet lib. de Lapſis , oſtendens quam ſit pernicioſum ad Euchariſtiam accedere , & Corpori Domini ac Sanguini vim inferre ante expiata delicta , ante criminis exomologeſim , ante purgatam conſcientiam . Tum poſt narrata quædam exempla divinæ vindictæ adverſus indigne communicantes , eos laudat , qui nullo crimine idololatriæ maculati , vel ob ſolas de illo cogitationes , confitebantur . *Quanto*, inquit, & *fide majores*, & *timore meliores ſunt*, *qui quamvis nullo ſacrificii* , *aut libelli facinore conſtricti* , *quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt* , *hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolentes* & *ſimpliciter confitentes* , *exomologeſin conſcientiæ faciunt* , *animi ſui pondus exponunt* , *ſalutarem medelam parvis licet* & *modicis vulneribus exquirunt* .

Si eadem deſit, ante celebrationem per auricularem peccatorum confeſſionem alteri Sacerdoti faciendam comparanda.

Quæ verba de ſecreta & auriculari confeſſione intelligenda eſſe quis dubitet ? Publicam enim de cogitationibus , deque modicis peccatis Eccleſia nunquam admiſit . Quod & ſi parergon nolui hoc loco tacitus præterire propter Eterodoxos , qui privatam pœnitentiam ex publica ſumpſiſſe originem contendunt , cum potius publicæ delictorum pœnitentiæ privata confeſſio ſemper adnexa fuerit ; quod fuſius probare ad propoſitum mihi argumentum non ſpectat (2) . Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 20. (2)
Nobis , ait , *gratulandum eſt* , *ſi non publice confitemur iniquitates aut turpitudines noſtras* . Et de pœnitentia cap. 10. *Pleroſque hoc opus* , id eſt confeſſionem (3) , *ut publicationem ſui* , *aut ſuffugere* , *aut de die in* (3)
diem differre præſumo , *pudoris magis memores quam ſalutis: veluti illi*, *qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione* , *conſcientiam medentium vitant* , & *ita cum erubeſcentia ſua pereunt* . Hac autem comparatione Patres antiqui & recentiores uti ſolent adverſus illos , qui ob verecundiam turpia quædam & graviora crimina in arcano pœnitentiæ tribunali , quod ſemper in Eccleſia fuit , Sacerdoti abſcondunt, momentaneam , & ſecretiſſimam confuſionem æternæ præferentes . Sed revertor ad Cyprianum , qui confeſſionis neceſſitatem ante communionem rurſum exaggerat Epiſt. 10. Clerum ſuum reprehendens , quod Lapſis auſus fuerit Euchariſtiam dare , *nondum pœnitentia acta* , *nondum exomologeſi facta*, *nondum manu eis ab Epiſcopo*, & *Clero impoſita* (4) . Quod licet de (4)
reconciliatione cum Eccleſia , & abſolutione a pœnis intelligatur , hæc tamen ſacramentalem confeſſionem adjunctam habebat . Si autem Sacerdoti rem divinam facturo nihil confeſſione expiandum occurrat , ejus tamen ſententiæ meminiſſe debet , quam per os Sapientis protulit Spiritus Sanctus , *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu* : quia nimirum de obtenta peccatorum remiſſione nemo in hac vita ſecurus eſt . Ideo antiqui Sacerdotes ſuam ſemper infirmitatem ſuſpectam habentes , humanique cordis pravos & profundiſſimos receſſus formidantes , in quibus ſæpe latent minuta & occulta peccata, ſcientes quoque multa non advertentibus irrepere , multa e memoria excidere, cum timore & tremore in opera pœnitentiæ incumbebant , & ſacris operaturi prolixis precationibus , quas Apologias vocabant , ad oſtium divinæ miſericordiæ pulſabant, ut ab omni macula expurgarentur . Plures hujuſmodi Apologiæ extant in priſcis Sacramentorum libris , quarum præcipuæ apud Menardum legi poſſunt pag. 242. & infra in Appendice . Dicuntur autem Apologiæ , quia in

Si vero rem divinam facturo nihil confeſſione expiandum occurrat, precationibus tamen, ſeu Apologiis, quas ita veteres appellabant, incumbendum.

his

his Sacerdos excuſat & purgat ſe, quod peccator & indignus ad ſacra myſteria accedere præſumat. Obſervat Menardus eas olim legi conſueviſſe ante Offertorium, cum peracta Miſſa Catechumenorum incipiebat Miſſa Fidelium; ſed in ea, quam edidit Illyricus, & in Codice Chiſio, de quo Lib. I. Cap. XII. actum eſt, pleræque dicuntur ante Introitum, & dum *Gloria in Excelſis*, & Graduale cantantur. Unam hic tranſcribo, ex antiquiſſimo Miſſali Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ, quod vetus Gallicanum eſſe ante tempora Pipini ſupra indicavi.

APOLOGIA SACERDOTIS.

ANte tuæ immenſitatis conſpectum, & ante tuæ ineffabilitatis oculos, o Majeſtas mirabilis, ſcilicet ante ſanctos vultus tuos, magne Deus, & maximæ pietatis ac poteſtatis omnipotens Pater, quamlibet non ſine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate, vilis admodum peccator accedo, & reus conſcientiæ teſtis adſiſto. Accuſo me tibi, & non excuſo: & coram teſtibus confiteor injuſtitiam meam tibi Domino Deo meo. Confiteor inquam, confiteor ſub teſtibus injuſtitiam impietatis meæ, ut remittas impietatem peccati mei. Confiteor quod niſi remittas, recte me punias. Habes me confitentem reum; ſed ſcio, non niſi verbis emendantem. Verbis enim placo, operibus offendo. Culpam ſentio, emendationem differo. Subveni ergo, ſubveni pietas ineffabilis. Ignoſce, ignoſce mihi Trinitas mirabilis. Parce, parce, ſupplico, Deitas placabilis. Exaudi, exaudi, exaudi me rogo his verbis illius Filii tui clamantem, Pater æterne Deus peccavi in cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ut unum de mercenariis tuis. Et nunc Pater miſericors unicum miſericordiæ tuæ portum Chriſto faventе peto, ut quod per me vileſcit, per illum acceptum ferre digneris. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Non ſolum in lege veteri Sacerdotes puri jubebantur ad ſacrificia accedere, ſed etiam Gentiles.

(1) *Ut ſit purus mente, & corpore*) Si Sacerdotibus veteris legis, quibus omnia in figura contingebant, uti habetur 1. ad Corinth. 10. 6. dictum fuit Iſaiæ 4. *mundamini, qui fertis vaſa Domini*, quanto magis novæ legis gratiæ Sacerdotes, qui non carnes taurorum, aut vitulorum, ſed verum illum agnum Dei, qui tollit peccata mundi, ſacrificaturi ſunt, mundi corde, & corpore eſſe debent? De illis Joſephus ita ſcribit lib. 6. belli Judaici: *ad altare, templumque accedebant carentes omni vitio Sacerdotes, veſte amicti byſſina, maxime vero mero abſtinentes, ac ſobrii religionis metu, ne quid rem divinam faciendo peccarent*. Id expreſſe juſſit Deus Levit. cap. 10. verſ. 8. ubi hæc leguntur: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filii tui quando intratis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras*. Quin & de Gentilibus, eos alloquens, inquit Arnobius lib. 7. contra Gentes: *quorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lavatos, caſtiſſimoſque præſtatis*: quos tamen de falſa religione arguens Lactantius eos juremerito deridet lib. 5. cap. 20. his verbis: *At illi infelices, nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quam malum ſit, quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tamquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent*: Quod autem apud Gentiles impuri a ſacris arcerentur, teſtatur & ipſe Ethnicus Poeta Tibullus lib. 2. eleg. 1. v. 11.

Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Queis tulit heſterna gaudia nocte venus.

Hujus porro rationem reddit v. 13. dicens *Caſta placent Superis* &c.

De Alexandro Severo Ethnico Imp. ſcribit Lampridius in ejus vita: *Primum uſus vivendi hic eidem fuit: primum ſi facultas eſſet, ideſt ſi non cum uxore procubuiſſet, matutinis horis in Larario ſuo rem divinam faciebat*. Vel ipſe Apoſtata Julianus Imper. laudabiles Chriſtianorum mores imitandos ſuis falſis Deorum Sacerdotibus proponit, & jubet, apud Sozomenum lib. 5. cap. 10. & 15. lege Card. Baronium ad an. 362. nu. 302. & ſeqq. Quod Ethnici inanium Deorum adoratores ex vana ſuperſtitione faciebant, renuent ex debita religione facere veri, & unici Dei omnipotentis Sacerdotes? Nequaquam, abſit.

(2) *Ad propoſitum mihi argumentum non ſpectat*) Ad hæc legenda erunt, quæ jam

ſuperius dicta ſunt ad lib. 1. cap. 17. §. 6. nota 5. ſive Tom. 1. pag. 388. & ſeqq. ubi publicæ delictorum pœnitentiæ privatam confeſſionem adnexam nonnihil oſtenſum eſt.

Confeſſionem auricularem neceſſario a peccatore faciendam Sacerdoti ante Euchariſtiæ ſumptionem plures veteres Patres teſtantur.

Cæterum de confeſſione Sacramentali, & ſecreta ad aures Sacerdotis facienda, legendus S. Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Demophylum Monachum num. 8. ubi eidem ſuam exprobat ſævitiem, quod pœnitentem a Sacerdote abſolutum immaniter tractaſſet, & in Sacerdotem quoque temerarie debacchatus fuiſſet, eo quod pœnitentem abſolviſſet; & exemplis eorum, qui ob ſimilem temeritatem puniti fuerant, ipſum deterret. Legendi item Irenæus adv. Hær. lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap. 4. Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 17., & 30. Hilarius Canone 19. in Matth. Hieron. Ep. 1. ad Heliodorum cap. 7. Ep. 54. ad Marcellam, & 68. ad Pammachium, & Oceanum; Chryſoſtomus hom. 4. & 20. in 2. ad Corinth., homil. 33. in Joannem; Auguſtinus Ep. 180. ad Honoratum, & lib. de adulterinis conjugiis cap. 28. circa fin., ac in Pſalm. 50. ante med. in Pſalm. 66. poſt med. & hom. 12., & 50. homil. 41. aliiſque pluribus in locis; S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19., aliique plurimi, quos numerare longiſſimum eſſet.

Eamdem eſſe de præcepto divino optime probant inſignes Theologi.

Porro Confeſſionem auricularem eſſe de præcepto divino optime probant Suarez diſput. 35. de Pœnit. Vaſquez in 3. partem D. Thomæ Tom. 3. diſput. 207. quæſt. 80. art. 5. cap. 4. de Lugo de Sacram. Pœnit. diſput. 15. ſect. 1. & noviſſime Gaſpar Ivenin de Sacram. diſput. 6. quæſt. 5. art. 2. pag. 408. Card. Bellarm. in Controv. & alii bene multi, ubi priorum Eccleſiæ ſeculorum uſque ad x. & hucuſque ſubſequentium Scriptores pro uſu antiquiſſimo Confeſſionis auricularis teſtes proferuntur.

Et hanc ſecretam, ſeu auricularem faciendam intelligit Tertullianus.

(3) *Ideſt confeſſionem*) Hunc Tertulliani locum contra communem ſenſum interpretatur Albaſpinæus, non de auriculari confeſſione, ſed de publico pœnitentiæ actu, at perperam: Tertullianus enim ſatis clare ſe exprimit non de publica tantum, ſed & de ſecreta peccatorum confeſſione auriculari coram Sacerdote fieri neceſſaria; illa etenim verba de iis, qui ipſam Exomologeſim facere ſuffugiunt, aut de die in diem differunt, quibus ait: *præſume pudoris magis memores, quam ſalutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*: profecto eumdem Septimium de dicta ſecreta potius, quam de publica confeſſione, ubi peccata notoria non ſint, ſed privata tantum, intelligendum eſſe portendunt; nam qui in ſecretioribus corporis membris ægritudine vexati laborant, non publice, & palam eos curari neceſſe eſt, ſed illi clanculo apud Medicum, aut Chirurgum, non alios, qui hujuſmodi artis ſanatoriæ inexperti ſint, ſe ibidem conſpici & remedia applicari patiuntur. Neque propterea hæc Tertulliani comparatio iis, qui ſic ſecreto morbo vexantur, & infirmitatem ſuam Medico aperire verentur, ullo modo ad confeſſionem delictorum, quæ publica ſint, non autem occulta, traduci poteſt, cum idem Tertullianus ibi pudorem ſupponat impedimento quibuſdam, ne peccatorum exomologeſim facerent: nec pudore quis ſuffundi poſſit in flagitiis declarandis, quæ publica ſint, & omnibus nota.

Et quidem non ſoli Deo tantum, ſed ipſi, & ejus Sacerdotibus, qui reis pœnitentiam imponant, qua Deo ſatisfaciant.

Multo minus de confeſſione, quæ ſoli Deo fiat, non Sacerdoti, idem intelligendus Septimius, uti volunt Sectarii; etenim quamvis loco citato paulo ante præcedenti capite nono dicat, quod *exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur*, non dicit ſoli Deo, vel Domino tantum, ac propterea non excludit confeſſionem Sacerdoti faciendam, quæ primario, etſi coram ipſo Dei miniſtro, tamen eidem Domino fit, quin & hanc expreſſe vult ita fieri, cum illam facere renuentes iis comparet, qui contracto in ſecretis partibus morbo conſcientiam medentium vitant, & ſic cum erubeſcentia ſua pereunt. Quis porro præ verecundia & pudore detrectat confiteri etiam interna ſua delicta Deo, qui ſcit cogitationes hominum, & ipſe novit abſcondita cordis? Quis ignominiam pati timet ex confeſſione, quæ ſoli Deo fiat, quaſi aliquis fidelis reperiri poſſit, qui non profiteatur Deum cujuſcumque peccata, vel occultiſſima non latere? Id ſane expreſſe idem Tertullianus affirmat eodem loco ibi ſubdens. *Delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur*. Quo ex loco colligitur Exomologeſim, ſeu actum illum, quo aperte nos peccaſſe teſtamur, ipſa confeſſione conſtare, qua contritus peccator ſe ipſum commiſſorum criminum reum accuſat, ſuumque Deo peccatum exponit, non quidem ei ſoli, quia hujuſmodi confeſſio internus cordis motus eſt, non externus pœnitentiæ actus; Tertullianum vero hic de externis tantum pœnitentiæ actibus loqui ex verbis illis conſtat, quibus ait ibi: *Hujus igitur pœnitentiæ . . . . . . tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur*, cujuſmodi eſt *Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari*, ut ibidem exprimitur. Confeſſionem itaque intelligit Tertullianus Domino apud ejus Miniſtros factam, qua *ſatisfactio diſponitur, & pœnitentia naſcitur*, quatenus Eccleſiæ Dei Sacerdotes confitentibus reis pœnitentiæ opera imponunt, quibus Deo ſatiſfacientes ipſius iram mitigent.

Neque de publicis dumtaxat, notoriis, ſed & de internis, aut occultis peccatis confitendis Tertullianus clare agnoſcitur intelligendus.

Neque de publicis tantum, & notoriis peccatis confeſſionem fieri ullo modo idem vult Tertullianus, ſed & de internis, atque occultis etiam quibuſcumque neceſſario faciendam eſſe concluditur tum ex hactenus ab ipſo dictis, præcipue ex allata comparatione ad illos, qui contracta in ſecretis partibus corporis vexatione, hanc Medico revelare ſuffugiunt, & ita cum verecundia ſua pereunt, ſecus enim fruſtranea, & inepta foret hujuſmodi comparatio; Confeſſionem item non dumtaxat conſilii, ut Sectarii fruſtra contendunt, ſed præcepti divini, ac omnino neceſſariam, quam qui renuerent, æternæ ſalutis periculum incurrerent, ſicut illi pereunt, qui occultam ægritudinem ſuam Medico celant, illa Tertulliani verba confirmant: *Grande plane*

emo-

emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? Tum denique ex aliis antiquiſſimi hujus Africani Scriptoris textibus Catholica hujuſmodi aſſertio comprobatur: ait ille eodem lib. de Pœnit. cap. 2. Cui *præminiſtrans pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam, uti quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens, & foris abjiciens mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto paret, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat*. Clarius cap. 4. ubi interioris concupiſcentia peccata confeſſioni ſubjicienda præſcribit: *omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit* &c. ſcilicet per confeſſionem, eam nimirum, ut dictum eſt, *qua ſatisfactio diſponitur, pœnitentia naſcitur, qua Deus mitigatur*.

Qui & tres hujus Sacramenti partes, contritionem ſcilicet, confeſſionem peccatorum, & ſatisfactionem exprimit.

His omnibus Tertulliani textibus plane constat ex ſententia Pamelii, Rhenani, aliorumque plurium ejuſdem Interpretum tres integras partes Eccleſiaſticæ pœnitentiæ a Septimio expreſſas haberi, illam nimirum pœnitentiam, quæ præcedit confeſſionem peccatorum, quam contritionem uſitatiori vocabulo appellare ſolemus; ac quæ ſubſequitur, ipſam delictorum confeſſionem coram Sacerdotibus factam, publicam de publicis, vel ſecretam de occultis, ut egregie idem notat Pamelius ad lib. de Pœnit. nota 1. ac denique actus illos pœnitentiales, quos Exomologeſis voce, cum Tertulliano nuncupant antiqui, communi vero uſu loquendi ſatisfactionem dicimus. Quare ullo modo negari poterit, quod ante Euchariſticam Communionem homini lapſo neceſſaria ſit auricularis ad Sacerdotem delictorum confeſſio, ab ipſo inter Apoſtolorum ulnas Eccleſiæ vagientis initio ex divino præcepto, & traditione obſervata. Et ſane unde, quæſo, calumnia illa a Gentilibus in Chriſtianos conflata, ut ait Minutius Felix Tertulliano ſuppar, in Octavio, cum ii dicerent ipſos adorare ſolitos virilia Sacerdotum, niſi quod illi ad eorum genua procumbentes, ſuaque illis confitentes peccata ſummiſſe veniam deprecarentur? Idem reliqui veteres affirmant Patres. Jam Cyprianum Tertulliani auditorem in textu Cardinalis audivimus. Illi conſonat S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, Paræneſi, ſeu exhortatione ad pœnitentiam, imitans etiam hic Tertullianum pene ad verbum: *Prudentes*, inquit, *ægri medicos non verentur ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos* &c. Pacianus autem ſeculo vergente 4. floruit, & ex ipſo ſermonis exordio manifeſte conſtat ſe de confeſſione ad Sacerdotem facienda diſſerere, uti ex iis verbis patet: *poſtremo illud enitemur oſtendere...... quod præmium conſcientiæ maculas recta, & ordinaria confeſſione purgantibus*. Similiter vulnerum aperitioni confeſſionem comparare ſolent alii veteres, & nominatim Origenes homil. 2. in Pſal. 37. & hom. 2. in Levit. Sanctus Ambroſius de Pœnit. lib. 2. cap. 2. Baſilius Reg. brev. q. 229. & Chryſoſt. homil. 3. ad Pop. Ant. Concordant fere omnes in Tertullianum interpretes, & ex iiſdem fuſe, & doctiſſime Card. Baronius ad an. 56. nu. 17., & ſeqq., ubi neceſſitatem confeſſionis in peccatore ante Euchariſtiæ ſumptionem diſertiſſime probat.

(4) *Nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita*) Sacerdoti rem divinam facturo neceſſariam ſacramentalem confeſſionem, ſi aliquid illi eadem expiandum occurrit, etſi ſufficienter Emin. Author ex Tertulliano, & Cypriano probaverit, noſque alios ad hanc demonſtrandam indicaverimus Patres, itemque plures ex noſtratibus Theologis hanc Catholicam aſſertionem ab Hæreticorum calumniis, & cavillationibus optime vindicaverint, inter quos Emm. Scheleſtratius de Concil. Antioch. toto cap. 9. a pag. 291. uſque ad 307. Natalis Alexander Hiſtor. Eccl. ſec. XIII. & XIV. tota Diſſert. 14., qua Sacramentalis confeſſionis neceſſitas adverſus Valdenſes, Albigenſes, & Wicleffianos in Calviniſtis redivivos comprobatur, & Joannis Dallæi Calviniani Miniſtri Libri quatuor contra eamdem refelluntur, ubi §. 1. ex Scriptura Sacra luculenter oſtendit confeſſionem ſacramentalem divino jure neceſſariam eſſe illis, qui poſt baptiſmum in mortale peccatum lapſi ſunt, & §. 4. ejuſdem neceſſitatem, & uſum perpetuum in Eccleſia ex Patribus, Conciliis, aliiſque antiquis monumentis evidenter evincit, ac Dallæi futilibus objectis, & ratiunculis viriliter, invicteque reſpondet, uti etiam ſupra memoratus Gaſpar Ivenin de Sacramentis loco ibi citato, ac Jo. Mabillon. Præf. ſec. 3. Bened. num. 80. Item Dionyſius Sanmarthanus Monachus ejuſdem Congr. S. Mauri, qui Dallæum etiam peculiari Tractatu, & reſponſione confudit, poſtque iſtos pari laude, & virtute idipſum Catholicum Dogma adverſus Jacobum Piceninum Curienſem Pſeudo-Evangelii Miniſtrum Calviniſtam, ſtrenue defendit dicti Ordinis Prædic. Vincentius Ludovicus Card Gotti Tom. 2. par. 2. pag. 610. & ſeqq. aliique doctiſſimi viri in hujuſmodi orthodoxa veritate tuenda, ac contrario errore a Sectariorum mentibus convellendo, hanc palmam aſſecuti fuerint; nihilominus cum facile ſit adhuc invenire inter eoſdem Sectarios, qui in ſua pertinacia perſiſtens, cognitam hujuſmodi veritatem, temerarius audeat impugnare, atque crambem iſtam toties recoctam, totidemque rejectam, denuo egerere non erubeſcat, etiamſi, vel ipſo initio eorum ſeceſſus ab Eccleſia Romana nonnulli ex ipſis probe noverint, & experientia didicerint, quam utilis, quamque neceſſaria ſit ſacramentalis confeſſio nedum ad animæ ſalutem, ſed & pro communi Reipublicæ bono ad vitia comprimenda, virtuteſque inducendas, ut refert Sotus ocularis teſtis in 4. Diſt. 18. quæſt. 1. art. 1. quod cum ex ſacramentalis confeſſionis abrogatione per Lutherum facta Virgines Deo dicatæ ex Monaſteriis ereptæ, furta, raptus, adulteria, aliaque innumera, ac funeſta mala inſurrexerint, Norimbergenſis Civitas Carolum Quintum Imperatorem publica ſupplicatione exoraverit, ut Norimbergæ reſtitueretur

Indicantur nonnulli recentiores Theologi, qui de neceſſaria homini lapſo ſacramentali confeſſione ſcripſerunt.

Confeſſionem ſacramentalem pro communi Reipub. bono neceſſariam, faſſa, ac proinde reſtituendam expetiit a Carolo V. Imp. Norimbergenſis Civitas.

retur

retur ſacramentalis Conſeſſio, experientia edocta tot ſcelerum jam pridem inauditorum copiam nonniſi ex illius abrogatione emanaſſe, cumque excæcaverit illos malitia eorum, ut inter ipſos, *qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, juxta Joannis vaticinium Apoc. 21. 11. ac nedum a veritate auditum avertant, ſed ad fabulas convertantur, & adhuc auricularem confeſſionem ſecretam ab Eccleſia, ut ajunt, Romanenſi, inventam eſſe blaſphement, magnum errorem eorum eſſe, qui veteris Eccl. exomologeſim auricularem confeſſionem ſignificare contendunt, nullam umquam confeſſionis hujuſce neceſſitatem antiquæ Eccleſiæ fidelibus impoſitam fuiſſe, aliaque iſtiuſmodi deliramenta comminiſcantur, quibus eamdem auricularem confeſſionem de medio tollere, totiſque viribus eliminare, ſed fruſtra, pertentant.

Joſeph Binghamus dictæ ſacramentalis confeſſionis neceſſitati obſiſtens confutatur.

Ita hæc omnia noviſſime effutit Ioſeph. Binghamus Londinenſis Orig. Eccleſiaſt. lib. 18. cap. 3. Anglo-Calvinianus, ſive etim velis, Lutheranus Scriptor, non ineruditus quidem, ſed hoc loci, alibique paſſim Dallæi, aliorumque hujus furfuris authorum reſrictor. Eapropter, etſi hæſitarem, nec eſſet mihi propoſitum reſpondere ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, cum id argumenti perfectiſſime expleverint ſupra laudati noſtrates Theologi; attamen, ne ſibi ſapiens eſſe videatur, hac in ſtultitia ſua, ſi forte Catholicorum neminem ſibi reſpondentem, ejuſque erroribus contradicentem audierit; cumque alibi hunc ipſum Emin. noſtro nominatim adverſantem pro viribus impugnare anniſus fuerim, idemque hoc loco item illi de ſecreta auriculari confeſſione optime differenti, ejuſque neceſſitatem propugnanti obſiſtere, licet irrito conatu ſatagat, ne tacendo conſentire videar, nonnulla in dicti Purpurati defenſionem, & Catholicæ veritatis illuſtrationem ſubjicere operæ pretium duxi, & parergon, quod breviter ipſe expoſuit, prolixius ducere, eo vel maxime, quod inter alia Eccleſiæ ſacramenta nullum aptius, proximiuſque, ac magis neceſſarium ad Auguſtiſſimum Euchariſtiæ donum digne ſuſcipiendum homini baptizato, & in peccatum lapſo eſt, quam pœnitentiæ Sacramentum per auricularem confeſſionem integram Sacerdoti faciendam, explendum, ſine qua, abſque ſacrilegii nota, nemo peccati conſcius communicaturus ad Altare accedere poteſt.

Ipſiſque ſuis argumentis refellitur.

Ut autem ſe errare Binghamus agnoſcat, aliique congregales ſui reſipiſcant, ſic eumdem ſuis ipſis argumentis impugnandum aggrediar. Ait ille Orig. Eccl. lib. 18. cap. 3. §. 5. certis tamen caſibus privatam confeſſionem permiſſam, & commendatam; ex quo falſo infert monitum hoc eſſe, & conſilium, non præceptum, idque probat hujuſmodi S. Auguſtini textu Tract. 58. in Joannem, Oper. Tom. IX. pag. 164. qui potius contra ipſum militat; ſcribens enim Sanctus Doctor in verba Domini apud eumdem Joan. cap. 13. 14. *ſi ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, debetis & vos alter alterius lavare pedes*, iſta & alia Apoſtoli Jacobi verba in ejus Epiſtola cap. 5. 16. ſimul ita exponit: *Numquid dicere poſſumus, quod etiam frater fratrem a delicti poterit contagione mundare? immo vero etiam nos eſſe admonitos in hujus Dominici operis altitudine noverimus, ut confeſſi invicem delicta noſtra oremus pro nobis, ſicut & Chriſtus interpellat pro nobis. Audiamus Apoſtolum Jacobum hoc ipſum evidentiſſime præcipientem, & dicentem: Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro vobis, quia ad id hoc Dominus nobis dedit exemplum; ſi enim ille, qui nullum peccatum nec habet, nec habuit, nec habebit, orat pro peccatis noſtris, quanto magis nos invicem pro peccatis noſtris orare debemus?* Hæc magnus Auguſtinus, cujus verba illa notanda ſunt: *Audi Apoſtolum Jacobum evidentiſſime præcipientem, & dicentem: confitemini* &c. Si evidentiſſime præcipit, utique non tantum monet, utique præceptum eſt, non ſimplex conſilium hujuſmodi ab eodem indicta cunctis omnium peccatorum confeſſio ex mente Auguſtini. Id clariſſime confirmatur ex alio ejuſdem S. Doctoris textu, quem idem affert Binghamus, ex Homilia 12. de 50. Tom. X. pag. 161. *In omnibus*, inquit, *ſcripturis divinis utiliter, ac ſalubriter admonemur, ut peccata noſtra debeamus jugiter, & humiliter non ſolum Deo, ſed etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri; ſic enim per Jacobum Apoſtolum nos admonet Spiritus Sanctus dicens: confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*: ſi *debemus*, utique debitum eſt, non tantum conſilium, ſi *admonemur, ut peccata noſtra debeamus confiteri non ſolum Deo, ſed etiam Sanctis, & Deum timentibus*: neque id alio fine, niſi ut ſalvemur, hæc profecto admonitio debiti perſolvendi eſt, ac proinde ex rigore juſtitiæ obligatoria, non merum conſilium, ut quiſque videt; etenim ſi debitorem alteri v. gr. centum ſcutorum quis admonear de hujuſmodi debito quamprimum ſolvendo, alias pœna mortis damnandum, diceſne Binghame illum ex hac monitione, ſeu conſilio, non teneri ad perſolvendum debitum ex ſui obligatione omnium graviſſima, ex totali juſtitiæ præcepto? Confeſſio ſacramentalis ſuorum criminum hoc loco peccatori indicitur Sacerdoti facienda uti neceſſaria ad ſalutem, ſine qua hæc conſequi non poſſit, non enim aliud important illa verba; *ut ſalvemini*.

Iiſdemque evidenter oſtenditur confeſſionis peccatorum ad aures Sacerdotis neceſſitas homini lapſo ante Communionē, non ex conſilio tantum, ſed ex præcepto.

Monitum ergo confeſſionis, a qua ſalus æterna dependet, conſilium ſimplex eſſe non poteſt, ſed verum præceptum, cum quiſque, niſi damnari velit, ex debito proprio teneatur media ad ſalutem neceſſaria, ut eam aſſequatur, ſibi comparare. Item ex illo eodem Auguſtini textu evidenter habemus confitendum *non ſolum Deo*, verum etiam Sacerdotibus; ait namque, *ſed etiam Sanctis, & Deum timentibus*: ii vero, quibus confiteri debemus peccata noſtra, ut ſalvemur, non alii profecto ſunt, quam Sacerdotes, a quibus per eorum poteſtatem dimittendi peccata illis a Domino conceſſam abſoluti ſalutem conſequi valemus. Id confirmat laudatus Africanus Eccleſiæ Doctor hom. ſeu ſerm. nunc 351. num. 9. *Quiſquis ergo* (inquit) *poſt baptiſmum . . . . . . implicatus tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt ad*

ipſas

ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, & ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam . . . . . ſalutem aliquam polliceri, nec veridico illo Dominicæ vocis tonitruo contremiſcit: non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum: Ecce quam neceſſaria ex Auguſtini mente ad obtinendam commiſſorum poſt baptiſmum peccatorum veniam Eccleſiæ clavibus ſubjectio. Deinde modum, qui ſervari debet, explicans: *veniat* (ait) *ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tamquam bonus jam incipiens eſſe filius . . . . a Præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum* &c. Præcipit hoc loco Auguſtinus ut pœnitentes animarum ſuarum Paſtoribus, qui claves habent Eccleſiæ, ſiſtant ſe ſe, atq; ab eis ſatisfactionis modum, & ſi publicam pœnitentiam pro publicis delictis mandaverit Sacerdos, non recuſent. Itaque S. Doctor ſingula peccata, cum ſuis circumſtantiis diſtincte, ac neceſſario confitenda, ſuppoſuit, ut ejuſmodi judicium de privato, vel publico ſatisfaciendi modo fieri potuiſſet. Demum cap. 10. de Pœnit. *Quem ergo*, ait, *pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per confeſſionem. In hoc enim, quod per ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis* &c. Quid clarius de confeſſione auriculari exprimi poterat? Hæc eſt Orthodoxa veterum primævæ Eccleſiæ Patrum doctrina, quam utique negare non poterunt, qui vel a limine Eccleſiaſticam antiquitatem ſalutarunt.

His omnibus reapſe ex ore ſuo ſe judicat Londinenſis Anglicanæ communionis Scriptor, qui item ibidem §. 7. idem perſequens argumentum de confeſſione ex conſilio tantum præſcripta, non ex præcepto, affert Clementis Romani, ſeu alterius ſub ejus nomine, antiquiſſimi tamen, ut ipſe ait, Scriptoris, Epiſt. 1. ad Jacobum: *Quod ſi in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, aut aliud malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, hæc confiteri ei, qui præeſt, ut ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur, quo poſſit fide integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad æternæ vitæ præmia pervenire*. Atque ita ſubdit, ſed perperam, quod Maldonatus hoc non referendum eſſe ad Confeſſionem Sacramentalem ingenue agnoſcit, cum potius contrarium arguat; & quidem Maldonatus Tom. 2. de Confeſs. cap. 2. pag. 40. (ut ipſe allegat Binghami annotator Griſchovius) ita ait „ Unus ex variis confeſſionis finibus erat, ut peccatores peterent conſilium a confeſſario, hoc eſt, quod ſcribit Clemens Epiſt. 1. Divum Petrum docuiſſe, ut peccatores exponerent Sacerdoti ſuas cogitationes malas, ut ab illo acciperent remedium „. Ubi perſpicue vides, quod

Maldonatus a Binghamo male intellectus contra ipſum defenditur.

etſi Maldonatus ejuſmodi Clementis locum ad finem etiam confeſſionis ſecundarium referat, ſcilicet ad pœnitentum conſilii petitionem a confeſſario; primarium tamen, eorumdem nempe a peccatis abſolutionem non excludit, ſed expreſſe indicat dicendo, quod unus ex variis finibus ſit, ut peccatores inſtruantur, ſupponens primarium, videlicet abſolutionem a peccatis, & pœnitentium reconciliationem cum Deo. Atque ita Maldonatum intellexiſſe nulli dubium eſſe poteſt, cum pleriſque in locis Operum ſuorum inter Theologica Tom. 2. & Comment. in Evangeliſtas, in illud Joannis cap. 11. 44. *ſolvite, & ſinite abire*, neceſſitatem ſacramenti pœnitentiæ poſt baptiſmum lapſis perſpicue aſtruat, atque hanc Catholicam veritatem contra Hæreticos eam negantes ſtrenue vindicet; quare non eſt, ut in ſui errorem aſſerendum illum perperam traducat Binghamus.

Explicatur item Clementis Romani textus a Binghamo allatus & in eumdem retunditur.

Præterea ſi penitius ipſum præfatum Clementis textum introſpicimus, nedum petitionem conſilii a confeſſario, ſed & primo neceſſitatem hujus ſacramenti pœnitentibus indictam, & eorum abſolutionem a peccatis expreſſam liquido inveniemus. *Si enim*, ait, *in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepſerit*: ecce peccata, & quidem mortalia, ſi conſenſu patrata ſunt: *non erubeſcat ei, qui animæ ſuæ curam gerit, hæc confiteri*: ecce confeſſionis neceſſitas peccatoribus ad animæ ſalutem impoſita. Si id neget Binghamus, quæro ab ipſo, an quiſque teneatur ex divino præcepto animæ ſuæ curam gerere in his, quæ ſalutis æternæ ſunt, an non? id utique, ſi chriſtianus eſt, diffiteri non audebit, hoc etenim ſacræ Litteræ paſſim præſcribunt, de cura ſcilicet propriæ animæ habenda; & quidem Matth. cap. 16. v. 26. 27. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Notum eſt illud Apoſtoli ad Timoth. I. cap. 5. 8. *Si quis autem ſuorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; quanto magis ille, qui animæ ſuæ, qua nihil ſibi propinquius, curam non habet? *Confiteri* quidem, non cuicumque, *ſed ei qui præeſt*, Sacerdoti nempe, & Rectori animæ ſuæ, nec pro conſilio tantum, id enim a quocumque alio prudenti, docto, ac diſcreto viro petere, & haberi poſſet, *ſed ut ab ipſo per verbum Dei*, ideſt primario per abſolutionem ſacramentalem, quæ per ſacras preces, & Dei verbum expletur, ſive etiam intelligas per poteſtatem ſibi, ut Sacerdoti, & Dei miniſtro, ex ejuſdem Dei verbo collatam, deinde ſecundario, & per *conſilium ſalubre curetur*. Notandum deinde eſt hoc ultimum verbum *curetur*, non enim dicit adjuvetur, aut aliud quidpiam ſimile, quod per alios non Sacerdotes expleri poſſit, ſed *curetur*, curare nempe a lepra, ab infirmitate, a peccato, Sacerdotum eſt, non aliorum, tum in veteri Teſtamento, tum etiam in novo. *Quomodo ergo* (ait Hieronymus in Matth. cap. 16. quem & refert Binghamus lib. 19. cap. 2. §. 6.) *ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit* (loquitur de eo quod dicitur in lege veteri de leproſis) *ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, vel Presbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii* (faciens) *ſed pro officio, cum peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit, ſive ſolvendus*. Nota, *cum peccatorum audierit varietates*, ex quibus judicet

abſol-

abſolvendum pœnitentem, vel dimittendum.

Neque id omne ex conſilio tantum dictum putes, nam expreſſe id Chriſtianis præcipi teſtatur S. Joannes Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio: *Qui laborant*, inquit, *Chriſtiani*, *ultro ſibi perſuadeant Sacerdotum curationi ſe ſe ſubmittere oportere*: nota *oportere*, quod neceſſitatem importat. Prædicta confirmat ſimul, & Binghamum refellit ille idem S. Baſilius, quem pro ſe, ſed fruſtra, adducit Anglicanæ communionis Scriptor, videlicet in Reg. brev. reſp. 229. *Omnino*, ait laudatus Cæſarænſis Epiſcopus, *in peccatorum revelatione, ſive enunciatione eadem ratio eſt, quæ etiam in aperitione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibuſvis temere homines aperiunt, ſed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda ſunt, teneant; eodem modo etiam peccatorum revelatio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea poſſint curare*. Clariſſimus eſt textus iſte, nec ampliori ulla indiget expoſitione, cum peccatorum revelationem fieri debere apud eos, qui ea poſſint curare, expreſſe affirmet, qui non alii profecto ſunt, niſi Sacerdotes, uti mox evidenter demonſtratum eſt. Paritatem porro hanc, & ſimilitudinem medici ſpiritualis cum corporali paſſim adhibent veteres ſancti Patres, ut ſupra vidimus ad aſtruendam confeſſionis auricularis ſacramentalis neceſſitatem; ita Tertullianus ab Emin. Authore allatus, ita Pacianus paulo ante laudatus, Tertulliani exſcriptor, Origenes hom. 2. in Pſal. 37. atque hom. 2. in Levit. & præter jam memoratos Ambroſius de Pœnit. lib. 2. cap. 2. ac Chryſoſtomus hom. 3. ad Pop. Antioch. aliique.

Eadem ratio in aperitione vitiorum corporis Medico, ac vitiorum animæ Sacerdoti, ſeu Medico ſpirituali.

Hinc quemadmodum infirmus medico non detegens infirmitatem ſuam, nec medicinam ab eo præſcriptam ſumens ſanari ex ſe ipſo in corpore non valet, ita peccator ex Patrum ſenſu non revelans, & Sacerdoti, ſeu ſpirituali Medico, ſi adſit, & poteſt, animæ ſuæ infirmitatem, ac peccata humiliter confiteri detrectans, nec pœnitentiam ab ipſo impoſitam complens, ex ſe ipſo ſalutem conſequi non valebit; quare ſi neceſſaria ſunt neceſſitate medii, ſine quo non, Medicus, & medicina infirmo corporali, eadem conſimili neceſſitate neceſſaria erunt infirmo ſpirituali & peccatorum confeſſio Sacerdoti facienda, & eorum pœnitentia adimplenda; idque non alia ratione evincitur, niſi quod cum teneamur ex præcepto divino nos ipſos in Domino, ſicut & proximum diligere, eodem etiam præcepto tenemur ad ea, quæ hujuſmodi dilectionem operentur: ſicque cum homo conſtet ex anima & corpore, & anima, utpote quæ ſpiritus, & immortalis, plus ſit quam corpus, ſi corpus ſuum quiſque tenetur ex Dei charitate diligere juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. 29. *viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua .... nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis ejus*: potiori utique jure animam ſuam diligere quivis Chriſtianus tenetur ex Dei præcepto, ſicuti Chriſtus nutrit & fovet Eccleſiam, non malitiam; fovet juſtitiam, non impietatem, naturam, non iniquitatem; ita ejus exemplo quiſque tenetur animam ſuam cuſtodire, non intus malitiam nutrire, & peccata fovere, ſed ea Medico ſpirituali, ſcilicet Sacerdoti humiliter confiteri. Quod autem id omnino fieri debeat, non cuicumque, ſed eidem Sacerdoti, neque ob conſilium tantum, ſed ex præcepto, & neceſſitate idem Baſilius ſupra citatus clariſſime exprimit regula antecedente reſp. 228. *neceſſario*, inquit, *iis peccata aperiri debent*, *quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei*: hi autem quinam erunt, niſi Sacerdotes, quibus, & non aliis, uti Miniſtris Chriſti credita eſt dicta myſteriorum Dei diſpenſatio? Expreſſe idem docet item ſupra laudatus Auguſtinus lib. de Pœnit. cap. 10. *quem ergo pœnitet ...... repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per confeſſionem*.

Hinc ſicut infirmus non detegens medico infirmitatem ſuam ſanari non poteſt, ita & peccator non revelans peccata Sacerdoti cum poſſit, ex ſe ſalutem animæ conſequi non valebit, niſi dolent, ſaltem cum abſit Sacerdos, ejuſdem confeſſionis votum habeat.

Vertant ſe itaque & invertant quocumque velint, Binghamus, eique ſimiles hujus Catholicæ veritatis refractarii, nullo pacto confeſſionis auricularis neceſſitatem ex unanimi Patrum conſenſu aſſertam eludere poterunt. Et ſane ſi Deo tantum confiteri ſufficit, ut fruſtra garriunt Novatores iſti, ut quid olim tantæ cum Montaniſtis, & Novatianis contentiones de venia gravioribus peccatis concedenda, de pœnitentia ſine ſpe veniæ, & abſolutionis non imponenda? Ut quid tanti tumultus lapſorum cum S. Cypriano & Clero Romano de abſolutione ipſis ſine pœnitentiæ actione impertienda, de libellis martyrum, quorum intuitu peccatorum abſolutio, & perfecta communio accelerabatur? Ut quid variæ pœnitentium claſſes, fletus, auditionis, ſubſtrationis, & conſiſtentiæ, de quibus plura dicta ſunt ad lib. 1. cap. 17. circa fin. Tom. 1. Ut quid tot Canones pœnitentiales Nicæni, Ancyrani, Baſiliani, aliique innumeri? Nonne id plane, ac perſpicue evincunt veteres fideles omnes, majores noſtros uti neceſſariam agnoviſſe peccatoribus pœnitentiam, & delictorum confeſſionem, ut ſalutem conſequerentur æternam? At dicent id omne proceſſiſſe de peccatis publicis, non privatis; verum quis neget quod ſi pro publicis publicam confeſſionem egerint, ac pœnitentiam; de privatis & occultis, eamdem item, privatamque non fecerint? Sacramentalem ſcilicet ad aures Sacerdotis, cum, ut optime ad evidentiam evincit Pamelius in librum Cypriani de lapſis num. 98. & 99. publica etiam pœnitentia de peccatis publicis conjunctam ſemper privatam ſive Epiſcopo, ſive Presbytero factam confeſſionem abuerit? Huic deniq; eludendæ Orthodoxæ veritati nullum profecto ſubterfugium inimicis noſtris, & Sacroſ. Rom. Eccl. hoſtibus adeſſe poterit, cum præter tot allata hucuſq; veterum Patrum, aliorumque monumentorum teſtimonia, vel ipſe Proteſtantium primas, & Pſeudoreformator Lutherus, quem ex iiſdem nonnulli, inter quos Jo. Jacobus Hottingerus Calvinianus Tiguri Miniſter in vindicata ſua ſeculari diſſertatione de neceſſaria, ut ait, majorum ab Eccleſia Romana ſeceſſione, Spiritus Sancti teſtem, appellant, invitus licet, confeſſionem peccatorum prout in Eccleſia fiebat, approbare compulſus fuerit lib. de Captiv. Baby-

Hæc veritas Orthodoxa neceſſariæ lapſis ſacramentalis confeſſionis ante communionem ulterius veterum monumentis confirmatur.

lonica

lonica cap. de Pœnit. ſic dicens: *occulta confeſſio . . . . . . miro modo tamen placet, & utilis, immo neceſſaria eſt, nec vellem eam non eſſe, immo gaudeo, eam eſſe in Eccleſia Chriſti, cum ſit ipſa afflictis conſcientiis unicum remedium*: hæc ille. Si vero reſpondeatur Lutherum poſtea lib. contra Latomum, & alibi occultam hanc peccatorum confeſſionem ad aures Sacerdotis faciendam damnare, utpote quam in aſſertione noni articuli inter damnatos a Leone X. Papa appellat *cruentiſſimam carnificinam*; ex hoc diſcent omnes, qui vero Dei Spiritu aguntur, quam parum ſibi conſtans, & qualis pſeudo-evangelicæ communionis, ac miniſterii Patriarcharum in fidei dogmatibus ſpiritus fuerit, ſpiritus nimirum contradictionis, ſpiritus mendacii, & vertiginis, quo acti *errare fecerunt populos in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens*, uti apud Iſaiam Prophetam legitur cap. 19. v. 14.

Lutherus ipſe invitus confeſſionem occultam utilem, immo neceſſariam admittit.

Sed hos erraticos Nebulones novorum dogmatum contra Catholicam fidem, & communem Eccleſiæ ſenſum proditores plane confundent nationes omnes quotquot Chriſtiana profeſſione cenſentur, quæ unanimi voce dictam auricularem peccatorum confeſſionem homini lapſo ex neceſſitate Sacerdoti faciendam eſſe proclamant. Jam veteres Latinos Patres præcipuos, Græcoſque nonnullos audivimus; hodiernam nunc Orientalem Eccleſiam audiamus. Hæc ejuſmodi divini inſtituti ac præcepti adhuc etiam fidelis cuſtos, & teſtis eſt, uti colligitur ex Simeonis Theſſalonicenſis libro de Sacramentis, ex Opuſculis Gabrielis Metropolitæ Philadelphienſis, necnon ex Synodis poſterioribus habitis adverſus Apoſtatam Cyrillum Lucarim. Servantur etiamnum apud Græcos Pœnitentiale Joannis II. Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem floruiſſe ferunt circa ætatem Gregorii Magni, Nomocanon editus a Joanne, eodem fortaſſe ac Neſteute, ſeu Jejunatore dicto, qui & eo tempore floruit, plureſque Enchologiorum Codices Sacramentalis confeſſionis formam tradentes. Neque in hujus rei teſtimonium duntaxat appello Arcudium de Pœnitentia cap. 2. aut Allatium de conſenſ. Eccl. Orient. & Occid. lib. 3. cap. 9. num. 1. aut Morinum de Sacram. Pœnit. lib. 4. cap. 18. ſed unumquemque voco, cui animus ſubiit peragrandi, luſtrandique Græcorum oras, adeundi templa, clerum, viros, & fœminas conſulendi. Is profecto dicet Græcorum Presbyteros non raro confeſſione purgari, ſedere autem ad confeſſionalem cathedram quotidie excipientes Laicorum exomologeſes; atque ex his neminem ad ſacram Synaxim inconfeſſum accedere exploratiſſimum eſt, omniumque uniformi conſenſu firmatum. Latina itaque Eccleſia retinens, ac præcipiens confeſſionem ſacramentalem, tum propria authoritate, tum etiam Eccleſiæ Orientalis calculo, & plenaria comprobatione munitur.

Græci, aliique Orientis incolæ hujus Pœnitentialis obſervantiæ teſtes.

Neque tantum Græci, ſed & aliæ Orientis nationes idem Catholicæ fidei præceptum obſervandum affirmant. Et quidem Armenii, tametſi pluribus erroribus infecti, quos damnat Can. 32. 33. 56. & 59. Trullana Synodus, nullibi tamen hujus dogmatis violationis inſimulantur, de quo cæteroquin dogmate ipſum Concilium diſerte egit, canone videlicet 2. ac 100. Copti pariter, ac Æthiopes ad aures Sacerdotis peccata ſua confiteri ex eorum teſtimoniis ita compertum eſt, ut nihil exploratius eſſe poſſit, quidquid in contrarium ſcribat Jo. Mich. Vanſlebius Hiſt. Eccl. Alexandr. parte 3. cap. 9. quem tamen redarguit, confutatque Clar. Jo. Bapt. Sollerius Prælim. ad Tom. 5. Act. SS. Junii pag. 145. cui addenda celebris fidei confeſſio, quam Romæ edidit Babyloniorum Patriarcha Hebedjeſu doctrinæ Apoſtolicæ concordiſſima, de qua Thuanus lib. 16. Hiſtor. & Genebrardus ad an. 1566. Quoad Syros Neſtorianos, & Indos pleniſſimam fidem faciunt Sulaka, & Joſephus II. eorum Patriarchæ apud Cl. Joſephum Sim. Aſſemanum Biblioth. Orient. Tom. 3. parte 2. pag. 288. ubi Joſephus inter cætera hæc ait in Speculo ſect. ult. *Dicimus apud omnes Chriſtianos, tum Orthodoxos, tum Hæreticos peccatorum confeſſionem reperiri.* & poſt nonnulla ſic exprimit: *Chriſtus enim Sacerdotibus ait: quodcumque ligaveritis ſuper terram &c. Ex his porro intelligitur, Sacerdotum judicium ſuper terram Chriſti judicio præire, quoniam non dixit: quodcumque ligavero in cœlis, vos ligatote ſuper terram, & quodcumque ſolvero, ſolvitote, ſed contra: quod ligaveritis, ligabo, & quod ſolveritis, ſolvam. Ex his ergo manifeſtum fit, eum quem Sacerdos a vinculis peccatorum nequaquam abſolverit, nullatenus a Chriſto abſolvendum, ſed in æternum ligatum manſurum.* Deinde poſt pauca declamans contra eos, qui hoc Pœnitentiæ Sacramentum non obſervant, *præterea quomodo*, inquit, *dicitis pœnitentiam unum eſſe ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, & confitemini Eccleſiam veſtram eſſe Orthodoxam, cum in illa hæc ſeptem Sacramenta non perficiantur? Equidem omnis Eccleſia, in qua iſta ſeptem Sacramenta non perficiuntur, Eccleſia non eſt, ſed taberna.* Hæc Joſephus.

Inter quos Armeni, Copti, Æthiopes, &c.

Sed & item præſtat referre, quæ de hoc Pœnitentiæ Sacramento ait Hebedjeſu Sobenſis Metropolita, qui multo ante dictum Neſtorianorum Patriarcham vixit, in libro Margaritæ Parte 4. cap. 7. apud eumdem Aſſemanum loco citato pag. 286. ubi poſt nonnulla de hujus Sacramenti in lapſis neceſſitate ita concludit: *Quo circa debent fideles, cum pro humanæ naturæ infirmitate, quæ omnia recte perficere nequit, in aliquos errores prolapſi fuerint, ad Chriſtianæ curationis domum venire, atque ſpiritualibus medicis ægritudines ſuas oſtendere, ut abſolutionibus, & pœnitentialibus Canonibus ſpiritus ſanitatem lucrentur, atque ad Dominicam cœnam cum puritate accedant juxta oraculum magni Doctoris* (S. Ephrem Syri) *Pharmacum pœnitentiæ Dominus noſter tradidit ſapientibus Medicis, qui ſunt Eccleſiæ Sacerdotes. Quicumque ergo* &c. Ex his hactenus allatis plane conſtat confeſſionis neceſſitatem, & uſum agnoſcere Eccleſias omnes, Latinorum, Græcorum, Armeniorum, Æthiopum, & (quod dictum volo ad Novantium exprobrationem) ipſorum Neſtorianorum, aliorumque Hæreticorum quamplures, uti Illuſtr. Jac. Ben. Boſſuetus apprime demonſtrat Hiſtor.

variat. Eccl. lib. 3. num. 46. & lib. 7. num. 37. ac lib. 11. num. 110. & 165. Videant itaque, & confundantur errantes Occidentis populi, quoniam eorum Eccleſia, ut ajunt, reformata, in qua *ſeptem Sacramenta* a Chriſto inſtituta *non perſiciuntur*;, hoc præcipue pœnitentiæ, ſeu confeſſionis auricularis apud Sacerdotem faciendæ, eorum, inquam, Eccleſia quantum facta ſit vilis, dum ut Joſephus Indus mox denotatus affirmat, quia hæc Sacramenta non agnoſcit, vere *Eccleſia non eſt, ſed taberna*.

§. II.

Apologiæ, Preces præparatoriæ, & Pſalmi.

PRæter Apologias erant aliæ orationes præparatoriæ, quas Georgius
Pachymeres mox citandus *proteleſticas* vocat, quod ante Teleten,
ſeu Sacrificium dicerentur. Hujuſmodi eſt celeberrima illa S. Ambroſii
a celebri Scriptore (1) contra fidem veterum Codicum Anſelmo Can- (1)
tuarienſi adſcripta, quæ incipit, *Summe Sacerdos, & vere Pontifex*. In
Miſſa veteri ex codice Ratoldi Abbatis apud Menardum *pag.* 259. hæc
initio leguntur. *Antequam Epiſcopus Miſſam celebret, ingrediatur quoddam
Oratorium, & ſecundum cordis compunctionem ſe ipſum libamine orationis
Deo offerat*. Tum mandat dici hanc orationem, quam priſca Monachorum
Ritualia recitari in ingreſſu Eccleſiæ præcipiunt poſt diei Dominicæ
proceſſionem. *Via Sanctorum omnium Jeſu Chriſte, qui ad te venientibus
claritatis gaudium contuliſti, introitum templi iſtius Spiritus Sancti luce perfunde,
qui locum iſtum Sanctorum tuorum Martyrum nomine, vel ſanguine
conſecraſti: præſta quæſumus omnipotens Deus, ut omnes iſti in te credentes
obtineant veniam pro delictis, ab omnibus liberentur anguſtiis, impetrent
quicquid petierint pro neceſſitatibus ſuis, placere ſemper prævaleant
coram oculis tuis, quatenus per te, & per S. Petrum militem tuum muniti
(2) mereamur aulam Paradiſi introire. Amen.* (2)

Preces præparatoriæ apud antiquos prolixæ.

Preces vero præparatorias, eaſque prolixas ſemper in uſu fuiſſe,
crebris Sanctorum exemplis docemur, qui tandiu in oratione perſeverabant,
donec gratia Spiritus Sancti mirabiliter imbuti, ejus virtute & impulſu
ad celebrandum excitarentur. De ſumma enim puritate, quæ ad
tantum miniſterium requiritur, longe aliter ac nos ſentiebant. Narrat
Dionyſius *Epiſt.* 8. *ad Demophilum*, Sanctum Carpum virum ob mentis
puritatem ad Dei contemplationem aptiſſimum, nunquam ſacros myſteriorum
ritus auſpicatum fuiſſe, niſi prius ipſi inter præparatorias orationes
ſacra quædam, & propitia viſio apparuiſſet. Idem refert Joannes Moſchus
in Prato ſpirituali *cap.* 27. de quodam Presbytero, qui poſt nocturnos
hymnos ſedens prope ſanctum Altare Miſſarum ſolemnia non incipiebat,
quouſque vidiſſet Spiritum Sanctum Altare obumbrantem. Sic
eodem referente *cap.* 150. quidam Epiſcopus coram S. Agapeto Pontifice
celebrans tempore oblationis diu perſtitit non concludens orationem,
quia juxta conſuetudinem Spiritus Sancti deſcenſum non vidit (3). Et (3)
hic quidem quorumdam Sanctorum mos fuit, omnibus autem Sacerdotibus
indiſcriminatim. S. Bonaventura *lib. de præpar. ad Miſſam cap.* 5. ſic
loquitur: *Proba te ipſum ex quanta charitate, & quali fervore accedis.
Non ſolum enim mortalia vitanda ſunt, ſed etiam venialia peccata per negligentiam,
& otium multiplicata, & etiam per inconſiderationem ac per diſtractionem
diſſolutæ vitæ, & malæ conſuetudinis, licet non occidant animam,
tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indiſpoſitum,
& ineptum ad celebrandum, niſi dicti pulveres & ſtipulæ venialium per
afflatum ſpiritus & flammam charitatis ventilentur, & conſumantur exardeſcente
igne cordis, & ex conſideratione propriæ vilitatis*. Uſus quoque

quo-

quorumdam Pſalmorum ante Miſſam antiquus eſt. Vetus Miſſa ab Illyrico edita antequam Sacerdos ſacris veſtibus induatur, dici mandat, ſi tempus permiſerit, flexis genibus coram Altari ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litania, & aliis prolixis Precibus, poſt quas ſequuntur alii ſeptem Pſalmi, nempe *Quam dilecta*. *Benedixiſti*. *Inclina Domine*. *Fundamenta ejus*. *Domine Deus ſalutis meæ*. *Credidi propter quod*. *Memento Domine David*. Codex Chiſius tres trantum Pſalmos a Sacerdote ſacris veſtibus induto cum circumſtantibus Clericis dicendos præſcribit, videlicet *Quam dilecta*. *Benedixiſti*. *Inclina Domine*. Iidem præſcribuntur in Codice Tiliano apud Menardum *pag.* 266. Miſſale Hiſpalenſe editum anno 1534. jubet dici ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, vel *Quam dilecta* cum reliquis, qui hodie notantur in Miſſali Romano, & leguntur in pleriſque Miſſalibus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ. Micrologus cap. 1. *Presbyter*, *cum ſe parat ad Miſſam*, *juxta* Romanam conſuetudinem decantat hos Pſalmos, *Quam dilecta*. *Benedixiſti*. *Inclina Domine*. *Credidi*. Deinde *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, cum precibus, & oratione pro peccatis. Quidam præmittunt hymnum *Veni creator Spiritus*. Cæterum de his Pſalmis nec Ordo Romanus in prima, tertia, & quarta deſcriptione Miſſæ, nec Amalarius, nec Alcuinus loquuntur, ex quorum ſilentio conjicio circa annum Domini 900. ante Miſſas ſolemnes recitari cœpiſſe. Pſalmos autem Pœnitentiales cum Litania idem Ordo Romanus in ſecunda deſcriptione Miſſæ commemorat dicens: *Duo Presbyteri cum ſeptem Diaconis coram Epiſcopo ſtantes miniſtrent ei*, *cantantes cum illo ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litania* (4). (4)

Oratio præparatoria ad Miſſam, quæ incip. Summe Sacerdos &c. S. Ambroſio potius tribuenda, quam S. Anſelmo Cantuarienſi.

(1) *A Celebri Scriptore &c.*) Is eſt Theoph. Raynaudus Soc. Jeſu, qui S. Anſelmi Opera, eaque bene multa ex Vaticana Bibliotheca, aliiſque luce donavit; ibi inter Divi Anſelmi Alloquia cæleſtia num. L. hanc Apologiam eidem ſancto Doctori, non Ambroſio tribuendam judicat pag. 244. cui judicio ſubſcribit D. Gabriel Gerberon Mon. Congr. S. Mauri, Ord. S. Ben. in noviſſima editione Operum S. Anſelmi, ibique inter ejuſdem Orationes dictam Apologiam collocat ordine xxix., & quidem ex fide, inquit, MSS. Codicum; eam enim in pluribus non ignobilioris notæ codicibus inter alias ſancti hujuſce Doctoris orationes ſe perlegiſſe teſtatur. Videſis ejuſdem Cenſuram dictis operibus præfixam. Item PP. Benedictini Operum S. Ambroſii Editores hanc precationem uti eidem ſancto abjudicatam inter illius Opera ſuppoſititia rejiciunt Tom. 2. Appendicis pag. 490. Cæterum hanc in omnibus Ambroſianis editionibus reperiri teſtantur, ſed ſcripta ejus exemplaria perquam rara eſſe affirmant, & inventu difficilia, quod argumentum eſt haud mediocre, illos, a quibus eadem inter Ambroſii opera primum edita eſt, non frequentium exemplarium authoritate niti potuiſſe. Quare non mirum ſi non paucis Ambroſio viſa ſit digna, cum & ejus ſtylus ſit ab Ambroſiano paulum diverſus, & in ea citati ex antiquo Fædere loci nonnulli cum LXX. verſione non congruere deprehenduntur. Quibus motus Emin. Author potuit utique illam S. Ambroſio, non autem Anſelmo tribuere. & cum aliis doctiſſimis viris hac in parte opinari. Nec deſunt, qui prædictam orationem S. Auguſtino tribuant, uti fatetur Raynaudus loco citato, & videre eſt in nonnullis antiquis Miſſalibus apud Martene Tom. 1. pag. 606. De hac etiam oratione vide Tillemontii notas in Ambroſium nota 64. Hiſt. Eccl. Tom. 10. pag. 366.

(2) *Per S. Petrum militem tuum muniti.*) In pleriſque antiquis Miſſalibus libris, Ritualibus, Proceſſionalibus, aliiſque hujuſmodi Eccleſiaſticis Codicibus, quos indicat Petrus Le-Brun Cærem. Miſſæ Tom. 1. pag. 92. ſic legitur: *quatenus per te omnium ſanctorum tuorum interceſſionibus muniti* &c. Alibi etiam ita legitur: *quatenus Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ*, *& illorum interceſſionibus muniti* &c. Varias porro Apologiarum hujuſmodi ſeu Confeſſionum formulas ex vetuſtis Liturgicis monumentis depromptas exhibent Eruditorum plures, qui de antiquis Eccleſiæ Ritibus ſcripſerunt, inter quos Mabillonius de Liturg. Gallicana lib. 3. num. 37. ex Miſſali Gothico, Edm. Martene Tom. 1. & 2. Eccl. Rit. in Indic. rerum, verborum pleriſque locis, aliique.

(3) *Deſcenſum non vidit.*) De Sancto Caſſio Narnienſi Epiſcopo narrat S. Gregorius hom. 37. in Evang. *quod Miſſam quotidie celebrabat*, *& qui oblaturus ſacrificium ad horam tertiam venerat*, *hoc pro extenſæ orationis magnitudine ad horam nonam uſque protelavit*.

(4) *Pſalmos Pœnitentiales cum Litania.*) Juxta numerum ſeptem petitionum orationis Dominicæ ad ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti obtinendam. Ad dictam vero ſecundam Ordinis Romani deſcriptionem Edmundus Mar-

Quot Pſalmi ante Miſſam olim & nunc recitati.

Martene, qui ex Cardinali noſtro deſumpſit ea quæ profert de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 1. num. 7. ſubdit: Pontificale MSS. Prudentii Trecenſis Epiſcopi, & Miſſale Ambroſianum (vetus utique, nam recens juſſu Card. Federici Borromæi editum, quinque Pſalmos, uti & Romanum, habet) unicum præſcribunt Pſalmum *Miſerere*. In pleriſque etiam Miſſalibus omnino deſiderantur; ex quo apparet hoſce Pſalmos ex devotione potius celebrantium, quam ex obligatione fuiſſe recitatos; idque etiam conſtat ex illis verbis: *pro temporis opportunitate*, quæ leguntur in Miſſali ante prædictos Pſalmos, & hoc eſſe commune apud Doctores refert Alloz in Alphab. Moral. verbo *Miſſa* ſect. 3. num. 36. Porro Pſalmi quinque ideo præſcribuntur recitandi in Miſſali Romano, ut quidquid per quinque ſenſus deliquit Sacerdos, quinque Pſalmorum oratione purgetur, ex Innoc. III. de Miſſa lib. 1. cap. 47.

§. III.

Reconciliatio, & pax cum omnibus. Puritas animi.

Spectat etiam ad animæ puritatem comparandam, ut Sacerdos, quantum eſt in ſe, pacem cum omnibus habeat, nec ulla ſit ei querela adverſus aliquem. Ita Chryſoſtomus initio ſuæ Liturgiæ, & Pontificale Græcorum in principio ordinis Liturgiæ Patriarchalis (1). Hoc autem (1) Domini præceptum eſt: *ſi offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Ita Matthæi cap. 5. Cum enim ſacrificium ſymbolum pacis ſit, & mutuæ unionis profeſſio ac proteſtatio, neceſſaria prorſus eſt ante ſacram Synaxim cum fratribus reconciliatio, ne ſacramentum unionis, & pacis ſine pace, & unione recipientes, mendaces coram eo inveniamur, qui eſt Deus pacis, & dilectionis. Præclare Tertullianus lib. de Oratione cap. 10. *Memoria præceptorum viam orationibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt, ne prius aſcendamus ad Dei Altare, quam ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid eſt enim ad pacem Dei recedere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem?* Habemus de hac re veterem formulam lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 54., qua Diaconus clamabat, *ne quis contra aliquem, ne quis in ſimulatione*. Sequitur apud Chryſoſtomum loco cit. expurgatio cordis a pravis cogitationibus, ut nimirum, ſicut ait Auguſtinus tract. 26. in Joannem, *innocentiam apportemus ad Altare*. Scribit Dionyſius *cap. 3. Eccl. Hierarch.* a divina Sacrificii excelſitate olim ſubmotos, non eos dumtaxat, qui a chriſtianæ vitæ ſanctitate deſciverant, ſed & eos, qui a deteriore quidem vita receſſerant, nondum vero animos a priſtinæ impuritatis phantaſmatis ſatis expurgaverant. *Ideo his demum tam auguſta patere myſteria, qui ad divini, ac deiſici habitus immobilitatem, vimque actuoſam pervenere, qui ſoli Deo unice adhæreant, quique omnino irreprehenſibiles ſint, atque immaculati*. Suffragatur Chryſoſtomus hom. 17. in Ep. ad Hæb. *Vox illa*, ait, *in noſtras aures incurrens alios quidem repellit, & ejicit, alios autem introducit, & ſiſtit. Nam quando dicit* SANCTA SANCTIS, *hoc dicit: ſi quis non eſt Sanctus, non accedat* (2). *Non ſolum inquit a peccatis purus, ſed etiam ſanctus* (2)*. Sanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum abundantia. Non ſolum, inquit, volo vos a cœno eſſe liberatos, ſed albos eſſe & ſpecioſos.*

(1) *Ordinis Liturgiæ Patriarchalis*) In Ambone, ut ait Goar in Euchologio, & notis ad Miſſam Chryſoſtomi, dicuntur a Diacono Pacifica; ubi vero deeſt Ambon, in Eccleſiæ gremio; eæ autem ſunt preces, quæ & pacem poſtulant, & in pacem fieri debe-

re

re prædicantur, ſcilicet *in pace Dominum precemur &c. pro pace totius mundi, & pro omnium concordia &c.*

Quam neceſſaria animæ puritas ad cõmunicandum, ſancti Patres teſtantur.

(2) *Si quis non eſt Sanctus, non accedat*) Digna ſunt exſcribi, quæ ad hæc ab Eminentiſſimo Authore ex Chryſoſtomo allata idem magnus Orientalis Eccleſiæ Doctor ſubdit: *Si enim*, inquit, *Rex Babylonius ex captivitate eligens juvenes honeſtos forma, & decoros facie elegit, multo amplius & nos adſtantes menſæ regali, honeſtos ſpecie animæ oportet, ornamentum habentes aureum, ſtolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formoſum, oportet eam ornatu aureo circumdatam eſſe, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem.* Chryſoſtomo conſonant Patres reliqui, inter quos antiquiſſimus Origenes hom. 13. in Leviticum in fine, ubi expendens illud ejuſdem libri cap. 6. 26. *Sacerdos qui offert, comedet eam* (hoſtiam pro peccato) *in loco ſancto*, ſic diſſerit: *locum autem ſanctum ego in terris non requiro, ſed in corde, locus enim ſanctus dicitur rationalis anima.* Et poſt nonnulla: *Locus ergo ſanctus*, ait, *anima eſt pura, in quo loco edere nobis mandatur cibum verbi Dei; neque enim convenit ut ſancta verba anima non ſancta ſuſcipiat, ſed cum purificaverit ſe ab omni inquinamento carnis, & morum, tunc locus ſanctus effecta capiat panem illum, qui de cœlo deſcendit.* Item poſt pauca: *Unde ſimili modo etiam tibi lex iſta proponitur, ut cum acceperis panem myſticum in loco mundo manduces eum, hoc eſt ne anima contaminata, & peccatis polluta Dominici Corporis ſacramenta percipias.* S. Baſilius ſerm. 1. de Baptiſmo ſub finem graviſſime damnans acceſſum ad ſacram Euchariſtiam abſque debita cordis puritate, ſic ait: *Oportet igitur accedentem ad Corpus, & ſanguinem Domini ad rememorationem ejus, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, non ſolum purum eſſe a quovis inquinamento carnis, ac ſpiritus, ne ad judicium edat & bibat, ſed & evidenter oſtendere, ac exprimere memoriam ejus, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, in eo quod & mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibi ipſi, & Deo vivit in Chriſto Jeſu.* Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 50. Chryſoſtomi ſententiam confirmans, hæc inter cætera inquit: *Idcirco & accedentibus ad benedictionem myſticam, Miniſtri magna voce clamant:* Sancta Sanctis, *ſolis ſanctificatis ſpiritu tactum, & ſanctificationem Corporis Chriſti congruere ſignificantes.* Suffragantur cæteri Patres, apud quos ſolemne eſt aſſertum, quod is, qui indigne communicat, Judam imitetur; atque ut reliquos taceam, Theodoretus in illud 1. ad Corinth. 11. *Illud*, inquit, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, *hoc ſignificat, quod quemadmodum tradidit ipſum Judas, & eum probris, ac conviciis affecerunt Judæi, ita eum ignominia, & dedecore afficiunt qui ſanctiſſimum ejus Corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum, inceſtumque os immittunt.* Hæc pro neceſſaria animi puritate ad communicandum requiſita Sancti Patres affirmant. Quare quam id juſtum, rationabile, & conveniens ſit, videat quiſque fidelis, & legat Concilium Tridentinum ſeſſ. XIII. cap. 7., & 8., ubi hanc neceſſitatem interioris munditiæ ex Patrum traditione derivat.

§ IV.

Olim in uſu erat noctis antecedentis Pervigilium. Jejunium neceſſarium, & carnis munditia.

OLim quoque in uſu erat apud Græcos totius noctis antecedentis pervigilium (1), cum poſtera die ſacrum myſterium celebrandum fo- (1)
ret, quod non ſolum a Sacerdotibus, ſed etiam a populo ſervabatur. Teſtatur Socrates *lib. 2. Hiſt. Eccl. cap.* 8., ubi referens Athanaſii fugam ait, *Veſpera quidem erat, populus autem per totam noctem vigilabat, quia ſynaxis futura erat.* Et Georgius Pachymeres a Petro Poſſino magno rei literariæ bono noviſſime editus ex Cod. M. S. Bibliothecæ Barberinæ lib. 1. hiſt. Michaelis Palæologi cap. 11. *A veſpera*, inquit, *nocturnæ decantatæ ſunt preces, poſtera quippe die ſacrum facere Præſul decreverat.* Nec aliena fuit ab hoc inſtituto Romana Eccleſia, nuſquam enim legimus vel in Ordine Romano, vel in libris Sacramentorum Miſſarum ſolemnia peracta fuiſſe, niſi prius in Eccleſia vigiliæ nocturnæ cum laudibus perſolutæ eſſent, quem ritum etiam nunc ſervandum eſſe docent Regulæ Miſſali Romano præfixæ, quibus horam celebrandi determinant (2). (2)

Hæc de animæ diſpoſitionibus. Ad corpus pertinent jejunium, & munditia. De jejunio, quod Celebrans ſervare debet a media nocte antecedente, dictum eſt ſupra Cap. XXI. lib. I. Munditia eſt duplex, in ipſo

cor-

corpore, & in veſtimentis. Prima in caſtitate conſiſtit, quæ quantopere ſit neceſſaria Sacerdoti, paſſim docent Sancti Patres, & alii doctiſſimi Scriptores, qui de ſacrorum hominum continentia integros tractatus ediderunt. An vero nocturna illuſio ſine culpa eveniens ſequentis diei celebrationem impediat, quæſtio anceps eſt, in cujus ſolutione diſſident ab antiquis recentiores, ſed nec illi quidem inter ſe conveniunt. Auguſtinus ſerm. 244. de Temp. *Poſt pollutionem*, inquit, *quæ nobis nolentibus fieri ſolet, nobis communicare non licet; niſi prius præcedat compunctio, & eleemoſyna; & ſi infirmitas non prohibet, etiam jejunium*. Simili rigore utuntur veteres libri Pœnitentiales. Antiqua vero Ciſtercienſium, & aliorum Monachorum ſtatuta ea ſorde fœdatos, non ſolum a celebratione, ſed ab omni quoque Altaris miniſterio arcebant. Alii arbitrio Patris ſpiritualis, vel propriæ cujuſque conſcientiæ dictamini rem decernendam dimittunt. Mihi regula ſervanda videtur a Gregorio Magno præſcripta *lib. 12. epiſt. 31.* (3) in reſponſione ad XI. interrogationem [3]
Auguſtini Epiſcopi Anglorum, quam Gratianus Decreto inſeruit *diſtinct. 6. cap. 1.* ut nimirum quiſque conſideret, ex qua radice inquinatio illa proceſſerit. Longior illa eſt, quam ut debeat hic tota tranſcribi, & utilius legi poterit apud Gregorium. Facit etiam ad hoc argumentum collatio XXII. Caſſiani de nocturnis illuſionibus, quæ eſt ſecunda Abbatis Theonæ (4). (4)

Vigiliarum uſus in Eccleſia antiquiſſimus, qui & ad ſæculum XV perduravit.

(1) *Noctis antecedentis Pervigilium*) Uſum hunc Vigilias celebrandi, cum poſtera die ſacrum eſſet peragendum myſterium, antiquiſſimum eſſe, & longo tempore in Eccleſia perduraſſe, videlicet quo Clerus omnis cum populo in pſalmis, & orationibus excubabat, ſatis ſuperque oſtendunt antiqui Patres tum Latini, tum Græci, & ex iis Card. Baronius in Annal. ad an. Chriſti 51. num. 70. & ſeqq., item ad ann. 590. circa fin., & in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 5. Januarii, ac noſter Eminentiſſimus Author in Tract. de Div. Pſalm. cap. 4. §. 3. Laudabilem ipſum Vigiliarum uſum diu ſervavit Eccleſia uſque ad ſæculum XIII., uti conſtat in Gallia ex Concilio Copriniacenſi an. 1260. celebrato can. 1., & Synodo apud Pontem Audomari can. 10. in Anglia ex Concilio Oxonienſi celebrato ſub Honorio Papa III. anno Domini 1222., ubi cap. 8. deſignantur Vigiliæ ad vigilandum ſtatutæ. In Hiſpania ex Concilio Palentino an. 1322.. In Germania ex Concilio Budenſi an. 1279. can. 44.. Sed & uſque ad ſæculum XV. perduraſſe has ſacras excubias pluribus exemplis luculenter oſtendit Edmundus Martene Tract. de antiqua Eccl. Diſciplina cap. 7., præſertim in aliquibus præcipuis Cathedralibus Eccleſiis. Quin & uſque ad ſæc. XVI. nondum plene ſublatas eaſdem conjicio ex Synodo Aquilejæ celebrata an. 1596. ſub Clemente Papa VIII. ubi can. 17. ſancitum eſt: *Statuimus etiam ritum agendi Vigilias, ſeu in Eccleſiis pernoctandi omnino tollendum eſſe, ac modis omnibus ab Epiſcopis delendum*. Hinc Card. Bellarminus in Controv. tom. 2. de cultu Sanct. lib. 3. cap. ult. *Cæterum* (ait) *quoniam paullatim occaſione nocturnarum Vigiliarum abuſus quidam irrepere cœperant, vel potius flagitia non raro committi: placuit Eccleſiæ nocturnos conventus, & Vigilias proprie dictas intermittere, ac ſolum in iiſdem diebus celebrare jejunia*. Inde & exorta, ac pervulgata eſt quorumdam opinio aſſerentium Vigiles hos conventus populi pernoctantis in Templo a S. Ambroſio perſuaſione S. Monicæ, eo quod plures perditi homines deſtinatas piis canticis noctes profanis ludis, choreiſque tererent, eliminatos fuiſſe, eaque ex quodam ſub S. Auguſtini nomine vulgato Sermone ad Fratres de Eremo, qui in ordine vigeſimus quintus eſt, & inſulſi alicujus impoſtoris opus, ſi Caveo præſtanda ſit fides. Cæterum hic ſermo, licet ſuppoſititius, a Chriſtiano Lupo tribuitur Authori, qui ſæc. XI. vixit.

Hujuſmodi tamen Vigiliarum uſum pluribus poſt Ambroſium ſæculis adhuc viguiſſe, ex dictis ſatis indicatum eſt, & fuſius probant Macrius in Hierolex. verbo *Vigilia*, ac Puricellus in Diſſert. Nazar. cap. 45. Quare hæc aſſeveranter affirmat Card. Baronius ſupracit. in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 5. Januarii: *Non itaque*, inquit, *Ambroſius, non Auguſtinus, nec quivis alius Orthodoxorum his temporibus Vigilas nocturnas Eccleſiaſticas abrogavit, vel minuit, ſed impuriſſimus Hæreſiarcha Vigilantius vigilias, ſui nominis hoſtis impugnavit, ſicque minuere conatus eſt, ut non niſi ſemel in anno, in Paſchali ſolemnitate Vigilias peragendas eſſe jactaret: ita Hieronymus adv. Vigilantium*; cujus intentio ad abrogandas in Eccleſia Dei congregationes tendebat, uti laudatus Card. Baronius paullo ante ad an. 44. n. 73. obſervavit; Et ſane has ſolemnes Vigilias adhuc quinto ſæculo viguiſſe plane conſtat ex iis verſibus S. Paulini Natali 7. S. Felicis:

Neque ab ullo umquam veterum Patrum ſublatus.

. . . . . *tunc ergo ſolutis*
Cœtibus a templo Domini, poſtquam data feſtis
Cor-

Corporibus requies, ſumpta dape, carpimus hymnis
Exultare Deo, & pſalmis producere noctem.

Quod & confirmat lib. 3. de Vita S. Martini. Ad hæc item animadvertendum eſt, quod ſolemnes Vigiliæ ante Dominicos dies totius anni aſſidue a fidelibus olim peragebantur, uti ex can. 1. Matiſconenſis II. Conciliï conſtat, quod Concilium duobus ferme ſæculis poſt Sanctos Ambroſium, & Auguſtinum celebratum eſt anno 585. Licet autem Antiſſiodorenſis Synodus, quæ poſt dictam Matiſconenſem extitit, can. pariter 1. Vigilias prohibuiſſe videatur; attamen non de ſacris, & publicis vigiliis in Eccleſia celebratis ibi egiſſe, ex ejuſdem verbis liquet, vetat enim in feſtivitatibus Sanctorum vigilias facere in propriis domibus, cum quadam anili ſuperſtitione procul dubio admixtas, non vero illas, quæ ex antiquo ritu fieri conſueverant, quales etiamnum hodie, (ut refert Guyetus de feſtis Locorum propriis lib. 1. cap. 17. quæſt. 1.) in aliquibus inſignioribus Galliæ Eccleſiis, pie ac laudabiliter obſervantur, puta in Eccleſia Aurelianenſi in nocte Inventionis Sanctæ Crucis; in Eccleſia Cenomanenſi in nocte S. Juliani; in Eccleſia Turonenſi in nocte tranſitus S. Martini ejuſdem Urbis Epiſcopi, ac denique per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini, de qua Gregorius Turonenſis de Vitis P.P. cap. 8. *Ad vigilias Dominici Natalis advenit, monuitque Presbyterum, dicens: vigilemus unanimiter ad Eccleſiam Dei &c.*, ac lib. 3. Hiſt. Franc. cap. 17. *cum Dominici Natalis nox alma populis affulſiſſet, idem Pontifex priuſquam ad Vigilias deſcenderet &c.*

Afferuntur nonnulla veterum vigiliarũ teſtimonia, tum apud Judæos, tum apud Chriſtianos.

Hujuſmodi porro nocturnorum conventuum uſum olim etiam ante Legem Evangelicam apud Ethnicos fuiſſe, oſtendit Card. Bona de Div. Pſalm. cap. 4. §. 2., ubi eos nocturnas vigilias in honorem Deorum ſuorum celebraſſe pluribus documentis evincit; item apud Judæos, qui duodecim horas noctis in quatuor partes æquales inter ſe, in ſe vero inæquales, ideſt longiores, vel breviores juxta noctium longitudinem, vel brevitatem dividere ſolebant; nam in æſtate breviores, in hyeme vero longiores erant, quarum partes, ſtationes, & vigiliæ militares dicebantur, & harum quælibet tribus horis conſtabat; quarum prima ab occaſu ſolis incipiebat, deſinebatque in horam tertiam, & dicebatur conticinium, ſeu noctis quies univerſalis, quo tempore omnia conticeſcunt. Secunda ab hora tertia exordiebatur, & in hora ſexta ſuum terminum habebat, atque intempeſtum, ſeu medium noctis appellabatur. Tertia ab hora ſexta initium, & finem in nonam ducebat, & Gallicinium vocabatur. Quarta, quæ proprie dicta erat Vigilia matutina, ab hora nona incipiebat, & in duodecimam exibat, ideſt uſque ad ortum ſolis, & Ante lucanum, vulgo huid, nomen erat. Prædictarum Vigiliarum frequens mentio in veteri Teſtamento habetur. De prima Vigilia Thren. cap. 2. v. 19. *Lauda in nocte in principio Vigiliarum*. De tertia Judicum cap. 7. 19. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ*. De quarta Exodi cap. 14. 24. *Jamque advenerat vigilia matutina*. Iſaiæ cap. 26. 9. *Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te*. Pariter in novo Teſtamento pleriſque in locis earumdem Vigiliarum mentio eſt; Lucæ cap. 2. 8. & Matth. cap. 14. de Chriſto dicitur: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos &c.* idemque Chriſtus Dominus Marci cap. 13. v. 35. *Vigilate ergo, (ait) neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane*: & iterum Lucæ 12. 38. *Si venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit.*

Dictarum autem Vigiliarum antiquiſſimam vetuſtatem paſſim commemorant, ut innuimus, ſacræ Scripturæ, Sancti Patres, ac fere omnia veterum monumenta. Ex iis Sanctus Hieronymus nedum adverſus Vigilantium, ut ſupra, ſed & in Epiſtola ad Riparium, ubi Chriſti Domini exemplo illas tuetur, addens exempla Davidis, qui media nocte ſurgebat ad confitendum Deo, S. Pauli Apoſtoli, & Silæ, qui in vinculis detenti per totam noctem orabant, item ejuſdem Doctoris Gentium, qui viduæ cuidam diem, noctemque orando tranſigere præcepit, & Judithæ, quæ populum noctu ad orandum convocavit, quibus plura Pſalmorum verba, & cantica intermiſcebat, ubi Regius Vates ad noctu ſurgendum, vocemque in Dei laudes extollendam hortatur. Idem S. Hieronymus ad Virginem Euſtochium ſcribens: *noctibus*, inquit, *bis, terque ſurgendum*, atque in Epiſtola ad Sabinianum ait noctu, totam Eccleſiam hymnis, qui in Chriſti honorem decantantur, perſonare. Item hom. 26. in Act. Apoſt. *Eccleſia Dei*, inquit, *mediis ſurgit noctibus*. Nihil etiam frequentius apud Gregorium Turonenſem, quam feſtorum Vigiliæ in Eccleſia; legendi inſuper Iſidorus lib. 1. de Eccl. Officiis cap. 22. Rabanus Maurus lib. 2. de Inſt. Cler. cap. 9. aliique. Sed in re tam clara non eſt, quod quiſpiam in contrarium dubitare prætendat, quidquid Polydorus Virgilius afferat Scriptor in pleriſque futilis, ac temerarius, uti apud ſaniores etiam Criticos ita audit, qui de Invent. rer. lib. 6. cap. 4. nocturna ſacra ſemper fuiſſe damnata tradit ob periculum impudicitiæ. Sed error tam ſupinus (inquit Card. noſter Div. Pſalm. cap. 4. §. 3.) exſibilari potius debet, quam confutari; quod enim frequentius exercitium, quæ magis vulgata pietas, præſertim in primis Chriſti cultoribus, quam ſacræ pernoctationes, & pervigilia, ad quæ paſſim utriuſque ſexus Fideles in Eccleſia conveniſſe, Sancti Patres, quos memoravimus, aliique Eccleſiaſtici veteres Scriptores exprimunt? Quinimmo cum ſæculo quarto, ut jam obſervatum, hujuſmodi vigilias auſu temerario Vigilantius improbaret, ſtatim acerrime ab Hieronymo confutatus fuit, qui & illum propterea Dormitantium appellaverat. Hos autem ſacros conventus nocturnos divini Eucharistici Sacrificii matutina ſolemnis oblatio ſolvebat, uti præſertim ex Tertulliano ſecundi labentis ſæculi Scriptore lib. de Corona Militis cap. 3.

Polydorus Virgilius quoad antiquorum vigilias confutatus.

doce-

docemur; ait enim ibi: *Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus . . . ſumimus*. Et lib. de Orat. cap. ultimo: *ſimiliter de ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio* (ſeu vigilia) *ſolvenda ſit accepto Corpore Domini*. S. Ambroſius in Pſal. 118. Octon. 9. loquens de pervigiliis feſtorum dierum: *plerique*, ait, *ſunt hujuſmodi dies, ut ſtatim meridianis horis veniendum ad Eccleſiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus aſſiſte ut accipias tibi munimentum, ut Corpus edas Domini Jeſu, in quo remiſſio peccatorum eſt &c.* Ceteros ſileo veteres Scriptores, quorum bene multos videre eſt apud Thomaſſinum de jejuniis Eccl. præcipue parte 1. cap. 18. & parte 2. cap. 14.

Polydorum item Virgilium falſi arguet vel ipſe Sam. Baſnagius Annal. Politico-Eccl. tom. 1. ad an. Dom. 51. num. 26. & ſeqq. ubi pluribus veterum monumentis ſacras Vigilias olim in Eccleſia celebratas extitiſſe probat; qui tamen num. 32. dictarum vigiliarum decretam abrogationem propter ſcelera, quæ ipſarum occaſione perpetrabantur, commemorans, in fine adverſus Eccleſiam Latinam, & Cardinalem noſtrum temere ita concludit: „Immerito igitur Illuſtriſſimus Card. „Bona hæc ſcripto mandavit de nocturnis „Vigiliis (Divinæ Pſalm. cap. 4. §. 3. initio) *Has noctis delicias, hunc ſplendidiſſimum „fulgorem carnalis, & obſcura Sectariorum cæcitas ſuſtinere non poteſt . . . , horum „Anteſignanus fuiſſe videtur ſui nominis everſor Vigilantius, quem D. Hieronymus confutat, & per jocum Dormitantium appellat*. „Atqui vicit tandem Vigilantius expugnato „Hieronymo, & ipſa Eccleſia Latina *Dormitantia* facta eſt, cum certo ſit certius *intermiſſas eſſe Vigilias proprie dictas*, quod „etiam Bellarminus rotunde profitetur libro „tertio de cultu Sanctorum capite XXVII.„ (voluit dicere XVII. ſeu cap. ultimo) Hæc Politico-Eccl. Annaliſta Vigilantii Fautor, & aſſecla, ſicut & Hæreſiarchæ Calvini. At primo quoad intermiſſas vigilias, id & nos ultro fatemur placitum Eccleſiæ fuiſſe, *quoniam paullatim occaſione nocturnorum conventuum abuſus quidam irrepere cœperant*, ut innuimus, *vel potius flagitia non raro committi, ac ſolum in iiſdem diebus celebrare jejunia*, quemadmodum idem doctiſſimus ven. Card. ibidem affirmat; quod & ante ipſum eleganter expreſſerat eximius Poeta, non infimus Carmelitici Ordinis Theologus, & ſec. exeuntis XV. Scriptor Faſtorum lib. 2. in Febr. ubi hæc habet:

Item quoad eaſdem Baſnagius.

Id quoque, nam ſcitu locus eſt digniſſimus, addam
Quod noſtri in templis atavi vigilare ſolebant,
Excubiaſque pati, ſolemnia mane ſequenti
Feſta recepturi; morem nova ſuſtulit ætas,
Nam quia nox ſceleri ſolet eſſe occaſio, & illud
Obſervant, qui furta volunt committere, tempus;
Jejunare diem viſum eſt ſapientius illam,
Quæ præit, & clauſo noctem retinere cubili.

In hac itaque ſeneſcentis ſæculi fæce, refrigeſcente charitate ſublatæ ſunt quoad Laicos vigiliæ, ut inquit Card. noſter loco citato §. antecedenti num. 3. ſola jejunii abſtinentia permanente; qui nocturni conventus & olim apud Græcos quoad fœminas, præſertim Virgines, interdicti fuere, uti diſcimus ex S. Joanne Chryſoſtomo lib. 3. de Sacerdotio, ubi ait: *Virginibus interdici debere pompas funebres, & publica pervigilia, quoniam novit ingenioſiſſimus diabolus per bona opera ſuum virus diſſeminare*: ſed & omnes mulieres noctu in Eccleſiis convenire vetuit idem Chryſoſtomus, qui teſtante Palladio in ejus vita *hortabatur populos, ut in nocturnis precibus aſſidui eſſent, horum autem uxores domi remanerent &c.* Numquid ideo Græcam Eccleſiam cum Latina Dormitantiam dicet Baſnagius? An & quia ob conſimiles periculoſas occaſiones ad evitandum majus malum multo ante vulgares cœnæ in Eccleſia, Agapæ olim dictæ. prohibitæ fuere a ſæculo IV. ex Concilii Laodiceni can. 28. ac circa idem tempus a S. Ambroſio Mediolani, & in Africa hortatu S. Auguſtini, uti jam diximus in notis ad lib. 1. cap. 1. §. 4. nota 5. circa finem, ſeu Liturg. tom. 1. pag. 6. an inquam, quia ob luxum, diſſenſiones, ebrietates, alioſque abuſus eædem publicæ comeſſationes in Eccleſia ſublatæ extiterint, uti laudatus Auguſtinus ſcribit Confeſſ. lib. 6. cap. 2. & epiſt. 64. vet. edit. ipſos Sanctos Doctores, Eccleſiamque pene totam, quæ pleriſque in locis cœnas in templis fieri non paucis Synodorum decretis vetuit, imminutæ in pauperes charitatis arguet? cum inter opera miſericordiæ corporalia ab ipſa ex Dei lege præcepta primum ſit cibum eſurientibus præbere, & potum ſitientibus, atque etiam nunc veterum Agaparum hujuſmodi veſtigium, vulgaris ſcilicet, ſobriæ, ac piæ pauperum refectionis præſertim feria quinta in Cœna Domini extet fere apud omnes ſacros Eccleſiaſticorum cœtus, & exinde dictarum commeſſationum loco auctæ ubique fuerint eleemoſynæ in pauperes erogandæ, & multiplicatæ in Eccleſia Catholica ad hunc effectum copioſæ fidelium largitiones, piaque charitatis opera in proximi indigentis ſubſidium inſtituta, uti veteres, & novæ in id chartæ teſtantur, ac de re notiſſima publica monumenta pleniſſimam fidem faciant Romæ, & alibi in quibuſvis orthodoxæ religionis locis? Et revera (inquit Thomaſſ. de dierum feſtorum celeb. lib. 3. cap. 10. num. 9.) in optime conſtitutis Monachorum cœnobiis, epulæ quæ ſuperſunt, continuo pauperibus præbentur; in plurimis quoque Eccleſiis panis, ac vinum largius Clericis obtigit, ut conſimili beneficentia, & liberalitate pauperibus opem ferrent.

Eadem pariformiter ratione ad removenda quæque ſcandalorum pericula ſublatæ fuere in Eccleſiis nocturnæ promiſcui ſexus Synaxes, ac retenta, immo & aucta apud pios fideles jejunia: apud nos (inquit Innocentius Papa III. Decret. Conſtit. 161. extra de obſerv. jejun. cap. *Conſilium*) *Vigiliæ in obſervatione jejunii celebrantur*. Non me latet, quod, ut verbis utar Tertulliani jam Montaniſtæ facti lib. de jejun. adv. Pſych. cap. 1.

Sublatæ in Eccleſiis nocturnæ promiſcui ſexus vigiliæ & earum loco aucta jejunia.

Ar-

Arguunt nos quod jejunia propria cuſtodiamus. Nos, inquam, ita arguunt hodierni prætenſi Reformati, ut ventri magis, quam Deo ſerviant, quorum anteſignanus Calvinus Inſtit. lib. 4. cap. 12. ſect. 20. audaciſſime pronunciat Eccleſiaſticum hujuſmodi jejunium ſtatis temporibus obſervatum ex quorumdam ſuperſtitione ſuam originem traxiſſe, *quia, & vulgus* (inquit) *eximium aliquod obſequium Deo ſe in ea obſervatione præſtare exiſtimabat, & Paſtores eam commendabant*: & poſt pauca ſubjungit: *At mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuiſſe*. Hunc errantem Pſeudomagiſtrum ſecuti ſunt Centuriatores Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. cap. 10. & 12. Kemnitius 4. par. exam. Conc. Trident. 5. Joannes Dallæus petulantis ingenii Calviniſta (ut inquit Natalis Alexander ſec. 2. diſſert. 4. art. 1.) lib. 2. de jejun. & Quadrag., ſeu potius contra jejunium cap. 3. ac nuper Jac. Piceninus Curienſis peſtilentialis Cathedræ magiſter Apolog. pro Eccl. ref. cap. 16. art. 4. item Sam. Baſnagius Annal. Politico-Eccl. tom. 2. ad an. Dom. 152. n. 5. & ſeqq. aliique hujuſce reprobati heterodoxi furfuris homines, quos omnes inter cæteros invicte refellunt prædictus Natalis Alexander loco indicato, & Card. Cozza Tract. de jejun. partu 2. ut reliquos Theologos noſtrates ſileam. Arguunt nos, inquam blaterones iſti, nuperus præſertim Tigurini Acatholici miniſterii Doctor Jo. Jacobus Hottingerus in ſæculari ſua Diſſertatione de neceſſaria, ut effutit, ſuorum ab Eccleſia Romana ſeceſſione, atque adverſus eamdem in hæc verba perfracta fronte malignus erumpit dicens §. 151. & ſeqq. „ Romana jejunia a „ jejuniis utriuſque Teſtamenti Eccleſiæ frequentatis, diverſiſſima ſunt; meræ jejuniorum larvæ, immo ludibria. Ad certa „ tempora, & ciborum genera alligata, ſub „ vaniſſima opinione meriti, & ſatisfactionis, „ Phariſaica potius, quam Chriſtiana. Jejunia Moyſis, & Eliæ, Chriſti miraculoſa, „ quæ ut ſupernaturalia, extraordinaria, inimitabilia ſunt, ita nec præſcripta a Deo, „ nec ab adverſariis noſtris, quidquid jactent, „ obſervata &c.. His aliiſque dicteriis potius, quam argumentis jejunia noſtra deridentes impetunt moderni gulæ placitis indulgentes in Epicuri ſchola Profeſſores.

Refelluntur Sectarii jejunia execrantes.

At quomodo Phariſaica eſſe poterunt Catholicorum jejunia, quæ ſine ulla hypocriſi, aut oſtentatione fieri præcipiuntur? Moyſis autem, & Eliæ, ac Chriſti Domini jejunia quamvis ſupernaturalia, extraordinaria, & miraculoſa fuerint, non quidem ut jejunia, ſed quia ſine ullo cibo, aut potu ad 40. dies producta, an propterea eadem imitari non poterimus, quantum naturaliter in nobis eſt, illa ſcilicet ex Eccleſiæ præcepto cum unica tantum in die comeſtione, & a carnibus abſtinentia obſervando? An hoc pacto inimitabile erit quod Chriſtus fecit, cum idem Dominus juxta Apoſtolum Petrum epiſt. 1. cap. 2. nobis reliquerit exemplum ut ſequamur veſtigia ejus? id quod de jejunio ad Chriſti imitationem obſervando ſancti Patres bene multi affirmant. Ex his nonnullos præſtat adferre, & primo S. Auguſtinus epiſt. 55. ad Januarium, alias 119. cap. 15., ubi de quadrageſimali jejuniorum ſolemnitate agens, *ſane*, inquit, *hæc habet auctoritatem, & in veteribus libris, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonſtrans Evangelium non diſſentire a Lege, & Prophetis &c.* Idem tradit S. Hieronymus maximus Eccleſiæ Doctor expreſſe firmans jejunium, præcipue Quadrageſimale nobis eſſe a Chriſti exemplo relictum veluti hæreditarium, ita ſcribens in cap. 3. Jonæ: *Quadragenarius*, inquit, *numerus convenit peccatoribus jejunio, orationi, ſacco, & lacrymis perſeverantiæ deprecandi, ob quod Moyſes, & Elias quadraginta dies jejunaſſe leguntur. Ipſe quoque Dominus verus Jonas miſſus ad prædicationem Ninive, jejunavit quadraginta dies, & hæreditatem nobis jejunii relinquens &c.*, quod & repetit in cap. 67. Iſaiæ, ubi ait: *Dominus quadraginta diebus in ſolitudine jejunavit, ut nobis ſolemnes jejuniorum dies relinqueret.*

Idque ex Latinis & Græcis Patribus.

His adjunguntur reliqui Latini Patres, quos recenſere longum eſſet; nec refragantur, quin & iiſdem ſubſcribunt Græci veteres, novique, quorum omnium copioſum agmen refert Card. Cozza ex Ord. Min. Tract. de Jejunio Eccl. parte 2. art. 7. Ex his, ut cæteros ſileam, S. Jo. Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſim: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, inquit, *& ipſe 40. dierum jejunio declarato ſic certamen contra diabolum aggreſſus eſt, omnibus nobis exemplar dans, ut per illud armemur.* In idem conſentiunt reliqui; ſed præ omnibus explicite adverſarios noſtros jugulat magnus Orientalis Eccleſiæ Theologus ſæculi quarti Scriptor Gregorius Nazianzenus Orat. in Sanctum Lavacrum, ubi loquens de Chriſti jejunio: *Chriſtus*, ait, *ante tentationem jejunavit, nos ante Paſcha: jejunium unum, idemque eſt, at utriuſque temporis non parva eſt differentia; ille totos quadraginta dies a cibo abſtinuit, utpote Deus: nos autem ad virium noſtrarum modulum jejunium attemperavimus.* In id iterum audiatur Chryſoſtomus, qui ſic Gregorii ſenſa confirmat Serm. 1. de Jejunio: *Si Moyſes*, inquit, *jejunat, & ſimiliter Elias jejunat, & Dominus obſignat, bona eſt imitatio, quamvis non rejicimus intermedias refocillationes; non enim quadraginta dies jejunamus, ſed in medio intervalla interpolamus, numerum conjungimus, jejunium non diſcernimus. Magna ſunt, quæ illi ante nos egerunt, parva quæ nos . . . . Nullus noſtrum jejunat quadraginta dies, nam quadraginta intervallis reficimur, ſicut viatores ad veſperam in diverſorio manentes, & iterum incipientes.*

Quare ipſis tam aperte adverſari inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe demonſtratur.

Ad hæc tam clara veritatis Catholicæ teſtimonia quid adhuc reponent adverſarii noſtri jejuniorum omnium antagoniſtæ? Si noſtra a carnibus abſtinentia, & in unica comeſtione ſolemnis jejunii obſervantia ipſis non videtur religioſa, *ad virium noſtrarum modulum* jejunii Chriſti imitatio, & meræ, ut ipſi effutiunt, jejuniorum larvæ, immo ludibria, an fortaſſe hujuſmodi ciborum parſimoniæ ſtricte ſtatis diebus ex Eccleſiæ præcepto adhibitæ, quam in nobis illi reprobant, execratio, ſuiſque omnium gulæ illecebrarum permiſſio per-

perfectior erit jejunii Chriſti Domini imago? Apage blaſphemias! Audiant iſtos cæcorum duces ii, quorum Deus venter eſt, & vere Chriſtiani eſſe nolunt, quamvis dici velle præſumant; nobis Catholicis, atque in unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam credentibus firmiſſime animo inſidet magni illa Auguſtini ſententia epiſt. ad Januarium 118. cap. 5. *Si divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legitur . . . ſimiliter etiam ſi quid horum tota frequentat Eccleſia; nam & hinc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*. Quare ſi pro firmandis Eccleſiaſticis obſervantiis, ex Auguſtino bina eſt irrefragabilis regula, divinarum ſcilicet Scripturarum auctoritas, aut univerſæ Eccleſiæ conſuetudo; cum præcepti ſtatis diebus jejunii obſervantia ex iis ſit, quam *divinæ Scripturæ*, ut vidimus, ac veterum Patrum *præſcribit auctoritas*, item univerſæ de eadem adimplenda ſit Eccleſiæ conſuetudo, qua *eam tota per orbem frequentat Eccleſia*, de illa *diſputare quin ita faciendum ſit inſolentiſſimæ inſaniæ* eſſe quis dubitabit, quanto magis eidem tam aperte adverſari?

Sacræ vigiliæ noctis adhuc nunc temporis in Eccleſia latina fideliter cuſtoditæ contra Baſnagiū.

Sed ad vigilias redeo contra Baſnagium, quæ licet quoad promiſcui ſexus nocturnas congregationes propter ſcandalorum pericula ſublatæ ſint, ut innuimus, non tamen illæ ita penitus extinctæ reperiuntur, quin earum laudabilis obſervantia non ſolemnibus tantum, ac ſtatutis quibuſdam diebus, ſed & quavis nocte continuo perſiſtens in uno ſeparatim, atque altero hominum ſexu inviolabilis perſeveret. Et ſane quot apud noſtrates Catholicæ Romanæ fidei profeſſores ſparſim in urbibus, oppidis, atque inſignibus locis ſita conſiſtunt Regularium utriuſque ſexus Cœnobia, Monaſteria, Conventus, & Canonicorum item Collegia, in quibus ſingulis religioſi homines varii ordinis, & inſtituti alii ab aliis diviſi, quique proprio habitu ſub eodem tecto in communitate degentes, ſacri etiam Sanctimonialium fœminarum cœtus disjunctim a viris conſiſtentes, in quorum omnium, & ſingulorum Eccleſiis vigiliæ noctis exacte, fideliter, & ſine ulla intermiſſione ſuis determinatis horis, & ab ipſorum regula ſtatutis devote cuſtodiuntur, & divinæ laudes una ſimul ab iiſdem juxta uniuſcujuſque ritum cantatæ religioſæ perſolvuntur? Ex his plerique ſunt, qui in prima vigilia noctis, ab occaſu ſcilicet ſolis ad horam tertiam matutina officia in choro ſtantes, ſeu conſidentes recitant. Secunda vigilia, ſeu tertia noctis hora Carmelitæ ſanctimoniales Thereſianæ vulgo dictæ, ad eadem ſacra officia decantanda procedunt. Media nocte, ſeu tertia vigilia ad divinas laudes concinendas Religioſorum Ordinum quamplurimi de more conſurgunt; ex his præcipue Monachi Chartuſiani, Camaldulenſes Eremitæ, aliique nonnulli. Inter Mendicantes, & quidem Excalceatos eminent hac in parte, ut reliquos taceam, Fratres Minores S. Franciſci Obſervantes dicti, & ex iis reformati omnes, veluti Capuccini, S. Petri de Alcantara, aliique conſimilis rigidioris inſtituti, tum Carmelitæ Thereſiani nuncupati, Auguſtiniani ſtrictioris obſervantiæ, cæterique variorum Ordinum alumni bene multi, quos enumerare non vacat. Quod Clerum attinet (inquit Grancolaſius Comment. Hiſt. in Brev. Rom. cap. 20.) noctis vigilias hic ſemper ſervavit; atque Pariſienſis Eccleſia ad hanc diem maxime excellit, cui & aliæ inſignes addi poſſunt, tum in Gallia, Germania, alibique, ubi media nocte divina in Choro celebrantur officia, a Canonicis etiam ſive Regularibus, ſive Secularibus. Duabus porro, ſeu tribus horis poſt mediam noctem, quarta ſcilicet vigilia, Monachi fere omnes ſub Regula S. P. Benedicti militantes juxta ejuſdem Sanctiſſimi Patriarchæ præſcriptum cap. 8., ubi de officiis divinis in noctibus, dicitur: *Octava noctis hora ſurgendum eſt*: ad matutinas preces cum laudibus recitandas ſurgunt. Ultima denique vigilia, matutina dicta, ab aurora ſcilicet ad ortum ſolis reliquus Eccleſiaſticus Clerus, ſive Sæcularis, ſive Regularis ad divina officia in choro perſolvenda procedit. Mitto & alias hujuſmodi ſacras vigilias, quæ in magnis Italiæ urbibus, præſertim Romæ, & alibi devotiſſime celebrantur occaſione publicæ, ac ſolemnis Expoſitionis venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti, 40. horarum vulgo dictæ, ac diu, noctuque ſine interruptione cuſtodiuntur, utpote cuivis notas, ad quas per diem omnis uterque ſexus convenit, per noctem vero ſoli viri ad orationem vigilant. His omnibus ad veritatis lumen oſtenſis adhucne temerarius audebit dicere Baſnagius viciſſe tandem Vigilantium expugnato Hieronymo, & ipſam Eccleſiam Latinam Dormitantiam factam eſſe? Vah hominem, ut cum Auguſtino dicam, *inſolentiſſimæ inſaniæ*, ſic maligne adverſus hodiernos religioſe obſervatos Eccleſiæ mores diſputantem!

An recitatio matutinalis officii prærequiratur ex neceſſitate præcepti ante Miſſæ celebrationem.

(2) *Quibus horam celebrandi determinant*) Huc ſpectat Innocentii Papæ IV. ſtatutum in ejus Epiſt. x. apud Labbeum Concil. tom. xi. par. 1. ad Ottonem Card. Tuſculanum: *Sacerdotes miſſam celebrare, priuſquam officium matutinale compleverint, non præſumant*. Idem videre eſt in Concilio Nemauſenſi anni 1284. cap. de Celeb. Miſſæ. Idem & Synodus Exceſtrenſis an. 1287. celebrata cap. 21. aliæque permultæ præſcribunt. Inter Capitula Hincmari Rhemenſis Archiepiſc an. 852. Presbyteris data, Nonum ita habet: *Mane matutinali officio expleto penſum ſervitutis ſuæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque perſolvat, deinde peractis Miſſarum ſolemniis &c. ad opus, quod ſibi competit, exeat jejunus*. Quibus ex verbis patet olim Presbyteros Sacrificium nonniſi poſt nonam obtuliſſe. Immo ut antiquius rem petamus, Sidonius Apollinaris lib. 5. epiſt. 17. *Cultu peracto Vigiliarum, quas alternante mulcedine Clerici, Monachique, pſalmicines concelebraverant, quique in diverſa ſeceſſimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præſto futuri, cum Sacerdotibus res divinas facturi*. Vigiliarum nomine Matutinas preces olim appellatas fuiſſe oſtendit Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 2. & diſquiſit. de curſu Gallic. §. 5. num. 52. & ſeqq., ubi hæc ſubdit: Cur vero hæ nocturnæ preces aliquando

do matutini vocabulo, quandoque vigiliarum appellatione dicerentur, illa, inquit, diſcriminis cauſa eſſe videtur, quod *Vigiliæ* ſolemnioribus feſtis, in quibus prolixiores ſacræ excubiæ erant, *Matutinum*, ſeu *Matutinæ* minus ſolemnibus, in quibus tardius ſurgebatur, melius conveniret. Sacerdotes tamen ſingulis diebus de nocte ad orationem ſurgebant, ut ex Gregorio Turonenſi, aliiſque ibi in dicta diſquiſitione idem oſtendit. Hæc ex conſueto apud antiquos ritu. Cæterum an & eumdem ſub gravi obſervandum præcipiant Regulæ Miſſali Romano præfixæ, ubi de ritu in celebr. Miſſæ ſervando, videlicet an Sacerdotes *Matutino ſaltem cum laudibus abſoluto* celebrare debeant, diſſident Auctores. Antiquitus, ut ait D. Gregorius Roſignolus de Ordin. Eccl. parte 2. quæſt. 6. art. 21. num. 15. vigebat ſententia, quod læthale eſſet peccatum celebrare Miſſam ante recitatum ſaltem Matutinum, & inter cæteros ſic docuit S. Antoninus, aliique plures antiquiores. Sed cum hoc non ſit de jure Divino, ſed dumtaxat Eccleſiaſtico, non videtur obligare ſub tam gravi pœna, & ubi olim obligaſſet, modo ſit contraria conſuetudine abrogatum ſaltem quoad talem pœnam, non videtur amplius urgere. Hanc ſententiam idem poſtea fuſius explicat, ac tuetur in Tractatu de Euchariſtia quæſt. 9. art. 3. num. 7. aſſerens quod recitatio Matutini cum Laudibus non prærequiritur ex neceſſitate præcepti obligantis ſub gravi, tamquam præparatio ad Miſſæ celebrationem, bene tamen ex neceſſitate convenientiæ, & congruitatis. His temporibus communior eſt hæc opinio, quam ſuſtinent plurimi celebres Authores, quos ipſe ibidem refert. Cui ſententiæ, videlicet eſſe tantum culpam venialem non recitato Matutino nulla urgente cauſa Sacrificium peragere, uti communiori ſubſcribunt, alii recentiores, Scarſantonus ad Ceccoperium parte 1. lib. 3. tit. 2. num. 2. qui & plures item affert Auctores, ac noviſſime Meratus in Gavantum tom. 1. par. 3. tit. XI. & tom. 2. ſect. 4. cap. 1. de Matutino num. 2. ubi eamdem iterum approbans, ait in hæc verba: ſupradictam benigniorem ſententiam veram, & ſecuram appellat Oliverius Bonartius in ſuo Tractatu de Horis Canonicis lib. 11. cap. 16. num. 8. nonnullos allegando graviſſimos Auctores, validiſque rationibus ipſam confirmando. Sed ad munditiem in corpore, quæ in caſtitate conſiſtit, cum Cardinali noſtro deveniendum eſt.

(3) *Lib.* 12. *Epiſt.* 31.) Nunc in noviſſima editione Mon. S. Mauri lib. XI. ind. 4. epiſt. 64.

(4) *Quæ eſt ſecunda Abbatis Theonæ*) Item Joannes Climacus gradu decimoquinto. Legendus hac de re S. Thomas 3. part. quæſt. 80. art. 7., ubi Sancti Gregorii doctrinam Angelico ſuo more explicat, qua nihil exactius in hac materia afferri poteſt. Nunc ad manuum, & veſtium munditiem ad celebrandum requiſitam procedamus.

§. V.

Lotio Manuum, & nitor Veſtium.

Accedit lotio manuum, quam ex quodam naturæ inſtinctu ipſimet Ethnici ſacrificio præmittebant; nec manuum dumtaxat, ſed etiam totius corporis. Id de Græcis, & Ægyptiis teſtatur Herodotus in Euterpe. De Romanis. Perſius *Satyra* 2.

> *Hæc ſancte ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis terque & noctem flumine purgas.*

Et Tibullus lib. 2. eleg. 1.

> *Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,*
> *Et manibus puris ſumite fontis aquam.*

Manuum lotio ante ſacrũ tractandum Græcis, Ægyptiis, atque Hebræis, atque indeChriſtianis communis.

Euclio item apud Plautum in Aulularia *act.* 4. *ſc.* 2. *Nunc lavabo ut rem divinam faciam.* Eſt & illud Heſiodi, *Illotis manibus ſacra tractare eſt nefas.* Eadem religio Hebræis fuit, legimus enim cap. 30. Exodi, poſitum in templo labrum æneum cum aqua, ut quando Sacerdotes ingreſſuri erant tabernaculum Teſtimonii, & acceſſuri ad Altare, manus antea lavarent. Simile vas ad eumdem finem, ſed multo capacius in ingreſſu templi poſuit Salomon, quod *Mare æneum* nuncupavit. Hinc probabile eſt hunc ipſum morem ad Chriſtianos fluxiſſe, ut canthari & luteres aqua pleni, vel etiam fontes ante fores templorum collocarentur, ut ſupra indicavi Cap. XX. Lib. I. quatenus ſacrificia vel preces oblaturi puras ad Deum manus levarent, ſicut Apoſtolus ſcripſit 1. *ad Timoth. c.* 2. & externa lotione internæ puritatis admonerentur. *Quæ ratio eſt*, ait Tertullianus lib. de orat. cap. 11. *manibus quidem ablutis*,

ſpiritu vero ſordente orationem obire ? Et Chryſoſtomus hom. 61. ad pop. Antioch. *Dic mihi , immundiſne manibus ad ſacrificium eligeres accedere ? Non , ut ipſe puto ; ſed nec omnino malles accedere , quam manibus illotis . Ita in parvo quidem es tam reverens , ſordidam autem habens animam accedis , & audes tangere* ? Eodem ſpiritu Anaſtaſius Synaita Orat. de ſacra Synaxi adverſus eos declamat , qui lotis quidem manibus , ſed polluta conſcientia corpus Domini ſuſcipiunt. Dorotheus denique *ſerm.* 9. narrans cujuſdam Monachi ſuſpicionem , qui putabat ſe ſummo mane vidiſſe fratrem manducantem , ait : *Vidit ipſum manus abluentem , ut ad communionem accederet* (1). Ex veteri igitur Eccleſiæ in- (1)
ſtituto Sacerdos lavat manus ante ſacrum , Deum interim exorans, ut ſicut exterius abluuntur manuum inquinamenta , ſic ab eo mundentur interius ſordes mentis : eſt enim corporis munditia interioris innocentiæ profeſſio . Qua de cauſa non ſolum a corpore , ſed etiam a veſtimentis omnis immunditia abeſſe debet : idque ſummopere curabant priſci ævi Fideles ad Euchariſtiam acceſſuri . Anaſtaſius in præcitata oratione de ſacra ſynaxi : *Multi quidem non laborant , qua puritate & pœnitentia ad ſacram menſam adeant , ſed quibus veſtimentis exornentur* . Idem docet Chryſoſtomus hom. 52. in Matthæum, *In nonnullis Eccleſiis hunc morem corroboratum videmus , ut diligenter multi ſtudeant quo modo manibus lotis , mundis induti veſtimentis in Eccleſiam ingrediantur : quomodo autem animam , atque mentem ſuam puram offerant Deo , nullam prorſus habent curam* . Luculentius autem Orat. de ſancto Philogonio : *Hortor vos* , inquit, *ne negligenter ad divina myſteria accedatis . Abſurdum enim eſt tantam habere curam corporalium , ut appetente feſto multis ante diebus veſtem e ſcriniis depromptam diligenter appares , omnibuſque modis temetipſum ornes , nitidumque reddas : animæ vero neglectæ , ſordentis , ſqualidæ nullum habere reſpectum* . Neque damnat Chryſoſtomus corporis & veſtium munditiam , ſed animæ cultum præferendum docet : nam & ipſe moriturus priuſquam communionem acciperet , exutus prioribus veſtimentis candida , & nitentia ſumpſit , ut Palladius ſcribit in ejus vita (2) . Hebræos (2)
quoque templum ingreſſuros mundis ſe veſtibus induiſſe doctiſſimus inter illos Philo teſtatur , qui *lib. de Cherubim* eos ſimiliter reprehendit, qui dabant operam , ut candidis , & diligenter emaculatis veſtibus amicti templum ſubirent ; mentem vero maculoſam in ipſa penitiſſima ſacraria inferre non verebantur .

Obſervatus item apud omnes templum ingreſſuros veſtium nitor.

(1) *Manus abluentem ut ad communionem accederet*) Laudabilem hanc , piamque conſuetudinem lavandi manus ante Euchariſtiæ , ſive confectionem , ſive ſumptionem plures alii Patres confirmant . S. Auguſtin. Ser. 244. de Temp. *Si erubeſcimus*, inquit, *ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere , plus timere debemus ipſam Euchariſtiam intus in anima polluta ſuſcipere* . Paria fere ſunt, quæ habet S. Cæſarius Arelatenſis ſerm. 52. S. Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi Myſtagogica 5. *Vidiſtis* , ait , *Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti , & illis , qui circum Altare Dei ſtabant , Presbyteris . Num ideo prorſus dabat ut ſordes corporis abluerentur ? Nequaquam ; nec enim adeo ſordibus corporis fœdati in Eccleſiam ingredi ſolemus . Sed illa manuum ablutio ſymbolum eſt, oportere nos a peccatis omnibus , & iniquitatibus mundari . Cum enim per manus deſignentur actiones , lavare certe eaſdem munditiem , & puritatem operum ſignificat* . His conſonat S. Maximus Abbas , & Martyr doctiſſimus , glorioſus Monothelitarum debellator Tract. adv. eoſdem : *Omnes viri* , (inquit) *qui communicare deſiderant , prius lavent manus ſuas , ut mente pura , & nitida conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant* . Idem & mulieres præſtabant , quæ ob reverentiam , utque etiam mundo corde , ac corpore ad ſacram menſam accederent , manus lavabant ; hinc Silvania apud Palladium in Hiſt. Lauſiaca ait : *Ecce ego annum ætatis ſexageſimum ago, præter extrema manuum mearum , & hoc propter communionem , non pes meus aquam tetigit.* Mundis itaque, ac puris manibus a nobis tractari vult Chriſtus Dominus , quas non aqua tantum ſed vitæ puritas, morum candor , & corporis caſtitas abſterſerit . Idem Chriſtus cum eſſet in præſepio a virgineis Matris , Patriſque virginis manibus tractari voluit, ut inde deduceremus

Hunc ritum lavandi manus antequam ad communionem accederēt priſci fideles, plures alii Patres confirmant .

duceremus quam puris par ſit eum contrectari manibus, dum in cœlis regnat, qui tam puris contrectatus eſt adhuc infans in cunis poſitus. Quod argumentum ita S. Petrus Damiani exprimit lib. 1. epiſt. 6. *ſi*, inquit, *Redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero naſceretur, ſed etiam a nutritio virgine tractaretur, & hoc cum adhuc puerulus vagiret in cunis, a quibus, nunc obſecro, tractari vult corpus ſuum, cum jam immenſus regnat in cœlis, ſi mundis attingi manibus volebat in præſepio poſitus, quantam corpori ſuo nunc vult adeſſe munditiam, jam in paternæ majeſtatis gloria ſublimatus?* Id omne ſatis exprimunt Orationes, tum olim ex variis Miſſalibus antiquis, tum hodierno tempore ex Miſſali Romano præſcriptæ. Et quidem ex veteri Miſſali Eccl. Catalaunenſis apud Martene de antiquis Eccl. Rit. tom. 1. pag. 345. *Sacerdos lavet manus ſuas dicendo*: Largire quæſumus Domine ſenſibus noſtris quod ſicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te interius emundentur pollutiones mentium. Per Dominum. Item ex MSS. Pontificali Eccl. Cameracenſis ibid. pag. 346. *Dum abluit manus, dicit*: Largire clementiſſime Pater, ut ſicut hic abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur pollutiones mentium, & creſcat in nobis augmentum ſanctarum virtutum. Per Christum. Quæ oratio ſimilis eſt illi, quæ legitur in Miſſa Illyrici, & Chiſianæ fragmento apud Card. noſtrum in Append.; denique in Miſſali Romano hæc habetur: *Da Domine virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam, ut ſine pollutione mentis, & corporis valeam tibi ſervire*. Atque hæc dicta ſint quoad animæ neceſſariam, & requiſitam corporis munditiem.

(2) *Exutus prioribus veſtimentis candida, & nitentia ſumpſit &c.*) Ex mox dictis iterum exquiſite conſequitur quod munda, candidaque veſtimenta, ſed munda magis anima, candidique mores eſſe debeant iis, qui ad Euchariſticam menſam communicaturi accedunt.

Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumat quiſque &c. Ut loquitur & canit Prudentius contra Symmachum. Et ſane Gentiles ipſi candida in veſte Deos ſuos adire ſolebant. Plautus in Rudente act. 1. ſcæna 5. v. 11.

. . . . vos æquius erat candidatos venire hoſtiatoſque:
Ad hoc fanum ad iſtum modum non veniri ſolet.

Ovidius Faſt. lib. 1. v. 79.

Veſtibus intactis Tarpejas itur ad arces.

Hucque etiam ſpectat illud Virgilii Ecloga 5.

Candidus inſuetum miratur limen olympi.

Heraclides Cumanus, qui Perſica ſcripſit, de quo Diogenes Laertius tertio inter Heraclidas loco, & Voſſius de Hiſtoricis Græcis lib. 3. in opere quod Paraſcevaſticon inſcripſit, ait lib. 2. quod qui cœnanti Perſarum Regi miniſtrant, *loti omnes id munus obeunt pulchris induti veſtibus*. Cur non id juſtius a nobis id pietas, id religio exigat, dum ſacræ accumbimus menſæ, ac puritatis, candoriſque ipſum authorem ſumimus?

Veſtium nitor ab Ethnicis in eorum ſacris adhibitus quãto magis a Chriſtifidelibus communicaturis cuſtodiendus.

Sapienter S. Joannes Chryſoſtomus ſupra laudata a Card. noſtro hom. 61. ad pop. Anthioch. *Si Rex Babylonis*, inquit, *ex captivitate deligens adoleſcentes pulchros ſpecie, & decoros aſpectu ſumpſit, multo magis & nos ſanctæ menſæ aſſiſtentes regiæ pulchros eſſe decet, habentes* ſtolam mundam, veſtem puram, *calceamenta regia, decorum animæ vultum* &c. alioquin debitas temeritatis pœnas luet qui impurus puriſſima contrectare auſus fuerit, quemadmodum idem Orientalis Eccleſiæ Doctor eodem loco urget: *Conſidera, quæſo*, inquit, *menſa regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes, ipſe Rex adeſt, & tu adſtas oſcitans, ſordida ſunt tibi veſtimenta & nihil eſt tibi curæ?* Quod argumentum confirmat ex illo homine, de quo in Evangelio legitur Matth. 22., qui ſine nuptiali veſte in convivio repertus a Rege fuerit foras prodire juſſus, tenebris exterioribus ligatis manibus, ac pedibus addictus eſt: *Si enim* (ait hom. 3. in epiſt. ad Epheſios) *eum qui ſqualenti veſte amiciebatur, juſſit rapi ad pœnam, & eum excluſit foribus, qui corpore ſordes præferebat, quid non tum efficiet? quid non ſtatuet pœnarum adverſus hujuſmodi impuras animas?* Itemque proſequitur hom. 21. ad populum: *Ad nuptias*, inquit, *ſenſibiles homines invitati, etſi hominum pauperrimi ſint, mutuo ſumentes ſæpe, vel ementes veſtimentum mundum, ſic ad ſe vocantes conveniunt*: quod ad ſpirituales nuptias, ac ſpirituale convivium transfert, dum pergit: *Et tu ad nuptias ſpirituales, & prandia vocatus regalia, non conſideras quam dignum ſit te nuptiali veſtimentum comparare?* Idemque hom. 70. in Matth. ait: *nec in mentem tibi venit non ad nuptias ſimpliciter, ſed ad Dei nuptias te vocatum fuiſſe, non cogitas quomodo in hos invitatam animam thalamos ingredi oporteat in veſtitu deaurato circumdatam varietate?* Hæc & alia hujuſmodi Chryſoſtomus, cui & reliquos Patres ſuffragantes recenſere, utpote in re tam omnibus per ſe nota, ſuperfluum eſt. Poſt hæc Sacerdotem celebrare volentem decet ſacra, quæ tractaturus eſt, myſteria mente revolvere, Incarnationis Dominicæ, Paſſionis, & Reſurrectionis memoriam ſuſcitare, quam poſtea expreſſe renovat ad orationem. *Suſcipe Sancta Trinitas*, de qua ſuo loco dicetur. Poteſt etiam tunc intentionem dirigere, ac eos pro quibus offerre proponit, Deo commendare. Præter has pias conſiderationes antiquus Eccleſiæ uſus obtinuit, ut Pſalmorum quorumdam recitatione ſe ſe ad Miſſam celebrandam Sacerdos præparet, de quibus jam dictum eſt. Hactenus de interna Sacerdotis præparatione memorata ſufficiant.

§. VI.

De Veſtibus ſacris, & Orationibus a Sacerdote dicendis, dum illis induitur.

VEſtibus autem communibus ſuperaddit Sacerdos ſacrata veſtimenta eo ordine, quo ſupra *lib. I. cap. XXIV.* quo de illis diſſerui, recenſita ſunt, niſi quod quædam Eccleſiæ, ut Ambroſiana, & Lugdunenſis amictum ſumunt poſt albam (1). Ad ſingula vero certas preces in Miſſali deſcriptas recitat, quæ in diverſis Eccleſiis diverſæ ſunt verbis, non ſenſu. Earum nec Ordo Romanus, nec Amalarius, nec alii ejuſdem ſæculi Scriptores mentionem faciunt. Deſunt quoque in antiquioribus Miſſalibus MSS., & in libro Sacramentorum S. Gregorii. Ex quo ſuſpicor ante annum 900. non fuiſſe ſaltem ubique in uſu. Extant autem apud Menardum in veteri Miſſa ex Codice Ratoldi Abbatis Corbejenſis, qui obiit ann. 986., ſed verſibus conceptæ, Miniſtro ad ſingulas veſtes petente ab Epiſcopo, ut eas benedicat. *Miniſter*, inquit, *adminiſtret ſuperhumerale, & dicat*, Jube benedicere, *reſpondet Epiſcopus*. (1)

Recenſentur orationes a Sacerdote dicendæ dum ſacris veſtibus induitur, quas Græci antequam ſumant, ſemper benedicunt.

Virtus ſumma Deus, cunctorum rector opimus,
Tu benedic noſtrum, quo nunc ornamur, amictum,
Ut ſervire tibi valeamus corde pudico.

Poſtea miniſtret ei albam, & dicat ut ſupra. Reſpondet Epiſcopus.

Veſtibus Angelicis induti rex pietatis,
Poſſimus libare pii libamen odoris.
Clemens & pravæ purges contagia mentis,
Ac citius delenda malæ contagia mentis.

Et ſic de reliquis, ritu videlicet Græcorum, qui ut conſtat ex Liturgia Chryſoſtomi, antequam ſumant ſacra indumenta, ea ſemper benedicunt (2). In alia Miſſa ex Codice Tiliano ſcripto anno 1032. extant ad ſingulas veſtes breves orationes apud eumdem Menardum. Ad amictum, *Obumbra Domine caput meum umbraculo ſanctæ fidei, & expelle a me nubila ignorantiæ*. Ad albam, *Indue me, Domine, veſtimento ſalutis, & circumda me lorica fortitudinis*. Ad Zonam, *Domine, accinge in me cuſtodiam mentis meæ, nec ipſa mens inflectatur ſpiritu elationis*. Ad ſtolam, *Stola juſtitiæ circumda, Domine, cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam*. Ad caſulam, *Indue me, Domine, ornamento charitatis & pacis, ut undique munitus virtutibus poſſim reſiſtere vitiis, & hoſtibus mentis & corporis*. Ad manipulum, *Da mibi, Domine, ſenſum rectum, & vocem puram, ut implere poſſim laudem tuam.* Auctor Micrologi, quem Pamelius vixiſſe putat tempore Gregorii VII. de præparatione ad Miſſam ita ſcribit cap. 23. *Presbyter cum ſe parat ad Miſſam, in primis cantat pſalmos*, Quam dilecta, Benedixiſti, Inclina, Credidi. Deinde Kyrie eleiſon, Pater noſter, *Verſ.* Ego dixi Domine: Convertere Domine: Fiat miſericordia: Sacerdotes: Protector noſter: Domine exaudi. *Oratio*. Auſer a nobis Domine iniquitates noſtras, & peccata noſtra, ut mereamur puris mentibus ad ſancta ſanctorum introire. *Alia*. Actiones noſtras. *Paratus autem venit ad Altare*. Nec alias commemorat orationes. In Miſſa Illyrici ſunt ſpeciales precationes ad ſingulas veſtes, quæ infra legi poſſunt in Appendice. In alia Miſſa ex Codice Chiſio ſunt ipſæmet, quæ ſupra ſcriptæ ſunt ex Codice Tiliano. In Miſſali Romano impreſſo Venetiis ann. 1534. præmittitur ordo celebrationis Miſſæ ſeorſim etiam excuſus *per D. Joannem Burchardum Argentinum Decretorum Doctorem & Magiſtrum cæremoniarum D. Papæ*, (2)

qui

qui ait orationes dum induitur Sacerdos non ex præcepto, ſed ex devotione dici, & poſſe iis dimiſſis recitari Pſalmum *Miſerere*, aut alium convenientem. An vero hodie hæc ſententia tuta ſit, ſcholaſticis diſcutiendum relinquo (3).

Ritus aliquot Eccleſiarum, ſumendi amictum poſt albā antiquiſſimus eſſe videtur, & ab Eccleſia Romana deſumptus.

(1) *Quædam Eccleſiæ, ut Ambroſiana, & Lugdunenſis amictum ſumunt poſt albam*) Qui ritus antiquiſſimus eſt, & ni fallor, ab Eccleſia Romana deſumptus, etenim Ordo Romanus primus ante Caroli Magni tempora ſcriptus, a Mabillonio tom. 2. Muſæi Italici, & iterum a Franciſco Blanchinio editus ex vetuſtiſſimo Codice Veronenſis Eccleſiæ hunc morem diſerte præſcribit pag. 7. num. 6. *Subdiaconi regionarii ſecundum ordinem ſuum accipiunt ad induendum Pontificem ipſa veſtimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anagolaium, ideſt amictum, alius lineam dalmaticam, & alius majorem dalmaticam, & alius planetam: & ſic per ordinem induunt Pontificem*. Et Ord. Rom. V. §. 1. de veſtimentis Pontificalibus ſic habetur: *in primis camiſia & cingitur ſupra, deinde linea cum cottis, ſerica, & cingulum; poſt hæc mittitur anagolai* (qui ex primo, & ſecundo Ordine Romano dicitur amictus) & §. 2. *Presbyter Romanus ſimiliter . . . . in primis camiſia, & ſupra cingulum, poſtea tunica alba, & cingulum; deinde anagolai*. Ad primum locum obſervat Mabillonius idem a Maronitis Preſbyteris factitari. Et quidem Patriarcha Maronitarum in epiſtola ad Leonem X. in Concilio Lateranenſi relata, Eccleſiaſtica veſtimenta recenſens, quibus celebraturi Sacerdotes induuntur, primo loco ponit albam, deinde cingulum, poſtea amictum.

Morales, & myſticæ ſacr. veſtium ſignificationes.

(2) *Ea ſemper benedicunt*) Quid porro ſignificent ſacræ veſtes, præter jam indicata tom. 2. ad cap. 24. §. 3. & ſeqq. breviter innuit Gaufredus Neuſtrienſis Canonicus Regularis, qui vixit ſæculo duodecimo apud Martene Theſaur. Anecd. tom. 1. pag. 532. Epiſt. ſcilicet ejuſdem Gaufredi 34. „ Significatur autem, ait ille, per albam munditia, per zonam continentia, per ſuperhumerale juſtitia, per manipulum diſcretio, quæ eſt omnium mater virtutum, per ſtolam jugum Domini ſuave, & onus leve, per caſulam vero, qua ſuper omnia ornamenta induitur, ſanctitas, & juſtitia, quibus ſacerdotalis gloria fulgere debet, deſignatur. Alias hujuſmodi ſymbolicas, morales, & myſticas ſacrarum veſtium ſignificationes fuſiores qui velit, inter cæteros adeat Innocentium III. Myſter. Miſſæ lib. 1. cap. 35. & ſeqq. Durandum in Rationali lib. 5. cap. 3. Alphonſum Torres de Inſtit. Sacerd. parte 1. cap. 3. §. 3., Reginaldum lib. 19. num. 33. Toletum lib. 2. cap. 2., Gregorium Roſſignolium de Ord. Eccl. parte 2. art. 9. num. 14. & ſeqq. Item de Euchariſtia quæſt. 9. art. 5. num. 4., ac denique Gavantum, & ex ipſo Meratum in Rubr. Miſſalis parte 2. tit. 1. num. XXXIII., ubi eorumdem veſtimentorum Sacerdotalium ex variis Auctoribus collectæ expoſitiones anagogicæ, allegoricæ, & tropologicæ quamplures referuntur.

Has porro ſacras veſtes recenſet Ratherius Veronenſis Epiſcopus in epiſt. Synodica ad Presbyteros apud Acherium Spicilegii tom. 2. *Nullus*, inquit, *cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, & planeta. Et hæc veſtimenta nitida, & ad nullos alios uſus ſint*, additque: *nullus cum alba, qua in ſuos uſus utitur, præſumat Miſſam cantare, neque cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus* &c. De his item veſtibus conſulendi præſertim Andreas Sauſſajus in Panoplia tum Epiſcopali, tum Sacerdotali, & noviſſime clar. D. Cajetanus M. Meratus Comment. in Gavantum tom. 1. Quoad has veſtes Sacerdotales inſuper obſervandum eſt de ſtola, ſeu orario, quod ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine in modum crucis ante pectus aptari ſolet, uti breviter innuimus dicto tom. 2. ad lib. 1. cap. 24. §. 7. nota 1. & 2. ex Concilio Bracarenſi IV. can. 4. ſeculo ſeptimo celebrato, ejuſque ibi textum attulimus, cui Martenius de antiq. Eccl. Rit. tom. 1. cap. 4. art. 1. num. 11. adjungit antiquum Miſſale MSS. Eccl. Pariſienſis, quod olim Ludovico Card. Borbonio uſui fuit, extatque in Regia Bibliotheca num. 4226. ubi legitur: *Poſtea ponat ſtolam ſuper collum ſuum, & ſuper pectus in modum crucis*. Idem habet Guillelmus Durandus in MSS. Pontificali, quo utebatur Joannes Sairebruche Epiſc. Catalaunenſis in Gallia. Quod & in veteribus quibuſdam picturis advertimus. Hæc obſervatio, ſubdit laudatus Martene, non nullius videbitur momenti ad revincendos nonnullos hac ætate rituum ſtudioſos, qui hanc Eccleſiæ praxim tanquam recentiorem temere damnant, eamque immutare privata auctoritate non verentur. Plures denique orationes ex variis Miſſalibus antiquis excerptas refert ibidem memoratus Scriptor a Sacerdotibus olim, dum ſacris veſtibus induebantur, recitatas, quæ a noſtris ex Miſſali Romano admodum diverſæ ſunt; aliaſque item exhibet art. XII. pag. 466. & ſeqq. ejuſdem tom. 1.

An Orationes a Sacerdote dici præſcriptæ dum ſacris veſtibus induitur abſque gravi culpa omitti poſſunt.

(3) *Scholaſticis diſcutiendum relinquo*) Sane quoad hanc ſententiam diſſident Doctores; & quidem quod eæ orationes a Sacerdote, dum induitur, dicendæ ſint ex præcepto, neque advertenter omitti poſſint abſque gravi culpa, affirmant Navarrus in Man. cap. 25. num. 73. & Conſil. 3. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 29. quæſt. 5., quibus adhærere videtur Sylvius in 3. par. D. Thomæ quæſt. 83. art. 6. num. 8., & conſonat D. Bernardus Biſſo in Hierurgia ſac. verbo *Sacerdos* num. 20., nihilominus dummodo id fiat ſine contemptu non peccare mortaliter Sacerdotem dictas preces omittentem dicitur ille apud Dianam Coord. tom. 2. reſol. 166. tract. 1. ubi quindecim citat Auctores pro hac ſententia. Idque confirmari poteſt ex ſupradictis ab Eminentiſſimo Scriptore. Etenim ſi harum precum, ut

ipſe

ipſe ait, nec Ordo Romanus, nec Amalarius, nec alii ejuſdem ſeculi Scriptores mentionem faciunt, & deſunt quoque in antiquioribus Miſſalibus MSS., & in Lib. Sacramentorum S. Gregorii, quomodo nunc læthale erit omittere, quod antea uſque ad 9. ſeculum in uſu non fuit? Neque de hoc non omittendo, adſit præceptum, ſeu lex præcipiens dictas orationes a Sacerdote dicendas ſub onere peccati mortalis, ut ait Diana loco citato, & præcipue Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9. ubi probat regulas Miſſalis non obligare ad mortale, niſi contineant eſſentiam, ſeu quaſi eſſentiam ſacrificii, reliquas vero non eſſe præcepta, ſed conſilia. Ita etiam Quartus in Rubricas Miſſalis par. 2. tit. 1. ſect. 4. dub. 8. Quibus conſonant alii apud Giribaldum de Sacrificio Miſſæ cap. 9. dub. 5. num. 43., ubi hæc ait: „ Verum exiſtimo illarum orationum omiſſionem non inducere pluſquam culpam venialem, quia de illis non datur præceptum, „ ſed quædam inſtructio doctrinalis; & ita „ tenent Homobonus de exam. par. 1. tract. „ 5. num. 12. Lupus diſp. 20. num. 106. „ Diana parte 2. tract. 14. reſol. 41. Bonacina puncto 9. num. 31. & aliis relatis, „ Leander diſp. 7. quæſt. 57., Tamburinus „ Meth. celebr. Miſſæ lib. 1. cap. 7. §. 1. „ ubi ægre admittit veniale, quia ſi nullum „ datur præceptum, ad quid ponere culpam „ venialem?

§. VII.

Panis, & vini proxima præparatio.

SIc indutus Sacerdos, & omni ornatus Miſſatica paratura, ut Auctor vitæ S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani loquitur, panem & vinum ad uſum ſacrificii præparat; quod a Latinis in Sacrario, a Græcis in Protheſi fit. Et Latini quidem nulla cæremonia in pane præparando utuntur, niſi quod hoſtiam patenæ ſuperponunt, & præparant ante Miſſam. Vinum vero infundunt calici, & aqua miſcent in Altari, poſt panis oblationem eo ritu, qui infra ſuo loco explicabitur. At Græci majori apparatu hoc ipſum præſtant in minori Altari ad lævam majoris poſito, in quo dona ſacranda primo proponuntur, & primam quodammodo ſanctificationem precibus Sacerdotis accipiunt. De qua re cum in Concilio Florentino Græci a Latinis interrogati fuiſſent, illorum nomine Epiſcopus Mitylenenſis legitime ac canonice reſpondiſſe fertur: & quamvis non ſit ſcripta ejus reſponſio, credibile tamen eſt nihil aliud eum dixiſſe, quam quod S. Germanus, & poſt eum Cabaſilas, & alii Græcorum rituum Explanatores ſcribunt, hæc omnia quæ fiunt in Protheſi ad præparationem pertinere, & ad ea referri, quæ paulo poſt in ſummo Altari gerenda ſunt. Græcus itaque Sacerdos ſacris veſtibus indutus procedens ad protheſim, ſeu menſam Propoſitionis lavat manus cum miniſtris dicens: *Lavabo inter innocentes manus meas*, & quæ ſequuntur uſque ad finem Pſalmi. Tum Diaconus præparat diſcum' ſive patenam lancis profundioris figuram habentem, & ponit in parte ſiniſtra, calicem vero ad dexteram: ſumitque Sacerdos manu ſiniſtra panem, dextera ſanctam lanceam, nempe gladiolum adinſtar lanceæ huic miniſterio deputatum, & cum ea ſignum Crucis facit ſuper ſigillum oblatæ. Eſt autem ſigillum Crucis effigies pani impreſſa. Poſt hæc ſcindit ipſum ſigillum in partes & ponit in diſco, & attollit, adoletque incenſum, & Diaconus infundit vinum, & aquam in calicem; multæque interim orationes recitantur, quæ in Liturgia Chryſoſtomi legi poſſunt (1). Imitantur vini & aquæ præparationem antequam Miſſam inchoent quidam Latinorum, ut (1)
Carthuſiani (2), Prædicatores, & veteri ritu Ciſtercienſes ac quidam alii. (2)
Statim enim ac pervenerunt ad Altare, vinum calici infundunt, & aquam miſcent, brevique oratione benedicunt. Plerique autem Sanguinis & aquæ, quæ de latere Chriſti emanarunt, myſterium commemorant: quem ritum in Eccleſiis Gallicanis paſſim viguiſſe teſtatur Sauſſajus in Panoplia Sacerdotali *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *art.* 5. Sed redeo ad Græcos. Obſervant

ſervant

ſervant illi hunc morem, ut facta majoris hoſtiæ oblatione plures deinde particulas ſingillatim offerant, quas *meridas* vocant: quia cum ſacrificium plures fines & effectus habeat, iis ſignificandis particulas multiplicant. Et primam quidem hoſtiam, ut debitum Deo cultum reddant in memoriam Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, offerunt. Secundam ad honorem glorioſæ Virginis Mariæ, ut Deus ipſius precibus ſacrificium acceptare dignetur, ſive ut gratias ei agant pro beneficiis ipſi Virgini, & nobis per ipſam collatis. Tertia eſt in honorem S. Joannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum, & aliorum quos nominant. Quarta pro ſalute viventium, quorum nomina recitant quotquot voluerint, ut eis Deus peccata dimittat, & omnia bona largiatur. Quinta pro defunctis, eorum item nominibus recitatis. Quod ſi Sancti alicujus ſolemnia ea die celebrentur, propriam illius venerationi particulam ſecernunt & offerunt. Poſſunt etiam pro quocumque voluerint ſingillatim offerre. Similiter & reliqui Sacerdotes celebranti aſſiſtentes, & Diaconi, ſi velint, tollunt particulas pro iis quoque nominatim, qui ſibi commendati ſunt. Nec Diaconi propterea cenſendi ſunt officium ſibi non debitum ſacrilege uſurpare, ut credit Arcudius *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 13. non enim de hac oblatione loquuntur canones ab eo citati; ſed de alia quæ fit in Altari, & ad ſolos Sacerdotes pertinet. In hac vero quæ illi prævia eſt, & a conſecratione longius remota, nihil aliud facit Diaconus, niſi quod particulas ſcindit, & in diſco reponit a Sacerdote poſtea conſecrandas. His peractis thus adoletur tum ipſis donis, tum velaminibus, & protheſi, ac toti ſacrario, & aliquot orationibus, pſalmoque quinquageſimo recitatis finis imponitur primæ parti Liturgiæ, quæ eſt præparatio donorum, & primum offertorium. Porro particulas illas ſimul cum majori hoſtia a Sacerdote conſecrari certiſſimum eſt, quicquid in contrarium aſſerant quidam Græci recentiores hoc perperam negantes. Primus autem hujus erroris diſſeminator fuit Simeon Theſſalonicenſis, quem Arcudius egregie confutat *lib. cit. a cap.* 10. *uſque ad* 18.

Orationes quas Græci recitant in præparatione panis ad protheſin.

(1) *Quæ in Liturgia Chryſoſtomi legi poſſunt*) Jac. Goar in Euchologio pag. 60. has breves recitat orationes: ait enim: „ Dum
„ Sacerdos lancea, ſeu gladiolo ſignum cru-
„ cis facit ſuper ſigillum oblationis, ideſt ſu-
„ per effigiem crucis io ipſo paoe impreſ-
„ ſam illis verbis ſuperpoſitis: *Jeſus Chriſtus*
„ *vincit*, dicit ter in memoriam Domini,
„ & Dei, & Salvatoris oostri Jeſu Chriſti,
„ ſtatimque lanceam inſigens in dexteram
„ partem ſigilli, & ſcindens, ait: *Tamquam*
„ *ovis ad occiſionem ductus eſt*; in ſioiſtra ve-
„ ro ſcindens dicit: *Et ſicut agnus manſue-*
„ *tus coram tondente ſe obmuteſcens, ſic non*
„ *aperuit os ſuum*; ſimiliter ſcindens ſuperio-
„ rem partem ait: *In humilitate ejus, judi-*
„ *cium ejus ſublatum eſt*, & dum ſcindit in-
„ feriorem dicit: *Generationem ejus quis enar-*
„ *rabit*? Interim Diaconus ad unamquamque
„ inciſionem ait: *Dominum oremus*, teoens
„ etiam dextera manu ſtolam: Tum dicit
„ Sacerdoti; *Attolle Domine*, & Sacerdos im-
„ mittens lanceam ex obliquo dexteræ par-
„ tis extollit panem dicens: *Quia tollitur de*
„ *terra vita ejus*: ponitque ipſum ſupinum
„ in ſancto diſoo, & dicente Diacono: *im-*
„ *mola Domine*, immolat eum in modum
„ crucis, dicens: *immolatur Agnus Dei,*
„ *qui tollit peccatum mundi pro mundi vita,*
„ *& ſalute*: & poſtea monente Diacono, *pun-*
„ *ge Domine*: pungit ipſum panem, & ait:
„ *Unus militum lancea latus ejus aperuit, &*
„ *ſtatim exivit ſanguis, & aqua*. Quo per-
„ acto Diaconus vinum, & aquam ſimul,
„ petita, & data a Sacerdote benedictione
„ in calicem infundit, dextera ſcilicet vinum,
„ ſiniſtra manu aquam.

(2) *Ut Chartuſiani*) Addendum, ac quidam alii, videlicet Carmelitæ, quem ritum admiſit olim in privatis Miſſis Eccleſia Romana, liberam Sacerdoti relinquens præparationem vioi, & aquæ vel ante Miſſam, vel poſt Evangelium. Miſſale Romanum Neapolis impreſſum an. 1482. hæc habet: *In Miſſa vero privata, ſi non adfuerit Subdiaconus, parat Sacerdos calicem, antequam incepta fuerit Miſſa, vel poſt Evangelium, ſecundum quod opportunum ſibi viſum fuerit*: quæ totidem verbis lego in alio Miſſali Romano edito an. 1500. Miſſale Noviomenſis Eccleſiæ Pariſiis impreſſum an. 1541. jubet præparari vinum, & aquam in calice a Sacerdote, antequam Miſſam iocipiat, vel ſaltem ante Evangelii recitationem: *Sacerdos* (ibi legitur) *diſcoo-*

perto Altari, & præparato adminiſtret panem ſuper patenam, & vinum, & aquam in calicem, ſi velit: ſaltem ante Evangelium hoc faciat.

C A P. I I.

Sacerdotis ad Altare duplex proceſſio. De Ritu Confeſſionis ante Miſſam, præmiſſo Pſalmo Judica me Deus. *Confeſſio generalis omnium gentium more probatur. Variæ ejus formulæ. Sanctorum poſt eam commemoratio cum oſculo Altaris.*

§. I.

Sacerdotis ad Altare duplex proceſſio.

SAcerdotis ad offerendum Sacrificium euntis duplex eſt proceſſio, una e propriis ædibus ad Eccleſiam, altera in ipſa Eccleſia a Sacrario ad Altare, & prima quidem, ſi de Epiſcopo ſermo ſit, fieri ſolebat cum ingenti pompa & apparatu. Crux enim & luminaria præibant, ut Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 8. & Marcus Diaconus *in vita S. Porphyrii Epiſcopi* ſcribunt. Sequebatur Clericorum, & Presbyterorum ingens comitatus, cujus antiquiſſimum teſtimonium habemus in Concilio Laodiceno c. 56. *Quod non oporteat presbyteros ante proceſſionem Epiſcopi introire ſacrarium & ſedere, ſed cum Epiſcopo debent ingredi.* Magnum Baſilium vidit Ephrem Syrus procedentem in Eccleſiam in die ſancto Theophaniæ, & circa eum venerandum clerum candidatum, & obſequentem ei, ut Auctor vitæ ejus aſſeverat. Ambroſius geſtus indecoros reprehendens *lib.* 1. *de Officiis cap.* 18. ait ſe juſſiſſe, ne quidam Clericus unquam præiret ſibi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos ſuos feriebat. Hinc procedere apud antiquos nihil aliud eſt, quam in Eccleſiam ad ſynaxim celebrandam convenire. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *ſedebam jam proceſſurus*, nempe in Eccleſiam ad ſacrificium offerendum. Leo Magnus *epiſt.* 81. ad Dioſcorum Alexandrinum, *qui noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit*. Diurnus Pontificum *cap.* 45. de dedicando Oratorio intra Monaſterium, *ſic tamen ut non illic publica proceſſio teneatur*, ideſt publica Miſſa, quæ ut alibi obſervavimus, in Monaſteriis vetita erat. Altera proceſſio ad Altare, ſive Epiſcopus celebret, ſive Presbyter, antiquo more qui adhuc viget, ſolemniter fieri ſolet. Utramque ſic deſcribit Ordo Romanus n. 11. (1). (1)

Deſcribitur prima ſolemnis Pontificalis proceſſio.

Denunciata Statione diebus feſtis primo mane præcedit omnis Clerus Pontificem ad Eccleſiam, exceptis qui in obſequio illius comitantur, qui ordine ſuo ſcribuntur, expectantes Pontificem in Eccleſia. Sed dum venerit Pontifex prope Eccleſiam exeuntes Acolythi, & Defenſores ex regione illa, cujus die ad officium fuerit in obſequio, præſtolantur eum loco ſtatuto, antequam veniat ubi deſcenſurus eſt. Porro Defenſores qui fuerint, quando, & a quo inſtituti, deque illorum ſtatu, munere, & juriſdictione late diſſerit Morinus lib. de ſacris Ordinationibus parte 3. exercit. 16. cap. 6. & duobus ſequentibus (2). *Similiter & Presbyter Tituli, vel Eccleſiæ ubi ſtatio fuerit, una cum Majoribus domus illius Civitatis, vel patre Diaconiæ, ſi tamen illa Eccleſia Diaconia fuerit, cum ſubdito ſibi Presbytero, & manſionario thymiamateria deferentibus in obſequium illius,* (2)

Et quidem ſummi Rom. Pontificis ad Miſſam in Eccleſia Stationali celebrandam.

incli-

inclinato capite dum venerit. Acolythi quidem cum Defenſoribus primum, deinde Presbyteri cum ſuis, petita benedictione, diviſis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem uſque ad Eccleſiam. Cum vero Eccleſiam introierit Pontifex, non aſcendit continuo ad Altare, ſed prius intrat in Secretarium ſuſtentatus a Diaconibus, qui eum ſuſceperint de ſellari deſcendentem. Ubi cum intraverit, ſedet in ſella ſua. Et Diaconi ſalutato Pontifice egrediuntur e ſecretario, & ante fores ejuſdem mutant veſtimenta ſua. Et parat Evangelium qui lecturus eſt, reſerato ſigillo ex præcepto Archidiaconi ſuper planetam Acolythi. Pontifex autem per manus Subdiaconorum regionariorum mutans veſtimenta ſolemnia, ordinabiliter compoſitis per Primicerium, & Secundicerium veſtimentis ejus ut bene ſedeant; noviſſime per Diaconum, vel Subdiaconum, cui ipſe juſſerit, pallio ſuperinduitur, & configitur per acus in planeta retro, & ante, & in humero ſiniſtro. Deinde Subdiaconus regionarius porrigit ei mappulam inclinans ſe ad genua ipſius. His ita compoſitis invitante ad regiam Secretarii præfato Subdiacono ſcholam, quartus ſcholæ, qui ſemper nuntiat Pontifici de cantoribus, adſtans ante faciem Pontificis, & nutum ejus ad pſallendum expectans, ſtatim dum innuit ei, egreditur ante fores Secretarii & dicit; Accendite, *Qui dum incenderint, ſtatim Subdiaconus ſequens tenens thymiamaterium aureum pro foribus ponit incenſum, ut pergat ante Pontificem. Et ille quartus ſcholæ ad priorem, vel ſecundum, ſive tertium inclinato capite dicit*: Domini jubete. *Tunc ſtatuuntur duæ acies in choro per ordinem ab utroque latere, & mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad introitum. Subdiaconi vero de ſchola levant planetas cum ſinu, ut nimirum expeditiores ſint ad miniſtrandum. Quorum vocem*, Cantorum ſcilicet, *Diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in Secretarium. Tunc Pontifex elevans ſe dat manum dexteram duobus Presbyteris, & illi oſculatis manibus ipſius procedunt cum ipſo ſuſtentantes eum, præcedentibus ante eos Diaconibus ſeptem. Tunc miniſtri cum thymiamaterio & thuribulis non amplius ternis procedunt ante ipſum mittentes incenſum, & ſeptem Acolythi portantes ſeptem cereoſtata foras Eccleſiam accenſa procedunt ante Pontificem uſque in chorum. Poſt thuribula portatur Evangelium propius Epiſcopo. Eadem autem proceſſio fit ab auſtro in ſeptentrionem. Tunc procedit Pontifex, & antequam veniat ad ſcholam, dividuntur cereoſtata quatuor ad dexteram, tria ad ſiniſtram. Et pertranſit Pontifex in caput ſcholæ, & in gradu ſuperiori inclinato capite ad Altare primo adorat Sancta, & ſtat ſemper inclinatus uſque ad verſum prophetalem*: nimirum uſque ad verſum Pſalmi, qui poſt introitum cantatur. Hæc Ordo Romanus de proceſſione ſummi Pontificis ad Miſſam, prout illa ferebant tempora (ſedente ſcilicet in Apoſtolico throno S. Gregorio Magno). Eadem multo fuſius deſcribitur in eodem libro in tertia Miſſæ deſcriptione; Turmas enim præcedentium Pontificem, eorumque ordinem & nomina accuratius exprimit. Tum ait equum Pontificis præceſſiſſe Acolythum ſtationarium geſtantem Chriſma in mappula involuta cum ampulla; alioſque Acolythos portantes ſacculos, ſindonem, aquammanus, calicem, patenam, ſchyphos, pugillares, gemelliones, colatorium, amas, cruces, evangelia, & omnem ſacram ſupellectilem. Sunt & alia minutiora, quæ ibidem legi poſſunt (3). Hodie ſummus Pontifex ſolemniter celebraturus hoc ordine procedit. Præcedunt nobiles Laici, tum Acolythi, Clerici Cameræ Apoſtolicæ, Subdiaconi, & unus Acolythus ferens thuribulum, & alii ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris. Sequitur Subdiaconus qui epiſtolam lecturus eſt (3)

 ferens

ferens Crucem, quem ab utroque latere comitantur duo Oſtiarii cum virgis. Deinde Pœnitentiarii cum Planetis, tum Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ cum Mitris: Poſtea Diaconi Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, & poſt eos Pontifex ſub conopœo, quod octo Principes ſive Oratores Regum, aut alii ex nobilioribus portant. Aſſiſtunt Pontifici duo Diaconi Cardinales eo præcedente, qui lecturus eſt Evangelium, poſtremam Pluvialis Pontificii partem ſuſtinente nobiliori Laico, qui ibi adſit, quacumque fulgeat dignitate. Subſequitur longo ordine familia Pontificia, omneſque Palatini, ac demum Protonotarii, & Prælati, qui non ſunt induti veſtibus ſacris, omnes cum Cappis quas vocant, ſeu ſpecialibus indumentis, quibus in publicis functionibus uti ſolent.

(1) *Utramque ſic deſcribit Ordo Romanus num* 11.) Videlicet ſecundus apud Mabillonium Muſ. Ital. Tom. 2. pag. 42.

Defenſores S. R. E. qui fuerint, quando, & a quo inſtituti.

(2) *Cap. 6., & duobus ſequentibus.*) De his etiam optime diſſerit Carolus Dufreſne in ſuo magno Gloſſario med. & infim. Lat. verbo *Defenſores Romanæ Eccleſiæ*. Erant iſti ex ordine pariter Clericali, quorum munus erat pauperum potiſſimum, & Eccleſiarum defenſioni, ac utilitatibus invigilare, ut & legata ad pias cauſas relicta in eleemoſynam pauperibus diſtribuerentur, ſicuti eſt in formula Defenſoris conſtituendi apud Gregorium Magnum lib. 4. Epiſt. 24. & 25. lib. 7. Epiſt. 66. lib. 11. Epiſt. 21. & alibi. Defenſores iſti Regionarii dicti ad varias Provincias deſtinati erant, uti teſtatur Joannes Diaconus lib. 2. de B. Gregorii Vita cap. 53. eorumque item officium erat de Epiſcoporum exceſſibus diſquirere, & cognitionem, ac notitiam ſuſcipere. His etiam Defenſoribus, ut Onuphrius Panvinius ex Pelagii Papæ Epiſt. in cap. de Primicerio Defenſorum, ait: *conveniebant cauſarum cognitiones, conventiones, actus, publica litigia, & quæcumque, vel Eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſtulabat*. Acta ſancti Sebaſtiani Mart. num. 68. de Cajo Papa: *Tranquillinum fecit Presbyterum, Sanctum Sebaſtianum autem, qui ad multorum profectum ſub ſpecie militiæ latebat, Defenſorem Eccleſiæ inſtituit, cæteros vero Subdiaconos fecit*. Hinc Defenſorum origginem ad S. Cajum referri perſpicuum eſt; meminit Tuti Romanæ Eccleſiæ Defenſoris Felix III. Papa in Epiſtola ad Zenonem Imp. & in alia ad Monachos Urbis Conſtantinopolitanæ, quem, ait, a ſe creatum de *provectioribus intra Eccleſiam Clericis*. Horum numerum Romæ ad ſeptem auxit item Gregorius Magnus, eoſque ſeptem Regionibus aſſignavit, ut ipſe teſtatur lib. 1. Ind. 1. Ep. 17., ubi de eorum officio, & privilegiis agit. Et Joannes Diaconus in ejus vita lib. 2. cap. 20. *ſeptem ex Defenſoribus honore Regionario decorandos indixit*; ex qua Defenſorum inſtitutione per ſeptem Regiones a Gregorio facta recte colligitur Ordinem Romanum, in quo Defenſores Regionarii nuncupantur, etiam in Ordine Romano primo, Gregorio ipſo vel poſteriorem eſſe, vel ab ipſomet poſtquam dictos Regionarios Defenſores inſtituit, diſpoſitum fuiſſe.

Mos olim in Eccleſia Rom. ut procedenti ad Altare Summo Pontifici ſacra præferretur Euchariſtia.

(3) *Quæ ibidem legi poſſunt*) Obſervandum tamen eſt, quod ex Ordine Romano num. primo apud Mabillonium Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 8. mos olim fuit in Eccleſia Romana, ut procedenti ad Altare Pontifici *Sacra*, ideſt Euchariſtia, *præferrentur*, ibi: *Et tunc duo Acolythi tenentes capſas cum Sanctis apertas, & Subdiaconus ſequens cum ipſis tenens manum ſuam in ore capſæ, oſtendit ſancta Pontifici, vel Diacono, qui præceſſerit: Tunc inclinato capite Pontifex, vel Diaconus ſalutat Sancta &c.* Et quidem hoc nomine *Sancta* Euchariſtiam ſignificari colligitur ibi ex num. 17. 18. 30. & 34., atque luculenter oſtendit Mabillonius ibidem Comment. in Ord. Rom. pag. XXXVI. Conſimilis ritus in Paraſceve obſervabatur ſeculo XIV. teſte Jacobo Cajetano in Ordinarii ſui cap. 92., ubi cum deſcripſit Proceſſionem Papæ cum ſuo Clero ab Eccleſia Lateranenſi ad Baſilicam S. Crucis cum Corpore Domini, hæc ſubdit: *Presbyter, qui portat Corpus Domini, ponat illud in Secretario, dum Dominus Papa præparat ſe. Illo præparato reportet illud ante Papam in Proceſſione ad Altare*. Hic autem ritus deferendi ſacra Myſteria ante Pontificem, cum ad Miſſarum ſolemnia celebranda ad Altare procederet, in primo tantum Romani Ordinis libello præſcribitur, non in aliis; nam ſecundus præcipit, ut Pontifex cum venerit ad Altare, *primo adoret Sancta*, quæ proinde ibidem antea extitiſſe neceſſe eſt. Quare exinde colligitur morem hunc extra Paraſceve circa VIII. ſeculum deſiiſſe, cum circa id tempus Ordo Romanus II., in quo ritus iſte delationis Euchariſtiæ ſiletur, evulgatus credatur. Eaque fortaſſe id accidit ratione, quam refert Paris de Graſſis ſub Leone X. Summo Pontifice Cæremoniarum Magiſter apud dictum Mabillon. loco citato pag. CXLIII. videlicet, *id* poſtea *a majoribus cautum fuiſſe, non quia a conſpectu ſalutaris hoſtiæ abhorrendum ducerent, ſed idcirco quod inter ſacrificandum non omnes cæremonias rite, recteque agere poſſent, quandoquidem in ipſius Sacramenti conſpectu nec Papa, nec Epiſcopi celebrantes congrue ibi ſedere, nec Mitram in caput retinere, neque incenſationem in ſe recipere poſſent, niſi poſt quam ipſum Sacramentum incenſatum fuiſſet, maxime quia per ipſosmet toties illud adolendum eſſet, & non per Diaconum Evangelicum, cujus hoc miniſterium proprium eſt. Adde*, inquit, *quod* cele-

celebrans Prælatus, quando, quotieſve incenſare debet, neceſſe toties habet ipſe genibus Sacramentum adorare &c. Hæc de ſolemni Summi Pontificis celebraturi Proceſſione al Altare ſint ſatis.

§. II.

De ſecunda Sacerdotis proceſſione a Sacrario ad Altare.

Deſcribitur cæterorum Epiſcoporum ſolemnis proceſſio ad Altare.

CÆterorum Epiſcoporum proceſſio erat ſecundo loco in ipſo Ordine Romano, ubi Miſſa deſcribitur ex Patrum Occidentalium inſtitutione. Ejus modus hic eſt. Proceſſionem coram Epiſcopo acturis a cuſtode Eccleſiæ in Sacrario ornamenta præbenda ſunt, Presbyteris Cappæ, Diaconis Stolæ, & Dalmaticæ, Subdiaconis ſibi congruæ veſtes, & mappulæ in ſiniſtra manu ferendæ, Acolythis candelabra, & thuribulum portaturis Caſulæ. Tertia vero impleta procedunt Diaconi de Sacrario dividentes ſe in duas partes, quatuor ad dexteram, tres ad ſiniſtram. Et tunc procedit Epiſcopus, eoque innuente cantatur Introitus. Poſt hæc ponit incenſum in thuribulo, & oſculatur Evangelium: & procedunt Acolythi cum candelabris, primum unus, deinde duo & duo, & Subdiaconi ſimiliter, atque poſt eos Diaconi. Et ſic procedit Sacerdos in Chorum ducentibus eum duobus Presbyteris Cappis indutis. Hæc ſummatim ibidem. Nunc autem quomodo fiat hujuſmodi proceſſio, Cæremoniale Epiſcoporum, & alii libri Rituales indicant, qui omnium manibus teruntur. Sunt tamen diverſarum Eccleſiarum diverſæ conſuetudines, quas ſi vellem ſingillatim deſcribere, nimis in longum hoc caput protraheretur. Unam ex his non omittam, quæ eſt Eccleſiæ Turonenſis, ex Libro de Proceſſionibus Eccleſiaſticis Jacobi Eveillon Canonici Andegavenſis cap. 5. *In Eccleſia*, inquit, *Turonenſi magno ſplendore, & apparatu procedit hæc pompa. Agmen ducit Theſaurarius longo intervallo præcedens, & Cereum accenſum candelabro argenteo præferens, aſſectante Apparitore, qui turbam ſubmoveat. Sequuntur ordine ſingulatim incedentes, ſed longo ab invicem ſpatio ſejuncti, ſeptem pueri ſymphoniaci albis, & tunicis veſtiti cum ſingulis candelabris, & cereis ardentibus. His ſuccedunt ſex Subdiaconi tunicis quoque, & cætero ſui ordinis cultu inſignes, quorum unus Crucem ſublimem effert, tres deinde Sanctorum Reliquias, duo reliqui libros argenteos inauratos Epiſtolarum, & Evangeliorum Miſſalium geſtant. Tum Diaconus, & Subdiaconus majores ad præcipuum Altaris miniſterium præcincti: poſt hos, qui Crucem Archiepiſcopalem, & Paſtoralem baculum præferunt. Poſtremo loco progreditur Archiepiſcopus Pontificali ornatu conſpicuus, cum duobus aſſiſtentibus Canonicis, & totidem Clericis, ſeu Capellanis Pluviale Pontificium ab utraque parte ſublevantibus. Hoc ordine procedunt a Secretario in navim Eccleſiæ ſecundum dextrum Chori latus, atque inde per medium chorum ad Altare: exceptis dumtaxat pueris ceroferariis, qui cum ad ſummum chorum venerint, ibi ad lineam directi conſiſtunt, quatuor a dextera, tres a ſiniſtra parte, & prætereunte Pontifice omnes candelabra ſua ordinatim diſpoſita in ſolo ante aquilam pulpiti collocant, atque inde ſecedentes duo ad Altare pergunt, reliqui Scholæ Cantorum ſe adjungunt. Atque hunc procedendi ritum antonomaſtice* Ordinem *vocant* (1). Ejuſdem proceſſionis mentionem faciunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 5. Rupertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 28. & Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 7. qui tamen ſymbolicas dumtaxat ipſius rationes ediſſerunt.

(1)

(1)

(1) *Antonomaſtice Ordinem vocant.*) Ex eodem Jacobo Eveillon notat Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 2. num. 1. quod hie quidem ritus olim in Eccleſia Turonenſi ante annos ſexaginta obſervatus hactenus illibatus permanſit in Eccleſia Andegavenſi cum hoc diſcrimine, quod verſus *accendite*, qui a præcentore imponebatur apud Romanos, Andegavis cani ſolet a pſaltis, & pueris Symphoniacis in aditu Chori. Sed in Eccleſiis olim Gallicanis Archidiaconus alba indutus, Epiſcopum invitans ad Altare, præcedebat teſte Gregorio Turon. Hiſtor. lib. 4. cap. 38. Pariſiis (ut idem ſubdit Martene) Celebrans ad Altare procedendo deferr cum velo Sanctam Crucem in Eccleſia Metropolitana, aliiſque Eccleſiis Collegiatis, & magnis Parochiis; in aliis vero minoribus Eccleſiis loco hujus Sanctæ Crucis defertur ab Acolytho, ſeu antiquiore puerorum Chori cappa induto magna Crux Proceſſionalis inter duos Ceroferarios; ita ex Cæremoniali Pariſ. anno 1656. impreſſo.

APPENDIX AD HUNC §.

Solemnis aquæ benedictio qualibet die Dominica non prætermittenda.

POſt Proceſſionem ad Altare antequam Sacerdos Miſſam incipiat ſolemniter in diebus Dominicis fit ſolemnis aquæ benedictio. De benedicenda hae aqua qualibet die Dominica præceptum urget, adeo rigoroſum, ut Gavant. de Rubr. Benedict. ſeu par. 6. tit. 19., uti ipſius Commentator Meratus affirmat, conſtanter aſſeveraverit numquam omitti debere tali die hujuſmodi aſperſionem, & præcedenter Benedictionem, circa quam obligationem extat apud Burchardum Vormatienſem lib. 2. cap. 12. Canon antiquiſſimus Concilii Nannetenſis, in quo diſerte præſcribitur, *ut omnibus diebus Dominicis unuſquiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, tanto myſterio convenienti, de qua Populus intrans Eccleſiam aſpergatur*: ſimilia leguntur in Capitularibus Caroli Magni lib. 5. cap. 210. nimirum: *ut omnis Presbyter die Dominico cum Pſallentio circumeat Eccleſiam ſuam una cum Populo, & aquam benedictam ſecum ferat &c.* Ex quibus apparet, quod non tantum fieri debet aſperſio ex hac aqua, ſed etiam nova Benedictio, qualibet die Dominica contra malam conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum, etiam Cathedralium, in quibus utique fit aſperſio, ſed ex aqua jam præcedentibus diebus benedicta, quod aperte eſt contra Ritum præſcribentem hanc renovationem aquæ benedictæ qualibet hebdomada faciendam, ad evitandam facilem ejus corruptionem, & commixtionem cum ſordibus, pura etenim difficile remanet aqua extra ſuum fontem expoſita per integram hebdomadam. Præterea hæc renovatio aquæ ſuum habet myſterium ſignificando ſingulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptiſmatis. Quartus tit. 3. de Benedict. ſimplici dub. 4., & Baruffaldus de Ordine ad faciendam Aquam Benedictam tit. 45. §. 1. n. 13., & ſeqq. A prædicta tamen regula benedicendi aquam qualibet Dominica excipiuntur Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus non ſervatur hie Ritus benedicendi aquam ab illis Eccleſiis, ubi adeſt Fons Baptiſmalis, quia ut adnotat mox laudatus Cajetanus Maria Merati in ſuis Additionibus ad Commentaria Gavanti in Rubrica Sabbati Sanctioris, aſpergitur Clerus, & Populus in prædictis duabus Dominicis, cum aqua pridie benedicta in Fonte Baptiſmali ad hunc finem reſervata in aliquo vaſe, qui ritus clare præſcribitur in Miſſali, ubi ſermo habetur de Benedictione Fontis Baptiſmalis.

Sacerdotis in Miſſa privata ad Altare preceſſus.

Hactenus de Proceſſione ad Altare tum Sacerdotis, tum Miniſtrorum ejus in Miſſa ſolemni actum eſt. Jam de ipſius Celebrantis in Miſſa privata ad idem acceſſu nonnulla dicenda ſunt. More antiquo ad miniſterium Sacerdotibus exhibendum, non alios præter Clericos admiſſos fuiſſe ſatis ſuperque ſacrorum veterum Rituum Studioſis compertum eſt; cum enim hæc Eccleſiaſtica miniſterialis functio jus tribueret ad Altare propius præ cæteris accedendi, eadem merito Clericalis reputabatur, ſolis proinde Clericis, & non aliis de Populo committenda. Sic decretum legimus in pleriſque Provincialibus Synodis, quæ OEcumenicum Concilium Tridentinum ſubſecutæ ſunt. Mediolanenſis I. Tit. 5. apud Labbeum Conc. Tom. 15. pag. 261. *Celebranti Sacerdoti unus ſaltem Miniſter adſiſtat, iſque Clericus, ubi poſſit, & talari veſte, ac ſuperpelliceo indutus.* Quod & IV. ac VI. item Mediolanenſes confirmant. Inſuper Toloſana Synodus anno 1590. habita cap. 6. *Qui Celebranti Presbytero inſerviet, Clericus, quoad fieri poterit, ſeligetur. Is ſuperpelliceo, veſteque talari inſtructus antequam Sacriſtia celebraturus egrediatur Presbyter, rebus ad Miſſam neceſſariis, qua poterit venuſtate, & munditie Altare inſtruat, & exornet.* Sunt & aliæ diverſarum Synodorum hujuſmodi ſanctiones, quas ex brevitate relinquo; cum vero in præſenti rerum ſtatu creſcente privatarum Miſſarum numero non ſit ſufficiens Clericorum copia ad ſingulas omnes inſerviendas, tolerat Eccleſia, ut Laici ſeculares, dummodo idonei ſint, Sacerdoti ſacrum facienti adminiſtrent, idque his concedi oportuit ſic exigente temporum conditione, ut Clericorum vices implere poſſint, ne videlicet inferiorum miniſtrorum defectu ceſſare ab offerendo Sacrificio Sacerdotes compellerentur. Idonei vero ii Laici dicuntur, qui decenti habitu, morum gravitate, ſenſu pietaris, vultuque ad modeſtiam, & honeſtatem compoſito palam faciunt ſe tam ſublimis officii dignitatem, & excellentiam percipere; nam ſi ex Concilii Tridentini Decreto ſeſſ. 22. de obſerv. & evitandis in celeb. Miſſæ non debet Sacrificium a Sacerdotibus ſecularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi, *niſi prius, qui*

inter-

interſint decenter compoſito corporis habitu declaraverint ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore, adeſſe: quanto magis hoc exigi debet a Sacerdotum miniſtris, qui quo propius ad Altare accedunt, eo ſe ſanctiores præſtare tenentur, cum maxime totius populi ſuppleant vices, & adſtantium omnium nomine publicum miniſterium impleant? Vide quæ jam ſupra dicta ſunt hac de re Tom. 1. ad lib. 1. cap. 13. §. 6. nota 1. Quomodo autem Sacerdos celebraturus, ejuſque Miniſter per Eccleſiam incedere debeant, & ad Altare procedere, accurate deſcribunt Gavantus, & in eumdem Meratus ad Rubr. Miſſalis Parte 2. tit. 1. quibus nihil ultra adjiciendum videtur.

§. III.

De ritu Confeſſionis ante Miſſam, præmiſſo Pſalmo Judica me Deus.

SAcerdos cum pervenerit ad Altare ſtans in infimo ejus gradu (1), (1)
præmiſſo Pſalmo *Judica me Deus*, recitat cum miniſtris Confeſſio-
nem, qua finita aſcendens ad Altare dicit orationes *Aufer a nobis* (2), (2)
& *Oramus te Domine*: & ſi ſit Epiſcopus ſolemniter celebrans, oſculatur
Evangelium (3). Deinde ipſa Ara incenſatur, choro interim Introitum (3)
concinente. In Ordine Romano cum ſint quatuor Miſſæ deſcriptiones,
quæ fere coincidunt, non niſi in ſecunda, quæ ex inſtitutione Patrum
Occidentalium dicitur eſſe, mentio fit Confeſſionis, nulla tamen ejus for-
mula præſcripta: *Pontifex*, inquit, *poſtquam in medietatem chori perducitur,
Presbyteris, qui eum ducebant, ſive Diaconibus manus ejus oſculantibus, pro-
priaque repetentibus loca, inclinans ſe Deum pro peccatis ſuis deprecatur.
Tunc erectus primum duobus Presbyteris, deinde Diaconis omnibus pacis oſ-
cula dabit per ordinem*. Poſt hæc aſcendens ad Altare primo Evangelium,
deinde ipſum Altare oſculatur. Quæ quidem oſcula tum Miniſtrorum,
tum Evangelii, & Altaris in omnibus fere antiquis Ritualibus ſancita ſunt.
Quod vero Miſſam generalis confeſſio antecedat, ritus antiquiſſimus eſt,
ut mox oſtendam; ſed diverſæ in diverſis Eccleſiis ejus formulæ ſunt.
Præmittitur ſignum Crucis, a quo omnia auſpicari ſemper Chriſtianis ſo-
lemne fuit, teſte Tertulliano, qui *lib. de corona mil. cap.* 3. inter ea,
quæ ex traditione ſine ullius ſcripturæ teſtimonio uſurpantur, hoc etiam
recenſet (4). Sequitur Pſalmus *Judica me Deus* (5), cum Antiphona (4) (5)
Introibo ad Altare Dei; quem tempore S. Ambroſii dici conſueviſſe aſſe-
runt Recentiores (6), qui de Miſſæ Sacrificio ſcribunt, ſed perperam: (6)
liber enim de Initiandis (7) *cap.* 8. & liber quartus de Sacramentis (7)
cap. 2. quæ duo loca ab illis citantur: nec de Sacerdote, nec de Miſſa
loquuntur; ſed de recenter baptizatis. *His abluta plebs*, ait Ambroſius
loco priori, *dives inſignibus ad Chriſti contendit Altaria dicens*, Introibo
ad Altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Depoſitis enim
inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cæleſte illud fe-
ſtinat adire convivium*. Et libro citato de Sacramentis, *veniebas*, inquit,
deſiderans ad Altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet anima tua, In-
troibo ad Altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.
*Depoſuiſti peccatorum ſenectutem, ſumpſiſti gratiæ juventutem. Hoc præ-
ſtiterunt tibi Sacramenta cæleſtia*, Baptiſmi videlicet, & Confirmationis,
de quibus in præcedentibus ſermo fuit. Citant quoque in hunc Pſalmum
Auguſtini Commentarium: verum ſi quis ipſum attente legerit, nihil re-
periet de ejus ante ſynaxim recitatione (8). In Miſſa edita ab Illyrico (8)
ponitur hic Pſalmus peracta confeſſione ab Epiſcopo recitandus poſtquam
oſculum pacis præbuit Miniſtris. In alia veteri Miſſa Codicis Chiſii idem
Pſalmus cum Antiphona *Introibo* a Sacerdote, & Miniſtris alternatim

dici

dici ante confeſſionem ſtatutum eſt, ut hodie fit. Micrologus quoque
cap. 23. *paratus*, inquit, *Sacerdos venit ad Altare dicens Antiphonam*,
Introibo ad Altare Dei, *& Pſalmum*, Judica me Deus, *poſt quem ſequi-
tur confeſſio*. Alia Miſſa ex Codice Tilliano apud Menardum poſtquam
Epiſcopus indutus eſt veſtibus ſacris ait: *oſculetur duos Presbyteros*, *&
duos Diaconos incipiens per ſe*, Introibo ad Altare Dei, *cum Pſalmo*, Ju-
dica me Deus. Ex Miſſali antiquo Bibliothecæ Vaticanæ num. 4772.
Sacerdos hunc Pſalmum recitat cum Antiphona, dum pergit ad Altare,
quo cum pervenerit, dicit confeſſionem. Eumdem ritum ſervant Car-
melitæ. Miſſale Romanum a Paulo III. recognitum, & Lugduni editum
an. 1550. dici hunc Pſalmum præcipit a ſolo Sacerdote manifeſte, vel
ſub ſilentio, antequam accedat ad Altare (9). In aliis vero tam editis, (9)
quam MSS. Miſſalibus multo ante Paulum III. idem mos ſtatuitur, quo
nunc utimur: cujus etiam mentionem faciunt Stephanus Brulefer Armo-
ricus, qui vivebat an. 1480. *in declaratione myſteriorum Miſſæ*, & Gui-
bertus de Tornaco, qui floruit an. 1260. *lib. de officio Epiſcopi cap.* 17.
vir denique ſacrorum Rituum peritiſſimus Paris Craſſus in MS. Cæremo-
niali Summi Pontificis *cap.* 65. arbitrarium ſuo tempore fuiſſe ait hunc
pſalmum dicere, vel omittere. Licet enim ex conſuetudine (10) etiam (10)
in Miſſis pro Defunctis diceretur, nulla tamen id lege ſtabilitum erat.
Ex his autem bene perpenſis intelligimus ante annos fere octingentos;
quo tempore ſcriptus fuiſſe videtur Codex Chiſius, hunc pſalmum cum
ſua Antiphona ante Miſſam recitari conſueviſſe; eum tamen ritum, nec
ubique receptum, & quandoque mutatum, donec Pius V. in poſtrema
Miſſalis recognitione ab omnibus, qui Romanis ritibus utuntur, eum con-
feſſioni præmitti præcepit.

Sacerdos quare profunde inclinatus Miſſam incipit, & ſignat ſe ſigno Crucis.

(1) *Stans in infimo ejus gradu* &c) Profunde ſe inclinat; decet enim, ut docet D. Thomas II. 2. quæſt. 83. art. 12. quod Homo Deo ſerviat ſecundum totum illud, quod habet a Deo, cumque ab eodem habeat & animam, & corpus, illi utroque ſervire debet, eique placere etiam habitu corporis, ut ſcribit Sanctus Cyprianus ſerm. de Oratione Dominica, præſertim cum ex S. Auguſtino lib. de cura pro mortuis cap. 5. & Epiſt. 121. ad Probam cap. 9. atque citato D. Thoma II. 2. quæſt. 81. art. 7. hujuſmodi ſignis exterioribus acrius excitemur interius ad Dei venerationem. Itaque corporis inclinatio humilitatem, & reverentiam ſignificat, ut conſtat ex pluribus ſacræ Scripturæ locis, ſola autem humilitas Magno Gregorio teſte lib. 2. Epiſt. 54. edit. antiq. eſt officii Sacerdotalis erectio. Ideo Sacerdos reverſus ad Altaris crepidinem in Miſſis privatis (in ſolemni enim confeſſio fit antequam aſcendatur ad Altare) ſe iterum profunde inclinat, tum ob majorem reverentiam divini nominis, in tanti myſterii celebratione, tum ob ſui demiſſionem, & deſpicientiam, ſe enim quaſi pulverem, & cinerem, cum Abrahamo ante conſpectum Domini confitetur, tum ad Chriſti Domini Sacerdotis in æternum exinanitionem indicandam, quippe qui inclinaverit cœlos, & deſcenderit, formam ſervi accipiens, juxta illud ad Philipp. 2. uti primus obſervat Durandus in Rationali lib. 4. cap. 7. poſtque ipſum plerique alii Liturgici Scriptores. Qui etiam Mimatenſis Epiſc. recte obſervat ibi Sacerdotem in infimo Altaris gradu ſtantem junctis ante pectus manibus conſiſtere, junctio enim manuum devotionem ſignificat, & per eas ſic invicem junctas, & extenſas ſupplicio deſtinatas eſſe indicari, uti etiam olim ſec. 9. Nicolaus Papa I. ad Conſulta Bulgarorum reſcribens de hujuſmodi conſtrictis manibus ait fieri humilitatis gratia, quia in Evangelio Matth. 22. reproborum manus ligari inveniuntur, quaſi dicat orans Sacerdos: Domine ne ligari manus præcipias, quia ecce jam eas ligavi, & ecce in flagella paratus ſum: Hæc laudatus Pontifex. Sic autem idem Celebrans digitos jungit, ut pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito formet Crucis ſignum ad majorem humilitatem, ac devotionem exprimendam. Erectus poſtea ſignat ſe ſigno Crucis; *ad omnem* enim *progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad menſas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus*, inquit Tertullianus de Corona militis cap. 3. Atque inde Auguſtinus de ſigno Crucis loquens Tract. 118. in Joannem ait: *quod niſi adhibeatur frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo Chriſmate unguntur, ſive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*. Jure igitur, atque omni prorſus ratione convicti tremendum hoc divinum Sa-

cri-

crificium, quo alimur, & potamur, ut nobis amplius pingue fiat, a ſacratiſſimo Crucis ſigno, per quod ſalus omnis, & redemptio noſtra facta eſt, profunde ob divini numinis reverentiam inclinati auſpicamur, orantes fieri illud nobiſcum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt nos, & confundantur.

De hoc porro ſaluberrimo Crucis ſigno plura Emm. Author in Div. Pſalmodia cap. 16. §. 5. quæ hic repetere non vacat, illucque Lectorem amando; prolixe item & ante ipſum de eodem viviſico Crucis ſigno agit Demochares lib. 4. de Miſſa cap. 49. Hoc unum ad id propoſiti ſubdam, quod etſi nos ſemel tantum ad unicam divinitatem reſpicientes nos ſignemus, Æthiopes tamen, ut ex eorum Liturgia conſtat, ter, nempe ad cujuſque Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ nomen, ad perſonarum diſtinctionem ſignificandam id faciunt. Itaque ubi veteres Hæbreorum Pontifices aurea lamina Dei ineffabili nomine inſculpta frontem muniebant, ſic in novo Teſtamento, ut ex Petro Damiani lib. 3. Epiſt. 9. ineffabile Crucis Myſterium, quod ei ex Ruperto lib. 1. de offic. cap. 26. ſucceſſit, Sacerdotum frontem, & pectus decorat, veluti validiſſima, & inſuperabilis armatura, ut idem appellant S. Martialis Epiſt. ad Burdigalenſes cap. 8., & S. Ephræm lib. de Armatura ſpirit. cap. 2. ſeu infractum ſignum, ut vocat S. Clemens, vel Author Conſtit. Apoſt. cap. 16., quo ſe Sacerdos contra omnes mentis evagationes, & tentationes inimici in tanto Sarificio peragendo communit. Poſtquam autem celebrans Presbyter ſe Crucis ſigno ſignaverit, præmiſſo Pſalmo *Judica* &c. recitat confeſſionem, de qua infra in §. ſeqq.

(2) *Aufer a nobis*) Extat hæc Oratio in Sacramentario S. Leonis Papæ in die Natalis Epiſcoporum num. IV. apud Muratorium Liturg. Rom. vet. Tom. 1. pag. 430., quæ etiam habetur in Ordine Romano poſt Litanias in Benedictione Eccleſiæ; quis autem huc eam tranſtulerit, ignoratur. Micrologus quidem cap. 23. Eccleſ. obſerv. ſeu de Miſſa rite celebranda eamdem refert, ſed ante Sacerdotis confeſſionem. Item in Miſſa Illyrici eſt ante Antiphonam *Introibo*, & Pſalmum *Judica me Deus*. In omnibus porro Liturgiis Sacerdos conſimilem aliquam precem recitat, dum ad ſacram menſam accedit, quas quidem varias, ſed non admodum inter ſe diſcrepantes recenſet Jo. Grancolaſius lib. de antiq. Liturg. pag. 456.

Solemniter celebrans Epiſcopus poſt dictas Orationes Evangelium oſculatur.

(3) *Si ſit Epiſcopus ſolemniter celebrans, oſculatur Evangelium.*) In Remenſi Eccleſia, ut ait Edmundus Martene de Antiq. Eccleſ. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 2. num. 3. Subdiaconus porrigens Evangelium Sacerdoti oſculandum in ingreſſu Altaris dicebat: *Hæc eſt lex ſancta, Pater*; Sacerdos reſpondebat: *Credo*, & *confiteor*. Alium ejuſdem Eccleſiæ Ritum hac de re exhibet Theod. Ruinart. Oper. Poſth. Tom. 3. pag. 495. ubi ait: confeſſionem, & alia ante *Gloria in excelſis Deo*, in Sacriſtia Sacerdos cum Miniſtris facit: ſed cantante Choro Introitum, Sacerdos ad Altare accedit, fanonem, (id eſt Manipulum) digito portans, ac facta reverentia Altari, ad ejus cornu accedit, ubi extra Altare legit, & cantat, quæ cantanda ſunt, nec ad Altare ante Offertorium accedit: ita Ruinartius, ut ſupra teſtis oculatus Remis horum Rituum. Attamen Edmundus Martene loco mox citato, pag. 359. aſſerit quidem celebrantes omnes, Eccleſiæ Remenſis nihil recitare, aut cantare ad Altare ante Offertorium, ſed legere in Pulpito ad Altaris latus collocato, non autem in Sacriſtia, ut Ruinartius ſupra affirmat.

(4) *Hoc etiam recenſet*) Item lib. 3. adverſus Marcionem cap. 22. ubi exponens illud Ezechielis cap. 9. *Dicit Dominus ad me: Pertranſi in medio portæ mediam Jeruſalem, & da ſignum Tau in frontibus virorum,* hæc habet: *Ipſa eſt enim littera Græcorum Tau, noſtra autem* T, *ſpecies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram, & Catholicam Jeruſalem*, &c. quem fere ad verbum imitatus eſt S. Hieronymus Quæſt. Hebr. in Gen. cap. 4. & Comment. in Ezechielem, ubi, *extrema*, inquit, *Tau littera Crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur*. Nec plane ab hac opinione abludunt antiqui nummi Samaritani, ac vetera nonnulla monumenta apud D. Bernardum de Montfaucon Palæograph. Græc. lib. 2. cap. 1. in quibus eadem littera Thau ad formam †. ſeu Crucis accedit. Idipſum imitati videntur Majores noſtri, dum in Miſſalibus antiquis initio Canonis in littera T. ubi legitur: *Te igitur clementiſſime Pater*, ſolent pictam exhibere Crucem Chriſti, in cujus hodie locum ſucceſſit ipſa Crucis & Crucifixi imago pagina proxima præcedenti.

(5) *Sequitur Pſalmus* Judica me Deus) Claudius de Vert Cluniacenſis Abbatiæ Theſaurarius ſcribit uſum recitandi hunc Pſalmum non ante ducentos annos ab Eccleſia Romana fuiſſe ſuſceptum, ut ait Tom. 3. pag. 18. & ſeqq. ſuarum Liturg., quæ repetit Tom. 4. pag. 3. Atqui Micrologus, qui ordinem Miſſæ Romanæ deſcribit, hunc Pſalmum ante Miſſam recitatum fuiſſe teſtatur. Habes in hoc §. Micrologi verba ab Eminentiſſimo Scriptore relata, cui addemus inconcuſſum Innoc. III. Pontif. teſtimonium lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap. 13.: *Pontifex*, inquit, *ad Altare perveniens, & ad ſe ipſum revertens, antequam ordiatur ſacrum Officium, de peccatis ſuis, cum aſtantibus confitetur, pſalmum illum præmitens, qui manifeſte per totum ſibi ad hoc dignoſcitur pertinere, & convenire: Judica me Deus, ut diſcretus a gente non ſancta, & ab homine liberatus iniquo, ad Altare Dei dignus introeat*: Accedit Radulphi Tungrenſis authoritas, qui hunc morem ab Eccleſia Romana in alias emanaſſe teſtatur: *Sacerdos igitur paratus*, ait Scriptor ille ſec. XIV. *veniens ad Altare Romano Ordine dicit Antiphonam Introibo, cum Pſalmo Judica, & facit confeſſionem &c.* Demum in Miſſali Romano ante annos 500. exarato, quod extat in Bibliotheca Angelica Conventus S. Auguſtini Romæ, hæc lego: *Cum autem indutus fuerit, accedat ad Altare, & dicat Introibo*

ad Altare Dei Pſalm. Judica me Deus. Tunc inclinet ſe ante Altare, & dicat: Confiteor Deo omnipotenti &c. *Miſereatur veſtri* &c. Pergit nihilominus idem Claudius de Vert aſſerens in Ordine Romano ſec. XIV. nullam dicti Pſalmi factam eſſe mentionem. Claudicat ſane hic memoria Viri, cæteroquin Rerum Liturgicarum eruditi; Impugnetur illius Ordinis teſtimonio, cujus nobis ſilentium obtrudit: *Indutus Dominus Papa*, inquit Ordo Romanus. ſec. XIV. a Jacobo Cajetano editus, & a Mabillonio vulgatus Tom. 2. Muſæi Ital. pag. 329. num. 71. *Omnibus Pontificalibus dicit ante Altare verſic.* Introibo ad Altare Dei: *reſpondetur*: ad Deum, qui lætificat juventutem meam. *Deinde Papa incipit Pſalm.* Judica me Deus, *& completur tam per eum, quam per adſtantes. Demum repetit* Introibo ad Altare Dei; ℞. *ad Deum* &c. Videatur idem Ordo pag. 314. num. 60. 318. num. 62. 324. num. 66., 326. num. 68.

Claudius de Vert notatus.

In aliquibus Eccleſiis dicebatur tantum verſus *Introibo*, non vero Pſalmus *Judica*, ut videre eſt in Miſſa antiqua Mozarabum, qui Pſalmus ibi dicitur poſt Offertorium ante Præfationem. In aliis Pſalmus iſte recitabatur pro Introitu, & ante ipſum verſus *Introibo*, uti & nunc tempore Paſſionis, & apud dictos Mozarabes in Miſſis Defunctorum. In Miſſa S. Gregorio tributa, quæ legitur in Biblioth. PP. Colonien. Tom. XII. pag. 369. cum verſione græca Georgii Codini, Sacerdos in ingreſſu ad Altare dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus*, & Miniſter reſpondet: *quoniam in ſæculum miſericordia ejus*, & poſtea fit confeſſio, quem ritum ſervant Religioſi Ord. Prædic., & Carmelitæ. In Ordine Romano antiquo nihil legitur de Pſalmo *Judica*, neque de Antiphona *Introibo*, neque etiam de Pſalmo *Confitemini*. Quatuor primis Eccleſiæ ſeculis non erat unum idemque omnibus in locis Miſſæ exordium; alicubi enim Miſſa incipiebat a Pſalmodia, ut modo fit, idque ex Dionyſio cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarch., ac infra cap. ſequenti; alibi vero a lectione Apoſtoli, & Evangelii, uti ſupra dictum eſt lib. 1. cap. 4. ex Juſtino Mart. in Apologia ſecunda pro Chriſtianis ſub finem; communius tamen a Pſalmodia ſimul, & lectionibus. Qui vero Pſalmi ante Miſſam canerentur, & quando inſtitutum fuerit, ut in acceſſu ad Altare diceretur Pſalmus *Judica* cum Antiphona *Introibo*, non eſt ita facile dijudicare. Durandus in Rationali div. Offic. lib. 4. cap. 7. ait Sacerdotem confeſſioni *Pſalmum illum præmittere ex Inſtitutione Cæleſtini Papæ I. rite ad hoc convenientem*: Judica me Deus *&c.* Verum Cæleſtinus inſtituit quidem, ut Pſalmi David ante Sacrificium pſallerentur, non autem determinate hunc *Judica me Deus* &c. uti patet ex ſupradictis, nempe quod in Ordine Romano nihil legatur de hoc Pſalmo dicendo.

Pſalmus Judica a variis diverſimode recitatus.

Neque etiam Sancto Ambroſio tribuenda hæc inſtitutio videtur, ſiquidem præter ea, quæ ſapienter ab Eminentiſſimo Authore allegata ſunt contra nonnullorum recentiorum ſententiam, in antiqua Liturgia Ambroſiana apud Pamelium Tom. 1. Liturgicorum nihil de hoc Pſalmo, quem utique S. Ambroſii ævo dictum non fuiſſe teſtantur antiqui Miſſales Libri Ambroſiani ante annum 1560. Carolus Septalius Epiſcopus Dertonenſis, Ambroſianorum rituum peritiſſimus in ſuo Opere Italice inſcripto: *Miſterj, e ſenſi miſtici della Meſſa*: pag. 79. & Anonymus Gallus Author libri, cui titulus: *Les ancienes Liturgies* pag. 392. qui addit S. Carolum Borromæum in Miſſalis Ambroſiani reformatione per ipſum facta (uti etiam conſtat ex præfatione Federici Card. Borromæi ad idem Miſſale Ambroſianum ejus juſſu editum an. 1609.) ut Ambroſianum Romano ritui accommodaret, hunc Pſalmum *Judica* dicendum in acceſſu ad Altare inſtituiſſe in ſua Eccleſia Mediolanenſi. Ex his omnibus plane colligitur non ante annos mille pſalmum iſtum cum ſua Antiphona initio Miſſæ recitari conſueviſſe, uti etiam innuit Eminentiſſimus Author, neque ante annos ducentos introductum, uti falſo putat Claudius De Vert Porro hujuſmodi ritum ante Miſſalis recognitionem a S. Pio V. factam non omnibus fuiſſe receptum, utpote arbitrarium, ex eo conſtat, quod a quibuſdam olim omiſſum, ut ab Eccleſiis Mediolanenſi, & Laudunenſi, atque etiam nunc a Dominicanis, Carmelitis, & Chartuſianis omittitur, ab aliis recitatum in ipſo Sacrario, ut ab Eccleſiis Senonenſi, & Remenſi, & olim ab Aurelianenſi, ab aliis, dum Sacerdos pergeret ad Altare, quem ritum ſervant hodie Carmelitæ, & nonnullæ Galliarum Eccleſiæ, itemque, ut diximus, Eccleſia Mediolanenſis, ex S. Caroli inſtitutione. Vide quæ infra dicentur nota 9.

Neque Cæleſtino I Papæ, neque Ambroſio Mediolanenſi recitationis hujus inſtitutio tribuenda.

Pſal. Judica *cum ſua antiphona non ante annos mille initio Miſſæ recitari conſuetus.*

(6) *Recentiores*) Joannes Stephanus Durantus de Rit. Eccl. Cathol. lib. II. cap. 11. num. 4. cumque eodem reliqui poſteriores, inter quos Joannes Baptiſta Scortia de Sacrif. Miſſæ lib. 3. cap. 9. nu. 1. & Gavantus in Rubr. Miſſæ part. 2. tit. 3. nu. XII.

(7) *Liber enim de initiandis*) Sive de Myſteriis, uti inſcribitur in noviſſima edit. Monachorum S. Mauri Oper. To. 2.

(8) *Ante Synaxim recitatione*) Poſſet etiam citari S. Gregorius Nazianzenus Orat. 28. circa finem, ubi Sacerdoti ad Altare accedenti applicat Pſalm. *Introibo*: ait enim ibi: *ad Altare illud cæleſte* Introibo: *qui ſpiritualem renovat* juventutem meam, *cujus figuræ ſunt, quæ nunc cernimus, ad quod quæ immolatur oblatio, tanto iis, quæ nunc offeruntur, excellentior eſt, quanto veritas umbræ antecellit.* Verum hac explicatione non indicatur hunc Pſalm. *Judica* dici ſolitum tunc fuiſſe initio Miſſæ.

(9) *Antequam accedat ad Altare*) Apud Carthuſianos, Dominicanos, Carmelitas (inquit Franc. Ant. Amatus Pouget Inſtit. Cathol. in modum Catech. Parte 2. ſect. 2. cap. 7. §. 22. pag. 825.) ſicut & in aliis Eccleſiis quibuſdam nunquam hunc Pſalm., adverte, recitari ad Altare; ſed ejus loco recitari verſiculos ex aliis Pſalmis deſumptos, idque ex ritu veteri in Liturgia Romana, omnibuſque fere in Eccleſiis obſervato. Addita ſubinde eſt hujus Pſalmi recitatio, vel ad præparationem Sacerdotis in Sacrario, vel

ut

ut a Sacerdote ad Altare procedente diceretur. Tandem uſus invaluit ut ad Altare recitaretur. Sed veterem ritum multæ Galliarum Eccleſiæ dudum retinuere, & quædam etiamnum retinent. Hæc ille. Et ſane in antiquo Miſsali Pariſienſi juſsu Petri de Gondy Archiep. Pariſ. & S. R. E. Card. & in Miſsali ab Henrico de Gondy ejus ſucceſſore in publicam lucem emiſſo Sacerdos ſtatim atque induit ſe caſula, dicit: *Introibo ad Altare Dei* &c. & Pſalm. *Judica* &c. ſolus recitat, ſcilicet e ſacrario ad Altare procedens. Item ex Ritu Eccl. Laudun. apud Ant. Bellotte obſerv. in eumdem par. 3. c. 12. n. 8. ubi de Miſsa ſolemni agitur: „ Pervenientes, „ (e Sacriſtia) ante oſtium Presbyterii firmant ſe capitibus detectis in modum coronæ: ibi Celebrans medius inter Diaconum „ & Subdiaconum dicit *Introitum*, & *Kyrie* „ *eleiſon* ſubmiſsa voce ex Miſsali per Diaconum & Subdiaconum ſibi miniſtrato; „ quibus dictis ſtant omnes ibidem, dum a „ Choro cantatur Introitus Miſsæ, donec a „ Præcentore dicatur *Gloria Patri* &c. tunc „ enim aſcendunt omnes Presbyterium ordine præfato, & procedunt ad Altare, „ cui facta per eos ante infimum gradum „ profunda inclinatione, ſalutatoque Choro, „ Celebrans ſtans ibidem medius inter Miniſtros .... dicit intelligibili voce: *In* „ *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* „ *Amen* .... facto ut ſupra crucis ſigno .... pronunciat eadem voce verſum: *Dignare Domine die iſto*, Miniſtris „ reſpondentibus: *ſine peccato nos cuſtodire*. „ Deinde Celebrans eodem modo ſtans dicit: „ *Confitemini Domino quoniam bonus*. Reſp. „ *Quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. Deinde „ profunde inclinans junctis manibus dicit: „ *Confiteor*, & proſequitur eodem modo ſtans „ inclinatus, donec a Miniſtris dictum ſit: „ *Miſereatur* &c. „ Hæc ex peculiari Ritu Laudunenſis Eccleſiæ deſumpta refert laudatus Bellotte.

(10) *Licet enim ex conſuetudine &c.*) Pſalmo finito, videlicet, *Judica me Deus*, qui dicitur in confeſſione non concluditur cum *Gloria Patri*, ſed cum Requiem æternam. Paris de Craſs. de Cærem. Card. & Epiſc. lib. 2. cap. 39.

§. IV.

Confeſſio generalis omnium gentium more probatur.

EXpleto pſalmo tam Sacerdos, quam Miniſtri confitentur alterutrum peccata ſua, aſſerentes generalibus verbis ſe in multis deliquiſſe; quod naturæ inſtinctu fit. Juſtus enim in primordio ſermonis accuſator eſt ſui, ut ait Sapiens *Prov.* 18. ſecundum verſionem ſeptuaginta Interpretum. Hinc Sacerdotes & Prophetæ veteris teſtamenti ea verba veluti formulam conſuetam deprecationibus ſuis præmittebant, *peccavimus Domine, injuſte egimus, iniquitatem fecimus:* & hæc generalis confeſſio omnia illorum Sacrificia præcedebat, ut teſtatur R. Moſes Maiemonides in lib. Jad tract. de pœnitentia, & tract. de precibus totius anni (1). Hinc (1)
etiam Jacobus Apoſtolus Liturgiam ſuam a peccatorum accuſatione exorditur his verbis. *Peccatorum multitudine inquinatum ne me ſpreveris, Domine Deus noſter. Ecce enim accedo ad divinum hoc & ſupercæleſte Myſterium; & indignus quidem, ſed de tua bonitate confiſus emitto tibi vocem: Deus ſis mihi peccatori propitius. Peccavi in cælum, & coram te, neque dignus ſum, qui oculos obvertam huic ſacræ & ſpirituali Menſæ, in qua Unigenitus Filius tuus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus mihi, qui peccator ſum, & omnibus maculis labefactatus, myſtice proponitur in Sacrificium.* Sic in ea, quæ Marci Evangeliſtæ nomen præfert, Sacerdos initio petit a Deo remiſſionem peccatorum, & propitiationem omni populo ſuo. Sic Baſilius in precatione, qua ſacris operaturus uti ſolebat, totus eſt in petenda peccatorum remiſſione. *Ne reſpexeris*, inquit, *me impuriſſimum peccatorem, meave cauſa iratus ſis populo tuo. Ne memineris Domine turpium ſermonum, quos ex ore meo protuli, ut non exaudias preces meas. Parce pravitati meæ, elue maculas peccatorum meorum, exterge ſordes cordis mei, emunda mentem meam ab omni putredine delictorum.* Simili modo in Ordine oblationis, quem ſcripſit Severus Patriarcha Alexandrinus, Sacerdos initio petit veniam peccatorum recitans Pſalmum quinquageſimum. Et paucis interjectis ait: *peccavi tibi, propitius eſto peccatori, ſuſcipe deprecationem meam, & condona mihi delictum meum, Domine dominator* om-

omnium miſerere mei. Conſentiunt Aethiopes quorum Sacerdos initio Miſſæ ſic ait : *Tu ſcis Domine quod huic myſterio ſancto , quod ex te procedit, immundus ſum . Non eſt mihi facies appropinquandi, neque os laudem tuam aperiendi , & gratias agendi . Sed ſolum propter multitudinem miſerationum tuarum parce mihi Domine , quia peccator ſum .* Iiſdem fere verbis Baſilius Magnus Liturgiam inchoat, quam ex veteri lingua Aegyptiaca, & ex Arabica in latinum tranſtulit Victorius Scialach Maronita. *Domine ,* inquit , *qui noſti corda omnium : ſancte qui quieſcis in ſanctis : qui ſolus ſine peccato es : qui potes dare veniam peccatis . Tu Domine noſti nos non eſſe dignos , neque eſſe paratos , ſed indignos hoc miniſterio tuo ſancto . Non mihi eſt facies , ut accedam ad ingrediendum , atque ut os aperiam coram gloria ſancta tua : ſed ſecundum multitudinem clementiæ tuæ parce mihi peccatori .* Eumdem ritum ſervant Maronitæ , quorum Sacerdos in principio Liturgiæ recitat ante Altare hanc orationem . *Rogo te Deus , ut facias me dignum accedere ad Altare tuum mundum ſine macula & ſordibus , quia ſervus peccator ſum , & commiſi peccata , & abſurda coram te , neque ſum dignus accedere ad Altare tuum mundum , neque ad Sacramenta tua ſancta : ſed rogo te , o pie , o miſericors , o amator hominum , reſpice me oculo miſericordiæ .* Et poſtea dicit totum Pſalmum *Miſerere mei Deus* . Sacerdos quoque Armenus cum veſtibus ſacris indutus eſt , ante Altare inclinatus dicit confeſſionem more Latinorum, ut ex eorum Liturgia conſtat edita Romæ typis Congregationis de propaganda fide ; cui conſonat ejuſdem ſynopſis apud Caſſandrum *cap.* 12. Liturgicorum . Idem mos reperitur in aliis Liturgiis Orientalium, atque huc pertinent tot Latinorum Apologiæ , de quibus ſupra loquutus ſum (2). (2)

(1) *Ut teſtatur R. Moſes Majemonides &c.*) Confeſſioni peccatorum adſtrictos olim Judæos erudito Commentario commonſtrant Joannes Morinus de Pœnitentia lib. 9. a cap. 33. uſque ad 36. & Clar. Abbas noſter D. Julius Bartoloccius Bibl. Rabbinicæ Tom. 1. pag. 647. & ſeqq. in feſto quippe Expiationum menſis ſeptimi , ſeu Tizri , de quo Levit. 16. 30. *In hac die expiatio erit veſtri , atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris* . Hæc autem dies erat decima dicti menſis , qui noſtro Septembri reſpondet . In ea vero exomologeſi dicta die peracta , uti ex lib. 3. Moſis Cordubenſis de Pœnitentia , ex Moſe filio Maimonidis , ex Thalmudiſtis in Tract. Joma cap. 8. aliiſque Hebraicæ eruditionis monumentis probant laudati doctiſſimi viri , ac præcipue Buxtorfius in Tract. de Synagoga Judæorum cap. 20. hunc ritum ſervant Judæi ; duobus in angulum Synagogæ reductis , alter , qui reum agit toto corpore ad ſeptentrionem , humeris ad meridiem verſus , pronus , & dorſo nudatus crimina ſua fatetur pectus interim tundens , quoties ab altero , qui fatentem peccata ſua auſcultat loro quodam triginta & novem ictibus , certiſque precibus recitatis percutitur , preces vero ex verbis Pſalmi 88. 38. deſumptæ ſunt : *Ipſe autem eſt miſericors , & propitius fiet peccatis eorum , & non diſperdet eos . Et abundavit ut averteret iram ſuam , & non accendit omnem iram ſuam* . Poſtea qui confeſſionem excepit pœnitentis perſonam & ipſe induens ſua item peccata confitetur , & ab altero viciſſim eodem modo flagris cæditur .

Hæc autem particularis confeſſio ſubſequitur generalem, quam in omnium conventu, Charan dictus , ſeu Miniſter publice exponit, cujus formulam in varia capita diſtributam proferunt iidem Morinus , & Bartoloccius noſter locis citatis , in qua notanda ſunt illa verba : *Remitte* (Domine) *nobis peccata , quibus rei ſumus , & tenemur offerre ſacrificium pro reatu : pro peccato holocauſtum* : ubi vides apud ipſos etiam neceſſariam ante ſacrificium peccatorum exomologeſim , quæ & his verbis concepta legitur ex Faggeo apud Ant. Bellotte in ſuis obſervationibus ad Ritus Eccl. Laudun. pag. 353. *Profecto Domine peccavi , inique egi , prævaricatus ſum coram te , pœnitet me , & pudet operum meorum , nec ad ea unquam revertar* . Quibus prolatis inchoabant ſacrificium , & hinc forſan imitando , ac æmulando hunc pium Judæorum Sacerdotum uſum (inquit Meratus Comment. in Gavantum Par. II. tit. 3. num. 17.) orta eſt Chriſtianæ Liturgiæ confeſſio in ipſo ſacrificii exordio, tum etiam a naturali inſtinctu , quia exordium operum bonorum eſt malorum confeſſio , ut ſcripſit S. Auguſtinus Tract. 12. in Joann. ſub finem . Ad dictam porro Judaicæ confeſſionis formulam , quam Bellotte refert loco citato , Rabbi Majemonides ſupra memoratus Tract. 5. de ſacrif. pag. 15. poſt illa verba ; *prævaricatus ſum coram te* hæc addit : *commiſi hoc , & illud , ad pœnitentiam revertor , atque ecce piaculum meum* : quod & diſerte exprimit in Maaſe Corban. cap. 3. *quiſque* , ait , *manus ſuas inter bina victimæ , cornua ponens confitebatur peccatum juxta victi-*

mam

mam pro peccato, noxamque juxta victimam pro noxa cæſam. Illamque confeſſionem hujuſce formulæ fuiſſe idem eodem loco tradit: *Obſecro Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc, & illud feci, nunc autem pœnitentiam ago, ſitque hoſtia hæc expiatio mea*: quibus confirmatur, quod jam obſervatum eſt, Judæos ſcilicet, non in generali tantum, ſed & in particulari peccata ſua confeſſos fuiſſe. Ad hæc Hugo Grotius Comment. in Matth. 3. 6. de eadem loquens nonnihil obſervatione dignum exponit. Quod attinet, ait ille, ad quæſtionem inter doctos agitatam, num in textibus Numerorum, & Levitici, ubi de confeſſione eſt ſermo, agatur de ſimplici confeſſione hominis ad Deum, vel hominis peccata ſua exponentis Sacerdoti; mihi utique, ſubdit, ſatis probatur eorum opinio, qui dicta accipiunt de peculiari criminum confeſſione coram Sacerdote; idque obſervatum majori fiducia, & pietate ab iis, qui ad Joannem Baptiſtam confluebant, utpote quem noverant Sacerdotem, & Prophetam, ac virum etiam probatæ fidei.

Quod autem confeſſio generalis omnium gentium more probetur, uti Cardinalis noſter affirmat, id nobis uberius demonſtrandum eſt. Daniel Huetius Epiſc. Abrincenſis in Quæſtionibus Alnetanis lib. 2. cap. 20. ex profanis Authoribus oſtendit etiam apud Ethnicos in conſuetudine poſitum fuiſſe, ut in ſe ipſis patratum ſcelus pœnitentia, & confeſſione vindicarent; ad id comprobandum refert, quæ ſcribunt Plato in Phædone, Ariſtoteles in Antonii Meliſſa, Plutarchus de ſuperſtitione, & in cap. 28. Epicteti Simplicius. Videnda etiam erunt, quæ quamprimum Deo dante edemus, in notis ad cap. XXIII. Manuduct. ad Cælum Card. noſtri. Narrat quoq; laudatus eximius Scriptor Huetius quomodo conſcientiæ labem aperiant Senioribus, quos Caſios vocant, Gauri veterum Perſarum moribus addicti, ac ritum plane horrendum, & formidandum, quo a ſuis Sacerdotibus ad publicam peccatorum confeſſionem exprimendam compelluntur Siamenſes, ac Japonenſes, ex alta rupe ſuſpenſi. Hos accurate imaginibus delineatos exhibet in Cæremoniarum deſcriptione Picardus. Ex his itaque conſtat cum Judæis, tum Gentilibus præceptum, ac perſuaſum fuiſſe ad hoc ut venia peccatorum impetretur, non animo tantum crimina repetenda eſſe, verum etiam ore proferenda, atque iis perſonis, quibus data eſt facultas, exponenda, aſſumptiſque vindicationibus expianda. Mirandum propterea valde eſt confeſſionem illam ſacramentalem, quam Eccleſia Catholica neceſſariam ad animæ ſalutem deprædicat, etſi facilis, liberrima, ad aures hominis ſecretiſſimi facta, expers proinde cujuſpiam contumeliæ, aut dedecoris, tantique emolumenti, ut ſacra accedente opportuna Sacerdotis abſolutione firmiſſimam pariat reconciliationis ſpem, animique tranquillitatem, cenſeri nihilominus ab hominibus iniquis Orthodoxæ fidei impugnatoribus ritum quemdam prorſus tyrannicum, legem graviſſimam, & intolerabilem, trucemque conſcientiarum carnificinam, ut ſupra vidimus, animuſque exhorruit inde.

(2) *De quibus ſupra loquutus ſum.*) Porro generalis confeſſionis initio Miſſæ faciendæ non tantum Liturgici Scriptores, ſed & alii veteres meminere. Sanctus Auguſtinus ſermone 48. de tempore, Stephanus Æduenſis lib. de Sacramento Altaris cap. 12. Micrologus lib. de Eccleſ. obſerv. cap. 1., & 23. aliique.

§ V.

Variæ ejuſdem Confeſſionis formulæ.

COnfeſſionem, qua nunc utitur Romana Eccleſia, Pontianum Papam,
ſive Damaſum inſtituiſſe ajunt plerique recentiores (1), quorum (1)
aſſertio ſine legitimo teſte nullius apud me ponderis eſt. Non dubito
quin aliqua formula generalis confeſſionis antiquiſſima ſit, & Apoſtolicæ
traditionis; ſed hanc ſpecialem, quæ hodie in uſu eſt, Pontiano, vel
Damaſo aſſignare, tacentibus hac de re priſcis Scriptoribus non audeo.
Ad eam alludit in ſuo Pœnitentiali Egbertus Epiſcopus Eboracenſis, qui
vivebat anno 730. *Dic ei cui confiteri vis peccata tua: mea culpa, quia
nimis in cogitationibus, locutione, & opere peccavi*. Tum ſequitur benedictio
ſuper pœnitentem. *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat,
tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni opere
bono, & perducat ad vitam æternam*. Quæ formula extat in antiquis
Miſſalibus Romanis, & aliarum Eccleſiarum, ex quibus nonnullæ ſunt
(2), quæ adhuc ea utuntur. In Miſſa Illyrici non exprimitur forma con- (2)
feſſionis, ſed omittitur; ſicut & alia, quæ communia erant & omnibus
nota. *Coram Altare*, inquit, *ſtans cum proceſſione proferens confeſſionem
det indulgentiam miniſtris*. Miſſa vetus Menardi ex Codice Ratoldi Ab-

batis

Digitized by Google

batis loco confeſſionis ponit hanc orationem. *Suſcipe confeſſionem meam unica ſpes ſalutis meæ:* quæ extat in Miſſa Illyrici. Eadem oratio Confeſſionis vicem ſupplet in Codice Tiliano, alia addita, quæ incipit, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. In Codice Chiſio confeſſio his verbis concepta eſt, *Confiteor Deo omnipotenti, & iſtis*, quorum ſcilicet Reliquiæ in eo Altari ſunt, *& omnibus Sanctis ejus, & vobis fratribus, quia ego miſer peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, ſermone, & opere, pollutione mentis, & corporis, & in omnibus malis, quibus humana fragilitas contaminari poteſt; propterea precor vos, ut oretis pro me miſero peccatore*. Sequuntur orationes pro abſolutione, ut infra in Appendice. Brevius concipitur apud Micrologum cap. 23. *Confiteor Deo omnipotenti, iſtis & omnibus Sanctis, & tibi frater, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere, & in pollutione mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me. Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono, & perducat nos pariter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi in vitam æternam. Amen. Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen*. In antiquis Conſuetudinibus Monaſterii Cluniacenſis *lib. 2. cap.* 30, apud virum eruditiſſimum Lucam Dacherium tom. 4. *ſui Spicilegii* ſtatuitur, ne confeſſio verbis amplioribus, quam iſtis dicatur. *Confiteor Deo, & omnibus Sanctis ejus, & vobis Pater, quia peccavi in cogitatione, locutione, & opere: mea culpa, precor vos orare pro me*. Harum Conſuetudinum vetuſtum exemplar vidi in Bibliotheca Vaticana Palatina num. 564. In Miſſali Romano MS. Bibliothecæ Barberinæ num. 1861. confeſſio his verbis exprimitur: *Confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, & Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, S. Auguſtino, S. Hieronymo* (3), *&* (3)
omnibus Sanctis, & vobis Pater, me graviter peccaſſe per ſuperbiam in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, omiſſione, conſenſu, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatiſſimam & glorioſam Virginem Mariam, & omnes Sanctos, & Sanctas, & vos Patrem orare pro me.

Formulæ confeſſionis in Miſſa recitari ſolitæ incertus Auctor.

(1) *Plerique recentiores*) Platina in Damaſo, atque ex eodem Ciacconius in Sixto, & Damaſo, Radulphus Tungrenſis lib. de Canon. obſerv. prop. 23. Damaſum præfatum confeſſionis ante Miſſam faciendæ Auctorem faciunt. Alii vero Pontianum, qui annis 150. Damaſum præceſſit, videlicet Berno Augienſis de officiis Miſſæ cap. 25. aliique apud Joannem Stephanum Durantium lib. 2. de Rit. Eccl. cap. 12. verum ab his falſo citatur Berno cap. 25. cum hujus libellus de quibuſdam ad Miſſæ officium pertinentibus deſinat cap. ſeptimo, ubi etiam ne ullum quidem verbum de hac re ſcribit.

(2) *Ex quibus nonnullæ ſunt, quæ adhuc ea utuntur*) Miſſale inſignis Eccleſiæ Lemovicenſis anno 1485. typis mandatum ſic expreſſam habet confeſſionem: *ego reus, & indignus Sacerdos confiteor Deo, & B. Mariæ, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, quia ego peccator peccavi nimis per ſuperbiam, cogitatione, delectatione, locutione, pollutione mentis & corporis, viſu, verbo, auditu, loquendo, & participando cum excommunicatis, in ordine meo, & de cunctis vitiis meis malis, mea culpa: ideo precor glorioſam Virginem, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me ad Dominum Jeſum Chriſtum, ut ipſe per ſuam omnipotentem miſericordiam miſereatur mei. Miſereatur*, ut infra in ſequentibus aliis formulis. In Eccleſia Narbonenſi ſic peccata ſua Sacerdos confitetur: *Confiteor Deo omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini, & omnibus Sanctis ejus me graviter peccaſſe in lege Dei mei, cogitatione, verbo, opere, & omiſſione, mea culpa, mea graviſſima culpa*. Nec quidquam amplius addit. Peculiaris item eſt Confeſſionis formula, quam habent Monachi Chartuſiani, Fratres Carmelitæ, Prædicatores, & Miſſale Noviomenſe. Et quidem Miſſale Fr. Prædicatorum hæc habet: *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ ſemper Virgini, & B. Dominico Patri noſtro, & omnibus Sanctis, & vobis, Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione, mea culpa: precor vos orare pro me. Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis peccata veſtra, liberet vos ab omni malo, ſalvet, & confirmet in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam*. Quæ abſolutionis

for-

formula pene conſimilis eſt illi, quam præſcribunt, ut ſupra, Egbertus Eboracenſis in Pœnitentiali, & Micrologus cap. 23. atque infra Miſſale Sarisberienſe. Chartuſiani porro breviorem tum confeſſionis, tum abſolutionis adhibent formam, quæ ſic legitur in eorum Ordinario cap. 25. num. 13. *Pone Domine cuſtodiam ori meo*. ℟. *& oſtium circumſtantiæ labiis meis*. *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, quia peccavi nimis, mea culpa, per ſuperbiam, cogitatione, locutione, opere, & omiſſione: precor vos orare pro me. Miſereatur tui omnipotens Deus, per interceſſionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat ad vitam æternam. Amen*. In his porro ſicut & aliis antiquioribus confeſſionum formulis non leguntur nomina S.S. Michaelis Archangeli, Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, quemadmodum in Romana, id quod fortaſſe recentioris inſtituti eſſe videtur. Cæterum in veteribus pleriſque abſolutionum formulis eadem expreſſa leguntur, veluti apud Martene tom. 1. de antiquis Eccl. rit. pag. 619. & 636. atque alibi. Varias inſuper Confeſſionis hujuſmodi generalis formulas, quæ olim in uſu erant, & in diverſis antiquis Liturgicis Codicibus reperiuntur, afferunt Bellotte loco ſuperius indicato, & poſt ipſum Grancolaſius de antiquis Liturgiis a pag. 447. uſque ad 453. quos Lector adire poterit.

(3) *S. Auguſtino, S. Hieronymo*) Licet olim priſcis temporibus in hac generali, & publica ad Miſſam confeſſione juxta particularium Eccleſiarum placitum adderentur nonnulla Sanctorum nomina, uti in hoc Miſſali MS. Bibliothecæ Barberinæ, & Auguſtano in §. ſequenti, nunc tamen, uti docet Gavantus in Rubr. parte 2. tit. 3. n. 7. quia cum S. Pius Papa V. hoc expreſſe conceſſerit tantum Hiſpaniarum Eccleſiis, inde optime infertur ſine Apoſtolicæ Sedis licentia fieri non debere ejuſmodi additionem; ex qua ratione, ait Guyetus in ſua Heortologia lib. 3. cap. 29. quæſt. 8. pag. 236. „ ſequitur non eſſe damnandos illos, quibus id „ æque conceſſione Pontificia, aut proprii „ Miſſalis, ſive Breviarii jure, aut denique „ conſuetudine præſcripta, nec abrogata uſitatum eſt. Cæteris ſervanda Rubrica id „ nequaquam permittens, cui ſi alii quoque „ ſe adjunxerint, major erit in tota Eccleſia conformitas. Quod ſi Patroni nomen „ ſic addi non poteſt, multo minus alterius „ cujuſcumque Sancti ad arbitrium Sacerdotis. Hæc ille.

Non amplius addendum in confeſſione publica alicujus Sancti nomen.

§ VI.

Sequuntur aliæ Confeſſionis formulæ.

IN Miſſali Eccleſiæ Sarisberienſis in Anglia edito Pariſiis an. 1555. hic ritus inchoandi Miſſam præſcribitur. Cum Sacerdos induit ſe, incipit, *Veni Creator Spiritus* cum oratione, *Deus cui omne cor patet*. Sequitur Pſalmus *Judica me Deus* cum Antiphona *Introibo*, qua poſt Pſalmum repetita dicit, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, *Ave Maria*. His dictis accedit ad gradum Altaris, & ait, *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. *Confiteor Deo, B. Mariæ, omnibus Sanctis, & vobis: quia peccavi nimis cogitatione, locutione, & opere, mea culpa: Precor S. Mariam, omnes Sanctos, & Vos orare pro me. Miſereatur tui omnipotens Deus, dimittat tibi peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet & confirmet in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam. Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam, & conſolationem S. Spiritus tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. Adjutorium noſtrum in nomine Domini: Sit nomen Domini benedictum*. Deinde oſculatur Diaconum & Subdiaconum dicens, *Habete oſculum pacis, & dilectionis, ut apti ſitis ſacroſancto Altari ad perficiendum officia divina*. Miſſale Hiſpalenſe de mandato Alphonſi Manrique Cardinalis, & Archiepiſcopi editum anno 1574. hanc habet confeſſionem. *Confiteor Deo, B. Mariæ, & omnibus Sanctis ejus: & vobis fratres manifeſto omnia peccata mea, quia peccavi nimis per ſuperbiam, cogitatione, locutione, opere, & omiſſione, & in cunctis vitiis meis malis, mea culpa. Miſereatur*, ut in Romano. *Indulgentiam, & remiſſionem, & abſolutionem omnium peccatorum noſtrorum, & ſpatium veræ, ac fructuoſæ pœnitentiæ per gratiam S. Spiritus tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus*. Sequuntur tres orationes

nes

nes, *Auſer a nobis. Sancti Spiritus Domine corda noſtra mundet infuſio. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces*. Item oratio, *Deus qui de indignis dignos facis*. Tum ſignat ſe & accedit ad Altare.

Miſſale Auguſtanum ab Othone Cardinali Epiſcopo ante annos centum editum initium Miſſæ ſic exhibet. Sacerdos ſtans ante Altare ait, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia. Amen*. Sequuntur verſus, *Et introibo ad Altare Dei. Confitemini Domino quoniam bonus*. Tum flexis genibus ſic confitetur: *Ego reus & conſcius omnium malorum meorum Confiteor Deo Patri omnipotenti, & B. Mariæ ſemper Virgini, & omnibus Sanctis, & vobis in Chriſto, quod ego miſer, & indignus peccator peccavi nimis in vita mea mala cogitatione, locutione, conſenſu, viſu, ore, opere, & omiſſione, mea culpa, mea graviſſima culpa. Ideo precor glorioſiſſimam Virginem Mariam, Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, atque Andream, Udaricum, Sebaſtianum, Vitum; ſanctas Mariam Magdalenam, Catharinam, Barbaram, Afram cum ſodalibus ſuis* (1), *iſtos & hodiernos, &* (1)
omnes ſanctos Dei, & Patronos, & vos orare pro me peccatore. Amen. Abſolutio. *Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis veſtris perducat vos Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſine macula cum gaudio in vitam æternam. Amen*. Oratio. *Indulgentiam, remiſſionem, & abſolutionem omnium peccatorum noſtrorum, ſpatium vitæ, ac veræ pœnitentiæ, cor ſemper pœnitens, & felicem conſummationem per gratiam Spiritus Sancti Paracliti tribuat nobis pius Pater, & miſericors Dominus. Amen.* Verſus. *Exurge Domine adjuva nos. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum*. Oratio. *Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces*.

Eccleſia Lugdunenſis ſic peragit Confeſſionem: *Et introibo ad Altare Dei. Pone Domine cuſtodiam ori meo. Confitemini Domino quoniam bonus. Confiteor Deo omnipotenti. Miſereatur veſtri omnipotens Deus. Amen. Fratres per virtutem ſanctæ crucis, & per interceſſionem beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, & per merita omnium Sanctorum Dei. Miſereatur noſtri omnipotens Deus, & dimittat nobis omnia peccata, & perducat nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum ſuis Sanctis ad vitam æternam. Amen. Abſolutionem & veram remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum per confeſſionem, contritionem, pœnitentiam, & per ſatisfactionem, & emendationem vitæ tribuat nobis omnipotens Pater, pius, & miſericors Dominus. Amen. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Sit nomen Domini benedictum*. Orationes. *Conſcientias noſtras: Adſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritus Sancti. Amen. Et gratia S. Spiritus illuminare dignetur hodie ſenſus, corda, & corpora noſtra. Amen. Pœnitentiam peto pro omnibus peccatis, & offenſionibus meis. Pater noſter. Et vobis fratres. Ave Maria*. Oratio ante Altare. *Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, me miſerum, fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque aſpicias ad peccata, & ſcelera mea, & immundas turpeſque cogitationes, quibus flebiliter a tua diſjungor voluntate; ſed ad miſericordias tuas, & fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt miſericordiam. Et quia me indignum medium inter te & populum tuum fieri voluiſti, fac me talem, ut digne poſſim exorare miſericordiam tuam pro me, & pro eodem populo tuo. Et adjunge voces noſtras vocibus Angelorum tuorum, ut ſicut illi te laudant in excelſa beatitudine, ita nos quoque eorum interventu mereamur te laudare in hac peregrinatione. Per Dominum.*

(1)

Joſeph Binghamus iterũ confutatus.

(1) *Afram cum ſodalibus ſuis*) Vide notam 3. §. antecedentis. Hoc autem loci nobis iterum eſt cum Joſeph Binghamo Anglo-Calvinianæ communionis homine luctandum. Habet iſte Orig. Eccl. lib. 15. cap. 1. quod carpat in hujuſmodi generali & publica ad Miſſam confeſſione : Confeſſio, ait, ibi, fit Deo omnipotenti, Deiparæ, & omnibus Sanctis, cum olim, ut ipſe contendit, hæc ſoli Deo fieret; quam in rem Gallicani officii apologiam, ſive confeſſionem vetuſtam commemorat. Ita Pſeudoliturgus iſte Anglicanus Scriptor. Verum quibus verbis (ſubdit eum refellens clar. Lud. Ant. Muratorius diſſert. de rebus Liturg. cap. 20. Prælim. ad Liturgiam Romanam veterem pag. 239.) concepta fuerit in aliis Eccleſiis antiquitus eadem Confeſſio, ex Rubricarum defectu, ut dixi, reſcire non poſſumus. Quod ſatis eſt, nihil hic habes, quod cum dogmate, ac diſciplina Catholicæ Eccleſiæ non conveniat; legitimis enim rationibus, ut infra innuemus, & calculo primitivæ ipſius Eccleſiæ nititur invocatio Sanctorum, eorumque communionem nobiſcum in Symbolo profitemur. Deo autem confitemur, ut nobis parcat; Sanctis tantummodo, ut orent pro nobis, quemadmodum diſerte ibi confeſſio ipſa teſtatur, in qua Sacerdos, & populus precantur, *Sanctos omnes orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Publica hæc eſt Confeſſio; ſi coram Populo, cur & non coram Sanctis? Sancti certe viri in cœleſti patria adſtant Deo, ad quem confeſſio in primis dirigitur; propterea in antiquiſſima Pœnitentis confeſſione, quam ex Ordine Romano Hittorpius exhibet, & Morinus refert Append. ad Libros de Pœnitentia, hæc leguntur : *Confiteor tibi Domine Pater cœli, & terræ, tibique benigniſſime Jeſu una cum Spiritu Sancto coram Sanctis Angelis, & coram omnibus Sanctis* &c. Alias pares formulas Morinus idem ex antiquis Pœnitentialibus hauſit. Eadem ratione Sacerdos Populum, hic Sacerdotem rogat, ut oret pro ſe. Hæc doctiſſimus Muratorius, quem nuper Eruditorum mœrore e vivis in ſenectute bona deceſſum audio.

Poſſem in hujus Catholicæ veritatis confirmationem adjicere quamplurima ex variis ſacræ Scripturæ locis, ſanctorum Patrum teſtimoniis, ac Conciliorum decretis, quibus hujuſmodi invocatio Sanctorum, ut illi pro nobis orent, & peccatorum veniam a Deo nobis impetrent, comprobatur; verum quia id jam per noſtrates Theologos contra hujus dogmatis refractarios abunde, & invicte præſtitum eſt, atque inter cæteros a Natali Alexandro ſec. 5. diſſert. 25. & dudum a clar. P. Felice Antonio Guarnerio Ord. Min. Convent. qui de Eccl. Triumphante lib. 2. cap. 12., ac P. Liberio Carmelita Controv. tom. 1. contr. x. hujuſmodi teſtium copioſum agmen producunt, aliiſque multis, ideo ſuperſedendum cenſebam; ne autem Binghamum Eunomii, Vigilantii, ac Vvicleſi conterranei ſui hæreticalem crambem toties ab Eccleſia univerſa damnatam nobis denuo præfracte regerentem abſque ulla debita reprehenſione tranſilire videar, pauca ad ipſius audaciam retundendam ex illis ſeligam, quibus confeſſio facta Deo, & Sanctis ejus uberius roboretur. Et primo ſcire vellem, an Binghamus ex iis Proteſtantibus ſit, qui Sanctorum adhuc viventium invocationem non negant, & iſtorum preces implorare, abſque injuria Chriſti mediatoris, licitum eſſe fatentur; quorum etiam plerique Sanctos pro Eccleſia in genere Deum interpellare tradunt, uti Kemnitius in Examine Conc. Triden. par. 3. Lutherani in Confeſſ. Saxonica art. 12. & Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 20. §. 24. Hinc ſi Sanctos viventes invocare, eorumque precibus ſe commendare licitum eſſe nobiſcum hac in parte admittat Londinenſis Originum Eccleſ. Scriptor, id quod ex multis ſacræ Scripturæ locis, tum veteris, tum novi Teſtamenti perſpicue conſtat: Et quidem ex veteri habetur lib. Job. cap. 42. 8., ubi Dominus dixit ad Eliphaz Themanitem, & per ipſum ad duos amicos ſuos : *Ite ad ſervum meum Job* (ecce mandatum) *Job autem ſervus meus orabit pro vobis* (ecce interceſſio) *faciem ejus ſuſcipiam ut non vobis imputetur ſtultitia* : en tandem impetratio. Ex novo item Fœdere Matth. 5. 44. idem habemus : *Ego autem dico vobis . . . orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*; unde hanc formulam *Fratres orate pro nobis* expreſſit Apoſtolus Gentium Doctor, & ſæpius repetit 1. ad Theſſalon. cap. 5. 25. & 2. ad eoſdem 3. 1. item ad Hæbr. 13. 18. & S. Jacobus epiſt. cap. 5. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini, multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*. Si, inquam, Sanctorum viventium interceſſionem admittit, uti ex Scriptura, & ſuorum confeſſione oſtendimus, & nihilominus cum Calvino reſpondeat aliam eſſe rationem invocationis vivorum, & mortuorum, quia vivi ſunt invicem membra, & quia Scriptura hortatur ut oremus pro invicem, non autem idipſum eſſe de mortuis, reponemus quod mortui pariter, ſi Sancti, & electi, ſunt membra ejuſdem Eccleſiæ, & una Chriſti interceſſione nituntur, quidquid enim nobis a Deo petunt, per Chriſtum petunt, ſicut & quidquid etiam poſtulat Eccleſia, a Deo id omne per Chriſtum poſtulat, quodque per eumdem Dominum noſtrum fieri oportere teſtatur, a cujus ſanguine vim omnem, & efficaciam accipiunt merita, & orationes Sanctorum.

Sane numquid non eſt una triumphans in cœlis, ac in terris dimicans Eccleſia? Nonne quotidie recitantes ſymbolum, Sanctorum communionem profitemur? Communio autem iſta nedum reſpicit Sanctos hic in terris degentes, ſed & illos in cœlis cum Chriſto regnantes. An minus Deo grati erunt Sancti in cœlis, quam in terris? An minor eorum interceſſio apud Deum, & apud ſuum glorificatorem, quem præſentem, non per ſpeculum in ænigmate, ſicut olim in hoc ſeculo, ſed nunc facie ad faciem intuentur, auctoritas? Nec reſpondeatur illos non amplius præſentes & vivos eſſe, qui indigentias videant, & audiant orationes noſtras, ſed mortuos eſſe & nobis abſentes, quandoquidem ipſi nunc maxime vivunt ex parte ſui, qua poſſunt in Deo videre, & preces noſtras audire, ac pro ſupplicibus Divinam majeſtatem interpellare; quamvis autem præſentes naturaliter non ſint, ſuper-

ſupernaturaliter tamen quoad exauditionem interſunt, uti expreſſe firmant Patres, præcipue Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 16. *Non igitur*, inquit, *ideo putandum eſt vivorum rebus quoslibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis, vel adjuvandis Martyres adſunt; ſed ideo potius intelligendum eſt, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt*: Et revera omnipotenti Deo modus non deeſt, quo preces noſtras ſibi in cœlo adſtantibus Sanctis manifeſtet, vel Angelorum miniſterio, vel immediata revelatione, quemadmodum Prophetis futura revelabat, & adhuc nonnullis dilectis ſuis in hoc mundo, ut ei placet, revelat, idque ſanctis in cælo, vel in ſua ipſa eſſentia, aut viſione beatifica. Auguſtino ſuccinit Hieronymus, qui præ cæteris Binghamum, alioſque noſtri temporis Novatores in Vigilantio eorum anteſignano egregie refellit. *Dicis in libello tuo* (ait S. Doctor ipſum alloquens Vigilantium) *quod dum vivimus mutuo pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cum Martyres ultiones ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiverint. Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur, & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentis ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi animas condonatas,* (Act. 27.) *& poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in toto orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire poterit?* Hæc & alia hujuſmodi in id propoſiti contra Vigilantium Hieronymus; eadem & ego contra Binghamum, alioſque ſociales ſuos; qui profecto his argumentis minus valebunt adverſus hanc antiquiſſimam primitivæ Eccleſiæ traditionem, ac proinde ora claudere, & mutire poterunt, niſi velint ipſi manifeſtæ veritati ab Eccleſia traditæ, a Patribus confirmatæ, quin & ipſi ſacræ Scripturæ malignantes refragari, ut jam indicatum eſt.

Atque ut amplius os eorum obſtruatur, prædictis ex veteri, ac novo fœdere deſumptis textibus, in ipſorum gratiam addo quod S. Petrus orationes ſuas, ac patrocinium apud Deum fidelibus poſt obitum ſuum pollicetur in Epiſtola 2. cap. 1. *Dabo autem operam*, ait, *& frequenter habere vos poſt obitum meum, ut eorum memoriam faciatis*: ideſt commendatos in orationibus ſuis apud Deum. Quis inſuper credat Sanctos cum Chriſto regnantes minus ſollicitos eſſe de ſalute fidelium, quam divitem Epulonem in mediis inferni flammis de ſalute fratrum? Lucæ 16. Quare S. Cyprianus lib. de Mortalitate, de Sanctis loquens: *de ſua ſorte*, inquit, *ſecuri, ſunt de noſtra ſalute ſolliciti*. Si iidem pro Eccleſia in genere Deum interpellant, ut Proteſtantium plerique non negant, quid illos pro ſingulis orare vetat? Profecto non deficit illos precum noſtrarum, aut miſeriarum cognitio, ſi enim norunt Angeli converſionem peccatoris, de qua gaudent in cœlis, Lucæ 15. quidni etiam preces noſtras noverint? Porro ſi notæ illæ ſunt Angelis, quia vident faciem Patris, cæteros Sanctos eadem beatitudine donatos utique non latent. Neque cum Dallæo Calvini aſſecla libro contra Latinorum traditionem de religioſi cultus objecto cap. 10. & ſeqq. reponat quiſpiam hanc vetuſtiſſimam, piamque Eccleſiæ conſuetudinem Sanctos invocandi non ante ſeculum quartum incæpiſſe, moremque iſtum tribus primis ſeculis incognitum a Patribus exinde innovatum, atque invectum extitiſſe: ſecundo quippe Eccleſiæ ſeculo in Actis tum S. Ignatii in Antiochena Sede S. Petri poſt Evodium ſucceſſoris, tum S. Polycarpi, qui S. Joannis Apoſt. & Evangeliſtæ diſcipulus fuit, aliiſque item apud Ruinartium Act. Mart. ſinceris legimus Sanctos Chriſti Confeſſores a piis fidelibus illorum temporum invocatos fuiſſe, ac præcipue pag. 78. ubi de Martyribus Scillitanis in eorum Actis legitur: *Conſummati ſunt Chriſti Martyres menſe Julio .... & intercedunt pro nobis ad Dominum Jeſum Chriſtum*. Initio vero tertii ſub Severo, anno ſcil. 205. de Virgine, ac Martyre Potamiæna hæc narrat Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 5. *cum vulgus eam* (dum ad ſupplicium ducebatur) *vexare, & obſcænis verbis illudere ei conaretur, Baſilides quidem eos, qui contumeliam Virgini faciebant, abſterrens propellebat, multaque miſericordiæ, & humanitatis erga illam præbebat indicia, illa vero benignitatem hominis erga ſe libenter amplectens, bono animo eum eſſe juſſit, ſe namque poſt obitum ſalutem ipſius a Domino impetraturam, & collata in ſe beneficia brevi remuneraturam eſſe*. Poſt pauca idem tradit Hiſtoricus *Potamiænam tertio poſt martyrium die noctu Baſilidi aſſiſtentem, coronam capiti illius impoſuiſſe, dixiſſeque ſe ipſius cauſa Dominum oraſſe, atque id quod petierat impetraſſe*: quod & aliis factum ejuſdem Sanctæ Martyris interceſſione refert. Similia leguntur in Actis S. Bonifacii Martyris apud Lucam Holſtenium pag. 23., qui eodem ſeculo vergente tertio ſub Diocletiano, & Maximiano Imperat. paſſus eſt, ubi ſcribitur quod *Angelus Domini apparuit Dominæ ejus* (Aegla) *dicens: aliquando ſervum tuum, nunc autem noſtrum fratrem ſuſcipe ſicut Dominum, & recondе eum bene; per ipſius enim interventionem univerſa peccata relaxabuntur tibi*: Et poſt nonnulla ſubditur, quod in loco ubi B. Martyris corpus depoſitum erat, *exuberant beneficia orationum Sancti Martyris uſque in hodiernum diem.*

Nunc audiamus hac de re ejuſdem ſeculi Patres. Origenes in Tractatu, qui inſcribitur, Threni, ſeu planctus, *Incipiam*, inquit, *me genibus proſternere, & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati ſuccurrant. O Sancti Dei, vos lacrymis, & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis miſericordiis ejus pro me miſero &c.* S. Cyprianus epiſt. 57. ad Cornelium Papam, eumdem ſummum Pontificem rogat, ut qui ex alterutro prior e vita diſceſſerit, pro ſu-

perſtite

perſtite, aliiſque fratribus divinam imploret miſericordiam: *Memores*, inquit, *noſtri invicem ſimus, concordes, atque unanimes preſſuras, & anguſtias mutua charitate relevemus; & ſi quis iſthinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio: pro fratribus, ac ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio*. Hæc ex tribus primis Eccleſiæ ſeculis excerpta ſufficiant monumenta, quibus pleniſſime comprobatur, jam ab initio Chriſtianæ fidei inveteratam fuiſſe apud pios ejuſdem Profeſſores Sanctorum invocationem, & eorum precibus commendationem. Superfluum exiſtimo ex quarto, ac ſubſequentibus ſeculis teſtimonia proferre; hac enim in parte dictus Dallæus ipſe fateri ex rei veritate coactus eſt jam ab eo tempore uſum hujuſmodi interpellationis, atque interceſſionis Sanctorum religioſe a fidelibus creditum, & obſervatum fuiſſe, plura quippe in id indubitatæ auctoritatis argumenta idem ex SS. Patribus, aliiſque indubiis Actorum veterum fragmentis profert. Quare ſi ex illius vel invicti confeſſione jam quarto Eccleſiæ ſeculo abſque ulla contrarietate confirmatus fuit Sanctos invocandi ritus, is profecto jam antea procul dubio invaluerat ex majorum traditione; quod expreſſe firmat S. Leo Magnus Papa quinti ineuntis ſeculi Scriptor Serm. 8. in Natali Apoſt. Petri & Pauli c. 7. *Sicut autem*, ait, *& nos experti ſumus, & noſtri probavere majores, credimus, atque confidimus inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei ſemper nos ſpecialium patronorum Petri & Pauli orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis meritis erigamur*. Idem confirmat Serm. 81. in Octava eorumdem Apoſtolorum c. 2. Et quoad omnes Sanctos clariſſime hujuſmodi antiquiſſimum Eccleſiæ morem illorum orationibus, & patrociniis apud Deum nos commendandi explicat Serm. 83. de S. Laurentio c. 4. *De feliciſſimo* (ait) *inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, in quibus nobis, & præſidium conſtituit & exemplum . . . . Cujus oratione & patrocinio adjuvari nos ſine ceſſatione confidimus*.

His omnibus undequaque diſcuſſis videat quiſque cordatus homo in quantis adverſus eamdem antiquiſſimam, aliaſque ſimiles Orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ traditiones turpiter hallucinati offendant noſtri temporis Novatores. Abeant itaque, abeant, neque amplius hujuſmodi malignam crambem, quæ ſine ullo fundamento religioſum Sanctorum cultum, eorumque invocationem, & interceſſionem apud Deum ut dimittat peccata noſtra, & liberet nos a malis, nobis tamquam quid vanum, inutile, atque etiam ſuperſtitioſum nequiter traducentes regerant. Stetit quippe, ſtat, & ſtabit inconcuſſa uſque in finem mundi hæc admodum laudabilis, ſalutaris, ac pia, itemque vetuſtiſſima, ut oſtendimus, univerſalis, Eccleſiæ ſcilicet Latinæ ac Græcæ non interrupta conſuetudo Beatos Cælites cum Chriſto triumphantes invocandi, eoſque ut peccatorum veniam, aliaque bona nobis a Deo impetrent, exorandi, quam primi fideles ex Scriptura, ut vidimus, per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores traditam acceperunt, non enim aliter adjudicandum erit, juxta notiſſimam Auguſtini regulam Epiſt. 118. ad Januarium: *quod univerſa tenet Eccleſia, & ſemper retentum eſt* (atque ex mox aſſerendis præcipuis, variiſque ejuſdem Liturgiis dignoſcetur) *nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*: quam veteres priorum trium ſeculorum Chriſti Martyres, & Confeſſores verbo ac exemplo, uti paulo ante dictum, teſtatam declararunt, demumque ex rei veritate, ipſoque facto, & uſu jam tunc introducto, fratrum item unanimi conſenſu probatam, ac religioſe obſervatam cum reliquis Catholicæ fidei ſacris traditionibus invicti proprio ſanguine conſignarunt, quam Sancti Patres ex majorum teſtamento Eccleſiæ relictam docuerunt, atque Eccleſia ipſa per univerſum orbem diffuſa cunctarum gentium quotquot Chriſtiana profeſſione cenſentur variis linguis prædicatam hanc doctrinam non reſpuit, ſed approbavit, ſuiſque fidelibus valde commendatam juſſit, & præcipit. Et quidem in Romana Miſſa id infra videbitur; Liturgiæ porro Sancti Auguſtini ætate antiquiores, de quibus jam ſupra tom. 1. ad cap. 3. §. 4. nota 2. & cap. 8. §. 1. nota 2. in fine mentio facta eſt, laudat Dallæus ipſe, itemque alii ex Proteſtantibus inter quos celebres Erneſtus Grabbe, Matthæus Pfaffius, & Thomas Brett, qui etiam affirmare non dubitant ritus in iiſdem præſcriptos ex Apoſtolica traditione derivari, ac proinde dogma iſtud diſſerte confirmant. In ea, quæ Jacobi Apoſtoli dicitur, quam ad vetuſtiſſima Chriſtianæ fidei tempora idem Dallæus referre non detrectat, hæc habentur: *Sanctiſſimæ, inviolatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac Juſtorum memoriam faciamus, ut precibus, & interceſſionibus ipſorum omnes Dei miſericordiam conſequamur*. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Antiſtes, qui ſeculo 4. ineunte floruit & cum ſeculi 3. Patribus familiariter converſatus eſt, & eadem Jacobi Liturgia, uti ipſius Eccleſiæ propria, uſus, morem iſtum Sanctos invocandi, eoſque ut pro nobis ad Deum intercedant, deprecandi, ibi in dicta Eccleſia jam pie obſervatum invenerat, quem etiam exponit in Catecheſibus, quas habuit adoleſcens, quaſque populum docuit, Catecheſi Myſtagogica quinta: *Meminerimus*, inquit, *primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*. In Liturgia pariter S. Joannis Chryſoſtomi Sacerdos Sanctos omnes Confeſſores, & Martyres commemorat: *quorum precibus ſe viſitari a Deo* rogat. Alias hujuſmodi Liturgias omitto, utpote quæ idem præſcribunt, teſtantur, & docent, Sanctos ſcilicet invocandos & exorandos, ut eorum precibus *omnes Dei miſericordiam conſequamur*, ſicut hucuſque ex probatis Scripturæ, Patrum, Actorumque veterum Martyrum teſtimoniis abunde oſtenſum eſt. Miſericordiam autem Dei primario in

nobis pœnitentibus peccatorum indulgentiam, & remiſſionem reſpicere, nemo eſt qui neget, cum Dominus ipſe velit omnes homines ſalvos fieri, & Dei proprium ſit miſereri ſemper, & parcere, atque idem omnipotentiam ſuam parcendo maxime, & miſerando manifeſtet. Quare ſi hæc ita ſunt, ut negari non poſſint, quod nempe idem miſerator ac miſericors Dominus Sanctorum ſuorum precibus plurimum ad noſtri miſerendum moveatur, uti pleniſſime comprobatum eſt, quid umquam obſtabit, aut vetet quod Deo confitentes peccata noſtra, eadem & Sanctis ejus confiteamur, *ut eorum interceſſionibus miſericordiam conſequamur*? Recte itaque, juſte, ac pie cum Eccleſia Catholica contritus, & humiliatus delicta confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio juſtorum, & congregatione, quidquid ab Orthodoxa fide extorres id deridentes oblatrent.

§. VII.

Sanctorum poſt Confeſſionem commemoratio.

IN Miſſa, cui S. Gregorii nomen tributum eſt, edita Pariſiis ſtudio Joannis a S. Andrea cum interpretatione græca Georgii Codini, Sacerdos ſic incipit, *Confitemini Domino quoniam bonus*; & reſpondet miniſter, *Quoniam in ſeculum miſericordia ejus*. Deinde Sacerdos dicit: *Confiteor Deo, B. Virgini Mariæ, & omnibus vobis fratres, quia peccavi nimis verbo, opere, cogitatione, & omiſsione. Ideo precor vos ut oretis Deum pro me*. Tum reſpondent qui adſunt per miniſtrum. *Miſereatur tui omnipotens Deus, & tribuat tibi remiſsionem peccatorum tuorum, & liberet te ab omni malo, ſalvetque te & confirmet in omni opere bono & perducat ad vitam æternam. Per Dominum noſtrum*. Deinde precatur Sacerdos: *Abſolutionem & remiſsionem omnium peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens Dominus*. Sequitur, *Adjutorium noſtrum*, & oratio, *Aufer a nobis*.

Miſſale Romanum Pauli III. auctoritate editum hanc breviſſimam confeſſionis formulam habet. *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ ſemper Virgini, B. Petro, & omnibus Sanctis, & vobis fratres, quia peccavi, mea culpa: precor vos orare pro me*. Veruntamen in multis MSS. ante annum 1300. eadem prorſus legitur, quæ nunc in Miſſali Pii V. ſtatuta eſt (1). In veteri ritu Mozarabum nulla erat confeſſio, ſed eam (1)
addidit Cardinalis Ximenez: vicem autem confeſſionis ſupplebant aliæ orationes, quæ Libro I. Cap. II. in illius Miſſæ deſcriptione legi poſſunt. In Ordine Romano, & aliis vetuſtiſſimis Ritualibus multæ ſunt formulæ confeſſionis generalis admodum prolixæ, & multa peccata continentes, quæ vix queant in uno homine reperiri (2). Hæ vero a publice pœni- (2)
tentibus in Eccleſia fieri ſolebant, & non pertinent ad noſtrum inſtitutum. In ipſa autem generali confeſſione pectora tundimus latentes in conſcientia culpas ea tunſione accuſantes & caſtigantes, cujus ritus mentionem faciunt antiqui Patres. Gregorius Nazianzenus Orat. 15. *Templum cum ciliciis ingrediamur, ac diu noctuque inter gradus, & Altare pectora tundamus*. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini. *Secutus eſt ſonus tunſionis pectoris veſtri, audito ſcilicet quod Dominus ait*, Confiteor tibi Pater. *Tundere autem pectus quid eſt niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Confiteor audiſtis, qui confitetur, non attendiſtis*. Adeo videlicet aſſueti erant fideles tunſioni pectoris, cum peccata confitebantur, ut audito hoc verbo *Confiteor*, ſtatim pectus manu pulſarent. Idem Auguſtinus in Pſal. 146. *Quid aliud ſignificat pectorum tunſio? Niſi forte putamus oſſa noſtra aliquid peccaſſe cum tundimus pectus. Sed ſignificamus nos cor conterere, ut a Domino dirigatur* (3). (3)
Sic Publicanus apud Lucam percutiebat pectus ſuum, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Et qui morti Chriſti Domini præſentes fuerant

rant videntes prodigia quæ facta ſunt, revertebantur percutientes pectora ſua. Hoc autem ductu naturæ fit, quia de corde exeunt cogitationes malæ, & omnia peccata, & percutientes pectus culpas noſtras agnoſcimus, & fatemur.

(1) *Quæ nunc in Miſſali Pii V. ſtatuta eſt*) Eique ſimilis eſt illa, quæ in Concilio III. Ravennatenſi anno 1314. celebrato rubrica 15. apud Labbæum Conciliorum tom. XI. col. 1614. legitur: *Quoniam in Confeſſionibus, quæ fiunt publice in introitu Miſſæ, & alias, varii perfunctorie, & diverſimode confitentur; ſtatuimus, & de cætero obſervare præcipimus per totam Provinciam Ravennatem Confeſſiones hujuſmodi fieri ſub hac forma: Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis*. Porro quoad modum hujus Confeſſionis hic varius eſt in pleriſque locis. In Eccleſia Rhemenſi celebrans aſſumptis in Sacrario veſtibus, ibi ante imaginem Crucifixi profunde inclinatus confeſſionem facit cum Miniſtris, qua peracta, chorum ingreditur; tum Sacerdos ſtans in medio ejuſdem chori profunde ſe inclinat Altari, deinde facie ad chorum converſa dicit: *orate pro me fratres, & ego pro vobis*; mox ad Altare converſus in infimo gradu ſtans, itemque profunde inclinatus, dicit: *Aufer a nobis Domine &c.* demum manibus junctis ſuper Altare dicit: *Oramus te* &c. ut in ordine Miſſæ. Eumdem Confeſſionis modum ſervat Eccleſia Laudunenſis prædictæ Rhemenſis Metropolitanæ ſuffraganea, uti paullo ante obſervatum eſt. Rurſus eumdem ſequuntur, licet aliquantulum diverſum, Monachi Cluniacenſes, & Metropolitana Senonenſis Eccleſia, uti nonnulli Scriptores affirmant, in qua Pſal. *Judica* & *Confiteor* in Sacrario dicuntur, dein Celebrans ad Altare procedens longam proſtrationem coram ipſo facit, atque illud aſcendit, dicens: *Aufer* &c. Illum denique non abſimilem adhibent rigidioris obſervantiæ Chartuſiani, qui generalem Confeſſionem ante gradus Altaris a parte Evangelii, verſa facie ad auſtrum peragunt ſine ſtola, & caſula (utpote quæ ſunt innocentiæ, & charitatis inſignia) & ideo eas non aſſumunt, niſi poſt prædictam Confeſſionem, qua fuerunt Deo reconciliati, exemplo Publicani, & Magdalenæ pœnitentium, quorum alter a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; altera vero, retro ſtans, ſecus pedes Jeſu lacrymis cœpit illos rigare. Ritu Romano talem Confeſſionem generalem, & publicam, emittit Sacerdos etiam ſacris veſtibus indutus; attamen paullo ante Sacramentali Confeſſione purgatus, vel cum nihil conſcius ſit, quo ſe noxium agnoſcat, ad Altare accedit, & Confeſſionem nihilominus facit, quia cum hoc Sacrificium pro univerſis Chriſtifidelibus offeratur ab Eccleſia; hinc in tali publica, & generali Confeſſione Sacerdos nedum ſua, ſed & aliena veluti propria peccata in ipſo ſacræ Liturgiæ exordio confitetur. Omnes enim cum unum corpus ſimus in Chriſto, quidquid mali ineſt in aliqua ipſius parte, id commune ſibi facit Sacerdos, cui incumbit Fidelium omnium Deo injuſte illatas ferre, & reparare injurias, atque ideo in Ordine divinæ Miſſæ Armenorum hanc publicam Confeſſionem faciens Sacerdos poſtquam dixit *Confiteor* &c. hæc ſubdit, *& pro omnibus peccatis, quæ homines perpetrarunt, mea culpa* &c. Sic Sacerdos ſacrum peragens, Chriſti Domini perſonam gerens, qui peccata noſtra pertulit in Corpore ſuo ſuper lignum, ut fieret propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi, confeſſionem generalem omnium nomine efficit, eaque pro omnibus veniam impetrare, & omnium crimina Sacrificio Euchariſtico, quod peragit, expiare intendit. Hanc obſervationem de vario Liturgicæ Confeſſionis modo ex clar. viro D. Cajetano Merati, & amiciſſimo noſtro Commentar. in Gavantum part. II. cit. 3. num. 18. in fine mutuati ſumus.

Confeſſio hujuſmodi publica peccatorum in aliquibus Eccleſiis extra Altare facta.

Quare Ritu Romano fit Confeſſio a Sacerdote etiã ſacris veſtibus induto.

(2) *In uno homine reperiri*) Inter quas ea eſt, quam refert Edmundus Martene de antiq. Eccl. Ritibus tom. 2. pag. 50. & ſeqq. Nonnullas alias Confeſſionis formulas affert idem tom. 1. cap. 4. art. 2. num. 4. p. 354. ſed parum, aut nihil a ſupra relatis diſcrepant. Cæterum quod in Ordine Romano, & aliis vetuſtiſſimis Ritualibus multæ ſint formulæ Confeſſionis generalis admodum prolixæ, & multa peccata continentes, quæ vix queant in uno homine reperiri, mirum non erit, ſi hæc intelligantur ſervata proportione, ſeu diſtributione accommoda, ut ſcholæ loquuntur, videlicet non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum; ſicut enim Sacerdos celebrans in Miſſæ Sacrificio, ut diximus Chriſti vices gerit, qui omnium noſtrum peccata portavit, ita Miniſter Miſſæ inſerviens ac populi vices ſupplens, ſua propria, & omnium peccata in genere confitetur, ut eorum quidem, levium tantum, indulgentiam, & abſolutionem omnes quotquot eidem Miſſæ aſſiſtunt, a Chriſto per Sacerdotem, qui illius perſonam induit, percipere mereantur; hinc Celebrans erectus ſtans reſpondet Miniſtro *Miſereatur veſtri*, non tui, quia, ut dixi, Confeſſio ab eodem fit tum ſuo, tum circumſtantium nomine, & eadem ratione dicit *dimiſſis peccatis veſtris*, non tuis; ita pariter quia ſe peccatorem & ipſe confeſſus eſt, ſubdit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus*. Hanc porro remiſſionem peccatorum dixi eſſe dumtaxat levium, quia hujuſmodi Confeſſio publica ſacramentalis non eſt, cum ſit in genere tantum, non in ſpecie, non occulta, ſed manifeſta, ut ait Innocentius III. lib. 2. Myſt. Miſſæ cap. 13. communis omnium, non uniuſcujuſque particularis, abſque neceſſario ſingulorum criminum numero, ac de-

Quomodo intelligendæ nonnullæ antiquæ Confeſſionis generalis formulæ.

bitis

Digitized by Google

bitis eorum circumſtantiis expreſſa, uti præcipue quoad mortalium, ſeu gravium reatuum ſic fieri debere intendit, & ſub ſacrilegii pœna ab omnibus, & ſingulis ex Dei auctoritate, & præcepto obſervari mandat Eccleſia.

(3) *Ut a Domino dirigatur*) Idem etiam in Pſalm. 31. *Tunſio pectoris obtritio cordis*. Ante ipſum hujuſmodi tunſionis meminit Tertullianus lib. 3. adv. Marcionem cap. 18. Cyprianus de Orat. Dominica, Maximus Taurin. hom. 3. de Quadrag. Quaſdam refert Menardus in notis ad Librum Sacramentorum Gregorii pag. 224. & ſeqq. Peracta Confeſſione olim priſco more caſula, ſeu planeta cum totum corpus ambiret, poſt *Indulgentiam* &c. eadem elevari ſolebat, & tunc a Miniſtro imponebatur Sacerdoti manipulus, qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in ſolis Epiſcopis remanſit. Cæterum hucuſque memoratæ publicæ Confeſſioni nonnulli, (ut obſervat clar. Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 2. num. 3.) plures verſiculos præmittebant, id quod idem aliquibus documentis probat. Sed hæc ex iis ſunt, de quibus vulgo dicitur: *non curat Prætor*: adeoque eadem aliis, qui velint, percurrenda dimitto. Porro dictæ Confeſſionis locus, ut nonnihil innuimus, alicubi varius eſt; quidam enim extra Altare, vel in Choro, aut in Sacrario Confeſſionem emittunt, alii quidem ad Altare, ſed non in infimo, ac medio ejuſdem gradu, qui locus paſſim in omnibus inſignioribus etiam Eccleſiis deſignatus habetur; Nonnulli ad ipſius latus, vel in medio Presbyterii juxta varios Eccleſiarum ritus confitentur. Singularis hac in parte, & obſervandus ritus eſt, qui adhuc viget in Baſilica S. Martini Turonenſis, in qua neque ad altare, neque in Presbyterio, ſed ad S. Martini ſepulchrum fit Confeſſio in Miſſa ſolemni. Ita hunc ritum deſcribit antiquum ejuſdem Eccleſiæ Rituale MSS. *Illis* (ſcilicet Sacerdote celebrante cum Miniſtris) *Chorum intrantibus, ſonat claſſicum campanarum chori; poſt Sacerdos, & Diaconus, & Magiſter Subdiaconus Altare B. Petri oſculantes vadunt ante ſepulchrum dicentes ibi*: Confiteor, *& Miſſæ introitum decantantes, &* Kyrie eleiſon, *aliis Subdiaconis Altare parantibus, Clericulis ante Altare cum candelis, & cereis hinc inde ſtantibus. Hoc dicto redeunt ad Altare dicentes Pſalmum* Deus miſereatur noſtri. In Eccleſia Bajocenſi facta Confeſſione Celebrans cum Miniſtris converſus ad Populum dicit: *Abſolutionem* &c. In Pariſienſi vero Subdiaconus offert ſanctam Crucem deoſculandam Celebranti & aliis omnibus Miniſtris Altaris, etiam thuriferario, & ceroferariis, uti ex Cæremoniali ejuſdem Eccleſiæ. Atque hæc de Confeſſione ſatis.

Varii ritus circa locum, & modum hujus publicæ confeſſionis in Miſſa.

§. VIII.

De Sacerdotis oratione cum oſculo Altaris.

CONfeſſioni ſubduntur aliquot verſiculi ex Pſalmis, qui in diverſis Eccleſiis diverſi ſunt: tum ſequitur oratio, *Aufer a nobis*, quæ extat in vetuſtiſſimis Miſſalibus, & in Ordine Romano in officio Dedicationis Eccleſiæ poſt Litanias, ejuſque meminit Micrologus *cap.* 23. ſed
apud illum præcedit confeſſionem (1). Eſt etiam in Miſſali Mozarabico (1)
ſic concepta: *Aufer a nobis quæſumus Domine cunctas iniquitates noſtras, & ſpiritum ſuperbiæ, & elationis, cui reſiſtis, & reple nos ſpiritu timoris, & da nobis cor contritum, & humiliatum, quod non ſpernis, ut ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire*. Eodem ſenſu Maronitæ initio Miſſæ ſic orant: *Fac nos Domine Deus lotis jam cordibus noſtris, & emundatis ab omni conſcientia mala, & cogitationibus ſordidis dignos introire ad ſancta ſanctorum tua alta, & excelſa, & ſplendide ac pure ſtare ante Altare tuum ſanctum, & miniſtrare tibi victimas ſpiritua-*
les, & excelſas in fide, & veritate (2). Denique Sacerdos aſcendens ad (2)
Altare ipſum in medio oſculatur (3), dicens hanc orationem: *Oramus* (3)
te Domine per merita ſanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Ideo autem Sanctos commemorat, quorum Reliquiæ ibi ſunt, quia ſine illis Altare non conſecratur, ut ſupra oſtendimus, cum de Templis ageremus. Nota vero Orthodoxæ fidei apud veteres erat Sanctorum memoriis communicare; & illic offerre ſacrificium, ubi illorum corpora aſſervantur. Teſtis eſt Optatus Milevitanus lib. 2. arguens Macrobium Donatiſtam, quod memoriis Sanctorum non communicaret tamquam Schiſmaticus. *Ibi*, inquit,

inquit, ideſt Romæ, *ſunt duorum memoriæ Apoſtolorum. Dicite ſi ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi Sanctorum memorias eſſe conſtat*. Teſtis Hilarius lib. adverſus Conſtantium. *Audi hæretice*, ait, *damnationis publicum ſenſum, & intellige te divinæ religionis hoſtem, & inimicum memoriis Sanctorum*. Quamvis enim communicatio cum Sanctis per fidem, ſpem, & charitatem præcipue intelligatur; ſemper tamen Chriſtiani Martyrum ſepulchra venerati ſunt, & ſuper illa Altaria erexerunt, eorumque Reliquias habere optaverunt, ut cum iis etiam mortuis, quantum fieri poteſt, communicarent (4).

(1) *Præcedit Confeſſionem*) Pariter in Miſſa Illyrici hæc oratio præcedit Pſalmum *Judica* &c.

(2) *Et excelſas in fide, & veritate*) Hinc notandum quod fere omnes Liturgiæ Sacerdoti, dum ad Altare procedit, orationem aliquam ab eo dicendam præſcribunt. In Liturgia S. Jacobi hæc habetur: *Domine Jeſu purga nos omni macula, puroſque nos ſiſte Altari tuo ſancto, ut tibi laudis Sacrificium offeramus.* In Liturgia S. Marco tributa: *Sancte, ſumme, tremende, qui in Sanctis requieſcis*, Domine, *ipſe nos ſanctifica, noſque dignare tremendo tuo Sacerdotio, noſque ſiſte venerando Altari tuo cum omni conſcientia bona, cordaque noſtra purga ab omni inquinamento.* In Liturgia Æthiopum: *Domine Deus deſcendat ſuper nos, & ſuper hoc Altare tuum gratia Spiritus Sancti*. In Miſſa Ambroſiana: *Me quoque audacter ad tuum ſanctum Altare accedentem non ſinas perire, ſed dignare lavare, ornare, clementer ſuſcipere per Deum*. In Liturgia S. Baſilii: *Propter miſericordias, & miſerationes tuas . . . confidentes appropinquamus ſancto Altari tuo*. In Miſſa ex Codice Tilliano apud Menardum loco orationis *Auſer a nobis*: Sacerdos dicit: *Omnipotens . . . . qui me peccatorem ſacris Altaribus adſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiam, concede per hujus Sacramenti myſterium meorum veniam peccatorum*. In antiquo Miſſali Codice MSS. Eccleſiæ Antiſſiodorenſis hæc legitur oratio: *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum ut timeat nomen tuum: voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt*. Deinde oſculabatur Altare, pedeſque Crucifixi, ſi eſſet in Altari, aut ſaltem imaginem initio Miſſalis olim depingi ſolitam dicens hanc, aut ſimilem orationem: *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum. Te invocamus, te laudamus, te adoramus o Beata Trinitas*. Qui ritus paſſim in omnibus vigebat Eccleſiis, ut probant antiqua earum Miſſalia. In Turonenſi vero præſcribitur, ut oſculando patenam dicat Sacerdos: *Adoramus te Chriſte, &c. Reſpice, quæſumus, Domine ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Qui tecum. Adjutorium noſtrum in nomine Domini &c. Sit nomen Domini benedictum &c. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Deinde legat Antiphonam ad Introitum. In MS. autem Miſſali Majoris Monaſterii, quod olim videtur uſui fuiſſe celebri Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, hæc lego: Sacerdos *aſcendat ad Altare, & deoſculetur eum, & textum, dicendo ſic*: Pax Chriſti, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, conſervet, & confirmet corda, & corpora noſtra in vitam æternam. Amen.

Liturgiæ fere omnes Sacerdoti ad ſacram aram accedenti dicendam aliquã orationem præſcribunt.

(3) *In medio oſculatur*) Deoſculatio pro veneratione ponitur, ut ait ſanctus Hieronymus Apolog. ſeu lib. 1. contra Rufinum, *Hebræi*, inquit, *juxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt*, ſignumque eſſe honoris, reverentiæ, & cultus idem oſtendit in vita Sancti Hilarionis, in vita Sancti Pauli Eremitæ, & in Epiſtola ad Aſellam; idem legitur in Regula Magiſtri cap. 93. & apud Cantacuzenum lib. 1. Hiſtor. cap. 34. 41. Codinum de officiis cap. 14. num. 22. cap. 17. num. 45. Vide etiam ad hæc eruditiſſimas Jacobi Gretzeri notas. Item præter Plinium lib. 11. cap. 46. Plutarchum in Catone, Xiphilinum pag. 132., 153. vide Quintilianum declam. 298. Phædrum, Mamertinum, & alios paſſim. In id argumenti nonnulla diximus ad lib. 1. cap. xx. §. 7. nota 2., ubi etiam ex profanis Ethnicorum Authoribus oſtendimus oſculationem pro veneratione ſumi, quibus adjicimus Ovidium Metamorph. lib. 3.

Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ
Figit &c.

Claudianum in Rufinum lib. 2.

Cujus ſe toties ſubmittit ad oſcula ſupplex
Nobilitas.

Reverenter itaque ac religioſe Sacerdos oſculatur Altare in medio, ubi Sanctorum Martyrum reliquiæ ſitæ ſunt, adorans in illis Deum, qui glorificatur in conſilio Sanctorum, & in ſervis ſuis deprecabitur; illum item in eadem ſacra menſa incruenta immolatione Deo Patri litaturus, ac profunde inclinatus debito recolens honore, qui diſceſſurus de hoc mundo, pro nobis in Cruce moriens hoſtia ſimul & Sacerdos, ac victima ſui Sacerdotii effici dignatus eſt.

(4) *Quantum fieri poteſt, communicarent*) Quod Chriſtiani SS. Martyrum ſepulchra ſemper venerati ſint, & ſuper illa Altaria erexerint, jam ſupra plerìſque locis oſtenſum eſt, lib. 1. cap. 19. §. 5. nota 1. & ſeqq. ac cap. 25. §. 15. nota 4. & alibi.

CAP.

C A P. I I I.

De Introitu, & ejus inſtitutione. Antiphona quid ſit. Hymnum Gloria Patri *Apoſtolicæ traditionis eſſe. Omnes Introitus ex Pſalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quædam illorum exempla. De veteri verſione Pſalmorum, quæ Italica dicitur, ejuſque uſu in Miſſa. Eam adhuc vigere apud nonnullos in divinis Officiis. Græcorum duplex Introitus.*

§. I.

De Introitu, & ejus inſtitutione. Antiphona quid ſit.

DUM Sacerdos ad Altare procedit chorus pſallit antiphonam, quæ
ritu Romano *Introitus*, Ambroſiano *Ingreſſa* dicitur; quia nimi-
rum tunc canitur, cum Sacerdos intrat ad Altare (1). Ejus inſtitutio ab (1)
his, qui Eccleſiaſticos ritus explanant, Cæleſtino Papæ unanimi fere con-
ſenſu tribui ſolet. Auctor enim libri Pontificalis in ejus vita ſic ſcribit:
*Hic conſtituit ut CL. Pſalmi David ante ſacrificium pſallerentur antipho-
natim, quod ante non fiebat, niſi tantum recitabantur Epiſtolæ Pauli, &
S. Evangelium, & ſic Miſſæ fiebant* (2). Quomodo autem hæc Pſalmo- (2)
rum modulatio intelligenda ſit, an de aliquibus tantum verſiculis, & de
quibus: an de aliquo integro pſalmo diverſo pro diverſitate officiorum, an
de antiphona ex pſalmis excerpta, obſcurum eſt. Amalarius *lib. 3. cap.* 5. poſt-
quam dixit additum Miſſæ hoc officium a Cæleſtino, ait: *Quod nos ita intel-
ligebamus, ut ex omnibus Pſalmis excerperet antiphonas, quæ pſallerentur
in officio Miſſæ. Nam antea incboabatur Miſſa a lectione: qui mos adhuc
retinetur in vigiliis* Paſchæ, & Pentecoſtes, Conſentit Walafridus Strabo
cap. 22. dicens: *Antiphonas ad Introitum dicere Cæleſtinus Papa inſti-
tuit, ſicut legitur in geſtis Pontificum Romanorum, cum ad ejus uſque
tempora lectio una Apoſtoli tantum, & Evangelium legerentur*. Subſcri-
bunt Micrologus, & Berno Abbas, uterque cap. 1. At Honorius in
Gemma animæ lib. 1. cap. 87. *Cæleſtinus*, inquit, *Pſalmos ad Introitum
Miſſæ cantari inſtituit, de quibus Gregorius Papa poſtea antiphonas ad In-
troitum Miſſæ modulando compoſuit*. Ego autem Honorio, tametſi re-
centior ſit, libentius adhæreo, quam Amalario. Priſcus enim auctor, qui
geſta Pontificum ſcripſit, ait Cæleſtinum conſtituiſſe, ut pſalmi antipho-
natim cantarentur. Quid eſt autem canere antiphonatim (3), niſi alter- (3)
nis choris, quem modum loquendi licet recenſeat Voſſius inter vitia ſer-
monis *lib.* 4. *cap.* 31. non audet tamen de hac voce ut barbara contende-
re, cum in re nova novam fingere licuerit. *Antiphona*, teſte Iſidoro lib. 6.
cap. 19. Originum, *ex græco interpretatur vox reciproca, duobus ſcili-
cet choris alternatim pſallentibus*. Statuit igitur Cæleſtinus pſalmos alter-
natim cantari ante Miſſam (4), ſed poſtea Gregorius Magnus unam ex (4)
illis antiphonam ſelegit pro Introitu (5), & alias pro Reſponſorio, Of- (5)
fertorio, & Communione, quas in unum congeſſit, & ex his librum
compoſuit, quem Antiphonarium nuncupavit. Alii Gradualem vocant,
quia nonnullæ ex illis, quæ poſt epiſtolam dicuntur, in loco eminentio-
ri (6) cantari ſolebant, ad quem Cantores per gradus aſcendebant. Cum (6)
autem Introitus, & reliqua omnia revera Antiphonæ ſint, in Codice ta-
men

men Gregoriano ſolus Introitus Antiphonæ nomen peculiariter ſortitus eſt, poſt quem olim integer pſalmus cani conſueverat. Teſtatur Auguſtinus, qui eodem quo Cæleſtinus tempore vixit, *lib.* 2. *Retractat. cap.* 11. cœpiſſe tunc apud Carthaginem hunc morem, ut hymni ad altare de Pſalmorum libro dicerentur, ſive ante oblationem, ſive cum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum: quod cum Hilarius vir Tribunitius acriter reprehenderet, aſſerens fieri non oportere, ſcripſit adverſus ipſum Auguſtinus pro defenſione introductæ Pſalmodiæ: quem librum ſic recenſet Poſſidius in Indiculo, *contra Hilarium de canticis ad Altare liber unus*. Atque utinam hic extaret, multa enim in ipſo haberemus, quibus hic tractatus illuſtrior redderetur (7). Genebrardus lib. de Apoſto- (7)
lica Liturgia *c.* 17. manifeſti erroris eos arguit, qui dicunt Cæleſtinum inſtituiſſe, ut Pſalmi in Introitu Miſſæ cantarentur, antiquiorem enim hunc ritum putat ex Dionyſio *lib. de Eccl. hierarch. c.* 3. §. 2., ubi ait *Pontifex precem ſacram ad Altare Dei celebraturus ab ejuſdem ſuffitione initium faciens univerſum circuit chori ambitum, donec rurſum ad Altare divinum rediens ſacrum inſit Pſalmorum melos, omni Ordine Eccleſiaſtico ſacram ipſi Pſalmodiam ſuccinente*. Supponit autem Genebrardus tamquam certum, id quod ſupra oſtendimus (8) valde dubium eſſe, hunc (8)
ſcilicet Dionyſium eſſe illum Areopagitam Pauli Apoſtoli prædicatione ad fidem converſum. Quod licet ei concedamus, non tamen inde ſequitur erraſſe priſcos Scriptores, qui hanc inſtitutionem Cæleſtino tribuerunt. Scimus enim diverſos fuiſſe mores Græcorum, & Latinorum, & forſitan Cæleſtinus conſuetudinem, quæ dudum viguerat in Orientalibus Eccleſiis, tranſtulit ad Occidentales (9). Sunt etiam quidam recentiores (10), (9) (10)
alias non indocti, qui tempore Caſſiani Pſalmos in monaſteriis Ægypti ad Miſſam decantatos fuiſſe aſſeverant, quia nimirum *lib.* 3. *Inſtitut. cap.* 11. ille ſcripſit, *die Dominico unam tantummodo Miſſam ante prandium celebrari, in qua Pſalmorum, atque orationum, ſeu lectionum pro ipſius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia ſolemnius aliquid ac propenſius impendentes in ipſa Tertiam Sextamque pariter conſummatam reputant*. Verum Miſſa hoc loco non pro ſacrificio, ſed pro conventu Monachorum ad perſolvendum divinum officium accipitur, quamvis in hoc conventu ipſum etiam ſacrificium comprehendatur (11). Senſus igitur Caſſiani eſt, (11)
quod cum cæteris diebus Tertiam, & Sextam per intervalla perſolverent, ſicque fierent duæ Monachorum dimiſſiones, ſive Miſſæ, die Dominico ſemel tantum ad Eccleſiam conveniebant, ac ibidem unico contextu Tertiam, & poſtmodum Liturgiam, ac demum Sextam recitabant, qua peracta diſcedebant, & ſic una tantum Miſſa ſeu dimiſſio agebatur.

(1) *Cum Sacerdos intrat ad Altare*) Pergit vero ad dextrum cornu Altaris, nunc locum Epiſtolæ, quia dextram Chriſtus ſemper egit vitam (ut inquit Gaufridus Neuſtrienſis Canonicus Reg., qui floruit ſeculo XII. apud Edm. Martene Theſaur. Anecdot. tom. 1. pag. 532.) dextra enim vita adquiritur cæleſtis gloria, hinc Hildebertus Cenomanenſis de Myſt. Miſſæ, inquit:

Ille ſtat a dextris, quia quæſiit author inanes
Per ſacrata Deos, gens quaſi dextra fuit.

Poſt pauca

Inde ſiniſtrorſum Domini ſacra verba leguntur.
. . . . . .
Rejiciente fidem Judæa, gratia Chriſti
Tranſiit ad Gentes, Iſrael errat adhuc.
Tranſitus hic quoties Evangelium recitatur,
Mentibus occurrit, exprimiturque loco.
Ad lævam legitur, quia quo tranſivit aberrans,
Et velut a læva gens idolatra fuit.

Deinde in fine poſt multa

Ad Chriſti reditura fidem Judæa notatur,
Cum Pater ad dextram cedit, & explet opus.

Ad hæc autem obſervandum eſt, quod in veteribus Romanis Ordinibus, & ex Liturgicis Scriptoribus uſque ad ſeculum XV. pars dextera dici conſuevit ex dextera Sacerdotis ad Altare converſi, eorumque qui ingrediuntur in templum

Quæ ſit pars Altaris dextera, & quæ ſiniſtra.

templum ; anno vero 1485. in Pontificali Romano tunc impreſſo præceptum fuit dexteram , & ſiniſtram Altaris eam eſſe deinceps, quæ dextera & ſiniſtra eſt Crucifixi in medio Altari collocati ; atque ex eo tempore ſiniſtra pars Altaris dicitur , in qua Epiſtola, dextera , in qua Evangelium legitur . Vide hac de re plura , quæ congerit notatu digna Petrus Brunus Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 157. & ſeqq.

Quæ ſit pars Altaris dextera, & quæ ſiniſtra.

(2) *Et ſic Miſſæ ſiebant*) Licet autem ex Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 11. contrarium videatur inferri , nihilominus Em. Cardinalis Thomaſius loco infra citando Auguſtinum eo loci non intelligendum eſſe de Introitu Miſſæ optime oſtendit.

(3) *Quid eſt autem canere Antiphonatim.*) Eminentiſſimi Authoris ſententiam piiſſimus & alter Cardinalis Joſeph Maria Thomaſius in Præfatione ad Reſponſorialia , & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ pag. 3. num. 2., & pag. 21. apprime confirmat , atque eruditiſſime oſtendit . Conſonant Macri Fratres in Hierolexico , Dufreſne in Gloſſario med. & infim. Lat. Du-Mortier in Etymologico, verbo, *Antiphona* , *Antiphonatim* , qui plura hanc in rem congerunt . Eidem opinioni adſtipulatur Author Anon. Libri gallice inſcripti : *Les anciennes Liturgies* , videlicet J. Grancolas, pag. 458., aliique.

Canere Antiphonatim id eſt alternis Choris.

(4) *Cantari ante Miſſam* .) Ad hunc locum , quem ex Authore libri Pontificalis refert Scheleſtratius Antiq. Eccleſ. Tom. 1. pag. 469. hæc idem advertit. „ Lucas Holſtenius notat in margine *ante Canonem*, Romualdus intelligit *Introitum Miſſæ* , in quo „ tamen nunquam 150. Pſalmi cantati ſunt , „ ſed pars unius Pſalmi tantum ; unde hunc „ locum de matutinis quis rectius intelligere poſſet , in quibus per anni circulum „ omnes fere Pſalmi David antiphonatim canuntur . Deſumpſit Author hæc verba ex „ ſecundo Catalogo , a quo nonnihil differt Catalogus Palatino-Vaticanus , in „ quo legitur , ut Antiphona ante Sacrificium caneretur , quo loco verba aliqua „ deſiderantur . Neque Introitus ex Pſalmis „ Davidicis Antiphonatim olim canebatur a „ Clero in Eccleſiis , ſed matutinum , inſtituente id Cæleſtino , ut ex libro Pontificali „ colligitur „ . Hæc ille : quibus confirmantur , quæ ſupra dicta ſunt de matutinis precibus ante Miſſam antiquitus decantatis .

(5) *Selegit pro introitu* .) Hinc colligit Edmundus Martene Tom. I. de antiq. Eccl. Ritibus pag. 357. Liturgiam Gallicanam Gregorio Magno antiquiorem eſſe ex eo , quia nullæ ibi ad introitum antiphonæ recitatæ legantur , nullumque earum veſtigium in omnibus , quæ hactenus a viris eruditis editæ ſunt., Eccleſiæ Gallicanæ Liturgiis reperiatur; immo a Prophetia Miſſam Gallicanam initium duxiſſe non obſcure innuat Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 7. ; verum quod Liturgia Gallicana Gregorio antiquior fuerit, non inficiamur , teſtatur ſiquidem Carolus Calvus in Epiſt. ad Ravennatenſem Eccleſiam, quod *uſque ad tempora abavi noſtri Pipini Gallicanæ Eccleſiæ aliter, quam Romana divina celebrabant officia*. Quod autem hæc , quam habemus , eadem ſit ac illorum temporum, id eſſet probandum , quodque non habuiſſet initio Pſalmos , nam ibi Gregorius non ita clare id indicat , ut legenti patet . Conſtat item ex laudato Turonenſi Antiſtite lib. 6. cap. 3. ejuſdem Hiſt. Pſalmos ad Miſſam cani ſolitos , ibi : *Interea jubet Rex , ut Diaconum noſtrum , qui ante diem ad Miſſas Pſalmum reſponſorium dixerat , canere juberem* , & infra : *Pſalmum reſponſorium decantavit* . Idem confirmat in Vitis Patrum cap. 8. num. 4. An autem Pſalmus hujuſmodi ante , vel poſt lectionem diceretur , incertum; cæterum verba illa *ante diem* videntur connotare , quod fuerit initio Miſſæ , & ſic eſſet introitus . Conſtat inſuper , & ingenue fatetur ipſe Theodoricus Ruinart in Appendice Oper. Sancti Gregorii Turon. col. 1357. , nempe , quod ab Antiphona incipit Miſſa in omnibus Liturgiis , quod de Gallicana innuit Concilium Agathenſe celebratum anno 506. Can. 30. ubi ſtatuit , *quod ſicut ubique ſit , & poſt Antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis , & Presbyteris dicantur* : ſcilicet Collectæ , Orationes .

Liturgia Gallicana magno quidem Gregorio antiquior , ſed hæc quam habemus an eadem ac illorum temporum , id probandum eſſet.

(6) *In loco eminentiori* .) Hoc eſt in Ambonis gradu , vide infra cap. 6. §. 4.

(7) *Quibus hic tractatus illuſtrior redderetur* .) Ad hunc locum laudatus Emm. Scheleſtratius de Eccleſia Africana Diſſert. 2. cap. 6. num. 8. Cardinalem noſtrum carpere videtur , hæc de eodem dicens ; „ & rationem „ illius plura quoque tradit de Introitu non „ ſatis antiquitati conſona „ : his tamen verbis potius non ſatis ſibi conſtat vir eruditus, an dictum Eminum , vel Auguſtinum ipſum inſimulare intenderit ; etenim inquit „ Veritas autem ut eluceſcat , quæro ego „ quid ſibi voluerit Auguſtinus , dum apud „ Carthaginem morem incæpiſſe teſtatur , „ quo ante oblationem dicerentur Pſalmi „ ante Altare ? An forſan Hilarius arguat „ Pſalmorum ante Sacrificium recitationem ? „ Id certe nullo fuco attentare potuiſſet , „ cum a Tertulliano Presbytero Carthaginenſi audivimus ſupra ante Sacrificium „ Pſalmos cantatos : *aut Pſalmi canuntur* . „ Quid ergo increpat ? Reſpondeo nihil aliud, „ quam ante Altare , cum enim lectiones in „ pulpito legerentur a Lectore , Pſalmi canerentur in Eccleſia , Evangelio lecto , „ tum ſolum ad Altare ingrediebatur Sacerdos , Liturgiam , aut Miſſam Fidelium inchoaturus ; Cæleſtinus vero Papa Pſalmos „ in Introitu antiphonatim recitari ſtatuiſſet , „ morem hunc eo ipſo Africana recepit Eccleſia , Cæleſtini namque tempore vivebat Auguſtinus , qui tunc obganniente Hilario morem a Romana Eccleſia amplexum in Africam introductum fatetur , & „ ab ipſis Carthaginenſibus obſervari cæptum „ Hæc Scheleſtratius , quibus , ſi Auguſtinum reprehendat , quaſi inepte contra Hilarium Tribunitium Carthaginenſis Eccleſiæ Miniſtris inſultantem , eoquod ab ipſis *Hymni ad Altare dicerentur de Pſalmorum libro , ſive ante oblationem , ſive cum diſtribueretur Populo , quod fuiſſet oblatum* , ſcripſerit , eorumque cauſam defenderit , judicent alii ; an id merito eidem San-

Card. Bona a Scheleſtratii nota vindicatus.

Sancto Doctori Scheleſtratius abnuat. Hoc unum eſt, quod cum hujuſmodi Auguſtini liber deperditus ſit, ejus rationes ſcire non poſſumus, quare ipſo inaudito quidquam judicare temerarium eſt, eoque magis, quo ſcimus Hilario, uti Laico, nuſquam Eccleſiæ Miniſtris contradicere licitum fuiſſe, quibus obedire potius, ac piam introductam conſuetudinem venerari, quam exprobrare debuerat. Si vero in Em̃um noſtrum inſurgit, quod *illius ratione*, ut ipſe ait, *plura tradat de Introitu non ſatis antiquitati conſona*, immerito ſane hanc illi notam impingit; dicat enim, quæſo, quæ ſint ab ipſo tradita de introitu non ſatis antiquitati conſona? Gratis dicitur, quod non probatur. An non ejus inſtitutio ab his, qui Eccleſiaſticos ritus explanant, Cæleſtino Papæ unanimi fere conſenſu tribuitur? An non quemadmodum Cæleſtinus Pſalmos alternatim cantari ante Miſſam ſtatuit, ſic poſtea Gregorius Magnus unam ex illis Antiphonam ſelegit pro introitu, dum id conſtat ex ſuo Sacramentario? Annon hujuſmodi Pſalmodiæ conſuetudo Auguſtini tempore, qui Cæleſtino coævus fuit, ad Sacrificii initium primum introducta fuit? Id ipſum teſtatur S. Auguſtinus, ut ſupra dictum eſt, neque ipſe Scheleſtratius diffitetur. Hæc ſummatim ſunt, quæ docet Em̃us Author, quænam ergo ab ipſo tradita de Introitu non ſatis antiquitati conſona?

(8) *Quod ſupra oſtendimus.*) Id eſt lib. 1. cap. 8. §. 4.

(9) *Tranſtulit ad Occidentales.*) Et quidem Cardinalis Thomaſius loco ſupracitato ritum iſtum, ſeu Antiphonæ cantum hujuſmodi ab Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, qui idem modulationis genus dudum ab Orientalibus acceperat, mutuatum fuiſſe ſcribit; hinc fortaſſe Cæleſtinus hunc Pſalmodiæ morem ab Ambroſio ſumpſit. Vide quæ ſupra dicta ſunt ad lib. 1. cap. 25. §. 19. Tom. 2. pag. 377. & ſeqq.

(10) *Sunt etiam quidam recentiores.*) Radulphus Tungren. lib. de Can. obſerv. cap. 23. & ex eo Joannes Stephanus Durantius de Ritibus Eccl. Cath., item Joannes Baptiſta Scortia de Sacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 14., qui etiam ibi alios Authores pro hujuſmodi ſententia refert, cumque his etiam Gavantus Parte I. tit. 8.

(11) *Etiam Sacrificium comprehendatur.*) Ita etiam Alardus Gazæus in Comment. ad hunc locum Caſſiani. Cæterum Introitus ita dictus eſt, vel quia aſcendente Sacerdote ad Altare recitatur, qui paulo ante dixerat *Introibo ad Altare Dei*, uti Micrologus putat Eccl. obſerv. cap. 1. vel quia ſit quaſi procemium, ſeu exordium Miſſæ, ex Conrado lib. 1. Cærem. cap. 1. vel quia Populo introeunte Pſalmus canebatur, ut aliqui exiſtimant. Papias in Gloſſario Not. vet. *Introitus*, ait, *dicitur, quod per eum introimus ad ejus officium; verſus, quod per eum revertimur ad introitum*. Ita etiam ſentire conſpiciuntur Amalarius lib. 3. de Eccl. Offic. cap. 5. & ante ipſum Carolus Magnus Imp. in Libello ad Alcuinum magiſtrum ſuum de Sacrificio Miſſæ & ratione rituum Eccleſiæ a Wolphango Lazio evulgato ann. 1560. ubi pag. 83. ait: *Antiphona ideo ad introitum dicitur, quia per hanc introimus ad Officium divinum, ſicut per introitum oſtii ad ſecreta domus*. Quod & confirmat vetus quidam Anonymus Author in Expoſitione Miſſæ ex ſacrarum Scripturarum concordia, quæ teſte Card. Thomaſio in Diſquiſit. præmiſſa antiquis libris Miſſarum extat in MSS. Ordine Romano Biblioth. Vallicellanæ. Inde fortaſſe eſt quod, ut obſervat Petrus Le-Brun Tom. 1. cærem. Miſſæ pag. 161. in antiquis Miſſalibus Eccleſiarum Ebredunenſis, & Glandatenſis, aliiſque in Normanniæ Provinciæ locis, de quibus mentio habetur in Codice Reg. Biblioth. Pariſ. num. 3878. quemadmodum & in veteri Carmelitarum Miſſali, Introitus Officium vocatur, quia ab eodem Chorus incipit officium Miſſæ; ſic pariter dicitur apud Monachos Chartuſianos, & PP. Prædicatores. In Introitu porro, (ajunt Fratres Macri in Hierolex.) antiquitus Pſalmus integer canebatur; ſed poſtea propter populi tædium, ut inquit Auguſtinus Serm. 115. de Temp. detruncatus eſt, ita ut unicus Pſalmi verſiculus cum replicatione Antiphonæ cani cœperit; ritu tamen Ambroſiano, ut infra dicetur, non repetitur Antiphona, ſeu Ingreſſa, ut ibi appellatur, niſi in Miſſis Defunctorum. Olim item Introitus non legebatur a Sacerdote, ſed a Choro præcinebatur, ut recte initio hujus capitis exprimit Cardinalis noſter; nunc vero non in Miſſis dumtaxat privatis, verum etiam in ſolemnibus, cum in Choro canitur, idem a Celebrante recitatur, quia fieri poteſt, ut quæ Chorus forte muſicalibus notis canit, probe non intelligat; idque jam a ſeculo XIV. præſcriptum, uti nonnulli obſervant recentes Liturgici Scriptores, maxime ex Radulpho Tungrenſi, qui dicto tempore vixit.

Antiphona, quæ initio Miſſæ recitatur, quare dicta Introitus.

Quæ etiam ab aliquibus Officium dicitur, & ab Ambroſianis ingreſſa.

Antequam vero Sacerdos ſolemniter celebrans recitet Introitum, thurificat Altare modo in Sacris Rubricis conſtituto, quem & apud Gavantum, Meratum alioſque videre poterit Lector, cum hoc loci id noſtri non ſit inſtituti. Thuris quidem uſum in Eccleſia antiquiſſimum ſatis oſtendimus ſupra ad lib. 1. cap. 25. §. 9. ſive Tom. 2. pag. 328. & ſeqq. tum ex SS. Patribus, tum ex veteribus Liturgiis, ſed an ante Miſſam, ibi non præſcribitur. Sane Altaris incenſationem initio Miſſæ faciendam, & apud fere omnes Eccleſias jam tunc ante ſeculum XII. in uſu fuiſſe tradunt Hugo Victorinus de Off. Eccl. lib. 2. cap. 14. & poſt ipſum Innocentius Papa III. de Myſt. Miſſæ item lib. 2. cap. 14. qui pene coævi eodem ſeculo floruere. *Ingreſſurus ergo* (inquit laudatus Papa) *Pontifex ad Altare incenſum apponit thuribulo* &c. deinde cum dicto Hugone incenſi myſteria explicat, fieri nempe hujuſmodi thuris adolitionem ad repræſentandam gloriam Dei, qui olim in nebula apparebat, tum ad reverentiam loci, ut malus odor concurrentis populi inde pellatur, & Chriſti bonus odor ſimus in omni loco, præſertim in ſacris ipſius ædibus, uti ex Apoſtolo S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria

Rer. Eccl. tum ut oratio noſtra ad Deum dirigatur juxta illud Pſalmi 140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Ex S. Thoma 3. par. quæſt. 83. art. 5. fit denique Altaris incenſatio ad expellendos etiam dæmones, *quatenus ſcilicet ab eo* (inquit idem Innocentius loco citato cap. 17.) *omnis dæmonis nequitia propellatur*. Ita & in Ordine Romano Sacerdos benedicens incenſum orat ut omnes inſidiæ, & phantaſmata dæmonum, omneſque languores vi odoris ipſius effugentur. Sic thurificato Altari idem ſolemniter celebrans Sacerdos legit Introitum juxta proprium ſuæ Eccleſiæ ritum. Olim, (ait Edm. Martene de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 3. pag. 358.) in Miſſa ſolemni celebrans poſt Altaris incenſationem, ſi eſſet Epiſcopus, ad paratam ſibi ſedem deducebatur, quæ ex lib. 2. Apoſtolicarum Conſtitutionum cap. 61. in medio Templi erat conſtituta, de qua, ſicut & de faldiſtorio nunc uſitato locuti ſumus ad lib. 1. cap. 20. §. 7. nota 5. & ſeqq. „ In hac ſede, ſeu throno „ reſidens Pontifex in Eccleſiis Lugdunenſi, „ Viennenſi, aliiſque nonnullis in Gallia ſpe- „ ciali prærogativa permanet uſque ad Offer- „ torium, atque ibi recitat, aut cantat quæ- „ cumque interim recitanda, aut cantanda „ ſunt. Eodem fere privilegio gaudent in „ Eccleſia Remenſi celebrantes omnes, etſi „ non Epiſcopi, nihil enim recitant, aut „ cantant ad Altare ante Offertorium, ſed „ in Pulpito ad Altaris latus collocato. Idem „ etiam uſus in aliis ejuſdem Metropolis Ec- „ cleſiis forte vigebat, ſaltem de Laudunen- „ ſi id conſtat ex MSS. ordinario ejuſdem „ Eccleſiæ, in quo præſcribitur, *ut finita* „ *Gloria Sacerdos veniat ad lectreolum ad di-* „ *cendas orationes* „ ſcilicet ad ambonem. De hoc peculiari ritu, aliiſque illius Eccleſiæ vide Antonium Bellotte, qui eoſdem variis obſervationibus illuſtravit.

§. II.

Hymnum GLORIA PATRI Apoſtolicæ traditionis eſſe.

POſt Introitum olim, ut dixi, integer Pſalmus, nunc unus ejuſdem verſiculus decantatur cum *Gloria Patri*: qui verſus ab antiquis Patribus hymnus glorificationis dictus eſt (1). Nicephorus *lib. 9. Eccl.* (1)
Hiſt. cap. 24. ejus auctorem facit Flavianum Monachum Antiochenum: alii vero a Synodo Nicæna inſtitutum aſſerunt; ſed vetuſtiorem eſſe & ab Apoſtolis traditum (2) fuſius demonſtravi in libro de divina Pſalmo- (2)
dia *cap.* 16. §. 6. Athanaſii & Baſilii teſtimonio. Cum enim fideles ab initio Eccleſiæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati eſſent, ipſis tribus perſonis hunc Hymnum glorificationis canere didicerunt. Primus qui eum mutavit, Aetius fuiſſe dicitur Eccleſiæ Antiochenæ Diaconus Arianiſmi inſtaurator, ſic cani inſtituens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: quæ verba licet per ſe nullam hæreſim contineant, ſubdole tamen ab Arianis uſurpabantur, ut illorum æquivocatione ſuam impietatem celarent (3). Illis in ſenſu Orthodoxo uſus eſt S. Leo ſerm. 1. (3)
de Nativitate dicens. *Agamus, dilectiſſimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto*. At vero Baſilius cum iiſdem verbis ſermonem ad populum concluſiſſet, Catholicis diſplicuit, & pro illorum defenſione librum Apologeticum edidit, quem de Spiritu Sancto ad Amphilochium inſcripſit, ſed non omnibus ſatisfecit (4). Adeo verum eſt (4)
oportere Catholicum Doctorem irreprehenſibilem eſſe, & a vocibus abſtinere, quæ communiter ſuſpectæ habentur, & pias aures offendunt, quamvis veræ ſint & Orrhodoxæ in eo ſenſu, quo ſcribentes vel prædicantes eas concipiunt & docent. Ideo Apoſtolus Timotheo præcepit, ut depoſitum cuſtodiret, & profanas vocum novitates devitaret. Sed non eſt hujus loci hæc fuſius proſequi. Additamentum *Sicut erat in principio*, putat Brronius ad *an.* 325. *num.* 173. Hymno glorificationis acceſſiſſe Concilii Nicæni Decreto (5) adverſus Arianos, qui dicebant de (5)
Filio, erat quando non erat. Alii vero exiſtimant antiquius eſſe, & ad illud alludere Tertullianum lib. de Spectaculis cap. 25. (6). (6)

(1)

(1) *Hymnus glorificationis dictus eſt*) Ita Latinis ; a Græcis vero vocatur Doxologia, quæ idem ſonat , & apud ipſos duplex eſt , magna , ac parva ; illa ſic dicta Hymnus Angelicus , ſeu *Gloria in excelſis Deo* , de quo infra , hæc quæ ſæpius in fine Pſalmorum repetitur brevis SS. Trinitatis glorificatio , ſcilicet *Gloria Patri* &c. quæ etiam ad Introitum dicitur in omnibus Miſſis præterquam Defunctorum . Vide Germanum Patr. Conſtantinopolitanum in Theoria Rer Eccl. Jacobum Gothofredum in Diſſert. ad Philoſtorgium pag. 147. Meurſium in Gloſſario , Goarum ad Euchologium Græc. pag. 58. & ſeqq. ubi plura de hujuſmodi Divina Doxologia , tum magna , tum parva luculenter obſervata reperies .

Gloria Patri &c. ab Apoſtolica traditione derivari denuo probatur.

(2) *Ab Apoſtolis traditum*) Præter allata ibi ab Eminentiſſimo Auctore Athanaſii , & Baſilii teſtimonia, poſſunt & alia adduci antiquorum Patrum , videlicet , Clementis Romani , Dionyſii Alexandrini , Irenæi Lugdunenſis , qui hanc eſſe *formam* , *& regulam a majoribus acceptam* ſcribunt , ut ait Chriſtianus Lupus Schol. ad Can. Concilii Nicæni tom. 1. pag. 109. 267. & 278. Ejuſdem meminerunt Origenes, Julius Africanus , Firmilianus Cæſarienſis , Gregorius Thaumaturgus, quorum verba , & loca Baſilius producit , concludens eſſe *vocem gratam* , *amicam Sanctis a prima Evangelii annunciatione uſque ad præſens in Eccleſiis uſitatam* : eſſe ab Apoſtolis non ſcripto , ſed verbo , traditam diſciplinam. Vide hac de re Joannem Baptiſtam Scortiam de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. 3. cap. 9. num. 4. , qui late de eadem , atque erudite diſſerit . Vide item Pagium in Critica Baronii ad annum 400. num. 14. , ubi Eminentiſſimi noſtri ſententiam confirmat , addens Flavianum , & Diodorum Monachos Antiochenos hanc tantum rationem canendi Pſalmos Antiochiæ lingua Græca introduxiſſe ; ſiquidem jam ante eoſdem Pſalmi Davidici lingua Syriaca cani conſueverant , quemadmodum ex Theodoro Mopſveſteno demonſtrat , cujus teſtimonium affert Nicetas in Theſ. Orthod. fidei lib. 5. cap. 30. Hujus porro divinæ Glorificationis , ſeu Doxologiæ hymnum originem ſuam habere potuiſſe ex illis Apoſtoli verbis ad Rom. 11. 36. *Quoniam ex ipſo , & per ipſum , & in ipſo ſunt omnia : ipſi gloria in ſæcula . Amen* , quis umquam dubitaverit , cum hæc verba a Sanctis Patribus , veluti ab Auguſtino lib. 1. de Trinit. cap. 6. Ambroſio lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 10. & S. Thoma Aquinate 1. parte quæſt. 39. art. 8. in corp. ubi diſerte hunc textum explicat , itemque in Expoſit. epiſtolarum Pauli hoc loco , tribus divinis Perſonis , unique Deo ad ipſius glorificationem approprientur , quemadmodum & ab aliis Eccleſiaſticis Doctoribus ita concipiuntur . Hinc ex Apoſtolica profecto inſtitutione ipſorum diſcipulis tradita cœpit ubique in Eccleſia reſonare prædicta infinitæ Majeſtatis Dei glorificatio , ſeu Doxologia , cui Concilium Nicænum , ut nonnulli arbitrantur , addidit *ſicut erat in principio* &c. , ut nempe ſignificetur æternitas filii æque ac Patris , ſicque creaturam non eſſe, ſed ejuſdem cum Patre eſſentiæ , æternitatis ejuſdem participem , & ejuſdem gloriæ conſortem ; idque contra Arianos , quod pariter æque competit Spiritui Sancto adverſus Macedonianos , qui eidem cum Patre , & Filio divinitatis & gloriæ æqualitatem impie negabant . Hujuſmodi autem glorificationis divinæ formula non ſolum in fine Pſalmorum , & antiphonarum, verum etiam in hymnorum clauſula dicebatur ab utraque Eccleſia Latina & Græca . Vide Concilium Vaſionenſe I. ſub Julio PP. can. 3. & II. can. 5. Narbon. I. can. 2. Toletanum IV. can. 13. Vigilium PP. epiſt. 2. Walafridum Strabonem de rebus Eccl. cap. 25. Bernonem Augien. cap. 2. Micrologum cap. 31. Durandum Mimaten. Rationalis lib. 5. cap. 2. num. 17. & ſeqq. Steph. Durantum de Rit. Eccl. lib. 3. cap. 15. ac denique clar. Petrum Couſtantium tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. col. 612. Porro obſervandum ulterius erit , quod Nicephorus Gregoras Hiſt. Byzant. lib. 4. Doxologiæ voce uſus eſt ad ſignificandum Miſſæ Sacrificium , dum ait : *Cum ſacra Doxologia perageretur , ſæpe interfuiſſe , & cum Patriarcha locutum eſſe* &c. & revera Miſſæ Sacrificium omnium maximam eſſe Dei glorificationem Catholicus nemo negabit .

(3) *Suam impietatem celarent*) Unde Leontium Arianum Epiſcopum Antiochenum in recitanda glorificatione , cum alii canerent *Gloria Patri , & Filio* , alii *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* , ut fraudem abſconderet , Doxologiam ita tacite recitaſſe , ut ultima ſaltem verba *in ſæcula ſæculorum* ab iis, qui prope erant audirentur , refert Theodoretus Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 24.

(4) *Sed non omnibus ſatisfecit*) Quapropter Gregorius Nazianzenus Baſilii amiciſſimus, ejuſdem eadem de re conſilium , fidemque integerrimam demonſtrat Epiſt. 26. ad ipſum Baſilium , & in Oratione de ipſius defuncti laudibus . Cum autem non deſiſterent adverſarii eidem inſultare etiam mortuo , & præcipue Eunomius hæreticus Actii diſcipulus , rurſum diverſis temporibus plures eximii , & clariſſimi viri Apologias pro Baſilio ſcripſere , videlicet germanus ejus frater Gregorius Nyſſenus , S. Epiphanius Conſtantienſis Epiſc. in Panario adv. hæreſes , ac deinde vel ipſe Theodorus Antiochenus Preſbyter , poſtea Mopſveſtenus Epiſc. hæreticus , item Andronicianus , ac Sophronius editis pro eodem Baſilio adverſus Eunomium libris , quos ſe legiſſe ait Photius in Bibliotheca Cod. 4. 5. 6. & 7. , atque etiam 45.

(5) *Ex Concilii Nicæni decreto &c.*) Alii adjectum a Damaſo P. affirmant , & legitur in ejus Vita , quam ex Archivis Baſilicæ Vaticanæ deſcripſit Abbas Conſtantinus Cajetanus , atque vulgavit Marius Mileſius ; verum & hoc eſſe antiquiſſimum ipſius Athanaſii teſtimonio docemur in citato Libro de Virginitate , ubi poſt glorificationem Sanctiſſimæ Trinitatis hæc additio habetur pluribus in locis : *Et nunc & ſemper , & in ſecula* : Item *in ſecula ſeculorum Amen*. Quem librum eſſe germanum Athanaſii fœtum infra dicemus . Idem ſentiunt Joannes Baptiſta Scortia , & Chriſtianus Lupus

ſupra

ſupra citati. Et ſane laudatum divinæ glorificationis hymnum non a Damaſo, ſed multo ante a magna Synodo Nicæna additamento hoc: *Sicut erat in principio* &c. auctum fuiſſe, uti recte obſervat Baronius loco in textu indicato, teſtatur Concilium primum Vaſenſe, ſeu Vaſatenſe, verius Vaſionenſe in Gallia paulo poſt dictum Concilium Nicænum celebratum circa an. 337. uti ex Adone in Chronico probant cum Baronio Spondanus, Binius, Sirmondus, aliique Conciliorum Galliæ Collectores, & Oldoinus in Julii Papæ Vita, quibus & Cardin. noſter in Div. Pſal. ut ſupra ab ipſo notatum eſt, indubitanter ſubſcribit. Sic autem in dicta Synodo ſancitum legitur canone 5. „ Quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore cœpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen*, dicitur; etiam nos in univerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.„ Quod autem poſtea hoc ſtatutum ubique obtinuerit, ex Vigilii Papæ epiſt. 1. perſpicue deducitur, ibi enim dictus Pontifex in fine omnium Pſalmorum dici ab omnibus ex more *Gloria Patri* &c. aſſeverat: notanda eſt particula *ex more*, quæ ſatis indicat id jam multo ante obſervatum fuiſſe. Et ſane id etiam patet ex canone 12. Concilii Bracarenſis, quod an. 572. habitum fuit, ubi exprimitur dici *quotidie publico, privatoque officio in fine omnium Pſalmorum Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Amen*. Extat item apud Baronium ad an. 598. num. 31. Canon primus Narbonenſis Concilii anno eodem celebrati, quo ſtatuitur, *ut in pſallendis ordinibus per quemque Pſalmum gloria dicatur omnipotenti Deo; per majores vero Pſalmos, prout fuerint prolixiores, pauſationes fiant, & per quamque pauſationem gloria Trinitatis Domino decantetur*. Exinde crediderim quod S. Gregorius Papa, qui anno 604. obiit, ſicut unam ex Pſalmis antiphonam ſelegit pro introitu ad Miſſam, ita poſt ipſam Gloria Patri &c. cum additamento *ſicut erat in principio* &c. recitari debere decreverit. Utut ſit, ex præmiſſis Eccleſiaſticæ Hiſtoricæ monumentis facile conjici poteſt uſum canendi gloriam in fine Pſalmorum, & cum dicto additamento *ſicut erat* &c: non tantam præſeferre antiquitatem, quantam nonnulli exiſtimant.

(6) *De Spectaculis cap.* 25.) videlicet, ubi dicit: εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος (in ſecula ſeculorum) *alii omnino dicere niſi Deo, & Chriſto*? Notans hoc loco id, quod Commodo Imperatori acclamatum fuiſſe narrat Dio Hiſt. lib. 72. At Tertullianus non exprimit id additamentum *ſicut erat* &c. jam in Eccleſia ad Pſalmorum finem dici conſuetum fuiſſe; contrarium enim ex hactenus dictis conſtat.

§. III.

Omnes Introitus ex Pſalmis, paucis exceptis. Tropi aliquando iis additi. Quædam illorum exempla.

IN Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus ex Pſalmis antiquo more deſumpti ſunt, paucis exceptis, quos Durandus *lib.* 4. *Rationalis cap.* 5. vocat irregulares, ut *Puer natus eſt nobis* in die Nativitatis Domini: *Viri Galilæi* in die Aſcenſionis: *Spiritus Domini* in die Pentecoſtes: *Nunc ſcio vere* in die S. Petri: & alii pauci ex aliis Scripturis. Sunt & aliqui, qui nec quidem ex Scriptura ſacra excerpti ſunt, ut *Salve ſancta Parens*, *Gaudeamus omnes in Domino*, *Benedicta ſit ſancta Trinitas*, quibus caret Antiphonarium Gregorianum (1). Dicto verſu *Gloria Patri* repetitur Introitus, quem nonnullæ Eccleſiæ ter pſallunt in diebus ſolemnioribus (2). Ambroſiani nunquam repetunt, niſi in Miſſis Defunctorum, ſed ipſa Ingreſſa, quam vocant, ſemel ſine Pſalmo, & Gloria recitata, Sacerdos dicit *Dominus vobiſcum*, & ſequitur immediate *Gloria in excelſis Deo*, ſi dici debeat, alioquin Oratio. Mozarabes poſtremam tantum partem bis repetunt, eo ritu, quo Reſponſoria cantat Romana Eccleſia: ut in Miſſa Nativitatis Domini: *Benedictus qui venit, alleluja, In nomine Domini alleluja, alleluja*. Verſus. *Deus Dominus, & illuxit nobis. In nomine Domini. Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in ſæcula ſæculorum Amen. In nomine Domini* Joannes Beleth *in ſuo libello de divinis Officiis cap.* 35. & Guilelmus Durandus teſtantur ſuis temporibus in quibuſdam Eccleſiis tropos ante Introitum cantari conſue-

(1)

(2)

viſſe

viſse diebus ſolemnioribus ad majus gaudium repræſentandum. Tropus autem idem eſt ac converſio, quoniam, ut ait Beleth, iſthic quædam fieri ſolent converſiones. Ad Troparia Græcorum hujuſmodi Tropos accedere ait Pamelius in Præfatione tomi ſecundi Liturgicorum. Nullum eorum veſtigium inveni apud Scriptores, qui ante annum Chriſti milleſimum libros de divinis Officiis ediderunt. Quare Durando nullo modo credendum eſt illorum inſtitutionem Gregorio Magno adſcribenti; nec Joanni Petro Ferrero Ravennati viro alioquin erudito, qui Durandum ſequitur lib. 6. de mirifici verbi libamine, qui extat MS. in Bibliotheca Vaticana. Aliquando tropus ponitur immediate ante Introitum, ut in feſto Nativitatis ante illum Introitum *Puer natus eſt nobis* præcedit Tropus iſte: *Ecce adeſt de quo Propheta cecinerunt dicentes*: Puer. Aliquando ipſi intermiſcetur, una parte chori ipſum Tropum, altera Introitum concinente: quorum extant exempla in antiquis Monaſteriorum libris; a Monachis enim privata quorumdam Abbatum auctoritate, ut priſca ferebant tempora, hæc additamenta originem traxiſse puto, qui non ſolum Introitus, ſed alias etiam Liturgicas preces eodem modo, ut ſuis locis indicabo, interpolarunt. Vide in fine ſecundi tomi Liturgicorum Pamelii.

In die Pentecoſtes.

HOdie *Spiritus Sancti gratia replcantur corda noſtra, dicite eia*. Spiritus Domini, *Miſſus a ſede Patris*, Replevit orbem terrarum alleluja, *igneis linguis*. Et hoc quod continet, *penetralia intuendo*, omnia; *omnipotentia Patri atque Filio æqualis*, ſcientiam habet vocis. *Quod dies teſtatur præſens & fidelibus & incredulis*. Alleluja, alleluja, alleluja. Addo me Tropos aliquando legiſse hexametro carmine compoſitos, quales ſunt iſti.

In die S. Stephani.

ETenim ſederunt Principes, & adverſum me loquebantur. *Nulli unquam nocui, neque legum jura reſolvi*. Et iniqui perſecuti ſunt me. *Chriſte tuus fueram tantum, quia rite miniſter*. Adjuva me Domine. *Ne tuus in dubio frangar certamine miles*. Quia ſervus tuus exercebatur in tuis juſtificationibus.

Dominica Palmarum.

ISrael *egregius Pſaltes, clariſque poeta ſic quondam Chriſto David cantaverat almo*: Domine ne longe facias miſerationes tuas a me, *Sed celerem mihi confer opem rex inclyte cœli*. Ad defenſionem meam aſpice, libera me de ore leonis. *Qui cupit inſontem morſu lacerare ferino*. Et a cornibus unicornium humilitatem meam (3). (3)

(1) *Quibus caret Antiphonarium Gregorianum*) Hos inter computandus erit Introitus ad Miſſam feriæ tertiæ poſt Dominicam Pentecoſtes: *Accipite jucunditatem gloriæ veſtræ* &c. *gratias agentes Deo, qui vos ad cœleſtia regna vocavit*: qui ex libro quarto Eſdræ cap. 2. num. 36. & 37. inter ſacros, & canonicos Divinæ Scripturæ libros, quos ſancta Tridentina Synodus pro Canonicis ſuſcipiendos decrevit ſeſſ. 4. non recenſito deſumptus eſt. Obſervandum item eſt, quod Introitus alii per invocationem efferuntur, ut *Ad te Domine, levavi animam meam. Exurge quare obdormis? Reſpice Domine in teſtamentum tuum* &c. Alii per modum invitationis, ſeu exhortationis, ut *Gaudete in Domino ſemper. Sitientes venite ad aquas. Sacerdotes Dei benedicite Dominum* &c. Alii inſtar ſunt collaudationis, *Varii Introitus modi deſcribuntur.*

dationis, & congratulationis, ut *Benedicta ſit ſancta Trinitas*. *Ecce advenit Dominator Dominus*. *Nos autem gloriari oportet*. Simplici narratione conſtant alii, ut *Statuit ei Dominus*. *In medio Eccleſiæ*. *Os juſti*. Sunt & alii, qui per proſopopæjam inducantur, ut *Reſurrexi & adhuc tecum ſum*. *Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis*. Maxime autem in Miſſis propriis Sanctorum, cujuſmodi ſunt de S. Joanne Bapt. *De ventre matris meæ*. De S. Petro Apoſt. *Nunc ſcio vere*. De S. Paulo *Scio cui credidi*. De S. Stephano *Sederunt Principes, & adverſum me loquebantur*. De S. Laurentio *Probaſti Domine cor meum*. De S. Agnete, aliiſque Virginibus *Me expectaverunt peccatores*. Item qui per apoſtrophen ad ipſoſmet diriguntur, ut *dicit Dominus Petro, cum eſſes junior*. *Dicit Dominus, ſermones mei quos dedi*. Vide Carolum Guyetum in Heortologia, ſeu de Feſtis locorum propriis lib. 3. cap. 25. quæſt. 2., ubi plura hac de re ſcitu digna, & curioſa diſerte profert.

(2) *Quem nonnullæ Eccleſiæ ter pſallunt*) Uſus olim (inquit laudatus Guyetus loco mox indicato) multarum Eccleſiarum fuit, qui & a nonnullis adhuc ſervatur, ut in feſtis duplicibus, ſeu alias ſolemnioribus ter Introitum repeterent, videlicet poſt Pſalmum ante *Gloria Patri*, & iterum poſt *ſicut erat*; Immo quinquies repetebat Eccleſia Turonenſis, videlicet poſt Pſalmum, poſt *Gloria Patri*, poſt *ſicut erat*; itemque poſt verſum *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Cauſa autem multiplicis hujus repetitionis, quantum conjicio, ea erat, ut tempus daretur traducendo ordini (ordinem vocant ſolemnem celebrantis e ſacriſtia ad Altare per medium chori inceſſum præeuntibus ſeptem Diaconis, ſeptemque Cereoſtatis, ritu perſimili ei, qui in Ordine Romano deſcribitur ex Gregorii Magni Sacramentario his verbis: *Pontifex locis manibus procedit cum ſeptem Cereoſtatis ad Miſſam*, ſcilicet Ceroferariis Acolythis) ſed ut retento eo ritu utique laudabili, quintuplicem illam repetitionem abdicavit prædicta Eccleſia, ſic & triplicem alias dimittere nildum repugnat, ut præſtare etiam videatur. Hactenus Guyetus. Et quidem hunc ritum ter repetendi Introitum adhuc ſervant Eccleſiæ Rotomagenſis, & Senonenſis in Gallia; item Patres Carmelitæ in præcipuis ac ſolemnioribus feſtis, uti ex eorum Ordine Miſſæ lib. 2. rubr. 57. Pariformiter Eccleſia Laudunenſis, de qua videndus alias laudatus Ant. Bellotte in ipſius Ritibus illuſtratis, & Canonici Regulares Præmonſtratenſes ter quidem repetunt Introitum, ſed in ſecunda vice ejuſdem tantum mediam partem recitant.

(3) *Et a cornibus unicornium humilitatem meam*) In MS. Eminentiſſimus Author ſequentem etiam Introitum addiderat, qui in impreſſis hucuſque deſideratur, videlicet:

In Dedicatione Eccleſiæ.

Rex quia magnificus Templum ſibi dedicat iſtud:
Terribilis eſt locus iſte.
Annua nempe dies ſacratæ jam redit aulæ:
Hic domus Dei eſt.
Quam manus Omnipotens petra fundavit in alta:
Et porta Cæli.
Ante Dei vultum penetrant qua vota piorum.
Et vocabitur aula Dei.

§. IV.

De veteri Verſione Pſalmorum, quæ Italica dicitur, ejuſque uſu in Miſſa.

Omnes fere introitus a Gregorio compoſiti ex ſacræ Scripturæ verſione Itala dicta deſumti.

ILlud autem hoc loco non eſt prætermittendum, quod cum omnes Introitus ex Pſalmorum verſibus ut plurimum compoſiti ſint, Gregorius eorum auctor non eam Pſalterii verſionem ſequutus eſt, qua hodie omnes Eccleſiæ in divinis Officiis utuntur; ſed veterem, quæ ante Sanctum Hieronymum in uſu erat, & a ſanctis Patribus Itala, & Vulgata dicebatur: atque idem in Reſponſoriis, Tractibus, Offertoriis, & Communionibus exactiſſime obſervavit. Quæ res cum nonnihil habeat caliginis, breviter elucidanda eſt; plerique enim ignorant quæ fuerit iſta verſio, & ex quibus fontibus emanarit. Id vero ut clarius explicetur, paulo altius ejus initium repetendum eſt. Notum eſt omnibus vel mediocriter eruditis, quantæ olim auctoritatis fuit ante, & poſt Chriſti adventum ſeptuaginta duorum Interpretum Græca ex Hebraico ſermone translatio. Illa enim Judæi in Synagogis utebantur, teſte Tertulliano, qui de ea diſſerens cap. 18. Apologetici in fine ait, *ſed & Judæi palam lectitant*. Eadem uſi ſunt Hebræorum doctiſſimi Philo, & Joſephus, ut ex libris ipſorum liquet. Sed & Apoſtoli, ac fideles in exordio naſcentis Eccleſiæ eam publice in Eccleſiaſticis conventibus legebant, ut Cyrillus Hieroſolymita-

nus

nus docet *Catech.* 4., in qua diſſerens de his Interpretibus, eorumque

Græca verſio lxxxii. Interpretum Apoſtolis primiſq; fidelibus initio Eccleſiæ admodũ uſitata.

auctoritate; *Hos*, inquit, *ſolos ſtudioſe meditare, quos & in Eccleſia ſe-*
cure, tutoque recitamus. Multo prudentiores te erant Apoſtoli, veteresque
illi Epiſcopi Eccleſiæ Antiſtites, qui hos tradiderunt. Idem aſſerit Irenæus
lib. 3. *cap.* 25. dicens poſtquam enarravit ipſorum Interpretum hiſtoriam.
Apoſtoli conſonant prædictæ interpretationi, & interpretatio conſonat Apo-
ſtolorum traditioni. Etenim Petrus & Joannes & Matthæus & Paulus
& reliqui deinceps, & horum Sectatores prophetica omnia ita annunciave-
runt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet. Qua de cauſa apud
Chriſtianos in magna ſemper veneratione fuit. Sed cum poſtea ſcripto-
rum vitio corrupta fuerit, ut Sancti Patres, Juſtinus martyr *in dial. cum*
Triphone, Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 15. *cap.* 13. & Hieronymus
epiſt. 108. conqueruntur; eam primum Origenes, deinde Lucianus mar-
tyr, poſtmodum Heſychius, ac denique Hieronymus a mendis expur-
garunt. An vero Origenes prototypon viderit, quod Tertullianus loco
citato Apologetici credidit ſuo tempore integrum Alexandriæ extitiſſe; &
quando illud iterierit, incertum eſt (1); nec mei inſtituti aut otii eſt in (1)
hujus rei diſquiſitione immorari. Cum igitur græca iſta translatio tantæ
apud omnes auctoritatis fuerit, omnes latinæ verſiones, quæ poſt Chriſti
Domini in cœlum aſcenſionem, ac deinceps primis illis temporibus an-
te ſanctum Hieronymum factæ ſunt, non ex Hebræis fontibus immedia-
te, ſed ex Græco Textu LXX. expreſſæ ſunt. Erant autem eæ verſio-
nes innumerabiles, quia ut ſcribit S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Doctr. Chriſt.*
cap. 11. (2), quicunque ſibi videbatur aliquantulum facultatis utriuſque (2)
linguæ græcæ, & latinæ habere, auſus eſt novam cudere interpetationem.
Verum inter omnes illa præſtantiſſima, & communiter, ac ubique rece-
pta fuit, quæ Itala dicebatur, teſte ipſo Auguſtino, qui libro citato cap.
15. ait: *in ipſis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam eſt ver-*
borum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. Cum autem vulgatæ & vete-

Verſio drinde Itala dicta, atque etiam Romana mi.upata, omnibus latinis verſionibus præſtantior.

ris nomine (3), tempore S. Hieronymi hæc inſignita fuerit, conſequens (3)
eſt eam cæteris antiquiorem fuiſſe, majoremque inter alias auctoritatem
habuiſſe. Dicta eſt etiam Romana, quia illam ab initio recepit Romana
Eccleſia. Et fortaſſis hæc prima fuit ex Græco textu translatio ab aliquo
Apoſtolorum diſcipulo facta (4), & a primis Eccleſiæ Fundatoribus viſa, (4)
& approbata, atque ab his ad Succeſſores ſimul cum depoſito fidei tra-
dita, qua non ſolum Sedes Apoſtolica, quæ latina verſione nullo unquam
tempore caruit; ſed & reliquæ Occidentales Eccleſiæ utebantur: quam-
vis in eam aliquot mutationes irrepſerint, vel Scriptorum audacia, ſive oſci-
tantia, vel Epiſcoporum licentia, qui quædam verba, vel ſententias ad
ſuæ regionis idiotiſmos accommodarunt. Porro hujus verſionis integrum

Cujus tamen integrum corpus nullibi extat, ſolumque remanſit Pſalterium cum canticis, quæ in divinis officiis recitabantur.

corpus nullibi extat (5), ſolumque Pſalterium remanſit cum canticis, quæ (5)
in Divinis Officiis recitantur. Sunt & aliquot ejus particulæ in expoſitio-
nibus Sanctorum Patrum. Cum enim verſio S. Hieronymi, ut Iſidorus
ſcribit *lib.* 6. *Orig. cap.* 3. cæteris melior, & Hebraicæ veritati magis
conſona æſtimaretur, ac ideo cœperit in Eccleſiis legi, in Conciliis ci-
tari, in Commentariis exponi, vetus illa, quaſi jam minime neceſſaria
eſſet, paulatim negligi cœpit, donec tandem omnino interiit, ac perpe-
tua oblivione ſepulta eſt. Suſpicor autem id contigiſſe ducentis & am-
plius annis poſt Hieronymum: nam tempore Gregorii Magni utraque in
uſu erat & vetus & nova, ut ipſe in fine epiſtolæ dedicatoriæ Expoſitio-
nis in Job ad S. Leandrum Epiſcopum indicat, ubi novam verſionem,
Hieronymi ſcilicet, ſe exponere dicit, & quando cauſa comprobationis

exigit nunc novam, nunc veterem aſſumere: *ut quia*, inquit, *Sedes Apoſtolica, cui auctore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur*. Solum autem Pſalterium antiquiſſimæ illius verſionis, quæ fidem Eccleſiæ naſcentis in Occidentalibus regionibus nutriverat, deplorabile naufragium evaſit, quia cum illo in decantandis Divinis Officiis uterentur fideles, ipſumque longo uſu memoriæ mandaſſent, non potuit ab illis obtineri, ut novam translationem ediſcerent, ac veterem, cui aſſueti erant, dimitterent. Hoc eſt illud Pſalterium, cujus occaſione ad iſta digreſſus ſum, ex quo Gregorius Introitus, & reliqua excerpſit, quæ in ſuo Antiphonario continentur. S. Hieronymus juſſu Damaſi Papæ hujus Italicæ verſionis errores quoſdam magis conſpicuos correxit: tum plebejos aliquot, & ſoli Italiæ familiares loquendi modos uſitatoribus commutavit, reliquam verſionem ob perſpicuitatem latini ſermonis reliquit (6): iſtudque Pſalterium ſic emendatum illud eſt, quod nunc (6)
in Breviariis, & in corpore Bibliorum extat, atque ideo a veteri non differt, niſi in his, quæ Hieronymus emendavit. Sed quia hæc verſio ſic correcta Hebraicis fontibus in plurimis non reſpondebat, aliam iterum idem fecit, quæ extat inter Opera ejus (7), & quoniam ex He- (7)
braico textu immediate translata eſt, a vulgata nova & veteri ex Græco textu LXX. Interpretum deſumpta, plurimum diſcrepat tam in verbis, quam in ſententiis, ut quiſque poteſt ex utriuſque collatione perſpicere. Hæc autem ideo recepta non fuit, quia duæ priores quotidiano uſu in Eccleſiis frequentatæ ſine magna Divini Officii perturbatione non poterant abrogari. Priori editione pura, qualis erat ante S. Hieronymum, utebantur olim omnes Eccleſiæ Occidentales; Romana præſertim cum omnibus ſuburbicariis, ut conſtat ex antiquorum Patrum Commentariis in Pſalmos; donec idem Pſalterium ab ipſo Hieronymo interpolatum primum quidem in Gallia, neſcio quo tempore, unde Gallicanum nuncupatum eſt (8), (8)
deinde in aliis regionibus introductum fuit. In omnibus autem Urbis Ro-

Quod Pſalterium cum canticis ſola Baſilica Vaticana retinuit, & adhuc ſervat.

mæ Eccleſiis vetus illud permanſit uſque ad Pium V., qui ipſum ſuſtulit, & in ſola Baſilica Vaticana reliquit, in qua nunc etiam religioſiſſime recitatur, & noviſſime ſublatis mendis, quæ irrepſerant, priſtinæ integritati reſtitutum eſt (9). (9)

(1) *Et quando illud interierit, incertum eſt*) An Origenes Prototypon ſeptuaginta Interpretum, Alexandriæ degens, ubi iilud in hujus Urbis Bibliotheca dicitur aſſervatum fuiſſe, videre potuerit, ac de facto viderit, variæ profecto ſunt Eruditorum opiniones, quæ diverſis diverſa hinc inde ſentientibus, denſam admodum, & abſque dubio obſcuram caliginem, adeoque incertitudinem ipſam præſeferre videntur. Verum his non obſtantibus probabilius eſſe, quod Origenes dictum autographum videre potuerit, ac re ipſa viderit, nitemur oſtendere. Et quidem Petrus Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis clariſſimus in ſua editione Operum Origenis tom. 1. Origenianorum lib. 3. ſect. 4. num. 7. loquens de Origene, hæc habet: *His incommodis ut occurreret, interpretationem 70. ſenum emendavit ex optimorum exemplarium fide, atque ejus præſertim, quod in Serapæo* (videlicet Serapidis Templo, de quo Theodoritus lib. 5. cap. 22. aut loco illi, & Alexandriæ vicino) *ſervabatur, quodque ipſum autographum fuiſſe affirmant veteres nonnulli*. Item num. 8. *Degenerante ergo magis, magiſque hac editione* (Origenis) *reſtituere eam conati ſunt Euſebius, & Pamphilus ex ipſo autographo, quod erat in Cæſarienſi Bibliotheca*. Ante ipſum Henricus Valeſius in notis ad Euſebii Hiſt. Eccl., & in Epiſtola ad Jacobum Uſſerium de Verſione 70. Interpretum, alilque id aſſerunt. Videſis præ cæteris dicti Uſſerii Syntagma de 70. Interpretum verſione, & Henrici Valeſii Epiſtolam memoratam; ajunt ibi quod verſionem, quam ex authentico exemplari, quod in Alexandrina Bibliotheca ſervabatur, deſcripſit Origenes, qui plane illam in ſuis Hexaplis inſervit, uti expreſſe firmat Uſſerlus. His omnibus conſentiunt D. Matthæus Petit-Didier Belga Mon. Ben. in ſuis Diſſertationibus hiſtoricis, criticis in ſacram Scripturam Diſput. 9. pag. 73. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſeculo 3. cap. 3. art. 12. noviſſime eruditiſſimus D. Placidus Troyli Abbas S. Mariæ de Sagittario Ord. Ciſterc. in ſua Theol. Poſitiva, Polem. Dogm. Hiſt. tom. 1. tract. 4. art. 8. §. 5. num. 49., & poſt ipſum nuperrimus ac clariſſ. Scriptor Joſeph

Quod Origenes 70. Interpretum autographum viderit nonnulli clar. viri affirmāt.

Blan-

Blanchinus Congr. Oratorii Rom. Presbyter Vindic. Canonic. Script. vulgatæ Latinæ edit. Præf. gener. pag. xvi. & ſeqq. aliique Baronii ſententiam ſecuti Annal. tom. 2. an. 231. num. 38., neque eidem refragari videtur Pagius in Crit. Baronii ad dictum an. num. 5. Attamen , ſi vera eſt opinio Juſti Lipſii de Bibliotheca cap. 2., ubi ex Ammiano Marcellino lib. 22., & Aulo Agellio, ſeu Gellio Noct. Attic. lib. 6. cap. ultimo intendit demonſtrare , quod Alexandrina Bibliotheca tempore Julii Cæſaris perierit, nempe quando ipſo Alexandriam occupante Serapæum igne conſumptum eſt anno 45. ante Chriſtum, quam ſententiam, uti probabiliorem, plerique affirmant, quomodo Origenes, qui ſæculo 3. claruit autographum præfatum 70. Interpretum videre potuit ? Ita ex Serario Prolegom. Biblioth. cap. 17. quæſt. 25. Antonio a Matre Dei Carm. in ſuis præludiis Biblicis dub. 6. §. 4. aliiſque.

Alii vero diſſentiunt .

Verum quidquid ſit de hujuſmodi incendio, quod utique eo tempore accidiſſe indubium eſt, ſtat nihilominus non omnes Bibliothecæ Alexandrinæ libros conflagraſſe ; eam ſiquidem Bibliothecam ſeptingentis voluminum millibus refertam iidem Ammianus, Agellius loco citato, ac præterea Iſidorus lib. 6. Originum ſcribunt . Bello autem Alexandrino , quod Cæſar Dictator geſſit , quadraginta tantum librorum millia incendio periiſſe tradunt Titus Livius apud Senecam de Tranquillitate cap. 9., & Paulus Oroſius Hiſt. lib. 6. cap. 15. neque ipſe refragatur Juſtus Lipſius, ubi ſupra ; hinc optime Henricus Valeſius in notis ad dictum Marcellinum concludit : *Neque enim putandum eſt univerſam illam Bibliothecam conflagraſſe , quod pleriſque perſuaſum video .* Quare ſi tercenta librorum millia flammas evaſerunt, ipſius forte Cæſaris cura, qui erat librorum amantiſſimus , ut ex Agellio notat Lipſius præfatus, aut etiam Alexandrinorum Civium , & præcipue Judæorum, ne tam pretioſa legis monumenta perirent, probabiliſſimum , ac veroſimillimum eſt ita 70. Interpretum Autographum , cum his tercentis millibus flammas evaſiſſe , ab ipſis eductum , & ſervatum , utpote inter cæteros Codices pretioſius ab omnibus publice exiſtimatum , eoque magis , quod illud incendium , ut ait Gellius ibidem , *non ſponte , nec opera conſulta , ſed forte a militibus auxiliariis factum eſt .* Hiſce poſtea tercentis librorum millibus ex incendio reliquis ducenta alia voluminum millia adjecta fuere ; indeque eadem Bibliotheca revixit , & ſi non eadem librorum numero . Author reparandi (ait Lipſius ibidem) Cleopatra illa amoribus Antonii famoſa , quæ ab eo in auſpicium, & vel ut fundamentum operis , impetravit Bibliothecam Attalicam , ſive Pergamenam . Itaque totam cum dono cæpiſſet , & transferri curaſſet, iterum adornata, auctaque eſt , & Chriſtianorum etiam temporibus in æſtimatione, & fama fuit . Tertullianus Apolog. cap. 18. *hodie apud Serapæum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis exhibentur . Sed & Judæi palam lectitant , vectigalis libertas vulgo aditur Sabbatis omnibus* &c. Subdit poſtea idem Lipſius „ : Ecce „ tanta auctoritas , & fides ab antiquo ejus „ Bibliothecæ , ut Tertullianus Gentiles eos „ advocet , aut amandet . Credo ſtetiſſe quan- „ diu ipſum Serapæum immenſæ molis , & „ ſtupendi artificii Templum , quod Chriſtia- „ ni denique Theodoſii majoris imperio , ut „ arcem ſuperſtitionis demoliti a fundo ſunt, „ Eccleſiaſticis Scriptoribus traditum , & lau- „ datum„ . Hæc Lipſius præfatus. Idem porro primævum ſeptuaginta Interpretum exemplar etiam ſua ætate in Serapidis Templo aſſervatum fuiſſe aſſerit S. Joannes Chryſoſtomus orat. 1. adv. Jud. juxta edit. Frontonis Ducæi pag. 443., quæ juxta edit. Savil. poſtremo loco collocatur tom. 6. pag. 374. *In Serapidis Templum* , ait , *repoſuit* (Ptolomæus) *erat enim homo Græcus ; & in hunc uſque diem Propheticorum Librorum Interpretatio ibi ſervatur* .

Quibus tamen reſpondetur.

Cum maxime probabile ſit , atque admodũ veriſimile dictum prototypon a flammis ſervatum fuiſſe .

Stetit igitur hæc Bibliotheca , cumque eadem 70. Interpretum Autographum . Et quidem ſtetiſſe Domitiani Imperatoris tempore ex Svetonio compertum eſt ; hic ſiquidem in ejus vita de illius facundia, & ſtudio hæc habet : *liberalia ſtudia in imperii initio neglexit quamquam bibliothecas incendio abſumptas , impenſiſſime reparare curaſſet , exemplaribus undique petitis , miſſiſque Alexandriam , qui deſcriberent , emendarentque .* Ad hunc locum Philippus Beroaldus, ſeu Marcus Antonius Sabellicus : *merito itaque* (ait) *Domitianus reparare volens Bibliothecas , quæ Romæ conflagraverant , miſit Alexandriam librarios ad exemplaria deſcribenda* . Item Lipſius de Biblioth. cap. 7. *ubi obſerves* , ait , *etiam tunc illam Alexandrinam velut originem , & matricem aliarum habitam , & has corruptas* (videlicet Octaviam , Palatinam , Capitolinam , aliaſque Romæ) *ex ea iterum refectas , & adornatas.* Poſt Domitianum , qui vixit uſque ad annum Chriſti 96. non legitur dictam Alexandrinam Bibliothecam diſcrimen aliquod ſubiiſſe, niſi forte ſub Lucio Aurelio Commodo , cujus tempore , anno ſcilicet Chriſti 182. Serapidis Templum Alexandriæ conflagratum ajunt Euſebius in Chronico , & Præparat. Evang. lib. 4. Arnobius contra Gentes lib. 6. aliique , qui tamen totum Serapidis Templum igne combuſtum minime aſſerunt , uti ex S. Epiphanio, & Strabone infra citandis conſtat. Et quamvis Gentianus Hervetus in Annotationibus ad Clementem Alexandrinum de Æthnicorum Templis igne combuſtis ante Clementis tempora nihil unquam ſe legiſſe confiteatur , hunc tamen ex ſupradictis Auctoribus merito redarguit Nicolaus Novry Appar. ad Bibliothecam Max. vet. PP. tom. 1. pag. 730.

Quod & ſuis monumentis hiſtoricis comprobatur.

Verum de Serapidis Templo, non de Serapæo , ſeu loco ita dicto , ubi Academia , & Bibliotheca Alexandrina ſervabatur, ii Auctores loquuntur , qui utique locus alter erat ab eodem Templo ; non enim ubi Serapidis Idolum , ibi extabat Bibliotheca , uti diſerte indicat Strabo lib. 17. part. 2. Geograph. *Serapium* , ait , *pulcherrimum gymnaſium , porticus habebat ſtadio majores , ac forum judiciale , & lucos* . Joannes Baptiſta Egnatius in Ælii Spartiani Adriani ſcholas Alexandrinas recen-

Serapæum locus alter a Serapidis Templo .

recenſens Serapium inter eaſdem collocat, ita dictum, quia ædificium Serapi dicatum, & ab eodem uti Muſæum a Muſis, Iſæum ab Iſide denominatum. Itaque ſi ſchola, ſi gymnaſium, & quidem porticus habens ſtadio majores, Serapæum aliud profecto erat a Templo, & ab eodem ſtadio diſtantes porticus habens. Id plane evincitur ex Macrobii Saturnal. lib. 1. cap. 7. & Alexandri ab Alexandro Genial. dier. lib. 2. cap. 4. ab Ægyptiis enim perpetua conſtitutione ſervatum eſt, ut *numquam Saturni Templa, aut Serapis intra oppida admittant, ſed velut pervigiles, & excubitores Deos extra pomærium, & in ſuburbiis ſedes habere ſinant*: Gymnaſia vero, ſeu Bibliothecæ erant quidem junctæ Templis, ut late tradit Thomaſſin. de Donariis cap. 3., atque indigitat Lipſius ubi ſupra, ſed non intra Templa; immo de Muſæo Alexandrino Strabo lib. 16. *Pars*, ait, *etiam Regiæ* (nota Regiæ, non Templi) *eſt Muſæum, quod ambulationis, & ſeſſus loca habet, & magnam unam domum, in qua convivunt, & comedunt una, qui Muſæi conſortes ſunt, literati viri*. Hinc credibile eſt non longe ab his literatis viris extitiſſe Regiam Bibliothecam, eorum etiam uſui comparatam.

Reſpondetur argumentis quæ in contrarium objici poſſunt.

Neque officit, quod Ammianus Marcellinus ſupracit. dicat: *Inter Templa eminet Serapæum* &c. Ammiano enim majorem meretur fidem Strabo, utpote eo quatuor pene ſæculis antiquior, Geographorum Princeps, ſituum, ac locorum deſcriptione præſtantior; porro Ammianus Serapæum inter Templa collocat, vel quia locus a Serapide nuncupatus, eique ſacer, non quod in ipſo fuerit Serapidis Idolum. Id graphice oſtendit Athanaſius Kircherius Soc. Jeſu in Obeliſco Pamphilio, & Oedipo, item in Obeliſco Ægyptiaco pag. 6. ubi ait, quod Iſæum, ſeu Serapæum, non ipſum Deaſtrorum Templum, ſed diſtrictus longe, lateque exporrectus circa Templum, ac pleroſque Authores confutat, qui rituum Ægyptiorum ignari Serapæum cum ipſo Serapidis Templo confundunt. Quidquid ſit, ex hujuſce Templi incendio non ſatis arguitur concrematam etiam fuiſſe Bibliothecam; de hac namque locuti fuiſſent præfati Scriptores, utpote omnium ſermonibus celebratam, ut ait laudatus Alexander ab Alexandro Genial. dierum lib. 1. cap. 2. Ulterius prædicta confirmantur, & Bibliothecam non fuiſſe exuſtam uſque ad annum 250., ne dum Tertulliani teſtimonio ſupra laudato, ſed & Epiphanii, qui ſeculo 4. floruit; idem enim Sanctus Epiphanius refert libro de Ponderibus, & Menſuris duplices fuiſſe Alexandriæ Bibliothecas, unam vetuſtiorem, quæ in Bruchio ædificata erat, alteram in Serapio, quæ priore minor fuit, ejuſque filia vocata; idem pariter præclariſſimus Scriptor ait, in priore Bibliotheca, Bruchio ſcilicet dicta, repoſitos fuiſſe 70. Interpretum libros, atque in poſteriore, ſcilicet Serapæo, alios Interpretes, Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, aliorumque editiones poſt annos 250. Symmachus, & Theodotion circa finem ſeculi 2. poſt Chriſtum natum verſiones ſuas edidere.

Septuaginta Interpretum libri non in Serapæo collocatis, ſed in Bruchio teſte S. Epiphanio.

Si igitur in Serapæo hæ verſiones poſitæ fuerunt, illud utique, non ejus Bibliotheca eo tempore exarſit, vel ſi iſtud incenſum, aut dirutum fuiſſe velimus, a nullo Auctore ſcriptum legimus dirutum, vel incenſum Bruchium, ſeu Bibliothecam, in eo ſitam niſi forte ſub Diocletiano, uti & ipſe fatetur Serarius loco cit. licet oppoſitæ ſententiæ. Situm erat hoc Muſæum (ait Guillelmus Cave de Script. Eccl. in Athenagora Append., ſeu parte 2. pag. 48.) in ea Urbis regione, quæ Bruchion appellabatur; *diuturnum*, inquit Ammianus Marcellinus, *præſtantium hominum domicilium*; certe a Ptolomæi Philadelphi ætate uſque ad quintum, vel ſextum Chriſti ſeculum perduravit; quinimmo occupantibus pene omnia Orientis loca Saracenis, variæ erant hic loci Studioſorum Collegia, ſi quæ vera nobis referant Beniaminus Tudilenſis, & Leo Africanus. Porro Bruchium expugnatum fuiſſe, & dirutum Aureliani temporibus an. cir. Chriſti 273. ſcribit dictus Ammianus Marcellinus in fine lib. 22., ubi de Alexandria loquitur; Euſebius vero in Chronico id accidiſſe refert anno 2. Marci Aurelii Claudii anno ſcilicet 269.

Quod Bruchii non ante medium ſeculum 3., ſed hoc currente direptū fuit.

Quidquid ſit, ſive ſub Aureliano, ut mavult Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, ſive ſub Claudio, ut volunt Henricus Valeſius in notis ad eumdem Euſebium, & Petavius in Chronico, Origenes eo tempore e vivis ſublatus fuerat; deceſſit enim an. 256. uti in confeſſo eſt apud omnes; quare Bibliotheca Alexandrina, Bruchiana maxime, ubi Authographum 70. Seniorum ſervabatur, integra ſtare potuit; neque obeſt, quod Ammianus ſcribat pluraliter Bibliothecas ſub Cæſare periiſſe: Tertulliano enim, Epiphanio, ac Chryſoſtomo magis credendum, quam ipſi Ammiano; idque paullo ante teſtatus fuerat Juſtinus Apologia 2. adverſus Judæos, qui cum Hiſtoriam de 70. viris enarraſſet, continuo ſubjungit hæc verba: *atque hoc ſic facto libri apud Ægyptios permanſere uſque ad hodiernam diem*. Tertullianus item Apologet. contra Gentes, ut ſupra innuimus cap. 18. ſua ætate extare hos ſacros libros in Bibliotheca Alexandrina, quam in Serapæo ſitam dicit, ex eo quia Serapæi nomen Bruchio celebrius erat. Id autem minime dixiſſent Juſtinus, & Tertullianus, ſi falſum eſſet, ne alioquin ſibi fidem in omnibus aliis rebus apud Judæos, & Gentes, cum quibus loquebantur, detraherent, uti optime advertit Salmeronius in Evangel. tom. 1. prolegom. 5. pag. 48. Et fieri potuit (ut inquit ſupra laudatus Abbas Troyli loco ibi indicato) ut ex Bruchiana Bibliotheca fuiſſet iterum iſta verſio LXX. Interpretum in Serapæum a Cleopatra, ut dictum eſt, reſtitutum, tranſlata, cum id etiam fateatur Chryſoſtomus, qui poſt Theodoſium ſeniorem vixit, ſuo nempe tempore adhuc in Serapidis Templo ſeptuaginta Interpretes aſſervatos, ut ex ipſo etiam notat Gelaſius in lib. de 70. Interpretum pag. 40. hactenus clar. Abbas, qui & alia plura ibi de hac celeberrima ſacræ Scripturæ Græca verſione luculenter edicit. Hinc concludendum cum Eminentiſſimo Card. Baronio Annal. tom. 2. ad an.

231.

231. num. 37., ubi loquens de hoc autographo 70. Interpretum ab Origene viſo, ait: *Quod ſi cui id facere perfecte licuit, Origeni conceſſum eſt, cum adhuc ſub Severo, quo tempore ipſe agebat Alexandriæ, prototypon ibi adhuc integrum, ſi Tertulliano credimus, ſervaretur, quod perquam commode in ambiguis licuiſſet; ſic igitur par eſt credere, ſeptuaginta editionem ab Origene in integrum reſtitutam.*

(2) *S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 11.*) Idem teſtatur S. Hieronymus Præfat. in Joſue, ubi ſic loquitur: *Apud Latinos tot ſunt exempla, quod Codices, cum unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt*; ex tot vero diverſiſque hujuſmodi verſionibus Latinis ante Hieronymum ipſum exiſtentibus una cæteris præſtantior fuit, ut optime notat Card. noſter, magnæque in Eccleſia apud omnes auctoritatis ex incerto Auctore e Græco in Latinum tranſlata, ac variis nominibus inſignita, quam Auguſtinus Italicam, Hieronymus Latinam, S. Gregorius communem, ac veterem appellant, ut infra indicabitur, & Oroſius demum (quem ſecutus eſt univerſus Chriſtianus Orbis) vulgatæ vocabulo illam donavit.

(3) *Cum autem vulgatæ, & veteris nomine* &c.) Ita idem S. Hieronymus fatetur in Epiſtola ad Sunniam, & Fretelam: Κοινὴ *autem iſta, hoc eſt communis editio, ipſa eſt, quæ & Septuaginta*. Item quoties vulgatam verſionem nominat, illam, quæ 70. eſt, intelligit, uti ex ejus Præfat. in Ezechielem, & in cap. 14. Iſaiæ oſtendit Alphonſus Salmeronius in Evangelia tom. 1. Prolegom. 5. circa finem. Hanc autem Latinam hujuſmodi verſionem, Italam ideo a plurimis nuncupatam exiſtimo, quod ipſa uterentur Itali Patres, qui ante Gregorii Magni tempora floruerunt, videlicet Ambroſius, Gaudentius Brixienſis, Chromatius Aquilejenſis; Leo Magnus, aliique; qua etiam denominationem illam reliquæ donarunt Occidentis Eccleſiæ. Eamdem porro hanc veterem editionem ex Græco in Latinum ſermonem fuiſſe redditam fatetur item laudatus S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 43. dum ait ibi: *Ex hac Septuaginta interpretatione etiam in Latinam Linguam interpretatum eſt quod Eccleſiæ Latinæ tenent*. Idque pariter indicat alius Auguſtinus quidam Epiſcopus Chiſamenſis apud Sixtum Senenſem Biblioth. Sanctæ lib. 5. annot. 116. in fine dicens: *Ex hoc editionis Septuaginta loco agnoſcitur antiquam illam editionem, qua ante S. Hieronymum utebatur Eccleſia, fuiſſe ipſorum Septuaginta; nam in officio Transfigurationis Salvatoris canitur*: Glorificata eſt facies Moyſis: *quod ex editione Septuaginta ſumptum eſt, qua Latini utebantur, unde antiphonas ſumebant*. Quod eſt intelligendum de veteri Teſtamento reſpectu editionis Septuaginta, non autem de novo, quia non erat, quod pariter poſtea fuit tranſlatum, etiam ab incerto Authore, ex ſuo Autographo Græco, in quo fuerat ab Apoſtolis, & Evangeliſtis conſcriptum.

Septuaginta Interpretum ſac Scripturæ verſio latine reddita in uſu apud Eccleſias.

Hæc autem antiqua 70. Seniorum verſio in Latinum ſermonem reddita ſic veteris nomine appellata fuit ad differentiam illius a Hieronymo editæ juſſe Damaſi Papæ, ut ipſe fatetur in fine ſui de Script. Eccl. libri, & in Eccleſia laudatæ, quemadmodum expreſſe teſtantur duo præſtantiſſimi Cardinales Bellarminus Controverſ. tom. 1. lib. 2. de Verbo Dei ſcripto cap. 9. & Baronius ad an. Chriſti 231. num. 45. ac ſeqq. Hinc utraque ſacræ Scripturæ Latina verſio, vetus ſcilicet incerti Auctoris, & nova Hieronymi fuit in uſu apud fideles uſque ad tempora S. Gregorii Papæ, quod & optime obſervat Card. noſter; idem enim Pontifex Epiſt. ad Leandrum cap. 5. ſeu Præfat. ad Libros Moralium in Job: *Novam*, ait *Tranſlationem* (nempe Hieronymi, ut in lib. 1. clare exprimit) *diſſero, ſed cum probationis cauſa exigit, nunc novam, nunc veterem* (eam ſcilicet, quæ omnibus antiquior in Occidentis Eccleſiarum uſu communior erat, & ante Hieronymum exiſtebat) *per teſtimonia aſſumo*. Quia vero adhuc etiam Gregorii ævo contendebatur quænam ex his duabus editionibus alteri eſſet præferenda? Sanctus quippe Auguſtinus Italicam, ſeu veterem novæ anteponebat, dum memorato lib. de Doctr. Chriſt. cap. 15. ait: *In ipſis autem Interpretationibus Itala cæteris præferatur*: & S. Iſidorus Hiſpalenſis Etymol. lib. 6. cap. 3. novam Hieronymi alteri præferret, dicens de hac ipſa editione, quod *omnes Eccleſiæ generaliter ea uſquequaque utuntur*, cui ſubſcribit Rabanus lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 54, quin & ante hos ipſe Gregorius ſatis luculenter exprimit ſe locum dare verſioni S. Hieronymi cum omnium fideliſſimam affirmet lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 6., & Mor. in Job. cap. 32. num. 62. Ad tollendas propterea haſce diſparitates non longe poſt ejuſdem Gregorii tempora, conflata eſt ex illis duabus una pro communi, & vulgari Eccleſiæ uſu, quæ nec antiqua, nec nova, ſed vulgata communis diceretur, non quia mixta ex Libris antiquæ ſcilicet ac novæ, ſed quia in ea nonnulli leguntur libri eo modo, quo in antiqua, & alii quo in nova. Et hæc eſt hodierna Vulgata noſtra plurium ſæculorum uſu in Eccleſia recepta, omnibus communis, atque vulgatæ uno nomine dicta, ſuppreſſa illa veteris, & novæ nomenclatura, de qua tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. decretum edidit: *ut pro authentica habeatur, & ut eam nemo quovis prætextu rejicere audeat, vel præſumat*: vide Sixtum Senenſem Bibl. ſanctæ lib. 8. Baronium ad an. 231. num. 47. Driedo lib. 8. Andradium lib. de Autor. Vulgatæ, ac noviſſime P. Joſeph Angel. Carm. Excalc. Lect. Bibl. Tract. 7. cap. 2. art. 6. & ex Novatoribus ita pariter ſentiunt Witakerus parte 2. cap. 6. Junius lib. 2. cap. 6. ac Druſius Obſerv. lib. 14. cap. 24. Porro de hac Vulgatæ editione, videndus etiam ſupra commendatus Abbas D. Placidus Troyli loco citato num. 61. & ſeqq. Sed de antiquæ hujus Latinæ verſionis Auctore nunc differendum erit.

Quæ veteris nomine appellabatur.

(4) *Ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo*) Ita etiam ſcribit D. Matthæus Petitdidier Monachus Benedict. Diſſertat. Hiſt. in ſac. Script. pag. 82.

pag. 82. „ Hanc, ait ille ibi, ſub Apoſtolorum temporibus elaboratam multi opinantur, nec ſine aliquo fundamento, ne „ Latina Eccleſia Scripturarum theſauro tamdiu privaretur; at quo tempore, & a quo facta ſit certo definiri non poteſt. Ejus „ Auctorem in vertendo fuiſſe Theopneuſtem, „ ſeu a Deo inſpiratum cum aſſerit Serarius „ pleriſque nugari videtur, præſertim cum ejus „ ſententia nullo nixo ſit veterum teſtimonio. Certe quam huic verſioni auctoritatem veteres tribuerunt, non a Latinis, ſed „ a Græcis Interpretibus mutuati ſunt. Ita laudatus Benedictinus Scriptor. Cæterum quiſquis fuerit hujus antiquiſſimæ Verſionis Latinæ Auctor, hunc certe a Deo illuminatum fuiſſe ſatis indicant, quæ hoc loci conſideranda animadvertit Emin. Scriptor, quod nempe hæc fortaſſe prima ex Græco textu Tranſlatio a primis Eccleſiæ Fundatoribus viſa, & approbata fuerit, atque ad Succeſſores ſimul cum depoſito fidei tradita &c. Sane ſi Apoſtolo teſte 1. ad Corinth. 12. 8. *alii datur per Spiritum* (inter cætera, quæ ibi enumerantur dona) *Interpretatio ſermonum*, cumque Auguſtinus dicat lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 15. hanc Italam veterem Verſionem cæteris interpretationibus præferendam, & iſta olim ab initio communiter recepta fuerit, profecto hujus Auctor Spiritu divino afflatus reputandus videtur. Præterea quis umquam ſanæ mentis ſuſpicari poterit Eccleſiam Latinam, in qua Sedes Petri eſt, & in qua Fides Chriſtiana perpetuo manſura erat, germana, ac genuina interpretatione ſacræ Scripturæ caruiſſe, atque in iis, quæ ad fidem, & religionem pertinent, errores, (ſi qui ſunt, aut eſſe poſſunt, uti temere volunt Hæretici, quos tamen egregie refellit Card. Bellarminus Controv. tom. 1. lib. 2. a cap. 11. uſque ad 14.) Interpretis, neſcio cujus, pro verbo Dei coluiſſe. Quis, inquam, id credat, præſertim ſi ex eodem Apoſtolo didicerit ipſam Eccleſiam eſſe *columnam, & firmamentum veritatis*? Denique dictum vetuſtiſſimum Interpretem Latinum in ſacra vertenda Scriptura, divino lumine illuſtratum fuiſſe, non obſcure deducitur ex ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ, in qua Sancto Spiritu congregata univerſalis Eccleſia locuta eſt, decreto, quo ſtatuit, & declarat ſeſſ. 4. ut nota 3. dictum eſt, quod *hæc ipſa vetus, & vulgata editio* (de qua ibi locuti ſumus) *quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt . . . . pro authentica habeatur*, ex quibus omnibus haud temere argui poteſt hujus antiquiſſimæ verſionis ſæculotum decurſu probatæ Auctorem, eodem ſpiritu, quo aliis linguis ſcripti fuere ſacri Bibliorum libri, eoſdem in Latinum tranſtuliſſe ſermonem; Neque Serarium id aſſerentem nugari, quidquid oppoſitum nonnulli ſentiant, vide Joſeph Angeli Carm. Excalc. Lect. Bibl. tract. 7. cap. 3. art. 2.. Porro quod ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo hæc verſio confecta ſit, uti ſuſpicatur Card. noſter, affirmare etiam non dubitat clar. Auguſtinus Calmet Ord. S. Benedicti Diſſert. in omnes ſac. Scripturæ libros tom. 2. edit. Lucen. pag. 391., ubi ait: *Certe quidem, ſive Apoſtoli alicujus, ſive e prioribus illorum diſcipulis cujuſpiam credimus*. Sed ad primigeniam illam ſacrorum Bibliorum latinam verſionem, quæ ante Hieronymum, Patrum Apoſtolicorum ævo apud Occidentales in uſu erat, Italam, ſeu Romanam dictam an alicubi integra extet, ac genuina, diſquirendam deveniamus.

Flaminius Nobilius verſionem Italam veterem pene extinctam excitare, & reſtituere conatus eſt.

(5) *Integrum corpus nullibi extat*) Hanc veterem Italam verſionem jam a mille, & amplius annis poſt Hieronymum fere obliteratam, pene intermortuam, & quaſi extinctam clar. vir Flaminius Nobilius patria Lucenſis in ſcriptis Sanctorum Patrum verſatiſſimus excitare aggreſſus, & reſtituere conatus eſt; interpretationem namque textus Græci LXX. Interpretum ex variis Patrum ſententiis hac, illac diſperſis, improbo labore conquiſitis collegit, atque contexuit, & edi curavit Romæ an. 1588. eamque iterum editam Pariſiis una cum Græco exemplari Vaticano publici juris fecit Joannes Morinus an. 1628.. In his vero sransferendis, (ait Hyacinthus Graveſon de Scriptura ſacra pag. 129.) quæ ex Sanctis Patribus excerpere haud potuit Nobilius, veteris illius editionis Italæ dictæ ſtylum, & ſimplicitatem exprimere pro viribus ſtuduit Morinus; ſicque veterem illam verſionem jamjam extinctam nobis redivivam exhibuit. Verum haud exiſtimandum puto hoſce eruditiſſimos viros eandem verſionem vulgatam veterem eo modo, quo tempore Pattum extitit, nobis omnino repræſentare; etenim præterquam certum eſt eoſdem Sanctos Patres in locis Scripturæ citandis, ſæpe ad ſenſum potius attendiſſe, quam verba, conſtat etiam eos non ita vulgatæ adhæſiſſe, quin interdum aliis verſionibus uterentur, ut ex eo palam fit, quod in diverſis Patribus plerumque diverſimode eadem loca Scripturæ referantur.

Verum ab ipſo non integre omnino illa reſtituta fuit.

Quare non ſine aliquo rationabili fundamento duo perdocti viri, & Critici inſignes contendunt vetuſtiſſimam hujuſmodi verſionem Italam dictam non fuiſſe a Flaminio Nobilio integre omnino reſtitutam. Horum primus Daniel Huetius Abrincenſis Epiſcopus in libro de claris Interpretibus pag. 110. *Quamquam enim*, inquit, *Italam illam Scripturæ ſacræ editionem totam ex Latinorum ſcriptis maximo labore collectam conſarcinare, & renovare ſtuduerit Flaminius Nobilius, attamen cum pannos illos e Patribus undequaque corraſerit Nobilius, & non Italam unam, ſed complures alias paſſim tunc temporis emergentes, & omnium uſui permiſſas, promiſcue Patres uſurparent, immo pro captu ſuo loca ex tempore ſæpe converterent, vel ab aliis converſa memoriter recitarent; cumque ex LXX. ſenum editione communi profecta ſit Italica, Sixtinæ autem, quam illam eſſe Hexaplis intextam Eruditi propugnant, Nobiliana conſentiat, certiſſimum eſt non facilius in Nobiliana Italam, quam aliam quamlibet reperiri poſſe*. Idem judicium profert alter celebris Criticus Richardus Simonius Congr. Oratorii Gallicani Presb. Diſquiſit. Critic. de variis Bibliorum editionibus cap. 19. ubi hæc habet: *Hanc puram putam eſſe Eccleſiæ Latinæ verſionem, quæ ante Hieronymum ſola in Occidente*

cidente

cidente legebatur, *nemo rei criticæ peritus affirmaverit*; *fieri ſiquidem non poterat*, *ut Nobilius illam modis omnibus abſolutam*, *& perfectam ex Patrum teſtimoniis hauriret*, *qui eam non exacte ſecuti fuerant* &c., quibus & alii nonnulli ſubſcribunt, inter quos recens clar. Scriptor Joſeph Blanchinius ſupra laudatus loco citato Præf. gen. pag. XXVIII. Quæ cum ita cenſeantur, haud temere affirmare ſibi perſuaſit Eminentiſſimus Auctor hujus antiquiſſimæ verſionis Latinæ, Italæ nuncupatæ integrum corpus nullibi exiſtere, vel ipſum nempe autographum quale ab antiquo Interprete exaratum prodiit, aut illius exemplar fideliter, & authentice ex eodem a primis Chriſtianis deſcriptum, quod fortaſſe cum aliis pluribus ſacris Eccleſiarum Codicibus interiit in immani illa Diocletiani, & Maximiani Impp. perſecutione an. 302. ſecuta, quorum impio edicto mandatum fuerat, ut omnes Chriſtianorum Scripturæ igni traderentur, adeoque in univerſis Romani Imperii Provinciis Præſides, & in ſingulis locis quique Magiſtratus omni conatu & ſtudio, adhibitis etiam feralibus tormentis invigilarent ut a Chriſtianis Eccleſiarum Codices traderentur, quorum plerique pœnarum atrocitate perterriti, quos apud ſe habebant, ſacros libros, inique tradiderunt, eaque de cauſa hi vocati fuere Traditores. „ At idcirco putandum non eſt (inquit Baronius ad an. „ 231. num. 38.) tunc omnia exemplaria „ periiſſe, ſacroſque libros omnes funditus „ igni conſumptos eſſe, nam ſi complura „ Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui ante illa „ tempora ſcripſerant, monumenta integra „ poſt naufragium ſervata noſcuntur, quan- „ to certius id oportuit contigiſſe de volu- „ minibus divinæ Scripturæ, quorum exem- „ plaria non in quibuſdam tantum Bibliothe- „ cis aſſervabantur, ſed nulla ferme in Orbe „ erat Eccleſia, cui illis carere omnino li- „ cuiſſet? Quod etſi daremus omnia in om- „ nibus Eccleſiis ſub Romano Imperio po- „ ſitis, divinæ Scripturæ exemplaria conſum- „ pta fuiſſe (quod plane ſtultum eſt opina- „ ri) quot extra ejuſdem Romani Imperii „ limites erant Eccleſiæ apud diverſas bar- „ baras Nationes, quæ ab illa vexatione ſe- „ curæ nullam prorſus in divinæ Scripturæ „ Codicibus paſſæ fuerunt jacturam, a qui- „ bus mutuari licuiſſet exemplar? Longius „ namque, latiuſque in Orbe propagatam „ fuiſſe Chriſtianam Religionem, quam Ro- „ manum Imperium manifeſtum eſt „. Hæc eximius Eccleſiaſticorum Annalium Parens.

Cum autem ex iis exemplaribus, quæ dictam cladem evaſerunt quamplura alia tranſumpta fuerint in uſum Eccleſiarum, eaque mendis aliquot reſperſa fuerint, vel Scriptorum audacia, ſive oſcitantia, vel Epiſcoporum licentia, qui quædam verba, vel ſententias ad ſuæ regionis idiotiſmos accommodarunt, ut ſcribit Liturgicus noſter, quod & ſuo tempore eveniſſe tradit Hieronymus ad Chromatium, ſcribens Præf. in Tobiam epiſt. 113., *ubi nunc vero*, ait, *cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria*, *& germana illa*, *& antiqua translatio corrupta ſit*, *atque violata noſtri arbitrii putas*, *aut ex pluribus judicare quid ſit verum*. Cumque ſic varietas Lectionum, quæ in Operibus veterum etiam Latinorum Patrum deprehenditur, non unam, eamdemque, ſed varias plane diverſas Latinas verſiones prodat, quas uſurpari animadvertimus a Tertulliano, Cypriano, Hilario, aliiſque Eccleſiaſticis ante Hieronymum Scriptoribus, quamquam inter eos Sancti Auguſtinus, & Ambroſius Epiſcopi, Italam verſionem antiquam præ omnibus paſſim ſecuti ſint, utpote tenaciorem cum perſpicuitate ſententiæ; hinc mirum profecto non erit ſi ex ſolis dumtaxat Latinis Patribus integrum Italæ verſionis corpus haurire non potuit Flaminius Nobilius. Id tamen quod ipſe non valuit, feliciori ſucceſſu præſtiterunt præclariſſimi viri, qui juxta ſacroſancti Concilii Tridentini decretum ſeſſ. 4. ipſius antiquiſſimæ tot ſæculorum decurſu approbatæ Latinæ ſacrorum Bibliorum verſionis, quam ut diximus, S. Hieronymus communem, & vulgatam appellat, S. Auguſtinus Italam, & S. Gregorius veterem nuncupat, editioni quam emendatiſſime, & accurate Typis Vaticanis imprimendæ ſumm. Pontif. Sixti V., & Clementis VIII. juſſu ſelecti ex millibus præſuere, uti teſtantur Cardinalis Baronius loco cit. num. 62. & Auctor Præfationis in Biblia hodiernæ vulgatæ editionis; hi enim conquiſitis undequaque ex univerſo Orbe, ac Romam advectis melioris, & optimæ notæ vetuſtiſſimis Codicibus manuſcriptis, inſpectis quoque Hebraicis, Græciſque Bibliorum fontibus, conſultis demum & ipſis veterum Patrum Commentariis, iiſque cum illis ſumma conſideratione collatis, veterem, ac vulgatam ſacræ Scripturæ editionem quanta fieri potuit diligentia caſtigatam, non ſine opportuna Dei aſſiſtentia conſignare, & educere potuerunt, *quam quidem* (Latinam editionem profitetur, ac ſubdit dictus Biblicæ Præfationis Auctor) *ſicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt*, *ita cæteris omnibus*, *quæ ad hanc uſque diem prodierunt*, *emendatiorem*, *purioremque eſſe minime dubitandum*. Et poſt pauca idem teſtatur, quod *Sacræ Congregationi ampliſſimorum Cardinalium*, *aliiſque eruditiſſimis viris ad hoc opus a Sede Apoſtolica delectis propoſitum non fuit novam aliquam editionem cudere*, *vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere*, *aut emendare*, *ſed ipſam veterem ac vulgatam Latinam a mendis veterum Librariorum*, *necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam*, *ſuæ priſtinæ integritati*, *ac puritati*, *quoad ejus fieri potuit*, *reſtituere*, *eaque reſtituta*, *ut quam emendatiſſime imprimeretur juxta Concilii Oecumenici decretum pro viribus operam dare*.

Quæ tamen feliciori ſucceſſu per Theologos a Summis Pontificibus Vulgatæ editioni Typis Vaticanis imprimendæ deputatos priſtinæ puritati reddita fuit.

Inde eſt quod nonnulli haud ignobiles Theologi, inter quos Honoratus Tournelly Theologic. Prælect. Tom. I. art. 4. quæſt. 4. n. 2. non ſine aliquo rationabili argumento aſſerunt unam, & eamdem Verſionem Latinam Sacræ Scripturæ illam eſſe, quam modo Vulgatam appellamus, & eam, quam Auguſtinus Italam, Hieronymus Vulgatam, Gregorius Communem, & Veterem, quamquo Con-

Hinc nonnullis Theologis viſum eſt hodiernam noſtram Vulgatam unam, & eamdem eſſe, cum Itala antiqua, licet alii aliter ſentiant.

Concilium Tridentinum, ut ſupra, authenticam nominarunt, ideſt ab omni errore contra fidem, & mores immunem, ac liberam, cui ſententiæ videntur adhæſiſſe Petrus Pithæus de Latinis Bibl. Interp. inter Criticos Pearſonii p. 6. & Ludovicus Ferrandus Præfat. in Pſalmos cap. 6. pag. 70. & 71.; quamvis autem alii non inferioris ſubſellii viri aliter ſentiant, affirmantes aliqui Vulgatam hodiernam quoad Vetus Teſtamentum eam eſſe, quam ex Hebraico vertit Hieronymus, & quoad novum illam, quam ipſe ad Græcum fontem correxit; quæ ſententia eſt Pici Mirandulani lib. de Vulg. edit. & Auguſtini Steuchi Fugubini Annot. in Pentateuchum; nonnulli vero eamdem eſſe opinentur mixtam ex Itala, & Hieronymiana, inter quos Joannes Driedo ſupra citatus, & Sixtus Senenſis Biblioth. Sanctæ lib. 8. Alii denique contendant ne unum quidem Bibliorum librum eſſe omnino, aut ex antiqua Verſione, aut ex nova Hieronymi, ſed eſſe ex utraque ab incerto Authore mixtum; uti Baronius, & Sixtus Senenſis ſupra laudati contendunt; nihilominus cum Concilium Tridentinum lato decreto ſeſſ. 4. cap. 1. ſtatuiſſet primo ut libri ipſi integri *cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis* ſuſcipiantur deinde cap. 2. *ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt . . . . . quam emendatiſſime imprimeretur*, atque Sixtus V. Papa omnem verterit curam, ut ita quam emendatiſſima hujuſmodi Vulgatæ editio, ad cujus normam cæteræ excuderentur, prodiret, ſapientiſſimis proinde Theologis in eam rem adhibitis, qui ipſam, ut diximus, cum vetuſtiſſimis Exemplaribus, ac Patrum Commentariis accurate conferrent, eorum ſedulitate, ac diligentia factum ſit ut anno 1580. ſic emendata Verſio typis exhiberetur, quæ tandem ſequenti anno in lucem prodiit; cumque id opus adhuc ex prælii vitio a perfectione abeſſe videretur, Clemens Papa VIII. novam aliam editionem procudendam curavit anno 1592. ad cujus normam cæteræ deinceps adornatæ ſunt, utpote quam ipſe Pontifex in ſua Bulla decrevit tamquam authenticam juxta Concilii Tridentini declarationem, habendam eſſe. Cumque etiam eadem Synodus OEcumenica, dictique Summi Pontifices Sacram ipſam Scripturam hodiernam, quam nobis ut authenticam ſuſpiciendam præcipiunt, eam non alio, quam veteris, & vulgatæ nomine appellent, quo vocabulo antiquam Latinam Verſionem, Italam Auguſtino, ſeu Romanam dictam, illam nempe quæ ante Hieronymum apud Occidentis Eccleſias in uſu communi erat, Sancti Patres donarunt, ſatis ſuperque iidem Pontifices, ac Tridentina Synodus innuunt hanc ipſam eamdem eſſe, quæ ab initio ſub Apoſtolorum diſcipulis fuit, quamvis poſtea per Hieronymum Auguſtini impulſu, qui eidem id deſuper ſcripſit Epiſt. 10. cap. 4. ac tandem juſſu Damaſi a mendis, quibus jam ex tunc ſcatebat, expurgata fuerit, & Latinæ veritati reddita, demum per Theologos ſupra laudatos recognita, & ad fidem veterum Manuſcriptorum Codicum collata, & denuo emendata, uti clare memoratus exprimit Author Præfationis in Biblia iis verbis jam paulo ante relatis, atque his ſubſequentibus: *Porro in hac editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt.*

Cæterum Italica vetus latina Bibliorũ Verſio nullibi integra reperitur.

„ Cæterum (inquit præclariſſimus Scriptor Auguſtinus Calmet in doctiſſimo Dictionario ſacræ Scripturæ verbo *Biblia Latina*) „ Vetus Italica nullibi integra reperitur; cujus „ tamen fragmenta quædam in noſtris vulgaribus Bibliis inſerta ſunt, Pſalterium, Liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Additiones „ Danielis, & Libri Eſther, Baruch, Machabæi, & Epiſtola Jeremiæ. Novum Teſtamentum integrum a Sancto Hieronymo „ ex Græco translatum eſt, eaque Verſione „ Eccleſia nunc utitur, & Concilium Tridentinum authenticam renunciavit. Neque „ tamen Vetus Italica novi Teſtamenti prorſus interiit, nec difficillimum eſſet omnem „ reparare. Ego ipſe Veteris hujus Verſionis quatuor Evangelia in vetuſtiſſimo Manuſcripto Corbejenſi num. 195. inveni, „ cujus varias Lectiones in meo ſupplemento poſt Apocalypſim attuli. Cl. Martianæus Evangelium Matthæi, & Epiſtolam „ S. Jacobi ex veteri Manuſcripto tranſcripſit. Lucas Brugenſis *in ſacræ Bibliæ notationibus, in quibus variantia loca diſcutiuntur. In Catalogo MSS. quibus uſus eſt*, „ vetus Manuſcriptum ſe evolviſſe teſtatur, „ in quo Vetus Italica, ante S. Hieronymum vulgaris, legebatur. Manuſcriptum, „ etiam Græcum, & Latinum Epiſtolarum „ S. Pauli ſupereſt, quarum alterum exemplar in Regia Biblioth., alterum in Bibliotheca S. Germani in Pratis: eorum autem „ altera columna Veterem Vulgatam complectitur. Si accurate Bibliothecæ perquirerentur, omnem omnino Veterem hanc „ Verſionem inveniendam eſſe puto. Neque „ tamen ea ſibi ubique ſimilis eſſet, cum „ S. Hieronymus, & S. Auguſtinus *Hier. Præfat. in quatuor Evangelia* vetera exemplaria inter ſe diſſimilia fuiſſe teſtentur „. Hæc Calmetus. Sed de antiqua Pſalterii Verſione nunc nobis differendum erit.

(6) *Ob perſpicuitatem latini ſermonis reliquit.*) Uti ipſe Sanctus Doctor teſtatur lib. de Script. Eccl. cap. 103., & 135. Item Epiſtola 123. ſeu Præfat. in 4. Evang. ad Damaſum, ubi inter cetera hæc ait: *ſed veterum, quæ ne multum a lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.*

Duplicem Pſalmorum Verſionem ſe adornaſſe memerat Sanctus Hieronymus.

(7) *Quæ extat inter opera ejus.*) In confirmationem ſententiæ Eminentiſſimi Authoris vide Oper. S. Hieronymi ex recenſione P. Martianay Mon. Bened. Congr. S. Mauri Tom. 1. ubi Clariſſ. vir. advertit in Admonitione ad Lectorem, quod duplicis Pſalmorum juxta 70. Emendationis a ſe ſuſceptæ meminit S. Doctor Præfatione in Pſalterium, libro etiam ſecundo Apologiæ adverſus Rufinum

Digitized by Google

finum, *Pſalterium quoque*, ait, *quod certe emendatiſſimum juxta ſeptuaginta Interpretes noſtro labore dudum Roma ſuſcepit, rurſum juxta Hebraicum vertens &c.* Paulo poſt „ veroſimillimum igitur apparet utramque Hieronymianam Editionem, tam priorem, quam poſteriorem in Urbe Romana fuiſſe ſuſceptam, hac Hieronymum indiſtinctim ambas emendationes comprehendere, quum Pſalterium ſuum juxta 70. emendatiſſimum Rufino objiciebat; opinioni noſtræ impenſe favent, ſubdit ille, Valafridi Strabonis verba Lib. de rebus Eccleſ. cap. 25. dicentis, *quod Pſalmos cum ſecundum 70. Interpretes Romani adhuc habeant, Galli, & Germanorum aliqui ſecundum emendationem, quam Hieronymus Pater de 70. Editione compoſuit, Pſalterium cantant, quam Gregorius Turonenſis Epiſcopus a partibus Romanis mutuatam in Galliarum dicitur Eccleſias tranſtuliſſe*: Quibus certi ſumus Gallos a Romanis mutuatos eſſe poſteriorem etiam emendationem Pſalterii. Cæterum prior Editio Romani Pſalterii nomen obtinuit, quod ea uteretur antiquitus Eccleſia Romana hodieque uſus perſeveret in Eccleſia Vaticana. Gallicanum autem Pſalterium appellata eſt Editio poſterior, & accuratiſſima, eo quod primi inter omnes ad uſus Eccleſiaſticos eamdem adhibuerint Galli noſtrates „. Hæc Martianæus.

Verum pace tanti viri plus æquo videtur niti Strabonis teſtimonio; quod enim ab eo unico ſcriptum eſt, in dubium revocavit Petrus Pithæus de Latin. Bibl. Interpretat. p. 6. omnino autem negat Joannes Mabillonius ejuſdem Congregationis Monachus in Tractatu de curſu Gallicano §. 2. num. 22. ob id potiſſimum, quod ipſe Gregorius aliam verſionem conſtanter laudaverit, & quidem in Hiſtoriæ libris, quos ultimos conſcripſit, qui in officio Eccleſiaſtico legebantur. Id ipſum confirmat ejuſdem Gregorii Præfatio in Pſalmos, cujus fragmentum in noviſſima Editione Theodorici Ruinartii exhibetur col. 1257., in qua tituli Pſalmorum, quos exponendos ſuſcipit Gregorius, omnes ſunt juxta ſeptuaginta Interpretum Editionem, ut videre eſt in indice locorum ſacræ Scripturæ, quæ ab eodem Sancto Gregorio citantur, ubi textus omnes adducti, & laudati, ſunt ex eadem verſione, ac diſcrepant a vulgara Sancti Hieronymi; quare non ſatis probatur poſteriorem Editionem Pſalterii a Gallis ſuſceptam fuiſſe Gregorii Turonenſis ævo, ſed paulo poſt, & quo præciſe tempore, incertum, ut ait Eminentiſſimus Author, forte exeunte ſeculo ſexto; nam S. Iſidorus Hiſpalenſis ab eodem Card. citatus ſuo tempore hanc verſionem ab Eccleſia acceptari cæpiſſe ſcribit.

Quinimmo idem Eccleſiæ Doctor maximus quater circa Pſalterium emendandum elaboravit.

Porro non bis tantum, ut innuit Emus Author, ac putat laudatus Martianæus, ſed quater circa Pſalterium emendandum elaboravit S. Hieronymus, uti ex Baronio ad an. 231. num. 49. obſervat Lorinus Præfatione in Pſalmos cap. 13. Primum Verſionem, quæ ex traditione 70. Interpretum fuerat ab alio confecta, emendaſſe ſe teſtatur lib. 2. contra Rufinum, & ab Urbe Romana receptam fuiſſe, cum Damaſus illum ad id impuliſſet; Deinde petente Sophronio illud vertit immediate ex Hebraico puro fonte (Ep. 135.) quæ verſio eſt inter Opera ejus. Tertio ut ſatisfaceret Paulæ, & Euſtochio, admiſcuit Editioni 70. Interpr. Editionem Theodotionis obelis, & aſteriſcis notatam (Præfat. in Pſalt.) Denique propria Epiſtola ad Sunniam, & Fretelam annotavit diſcrepantia inter Pſalterium Græcum, ac Latinum admonens quodnam Hebræo magis congrueret.

Pſalterium ex Hieronymi verſione cur Gallicanum dictum.

(8) *Unde Gallicanum nuncupatum eſt.*) Mabillonius de Curſu Gallicano pag. 395. 396. In primis, ait, Galli antiquitus Pſalterii verſione uſi ſunt, ſcilicet ea, quæ a Sancto Hieronymo emendata eſt. Audiendus hac de re Walafridus Strabo de rebus Eccl. cap. 25. (ſupra in nota antecedenti a Martianæo relatus) ubi id expreſſe affirmat. De re ipſa eadem eſt Bernonis Augienſis Abbatis ſententia; de tempore vero, quo hæc verſio a Gallis recepta eſt, hic cum Walafrido non conſentit. Inquit præterea Epiſtola ad Meginfridum, & Bennonem, de qua infra §. ſequenti nota prima: *Inter cætera ex emendata* LXX. *Interpretum translatione* (loquitur de Hieronymo) *Pſalterium ex Græco in Latinum vertit, illud cantandum omnibus Galliæ Eccleſiis tradidit, & ob hoc Gallicanum Pſalterium appellavit, Romanis adhuc ex corrupta vulgata Editione, ex qua Romani cantum compoſuerunt, nobiſque uſum cantandi contradiderunt. Unde accidit, quod verba, quæ in diurnis, vel in nocturnis Officiis canendi more modulantur, intermiſceantur, & confuſe noſtris Pſalmis inſerantur, ut a minus peritis haud facile poſſit diſcerni quid noſtræ, vel Romanæ conveniat editioni.* Hæc Berno: cæterum Strabo hallucinari videtur, cum hanc verſionem a Sancto Gregorio Turonenſi in Gallias invectam ſcribat, nam Gregorius ipſe in Hiſt. ſua, ut dictum eſt, non uno in loco Pſalmorum verſiculos ex alia verſione refert, quam Gallicana, uti oſtendit Mabillonius loco ſupra citato. Alii porro opinati ſunt (inquit Grancolaſius Commentar. Hiſt. in Brev. Rom. cap. 19.) S. Bonifacium Moguntinum Epiſcopum, & Mart. Galliæ, ac Germaniæ Eccleſiis illud tradidiſſe circa ann. 750. Theodulphus Aurelianenſis de quodam Pſalterio in Gallia pervulgato loquens, recitat ex eo loca aliquot eadem prorſus ac quæ in noſtris Bibliis leguntur. Antiphonæ vero, Reſponſoria, & nonnulli Introitus Roma in Galliam allati fuere ſub Pipini Regno, & Pauli Papæ I. Pontificatu, ut conſtat ex Epiſt. 25. Codicis Carolini inter Scriptores Francicos Ducheſnii Tom. 3. pag. 700. & ſeqq. Et ſane hujuſmodi ſacros Eccleſiaſticos libros ſæpe in Franciam a Summis Pontificibus tranſmiſſos, quibus divina Officia Romana cum Romano cantu ibidem introducta ſunt, jam antea ſub Stephano Papa II. aliis III. & eodem Pipino Rege, obſervat Card. Baronius ad an. 754. num. 7. Vide item nota ſequenti.

(9) *Priſtinæ integritati reſtitutum eſt.*) Primævum hoc Davidicum Pſalterium cum

Sola Romæ Baſilica Vaticana Verſione veteri Pſalmorum in divinis Officiis utitur.

Canticis juxta vulgatam antiquam Latinam, & Italam verſionem verſibus priſco more diſtinctum, quod in Romana Eccleſia ab Apoſtolico fere ævo uſu receptum, nunc etiam intactum, ac penitus immutatum in Eccleſia Vaticana obtinet, caniturque ibi in divina officiorum Pſalmodia, denuo cum pluribus Codicibus MSS. ſumma fide, ac diligentia collatum nova recenſione, elegantique editione donatum evulgavit Clar. Vir. Joſeph Blanchinus Veronenſis Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter in ſuo celebri Anaſtaſiano Opere Typis Salvionianis, ſeu Vaticanis edito Tom. 4. Prolegom. pag. 85. quod fuſius poſtea, verſibus item priſco more diſtinctum, argumentis, & orationibus vetuſtis, novaque litterali explanatione breviſſima a Ven. Card. Thomaſio dilucidatum, cui adjiciuntur perpetua argumenta Pſalmorum ex Pſalteriis Syriaco, Arabico, atque Æthiopico, itemque ex S. Hieronymo, ſtudio ejuſdem Ven. Viri collecta &c. Romæ editum an. 1741. duobus Tomis in fol. evulgavit. De hoc porro veteri Pſalterio juxta verſionem Italam expreſſo, adeoque Romano dicto, & in Vaticana Baſilica præ cæteris Urbis Eccleſiis unice ex ſpeciali indulto ad divina officia decantanda religioſe, ac fideliter obſervato, an idem, uti nuper correctum, & emendatum fuit, adhuc retinendum eſſet, necne? Extat Cardinalis noſtri votum, ſeu declaratio, qua illud ipſum ſic cuſtodiendum, ac non dimittendum cenſet. Id autem his verbis conceptum pro nunc breviter damus, integrum poſtea cum ſuis adnotationibus proferendum reſervantes poſt dicti Eminemiſſimi Epiſtolas hucuſque ineditas, propediem, & quamprimum licuerit, imprimendas. Ita vero ſe habet.

Cardinalis Bonæ votum circa hoc Pſalterium.

„ Cum Pſalterium Romanum, quo ante
„ Pium V. univerſæ Urbis Eccleſiæ utebantur,
„ ut teſtatur Lorinus *Præfat. in Pſal.*
„ *cap.* 13. nunc ſoli Baſilicæ Vaticanæ reli-
„ ctum ſit, decet ipſum religioſiſſime cuſto-
„ diri, & illibatum ſervari, ut antiquæ ver-
„ ſionis, quæ Italica dicebatur, hoc ſaltem
„ remaneat veſtigium, ſitque omnino con-
„ forme non ſolum vetuſtiſſimis exemplari-
„ bus, quæ in diverſis Eccleſiis, & Biblio-
„ thecis conſervantur; ſed etiam citationi-
„ bus, quæ ſub nomine Pſalterii Romani le-
„ guntur apud pleroſque Pſalmorum Expo-
„ ſitores, ne titulus, qui ei præfigitur, men-
„ tiatur. Hac de cauſa bonæ memoriæ Lu-
„ cas Holſtenius ejuſdem Baſilicæ Canonicus,
„ vir celebris doctrinæ, & eruditionis, cum
„ nova ejus editio pararetur, cum vetuſtis
„ MSS. & antiquis Interpretibus ſumma di-
„ ligentia collatum, veræ, & priſtinæ le-
„ ctioni reſtituit: & ſi quid irrepſerat contra
„ veterem translationem, ſuſtulit; nihil de
„ ſuo addens, vel minuens, nihil tribuens
„ conjecturæ: reddita inſuper exactiſſima
„ ratione omnium mutationum, tum quoad
„ literam, quam quoad interpretationem.
„ Hanc autem correctionem accurate per-
„ luſtravi, nihilque reperi abſonum, nihil
„ diverſum ab antiquis textibus; & ſic cen-
„ ſeo conſervandam eſſe, prout jam typis
„ mandata eſt, nihilque prorſus immutan-
„ dum, paucis exceptis, quæ infra adnota-
„ bo. Nec obſtat, quod aliquando lectio
„ hujus Pſalterii cum textu Græco LXX.
„ Interpretum prout nunc habetur, & cum
„ Hebraico fonte non omni ex parte con-
„ veniat, quod tamen rariſſimum eſt; nam
„ variæ fuerunt primigenii textus deprava-
„ tiones, variæ Latinæ Interpretationes, ut
„ paſſim obſervant poſt S. Hieronymum re-
„ liqui Expoſitores: illudque ſemper a San-
„ ctis Patribus, immo & ab antiquis Phi-
„ loſophis, ut docet Syneſius Epiſcopus in
„ Dione, ſancte obſervatum fuit, ne quid
„ in antiquis libris innovetur, aut immute-
„ tur, quacumque arte conſcripti ſint. Vide
„ de hoc Pſalterio Antonium Card. Carafam
„ Præf. ad Verſionem Latinam Pſalterii LXX.
„ Interpr. & Lorinum præfatum &c. Hæc de
„ Pſalterio Vaticano Card. Bona.

Sed ad majorem Diſquiſitionis circa hoc Pſalterium notitiam, id quod Lectori non ingratum fore confido, præſtat item mox allato Cardinalis voto eruditam in idem attexere Clar. viri Cajetani Merati obſervationem, quam ipſe habet, Comment. in Gavantum Tom. 2. Venetæ edit. ſive in Rubricas Breviarii Rom. Sect. v. cap. 8. num. 4. pag. 117.

Item quoad ipſum clar. Merati obſervatio.

„ Prima, ſeu Romana (ait ille) Pſalmo-
„ rum editio nonniſi poſt X. Chriſti ſeculum
„ in Italia ipſa ſenſim commutari cœpit,
„ nam cum Sanctus Franciſcus ſuis Fratri-
„ bus præceperit, ut ſecundum Ritum Ec-
„ cleſiæ Romanæ divina peragerent, excepto
„ Pſalterio Romano; hinc diſcimus per id
„ tempus in Umbria Romanam Pſalterii edi-
„ tionem obſoleviſſe, & Pſalterium juxta
„ Divi Hieronymi interpretationem in uſu
„ fuiſſe. Res inde eo deducta eſt, ut ſub
„ Sixto IV. Roma tantum, ejuſque Diſtrictus
„ (continentia ſcilicet Urbis, quaquaver-
„ ſum ad XL. lapidem protenſa) priſcam
„ Romanam editionem retinuerint. Et equi-
„ dem in Archivio Canonicorum Baſilicæ Li-
„ berianæ Sanctæ Mariæ ad Præſepe, extat
„ Pſalterium Romanæ editionis hac inſcri-
„ ptione prænotatum -- Ad honorem omni-
„ potentis Dei, & glorioſimæ Virginis Mariæ
„ Matris ejus incipit Pſalterium ad uſum
„ Venerabilium Dominorum Canonicorum
„ Venerabilis Baſilicæ, & Eccleſiæ Sanctæ
„ Mariæ Majoris de Urbe, ſecundum con-
„ ſuetudinem Clericorum Romanæ Urbis,
„ ejuſque Diſtrictus &c. -- Quodque Pſalte-
„ rium ſcriptum, & illuminatum fuit ſum-
„ ptibus, & expenſis nobiliſſimæ Dominæ,
„ Donnæ Caredonnæ de Annibalis de Ur-
„ be, tempore Archipresbyteratus Reveren-
„ diſſimi Domini, Domini Guillielmi de
„ Euſtoutevilla Epiſcopi Oſtienſis, Cardi-
„ nalis Rothomagenſis, ac SS. Domini no-
„ ſtri Sixti PP. IV. Camerarii digniſſimi,
„ ſub anno Domini 1480. tempore Sanctiſ-
„ ſimi Domini, Domini Sixti PP. IV. anno
„ vero ejus nono. Hiſpaniam autem quod
„ attinet, ad Sanctum uſque Gregorium VII.
„ Romana Pſalterii editione uſam fuiſſe, in-
„ dubitanter creditur, nam ad id uſque tem-
„ poris proprium Ritum conſtanter tenuit,

„ quem

„ quem Mozarabicum dicunt, in quo Pſalmi ex prima Romana editione continentur; „ quin etiamnunc, ubi Ritus ille adhuc in „ Hiſpania viget, juxta eandem editionem „ pſallitur. Tandem inhærendo Decreto Concilii Tridentini S. Pius V. Pontifex Maximus Breviarium Romanum in meliorem „ formam redegit, & ad communem fere „ omnium Eccleſiarum uſum reſtituit, ejuſque juſſu tunc ubique recepta eſt Vulgata, ſeu Gallicana Pſalmorum editio, præterquam in ſola Baſilica Vaticana, in qua „ nunc etiam vetus Pſalterium juxta antiquam, & Italicam dictam editionem religioſiſſime recitatur, & accurate ſublatis „ mendis, quæ irrepſerant, priſtinæ integritati reſtitutum, quod notat etiam Cardinalis Bona *lib.* 2. *de Rebus Liturgicis cap.* 3. „ §. IV. Eadem verſione extra Urbem utitur etiam hodie vetuſto more Eccleſia Ambroſiana, necnon Ducalis Baſilica Sancti „ Marci apud Venetias, & in Hiſpania, ut „ dixi, utuntur eodem Pſalterio antiquo Romano omnes Clerici illi, qui ex inſtitutione „ Franciſci Card. Ximenes Archiepiſcopi Toletani pſallunt juxta Ritum Mozarabicum. „ Reliquæ autem omnes Occidentales Eccleſiæ unicum tantum Pſalmum, nempe „ xciv. qui Invitatorius dicitur, quotidie „ juxta Italam editionem recitant, & ſolum „ in ſolemni Feſto Epiphaniæ, fere ab omnibus recitatur idem Pſalmus juxta editionem Vulgatam, & Gallicanam. Sed ad alia circa hoc Pſalterium ejuſque verſiones diſquirenda pergamus.

§ V.

Eam adhuc vigere apud nonnullos in Divinis Officiis.

Uſus Pſalterii juxta veterem Italicam Verſionem ante annos ſexcentos & ultra ſublatus.

EAdem verſione utuntur hodie vetuſto more Ambroſiani, licet ali-
cubi diſcrepet a Romana (1). In Breviario quoque veteri Hiſpa- (1)
nico ſecundum regulam S. Iſidori, quod Mozarabicum dicitur, extat idem
Pſalterium, quo utuntur in divinis Laudibus Clerici ex inſtitutione Fran-
ciſci Ximenez Archiepiſcopi Toletani hoc ritu pſallentes. In Italia extra
Diœceſim Romanam & Mediolanenſem ſuſpicor ejus uſum ſublatum
ante annos plus minus ſexcentos (2), nam Bruno Aſtenſis ex Abbate (2)
Caſinenſi Epiſcopus Signienſis, qui obiit anno 1125. initio Expoſitionis
Pſalterii ait, *cum adhuc adoleſcentulus eſſem*, *expoſui Pſalterium ſecundum*
aliam translationem, *quæ videlicet translatio pluribus in locis tantum differt*
ab hac, *qua utitur Romana Eccleſia*, *ut nullo modo ſecundum illius expo-*
ſitionem hæc translatio intelligi poſſit. *Et illa quidem multos habet Expo-*
ſitores: hanc autem ſi aliquis expoſuerit, *neſcio*. Exponit autem Pſalte-
rium illud vetus, quo ſuo tempore utebatur Romana Eccleſia, & poſt-
modum ſemper uſa eſt uſque ad Pium V. ut dixi. Ex quo fit ut Romæ
dumtaxat recitaretur, in aliis vero Italiæ Provinciis illud in uſu erat,
quod adoleſcens expoſuerat, quodque jam multos habebat Expoſitores,
utpote ubique receptum. Alexander IV. in ſua Conſtitutione, quæ eſt
ſexta in Bullario Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, mandat Priori Ge-
nerali & reliquis fratribus in Tuſcia, ut recitent Officium juxta morem
Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, quia nimirum vetus illud jam
ſolius Urbis Romæ proprium erat. Miror autem cur Bruno dicat ſe
neſcire an Romanum aliquis expoſuerit: nam expoſuit Caſſiodorus, cujus
elegantiſſima Commentaria eo tempore non erant ignota (3). Auguſti- (3)
nus quoque in ſua Explanatione hanc verſionem ſequutus eſt, quam om-
nibus præferendam eſſe docuerat. Magnus item Gregorius ſemper in
ſcriptis ſuis teſtimonia ex Pſalmis ſecundum hanc verſionem profert, ut
ex Collectione S. Paterii conſtat. Qua de cauſa ſemper dubitavi ne ex-
poſitio in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, in qua verſio a Hieronymo in-
terpolata explicatur, perperam illi adſcripta ſit. Licet enim Apoſtoli-
ca Sedes utraque verſione nova & veteri uteretur, ut ex ipſo ſupra
oſtendimus, Pſalterium tamen excluditur, quod ſemper Romæ ſecun-
dum veterem translationem permanſit. Accedit alia conjectura ex ipſa

An expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales hactenus S. Gregorio Magno attributa, vere ipſius ſit, primus dubitavit Cardin. noſter.

Expoſitione, in qua ſtylus & ſpiritus Gregorii deeſſe videtur. Sed hoc obiter a me obſervatum peritioribus diſcutiendum relinquo (4). In Bibliotheca Cardinalis Barberini extat Breviarium MS. in quo habetur Pſalterium Romanum. Inter Codices item MSS. Bibliothecæ Chiſiæ ſunt aliquot Breviaria ad uſum Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum Romanæ Diœceſis, in quibus idem Pſalterium legitur. At hæc ſcripta videntur circa annum Chriſti milleſimum: in aliis poſt annum MC. vel prope ſcriptis extat Pſalterium commune; ex quo ſuperior conjectura confirmatur, quod nimirum Italica verſio extra Urbem deſierit ante annos prope ſexcentos. Atque utinam qui hujus mutationis fuerunt auctores, rem attentius conſideraſſent, ſacrorumque Rituum & Eccleſiaſticæ antiquitatis peritos in conſilium adhibuiſſent; non tam facile a Gregorii Magni inſtitutione diſceſſiſſent. Hoc enim ſemper & ſolicite præcaverunt ſapientiſſimi Patres, a quibus divina Officia Deo inſpirante ordinata ſunt, ut ſumma uniformitas eſſet intra ea, quæ in horis Canonicis & Miſſa cantari debent, ſibique mutuo conſonarent Miſſale, & Breviarium. Hoc Iſidorus & Ambroſius, ſeu quicunque fuerunt antiqui Ritus Hiſpanici, & Mediolanenſis auctores, in illis Eccleſiis ſedulo obſervarunt. Et ob hanc ipſam cauſam Romana Eccleſia vetus Pſalterium non mutavit, quia ex illo Introitus & reliqua, quæ ex Pſalmis in Miſſa cantantur, deſumpta ſunt. Inconveniens enim & merito viſum eſt quod idem Pſalmus, & idem Canticum aliis verbis in Miſſa, aliis in Officio cantaretur. Hæc autem diſſonantia ablato nunc veteri Pſalterio ſæpe occurrit (5). Cæterum iſta hoc loco notare libuit, non ut quemquam carperem, ſed ne priſca Eccleſiæ diſciplina ignoraretur.

(1) *Licet alicubi diſcrepet a Romana.*) Idem affirmant plerique, inter quos Joan. Mabillonius Diſq. de curſu Gallic. num. 23. Grancolaſius Comment. in Brev. Rom. cap. 29. Auguſt. Calmet Diſſert. in Textum, & Verſiones Pſalmorum art. 3. aliique, qui & iis addunt Eccleſiam Patriarchalem S. Marci Venetiarum, in qua, ſicut & in præfatis, Pſalmos juxta veterem Italicam verſionem recitari aſſerunt, licet aliquanto inter ſe diſcrepent. Complura porro ejuſdem verſionis fragmenta adhuc ſuperſunt in Introitu, Gradualibus, Antiphonis, quæ vulgatæ emendatæ non reſpondent, quia ex veteri Romano Pſalterio, quod Romæ uſque ad S. Pium V. quindecim ſeculorum ſpatio uſitatum fuerat, deſumpta ſunt. „ Hujus autem Pſalterii „ Romani plures ſuppetunt (inquit ſupra laudatus Auguſt. Calmet Diſſert. in Textum, „ & Verſiones Pſalmorum) ſed non ſatis „ uniformes, editiones. Unam adornavit „ Jacobus Faber Stapulenſis an. 1508. in „ Abbatia S. Germani Pratenſis. Altera Mediolani prodiit an. 1555. altera Romæ 1663. „ nequid illam memorem, quæ in Textu „ Septuaginta Pariſiis an. 1628. excuſo ad „ Romanæ editionis normam legitur MSS. „ etiam plura ſuperſunt. Porro exemplaria „ iſta omnia frequenter diſcrepant inter ſe, „ quemadmodum etiam variare deprehenduntur ſententiæ ex eodem Pſalterio petitæ, quas in noſtris Antiphonis, & Reſ„ ponſoriis legas. Cujus diſcriminis in cau„ ſa fuiſſe judico exemplarium diſcrepan„ tiam, quæ varia erat in variis Eccleſiis; „ Mediolani etenim aliud legabatur ac Ro„ mæ, & poſt S. Hieronymum erant pari„ ter qui plures, erant qui minori numero „ ex ejus correctionibus ſervaſſent. Hic ve„ tus Italica verſio fere intacta, illic minus „ pure manebat, quemadmodum in Opere, „ cujus correctio ſingulis permitteretur, con„ tingere potuiſſe facile intelligimus. Profe„ cto niſi ſuprema, & recepta in Eccleſia „ authoritate huic malo occurſum fuiſſet, „ certa rataque Vulgatæ editione conſtituta, „ hæc lectionum varietas noſtras pariter edi„ tiones inundaſſet „. Hucuſque eruditiſſimus Calmetus. Quibus variis antiqui Romani Pſalterii editionibus addenda erit, quam ſupra indicavimus, a Clar. Joſeph Blanchino adornata.

Ambroſiani, Mozarabes, & Patriarchalis Eccleſia S. Marci Venetiarum etalem Verſione Italica utuntur.

Variæ Pſalterii Romani Editiones indicatæ.

(2) *Ante annos plus minus ſexcentos.*) Ita etiam conſentiunt Monachi Benedictini Editores Operum Sancti Auguſtini Tom. 4. Præfat. in fine, ac confirmatur teſtimonio alterius Monachi & Abbatis, Bernonis ſcilicet Augienſis apud Edmundum Martene de antiqua Eccleſia diſciplina pag. 18. ubi fragmentum Epiſtolæ ejuſdem refert ad Meginfridum, & Bennonem ſcriptæ, ex qua colligitur ſuo tempore, hoc eſt medio ſeculo undecimo, Romanos ſuæ adhuc Verſioni antiquæ adhæſiſſe.

Veteris Pſalterii Romani Expoſitores ſec. XI.

(3) *Eo tempore non erant ignota.*) Ante ipſum etiam Brunonem Aſtenſem Bruno alter, ſcilicet Herbipolenſis Epiſcopus, qui obiit anno 1045., & ferme integro ſeculo

præ-

præceſſit, Pſalterium vetus, ſeu Romanum expoſuit, & quemadmodum Caſſiodorus ex Auguſtino, ita Bruno iſte ex Caſſiodoro potiſſimum ſub brevitate optima, ut ait Joannes Cochlæus in Præfat. ad ipſum, quæque decerpſit, & in hoc plane Expoſitionis compendium ſummo animi candore comportavit. Extat hæc Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi Expoſitio in Pſalterium Biblioth. PP. noviſs. Edit. Lugdun. Tom. 18. pag. 65.

Commentaria in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales olim S. Gregorio Magno tributa, quod ipſius non ſint, ſed alterius Gregorii, demonſtratur.

(4) *Peritioribus diſcutiendum relinquo.*) Utrum S. Gregorii I. Papæ vere ſint hæc in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales Commentaria, an alterius, non levis, aut facilis eſt quæſtio. Illa quidem Sancto Doctori tribuit, qui primus e tenebris eruit, & publica luce donavit an. 1512., & iterum an. 1518. Berth. Remboldus, cujus ſententiam ſecuti ſunt, quotquot deinceps S. Gregorii Magni Opera ediderunt, excepto Petro Gouſſanvillæo Doctore Sorbonico dictorum Operum Editore, cui primus anſam præbuit dubitandi noſter Eminentiſſimus Author hoc loco, & Epiſtola ad ipſum data primo ſub die 21. Februarii 1668. cui reſpondet Gouſſanvillæus 6. Aprilis ejuſdem anni his verbis: *Cæterum conjecturam R. V. ad Expoſitionem in* VII. *Pſalmos Pœnitentiales judicii plenam agnovi, jamque ab inſigniori hujus Urbis Theologo mihi amiciſſimo hac de re monitus fueram, quod certe cum cenſura R. V. convenit, & ſuper hac re notulam apponere neceſſarium arbitror* &c. Sententiam hanc ſecutus eſt etiam Clariſſimus Vir Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. VI. cap. 4. art. 16. num. 9. Et ſane, ut hic ait, Commentarius in Pſalmos Pœnit. incognitus fuit Authoribus coævis, aut Gregorio ſupparibus, & nullus extat in Gallia, in Anglia, immo nec Romæ in Vaticana, aut aliis Bibliothecis MSS. hujus Commentarii Codex, uti ex dicta doctiſſimi Cardinalis Epiſtola colligitur. Tandem quæ de Regis tyrannide, & perſecutione in Eccleſiam habet ad ver. 9. & 26. Pſalmi 5. & Prooemio Pſalmi 7. cum Hiſtoria horum temporum non conveniunt, cum nec Mauritium, nec Phocam attingant; quorum benignitatem, & pietatem Sanctus Gregorius laudavit. Sunt qui Gregorio VII. Commentarium iſtud adjudicent, quod hæc loca Henricum IV. Imper. Gregorio VII. æqualem, & ipſi infenſiſſimum ſpectare videantur: Hæc Natalis Alexander Eminentiſſimi noſtri Authoris dubitationem confirmans.

Et quidem hæc Gregorio VII. potius, quam Magno tribuenda.

Et ſane Gregorio VII. potius, quam Magno tribuendum videri hoc Commentarium, ibique prolata Henrico IV. melius, quam Mauritio, aut Phocæ convenire, vel ultro concedunt Monachi Benedictini S. Mauri in Gallia S. Gregorii Operum poſtremi Editores (etſi nitantur ex ſtyli uniformitate, cum Gregoriano, illi magno Doctori adjudicare) etenim laudato Pſalmi 5. verſ. 9. Author totus in ſimoniæ vitium invehitur, & in Prooemio Pſalmi 7. hæc in Imperatorem tunc Regnantem habet: *perſequitur etiam hoc tempore Schiſmaticus Corpus Chriſti, impugnat Hæreticus Eccleſiam, unitatem infidelis perturbat.* Quis porro Imperator Gregorii Magni tempore Schiſmaticus Eccleſiam perſequebatur? Quis Eccleſiæ unitatem turbabat? Quis contra Catholicam veritatem efferebatur? Certe de Mauritio hæc dici non poſſunt, quem Hiſtorici illius temporis omnes Catholicum Imperatorem, Religioſiſſimum, & in Pauperes effuſiſſimum Principem appellant, ipſeque Gregorius piiſſimum, & clementiſſimum paſſim nuncupat. Legantur Epiſtolæ 62. lib. 2. Ind. 20. Epiſtola 48. Ind. 11. Epiſtola 40. lib. 9. vet. edit. aliæque plures, in quibus de pietate, & bonitate Mauritii multa dicit. Sed neque ad Phocam pertinere videntur, qui uno tantum anno Gregorii tempore imperavit, cui etiam de adepto imperio Ita gratulatus eſt: *Gloria in excelſis Deo* &c. Epiſtola 38. lib. 13. Ind. 6. ſicut & Epiſt. 45. ejuſdem libri totus in ejus laude excurrit. Itaque ad Henricum IV. Gregorio VII. æqualem, Schiſmaticum Principem, Simoniacorum fautorem, uti apud hujus temporis Scriptores, videlicet Marianum Scotum in Chronico, quem non ſine opinione ſanctitatis deceſſiſſe an. 1086. vel ipſe confitetur Guillelmus Cave de Script. Eccl. ad an. 1059. Lambertum Schafnaburgenſem, de quo hæc Barthius Adverſ. lib. 49. cap. 4. *Scriptor*, inquit, *nemo politius inter veteres res Germaniæ litteris commiſit*: Ottonem, ſive Othonem Friſingenſem ipſius Henrici IV. Imp. nepotem, pariter in Chronico, ſeu Hiſt. lib. 7. Dodechinum Abbatem S. Diſibodi, Mariani Scoti continuatorem, Bertholdum Conſtantienſem in Hiſtoria ſui temporis, Anonymum vitæ ejuſdem Henrici IV. Imp. Scriptorem, *Hiſtoricum antiquæ fidei ..... qui ob ſinceram, & illibatam in enarrandis Henrici rebus fidem invidiæ, & perſecutionis metu nomen ſuum occultaſſe videtur*; ut ita dictus Caveus de eodem habet, alioſque Rerum Germanicarum Scriptores per Chriſtianum Urſtitium editos, perſpicue conſtat, & de quibus videndi Pagius in Crit. Baronii, ubi de Henrico Imp. & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. XI. & XII. cap. 9. art. 3. ac tota Diſſertatione ſecunda: Ad Henricum, inquam, IV. & non alium Imperatorem, quæ in Præfat. Pſalmi 7. recitantur ſupradicta, referenda videntur; ac propterea Commentarium illud Gregorio Papæ VII., non Primo adjudicandum optime opinatus eſt Card. noſter. Id comprobari poſſe videtur ex eodem hujus Authoris loco in Pſal. 5. verſ. 9. n. 13. *In tantum autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vindicet, & in Domina gentium terrenæ jus poteſtatis uſurpet.* Quibus verbis temporale dominium Eccleſiæ Romanæ vindicat; quod uſurpare tentaverat Henricus IV. non vero Mauritius, qui Romanum dominium legitime poſſidebat, quod poſtea Summis Pontificibus ab Imperatore Carolo Magno, aliiſque Succeſſoribus ſuis conceſſum eſt.

Neque obſtant quæ in contrarium adduci poſſunt, quibus reſpondetur.

Neque adhuc Mauritio dicta imputari poſſunt; licet enim eo imperante in Orientis Eccleſiis invaluerit ſimonia, quod ultro concedimus, non tamen id vitii, neque Romæ, neque per Italiam obtinuit; cum e contra Author hujus Commentarii hanc labem Ro-

mam

mam ipſam, ac Italiam infeſtaſſe perhibeat. Neque huic opinioni officit, quam opponunt præfati Monachi Oper. S. Gregorii Magni Editores, ſtyli uniformitas cum Gregoriano, quem cum ſtylo Epiſtolarum Gregorii VII. nullatenus convenire affirmant; aliter enim eſt ſtylus in Epiſtolis, aliter in Commentariis conſcribendis, uti omnibus notum, atque etiam ex collatione Epiſtolarum Sancti Gregorii Magni cum reliquis ejus in ſacram Scripturam Operibus liquido apparet. Unde hæc non videtur nota ſufficiens in contrarium; neque item obeſt, quod quædam in hoc Commentario legantur eadem cum iis, quæ Paterius Sancti Gregorii Magni diſcipulus ad exponendum primum verſiculum Pſalmi 31. alioque in loco adhibet, adeoque ex ipſius Sancti Gregorii Commentario in Pſalmos tamquam fonte Paterius excerpſerit; poterat enim & Gregorius VII. item ex Paterio excerpere, atque huic inſerere Commentario. Magis porro obfirmatur hæc conjectura ex eo, quod eruditiſſimi, ac laudati Monachi Editores non habuerint, quid Emin. noſtro reponerent ad ea, quæ ipſe ad ſuam dubitationem hac de re comprobandam profert, videlicet, quod Sanctus Gregorius Magnus ſemper in ſcriptis ſuis teſtimonia ex Pſalmis ſecundum antiquiſſimam verſionem afferat, ut ex collectione Sancti Paterii conſtat, & licet Apoſtolica Sedes utraque verſione, nova, & veteri uteretur; Pſalterium tamen excluditur, quod ſemper ſecundum veterem translationem tenuit. Cum vero in hac Expoſitione ſeptē Pſalmorum Pœnitentialium verſio Sancti Hieronymi, ſeu nova adhibeatur, & explicetur, indicium perſpicuum eſt hanc non Gregorii Magni, ſed alterius Gregorii fætum eſſe; Cæterum hæc dicta ſint, non ad improbandam aliorum veriorem fortaſſe ſententiam, quam ſuis fultam rationibus, & momentis non diffitemur; at potius ut Eminentiſſimi noſtri conjectura ſuis etiam validis non deſtituta ſuffragiis ac rationibus conſiſtere videatur.

Jo. Stephanus Durantus notatus.

(5) *Ablato nunc veteri Pſalterio ſæpe occurrit.*) Joannes Stephanus Durantus lib. 2. de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 11. *quidam*, inquit, *verſiculi, quibus Eccleſia utitur in Introitu, diſcrepant a communi verſione, quæ Sancto Hieronymo adſcribitur, unde conſequitur Introitus uſum in Sacrificio Miſſæ antiquiorem eſſe Cæleſtino, & Hieronymo*; Sed errat vir doctus in hac parte ignorantia facti; nam, ut patet ex dictis ab Eminentiſſimo Authore, Verſio antiqua, ex qua Introitus accepti ſunt, per aliquot ſecula poſt Hieronymum in Eccleſia permanſit.

§. VI.

Græcorum duplex Introitus.

Græcorum ſolemnis ad Altare acceſſus.

GRæci duplicem habent ad Altare acceſſum, ſive Introitum, parvum & magnum. Parvus ſeu minor fit, cum Diaconus traditum ſibi a Sacerdote librum Evangeliorum defert ad Altare: magnus, cum Sacerdos ſacra dona e protheſi ad ſanctum Bema ſolemni ritu deportat. Parvi ritus hic eſt: Diaconus petit a Sacerdote benedictionem, cui ille bene precatur dicens, *Benedictum regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum*. Tum a Diacono alta voce dicuntur Preces, quas Irenicas, id eſt pacificas vocant, quia a precatione pro pace incipiunt. His intermiſcentur tres Antiphonæ, ſeu ut illi loquuntur, tria Antiphona, vel typica, aut alia cantica juxta diei exigentiam. Quibus peractis Sacerdos acceptum librum Evangeliorum tradit Diacono, qui egrediens e porta protheſis elevatum ante faciem ſuam defert per Eccleſiam præcedentibus luminaribus, & Sacerdotibus, ipſoque Celebrante ſubſequentibus, & *Venite adoremus Chriſtum* alta voce concinentibus. Diaconus vero elevans & oſtendens S. Evangelium dicit, *Sapientia: Recti*, monens populum ut ſapientiam teneat, quæ in Evangelio continetur, & erectus ſtet. Porro omnes ipſum Evangelium profunda inclinatione venerantur, & modulis quibuſdam decantatis in Altari collocatur (1). Major Introitus poſt dimiſſionem Cathecumenorum initio Miſſæ fidelium ſolemniori apparatu, præſertim cum Pontifex celebrat, fieri conſuevit; In porta enim, quæ protheſi proxima eſt, Clerici cereas faces accenſas præferentes Diaconos egredientes excipiunt, & præcedunt longa per Eccleſiam proceſſione. Ipſi autem Diaconi thus continuo adolent, tum unus Sacerdos panem in diſco repoſitum, & opertum velamine geſtat; & alius calicem etiam opertum ante pectus defert.

deſert. Hos ſequuntur Sacerdotes concelebrantes more ipſorum, qui Altaris ſacra inſtrumenta, lanceam, ſpongiam, librum, vel ſacras reliquias portant, Cantoribus interim Hymnum cherubicum concinentibus, donec ad Altare pervenientes ſacranda in eo dona deponunt. Hi ſunt Introitus Græcorum, quos eleganter & diffuſe explicant Cabaſilas in Ex-
poſitione Liturgiæ, Simeon Theſſalonicenſis lib. de Templo (2), &. (2)
S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum (3). (3)

(1) *Modulis quibuſdam decantatis in Altari collocatur.*) Hunc Ritum ſolemniter deferendi Evangelium cum luminaribus ex antiqua conſuetudine derivatum memorat Sanctus Hieronymus in Epiſtola adverſus Vigilantium his verbis: *per totas Orientis Eccleſias quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*. Ita etiam Iſidorus Etymol. lib. 7. Neque ſolum in Eccleſia Græca, ſed & in Latina aliquibus in locis ſingulari quadam modulatione ſacroſanctum Evangelium honoratum legimus. Et quidem in Viennenſi Galliarum Eccleſia (ait Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. I. cap. 4. art. 5. num. 4.) Evangelium præcipuis feſtis diebus ſingulari modulatione legitur in libro ad eum finem variis notulis diſtincto. Porro de Proceſſione, quæ olim fiebat ad Evangelium decantandum, & de Cruce in ipſa delata cum thu e, & cereis accenſis ad dictam ſolemnem Evangelii delationem, tum juxta Græcorum rituum, tum etiam juxta Latinorum in diverſis Eccleſiis conſuetudines, fuſe agunt Antonius Bellotte in Obſerv. ad Ritus Eccl. Laudun. pag. 421. Jacobus Eveillon Lib. de Proceſs. Eccl. cap. 6. ac noviſſime Joſeph Catalanus in erudito ſuo Opere de Codice S. Evangelii &c. lib. 2. cap. 13. quos pius, & ſtudioſus lector, ut devotæ ſuæ curioſitati ſatisfacere valeat, conſulere poterit.

(2) *Lib. de Templo.*) Vide in Biblioth. vet. PP. Lugdun. Tom. XXII. pag. 768., & ſeqq.

(3) *In Theoria rerum Eccleſ.*) Ibidem Tom. XIII. pag. 51. Vide item Goarium in Euchol. Græc. pag. 69. & 745. ſed de his iterum infra ad cap. 7. §. 2.

C A P. I V.

Alterni Cantus Origo. De precatione Kyrie eleiſon. *Eam ſemper, & ubique in uſu fuiſſe. Cur a Latinis Græce dicatur. Quo ritu cantari conſueverit. Ipſi addita aliquot verba. Prolixæ preces olim poſt* Kyrie eleiſon *Hymnus* Gloria in excelſis *a quibus compoſitus, & auctus. Priſco more a ſolis Epiſcopis dicebatur. Inſerti eidem quidam verſiculi.*

§. I.

Alterni Cantus Origo. De precatione KYRIE ELEISON. *Eam ſemper, & ubique in uſu fuiſſe. Cur a Latinis Græce dicatur.*

Quis fuerit alterni cantus Author, diſquiritur.

POſt Introitum chorus divinam implorat miſericordiam alternatim pſal-
lens *Kyrie eleiſon* (1). Cantum vero alternum ſcribit Socrates (1)
lib. 6. *cap.* 8. a S. Ignatio Epiſcopo Antiocheno in Eccleſiam introductum fuiſſe, oſtenſa ei cœlitus Angelorum viſione, qui Hymnos alter ad alterum Sanctiſſimæ Trinitati concinebant. At Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 24. eam conſuetudinem ad Flavianum & Theodorum refert, qui ſub imperio Conſtantii Antiochiæ floruerunt; quod tamen non abſolute de quocumque alterno cantu, ſed de Pſalmis Davidicis alternatim ca-
nendis intelligendum eſſe ex verbis ipſius Theodoreti colligitur (2). (2)
De quo ritu pſallendi agens Baſilius Magnus *Epiſt.* 63. *ad Clericos Neocæſarienſes*, eo teſtatur uſos fuiſſe Ægyptios, utramque Lybiam,

The-

Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitabant. Conſtantinopoli autem hunc morem inter Catholicos B. Joannem Chryſoſtomum introduxiſſe aſſerunt Socrates *lib.* 6. & Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 8. Verumtamen in Monaſteriis ſerius receptus eſt, nam tempore Caſſiani, ut ipſe ſcribit *lib.* 2. *inſtitut. cap.* 5. 8. *&* 10. unus in medio cæteris audientibus & tacentibus Pſalmos modulabatur (3). (3)
Quod ſi loquamur de Eccleſia Occidentali, Paulinus in vita Ambroſii, & Auguſtinus in Confeſſionibus *lib.* 9. *cap.* 6. *&* 7. teſtes ſunt ab eodem S. Ambroſio id primum Mediolani inſtitutum ſecundum morem Orientalium partium, cæteris per orbem Eccleſiis imitantibus (4). Hunc (4)
vero canendi ritum primus omnium Damaſus Papa Apoſtolica auctoritate confirmaſſe dicitur, & ubique ſervari præcepiſſe (5). Porro ipſum (5)
Kyrie eleiſon non humana inſtitutione, ſed occulto quodam naturæ inſtinctu uſurpari cœpiſſe manifeſtum eſt. Cum enim homo multis miſeriis ab ipſa infantia ob culpam primi parentis veluti hæreditario jure ſubjectus ſit, ad illius opem implorandum natura ipſa impellente excitatur, qui ſolus miſeris miſericordiam præſtare, & tot malis oppreſſam ſublevare poteſt. Ideo in veteri Teſtamento hæ precandi formulæ frequentiſſimæ ſunt, *Domine miſerere: Miſerere mei Deus: Miſerere noſtri Deus omnium*, & aliæ ejuſdem generis. Quin etiam gentes fidei lumine deſtitutæ, duce proculdubio natura, a ſuprema omnium cauſa præſidium

Etiam apud Gentes lumine fidei deſtitutas communis precatio Kyrie eleiſon, ſeu Domine miſerere.

iiſdem verbis poſtulabant, ut ſcribit Arrianus *lib.* 2. *Diſſertat. Epicteti cap.* 7. dicens, *Deum invocantes precamur eum Kyrie eleiſon*. Primæ ſiquidem notiones omnes omnibus ratione utentibus communes ſunt; utque ait Minutius Felix, omnium iſte eſt conſenſus, vulgi iſte naturalis eſt ſermo, non ſolius Chriſtiani confitentis oratio (6). Eadem precatio (6)
in Eccleſiaſticis officiis apud omnes nationes in uſu eſt. Sæpe enim repetitur in Jacobi Apoſtoli, Græcorumque Patrum Liturgiis: ipſamque ſuo idiomate uſurpant Syri, Armeni, & alii Chriſtiani Orientales, quorum ritus antiquiſſimi ſunt. Quis autem a Græcis eam ad Latinos traduxerit, incertum eſt. Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii fere omnes Officiorum Eccleſiaſticorum Explanatores tam veteres, quam recentiores Gregorio Magno hoc tribuunt. Sed multis annis ante Gregorium viguiſſe hanc conſuetudinem in Romana Eccleſia ex Concilio ſecundo Vaſenſi ſub Felice IV. conſtat *Can.* 3. *Quia*, inquit, *tam in Sede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provincias dulcis, & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut* Kyrie eleiſon *frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſiis noſtris iſta tam ſancta conſuetudo, & ad Matutinos, & ad Miſſas, & ad Veſperam Deo propitio intromittatur*. Imo ipſe Gregorius *lib.* 7. *Epiſt.* 64. *ad Joannem Syracuſanum* reſpondens quorumdam murmurationibus, qui dicebant ipſum velle in Romanam Eccleſiam ritus Conſtantinopolitanæ introducere, ait: Kyrie eleiſon *nos neque diximus, neque dicimus, ſicut a Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt; apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo reſpondetur: & totidem vicibus etiam* Chriſte eleiſon *dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur* (7). Quod autem Gregorius aſſerit a Græ- (7)
cis ſimul dici, id nunc etiam obſervant: univerſus enim cœtus ſimul concinit *Kyrie eleiſon*. Ex his item Gregorii verbis patet olim toties dici conſueviſſe *Chriſte eleiſon*, quoties *Kyrie* dicebatur: at nunc ter tantum *Chriſte*, ſexies *Kyrie* dicimus (8). Cur vero hæc ſupplicatio (8)
græce potius, quam latine a latinis dicatur, varias comminiſcuntur ra-

tiones

tiones ſacrorum Rituum Expoſitores, quas non eſt mei inſtituti examinare (9). Dicunt Latini in Miſſa *Kyrie eleiſon* Græce, dicunt etiam (9)
Hebraice *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, & *Oſanna:* quia fortaſſis ſic ab initio Eccleſiaſticarum precum Inſtitutores voces iſtas uſurparunt, ut oſtenderent unam eſſe Eccleſiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata eſt: vel quia myſteria noſtræ fidei tribus hiſce linguis ab Apoſtolis & Evangeliſtis, eorumque immediatis Succeſſoribus conſcripta fuerunt: quæ quidem linguæ in titulo Crucis quodammodo conſecratæ ſunt. Sed quæcumque fuerit cauſa hujus inſtitutionis, certiſſimum eſt eam antiquiſſimam eſſe. Nam Auguſtinus Epiſt. 178. quæ eſt publica ipſius Altercatio cum Paſcentio Ariano, teſtatur quod ſicut hac voce *Homouſion* a cunctis fidelibus una creditur Trinitatis ſubſtantia; ita iſta *Kyrie eleiſon* unius Dei natura a cunctis Latinis, & Barbaris rogatur ut miſereatur. Tum ait licere non ſolum Barbaris lingua ſua, ſed etiam Romanis dicere *ſihora*, *armen*, quod interpretatur *Domine miſerere*, lingua ſcilicet Gothica, quam Roma a Gothis capta didicerat (10). (10)

(1) *Pſallens Kyrie eleiſon.*) In Expoſitione brevi antiquæ Liturgiæ Gallicanæ, quam ex MSS. Codice Sancti Martini Auguſtodunenſis edidit, notiſque illuſtravit ſæpe laudatus Edmundus Martene Tom. 5. novi ſui Theſauri Anecdotorum pag. 91. dignoſcitur, quod olim poſt Introitum, ſeu Antiphonam, non ſtatim ſequebatur Kyrie eleiſon, ſed Præfatio, ſive admonitio ad Populum, quam Sacerdos prælegebat ad hortandam plebem, ut ad quam convenerat, ſolemnitatem debita cum veneratione celebraret; ideo ibi dicitur ſimplici, ac rudi elocutione *Antiphona ad prælegendo*, deinde Kyrie eleiſon dicebatur, lectionibus pronunciatis, & poſt canticum trium puerorum. Porro Baſnagius ſollicite cavens, ne ulla prætermittatur occaſio Card. Baronium reprehendendi, magnum virum erroris inſimulat Annal. Pol. Eccl. ad an. Dom. 60. num. 23. quod Socratis teſtimonio fuſfultus Ignatio Antiocheno originem alterni cantus adſcribat. Baſnagianæ cenſuræ locum dedit Theodoritus Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 24. hæc ſcribens de Flaviano, & Diodoro Antiochenis Presbyteris circa an. 350. deinde illo Antiochiæ, iſto Tarſi Epiſcopis: *Hi primi Pſallentium Choros duas in partes diviſerunt, & Davidicos Hymnos alternis canere docuerunt* &c. ſed in errorem a Theodorito Baſnagius duci non debuit. Diſertiſſima ſunt in hanc rem verba Epiſtolæ Plinii ad Trajanum: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die, ante lucem convenire, Carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Quid eſt alternatim canere, ſi hoc *ſecum invicem* non eſt? Baſnagium quoque refellit Magni Baſilii ad Clericos Neocæſarienſes Epiſtola, quæ ordine eſt 63., & inter tres ad ipſos ſcriptas prima, ubi quoad Pſalmorum cantum, intendit ſe antiquum Eccleſiæ morem ſequi, juxta quem ſolemnibus feſtis, Populus in Eccleſiam ante diluculum convenire debet; finita oratione aſſurgere, ut canat in duobus choris, qui ſibi invicem reſpondeant, ſcilicet *in duas partes diviſi alternis ſuccinentes pſallant*. Sic (ait) nox canendo, & orando effluit ſub diluculum, vero fideles omnes recitant Pſalmum Pœnitentiæ. Contendit porro morem iſtum in Ægypto, Libya, Phænicia, Palæſtina, Syria vigere: objiciebant autem Nicopolitani id uſitatum non fuiſſe temporibus Gregorii Thaumaturgi, Baſilius vero ipſis regerit, nec Litanias, ſive Preces, quas tunc adhibebant Fideles, Neocæſareæ Thaumaturgi temporibus in uſu fuiſſe. Has vero quamvis non improbet, addit ſibi ſatius videri peccatorum remiſſionem a Deo ipſis ſacræ Scripturæ verbis, quam hominum, poſtulare; aſſerit inſuper evinci non poſſe Pſalmorum cantum Sancti Gregorii temporibus fuiſſe inſolitum. Quare ex his liquido patet quam injuſte more ſuo Baronium impetat Baſnagius.

Baſnagius notatus, & ab ipſius cenſura vindicatus Card. Baronius.

(2) *Ex verbis ipſius Theodoreti colligitur.*) Id ante Theodoretum teſtatur Theodorus Mopſueſtenus, qui iiſdem temporibus, quibus Flavianus, & Theodorus, vixit, cujus verba refert Nicetas in Theſauro Orthodoxæ fidei lib. 5. cap. 30., qui etiam ſcribit hanc Pſalmodiæ ſpeciem dudum a Syris uſurpatam ante Theodorum. Lege Valeſium in notis ad Socratis locum citatum, & Pagium in Critica Baronii ad an. 400. num. 12., & ſeqq. ubi ſuo calculo Em. noſtri ſententiam confirmat; Viguit, & apud Ethnicos cantus alternatio cum Homerus Iliade 1. verſ. 604. Muſas alternatim canentes deſcribat. Et ſane Poetis ſolemne eſt Amœbeum carmen, in quo cantantes alternis ſibi reſpondent. Sic ille Paſtor apud Virgilium in Bucolicis Ecloga 3.

Vis ergo inter nos quid poſſit uterque viciſſim
Experiamur?

Etiam apud Ethnicos alternus cantus uſitatus.

Et poſt pauca:

Incipe Damœta, tu deinde ſequere Menalca,
Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Item Ecloga 7.

. . . . *Arcades ambo*

Et cantare pares, & reſpondere parati.
Calphurnius Ecloga 4.
Tuque prior Corydon, tu proximus ibis Amyntha.

Denique Paſtores alternatim canentes paſſim introducit Theocritus in Idyliis. Chriſtiani autem profanos Gentilium mores in veri Dei cultum transferre ſoliti erant, uti pluribus oſtendit Card. Baronius ad an. 44. num. 86. & ad 58. num. 72. & ſeqq. Vide etiam, quæ in hanc rem dicta ſunt Tomo 2. ad cap. 20. §. 5. nota 6. Quare perperam Valeſius in dubium revocat, quod a Socrate ſcriptum, Ignatium nempe Martyrem primum in Eccleſia Orientali huic ritui initium dediſſe, quod enim ipſe ſcribit, diſcere potuit a Scriptoribus, quorum opera ad nos non pervenere.

(3) *Pſalmos modulabatur.*) Et conſtat præcipue ex Caſſiani ejuſdem Inſtit. cap. 5. ubi narrat Patres illos non recitaſſe quidem Pſalmos, ſed ſolummodo unicum pſallentem auſcultaſſe, & ut ibi habetur: *in pſallentis verba omni cordis intentione defixos tacuiſſe.* Vide Card. noſtrum de Div. Pſalmodia cap. 16. §. 10. num. 1. Item vide Edmundum Martene de antiquis Monachorum Ritibus lib. 1. cap. 2. num. 42. & ſeqq.

(4) *Cæteris per orbem Eccleſiis imitantibus.*) Ex hinc in cunctis occiduis regionibus hujuſmodi uſus increbuit, inquit Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 7. adde Sidonium Apollinarem lib. 5. Epiſt. 17. Rabanum lib. 2. de Inſtit. Cleric. cap. 50. Durandum lib. 5. Rationalis cap. 2. num. 30. & ſeqq. Notat autem Card. Bellarminus lib. 1. de bonis operibus cap. 16. Paulinum, & Auguſtinum loqui, non de cantu abſolute, ſed de cantu totius Populi; & ſane id innuit Auguſtinus, de quo Card. in fine hujus paragraphi, ſeu verius Vigilius Tapſenſis apud ipſum Tom. 2. inter Epiſtolas Append. p. 44. ubi hæc ait: *una rogatur, ut miſereatur, a cunctis Latinis, & Barbaris unius Dei natura, ut a laudibus Dei unius nec ipſa lingua barbara ſit ullatenus aliena*; antea ſiquidem cantabat unus tantum, ut dictum eſt ex Caſſiano, & alludit ad id Hieronymus Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum, ubi ait: *dicas Pſalmum in ordine tuo*; fortaſſe etiam ſoli Clerici, ut nunc fieri videmus, cantabant; Ambroſius autem ad leniendum mœrorem Populi in perſecutione Juſtinæ inſtituit, ut totus Populus caneret. Hinc perſpici nullo negotio poteſt poſt cantum in Eccleſia receptum Cantores ad eum dirigendum inſtitui debuiſſe, quemadmodum ex Laodiceno Concilio Can. 15. cognoſcimus, de quo infra. In Concilio vero Carthaginenſi IV. Cantores, qui Pſalmiſtæ etiam, atque Confeſſores dicebantur, quarto loco inter Ordines minores numerantur. Sancti Patres Populos ad voces ſuas Cleri vocibus conjungendas excitabant, ut laudes Deo concinerent; hinc eximia illa Eccleſiaſtici cantus encomia. Sanctus Baſilius in Pſalmum 1. ait aptum hunc eſſe ad cor noſtrum accendendum, ad nos harmonia iſta ad Deum elevandos, ad mentes exhilarandas, atque ad curarum ſolatium, Sanctus

Cantu ſic in Eccleſia introducto, inſtituti etiam Cantores, qui eum dirigerent

Joannes Chryſoſtomus in Pſalm. 41. ei vim animi pathemata excantandi tribuit; animam a ſenſibus ſeparandi, atque caſtas veritatis delicias ei guſtandas præbendi. Sanctus Auguſtinus lib. 4. Confeſs. cap. 14. Sacros affectus enumerat, pioſque motus, quos in animo excitat. Sanctus Ambroſius Præfat. in Pſalmos Eccleſiæ cantum maris fluctibus comparat, quorum æſtum exhibet nobis innumera illa Populorum multitudo, qui ad Eccleſiam veniunt; Undarum vero fragorem, voces virorum, mulierum, virginum, & puerorum; atque per ea tempora Reges, atque Imperatores voces ſuas ſubditorum vocibus in Templo miſcuiſſe ad Davidis exemplum, qui in Templo canebat: *Pſalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur a Populis.* Eginhardus de Carolo Magno agens, ait, optime eum in cantu inſtitutum fuiſſe. Idem ex hiſtoria diſcimus de Principibus aliis, atque de ipſis Imperatoribus Conſtantinopolitanis apud Byzantinos Scriptores.

Miri cantus Eccleſiaſtici in animam effectus a SS. PP. deſcripti.

Reges olim, ac Imperatores voces ſuas ſubditorum vocibus miſcebant in cantu Eccleſ.

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis de Div. Offic. L. 1. ait, cantum alternis Choris ad Seraphinorum imitationem inſtitutum eſſe, qui alter ad alterum canunt; ſed cum Populi cum Clero canentes ſæpe vocum inæqualitate, atque cantus ignoratione, confuſionem parerent, Cantores inſtituti ſunt ad cantum dirigendum, qui Populo interdictus fuit in Concilio Laodiceno Can. 15. ubi ſic lego: *non oportere amplius eos, qui regulariter Cantores exiſtunt, & qui de Codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere.* Decretum hoc peculiare erat aliquot dumtaxat Orientis Eccleſiarum. Videmus igitur hoc loco Cantores, quorum munus eſt in Eccleſia canere, *qui regulariter Cantores exiſtunt, eos in Pulpitum conſcendere* ſolitos fuiſſe, ſive in eminentiorem aliquem locum, ut canentes melius exaudirentur: Libros item pro cantu conſcriptos, eoſque in ſuggeſtu aliquo collocatos fuiſſe: *De Codice canunt.* Vide quæ ſupradicta ſunt Lib. 1. cap. 25. §. 2. Porro de hujuſmodi Pſalmodia, ſeu alterno cantu poſt Card. noſtrum in Harmonia Pſal. Eccl. cap. 16. §. 10. plura Euſtachius a S. Ubaldo Auguſtinianus Excalc. in ſuo Opere de Dei Benedictione Diſquiſit. 2. pag. 272. & ſeqq. ac nonnulla Grancolaſius Comment. Hiſt. in Brev. Rom. cap. 17.

(5) *Dicitur, & ubique ſervari præcepiſſe*) *Dicitur*, & quidem optime, nam dubium eſt. Vide ad hanc rem Epiſtolas Rom. Pontif. cum notis Petri Conſtantii Monachi Ord. S. Bened. Congr. S. Mauri Col. 612. nu. 13. ubi Damaſum hujuſmodi alterni cantus diſciplinam nullatenus confirmaſſe, aut præcepiſſe affirmat. Id ante ipſum Cardinalis Baronius ad ann. 384. Pagius uterque, immo noſter Eminentiſſimus Author in ſua Pſalmodia loco citato.

(6) *Non ſolius Chriſtiani confitentis oratio*) Virgilius Sagis ad Turnum preces deſcribens Æneid. lib. 3. verſ. 653.

Turne in te ſuprema ſalus, miſerere *tuorum*.
Item Turni preces ad Faunum ibid. verſ. 777.
Faune, precor, miſerere . . . .
Idem inſuper Æneid. lib. 9. verſ. 495.

Ac

At tu magne Pater Divum miſerere . . .
Id autem ex antiquiſſima conſuetudine apud Græcos fluxiſſe ſatis indicat Homerus Odiſs. 5. dum canit

Sed miſerere *Rex*

Achilles Tatius Alexandrinus Iſagoge ad Arati Phænomena lib. 3. pag. 66. edit. Commel. & apud Petavium in Uranologio diſerte de hac precandi formula etiam apud Gentes uſitata ſic ſcribit : *Multis itaque cum lacrymis ego , Here , inquam* , miſerere , *ac naufragii reliquiis parce* . Ipſis etiam Romanis in uſu fuiſſe hanc precem paſſim docent , ut vidimus , Poetarum loci : ſic illis addendus Valerius Flaccus Argonaut. lib. 2. v. 255.

---- *Primoque manus a limine tendens ,*
Exime nos ſceleri , Pater , & miſerere *tuorum*
Rurſus ait .

(7) *Nullo modo dicitur* .) Subdit immediate idem Gregorius : *in quotidianis autem Miſſis aliæ , quæ dici ſolent* (in Miſſis ſcilicet ſolemnibus) *tacemus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur* . Ex quo ſuſpicari poteſt , quod Gregorii ævo plures orationes dici conſueviſſent in Miſſis Feſtorum ſolemnibus , quam in quotidianis .

Quis Kyrie eleiſon *dici in Miſſa inſtituerit, variæ opiniones* .

(8) *Sexies Kyrie dicimus* .) Cæterum Hugo Victorinus lib. 2. offic. cap. 14. Solus lib. 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 4. , & alii exiſtimant a S. Silveſtro circa an. 320. e Græcis ſumptam hanc ſupplicationem , & ad Latinos eodem Græco idiomate traductam. Et quidem in pleriſque Miſſalibus antiquis etiam impreſſis , præcipue in edito Venetiis apud Hæredes Lucæ Antonii Juntæ an. 1563. ita legitur a S. Silveſtro eodem Græco idiomate a Latinis recitari præceptam ; ex ſupplemento vero lib. 4. Amalarii de Officiis Divinis apud Mabillonium Vet. Analect. fol. pag. 97. habetur S. Gregorium Magnum illius Inſtitutorem fuiſſe , ſic enim ibi legitur : *Antiqua conſuetudo Romana , etiam ad Miſſam, nequaquam recitabat ipſas preces , quæ ſunt* Kyrie eleiſon , *donec Dominus Gregorius Papa ultimum hoc fieri judicans inſtituto uſus eſt* . Id patet ex ipſius Gregorii epiſtola 64. lib. 7. Indict. 2. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum , cui facti rationem reddit quidem , ſed non dicit ſe id inſtituiſſe , at vero longe ante inſtitutum , & poſtea intermiſſum reſtituiſſe indicat , uti ſcite Card. noſter , cui plerique recentiores ſubſcribunt , inter quos Pagius Brev. Geſtorum Pontif. in Gregorio Magno num. 64. Et ſane ait ſe cæremonias antiquas Eccleſiæ Romanæ conſervare , non autem a Græcis accipere , id quod etiam probat ex eo quod Græcis dicatur , & a populo *Kyrie eleiſon* , apud Latinos vero a Sacerdote , & quod Græci non interponant *Chriſte eleiſon* , ſicuti faciunt Latini . Porro quoad numerum *Kyrie eleiſon* , hic non erat certus in Eccleſia Latina . In Ordine Romano II. apud Mabillonium ad nutum Diaconi Schola imponit Letaniam *Kyrie eleiſon* . Prior vero Scholæ cuſtodit ad Pontificem , (ut in Ordine primo legitur) ut ei annuat , ſi vult numerare numerum Letaniæ &c. Unde Paris de Craſſis obſervat *Kyrie* in Miſſis Pontificiis tandiu protrahi , quandiu reverentia Papæ a Cardinalibus facienda durat ; immo & in aliis Miſſis ſolemnibus olim tamdiu repeti , donec ſubſiſtendum Celebrans innuiſſet , obſervat Edmundus Martene Tom. I. de antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 5.

(9) *Non eſt mei inſtituti examinare* .) De his lege Stephanum Durantum de Rit. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 13. , & Joannem Baptiſtam Scortiam de Sacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 15. num. 4. inter quas rationes ea placet , quod cum Græci inter Gentiles fidem primi receperint , ideo a majoribus inſtitutum , ut Græce hæc ſupplicatio diceretur .

Nonnulli Authores emendati circa Kyrie eleiſon *a Latinis & Græcis cantatum* .

(10) *A Gothis capta didicerat* .) Hinc miror Alcuinum , ſive alium ſub ejus nomine de Div. Officiis cap. de celebr. Miſſæ , item Remigium Monachum Antiſſiodorenſem in expoſit. Miſſæ , Stephanum Æduenſem de Sacramento Altaris cap. 7. Jo. Stephanum Durantum mox citatum lib. 2. cap. 13. & alios affirmaſſe , ut a Latinis græce, ita a Græcis latine dici , cum Græci nequaquam ſuam linguam immutent , & non alia , quam ſua *Kyrie eleiſon* dicant . Fortaſſe hic ritus Alcuini ævo in aliquibus Græcorum Eccleſiis vigebat , nunc vero omnino obſolevit . Porro Ambroſiani non dicunt *Chriſte* , ſed tantum *Kyrie eleiſon* , quam vocem tribus vicibus uſurpant in Miſſa , ter ſcilicet poſt *Gloria in excelſis* , ter poſt Evangelium, & ter in fine Miſſæ . Joannes Belethus , qui ſæculo XII. florebat in Explicat. Divin. Off. cap. 36. aſſerit in quibuſdam Eccleſiis addi ad *Kyrie* eleiſon *imas* , ideſt , nobis ; forte ex Iſaiæ cap. 33. ubi ſic habetur : *Domine miſerere noſtri* . Quod ex Durando in Rationali lib. 4. cap. 13. poſt ultimum dumtaxat *Kyrie* ſubjici intelligendum eſt .

Cur novem vicibus dicatur Kyrie eleiſon .

Novem itaque vicibus , ut dictum eſt , hanc precationem repetimus , ter ad Patrem , ter ad Filium , ter ad Spiritum Sanctum eam dirigentes , contra triplicem miſeriam , (ut apte obſervat natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. Tom. I. lib. 2. art. 5. num. 4.) ignorantiæ, culpæ , & pœnæ , vel , ut tres Perſonas in ſe mutuo inexiſtere ſignificetur , ac propterea in iis proprietas , & in eſſentia unitas , & in majeſtate adoretur æqualitas , ſicuti in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis canit Eccleſia , & ad imitationem cantus Angelorum, qui in novem Ordinum Choros diſtincti ſunt; vel ut contra novem genera peccatorum divina imploretur miſericordia , ſcilicet originale , veniale , mortale : cogitationis , locutionis , & operis : fragilitatis , ſimplicitatis , & malignitatis , fragilitatis per impotentiam, ſimplicitatis per ignorantiam , malignitatis per invidentiam , hoc eſt peccatum in Patrem , peccatum in Filium , & peccatum in Spiritum Sanctum .

Cur Chriſte eleiſon *ad Filium dicamus, non* Kyrie , *ſicut ad Patrem , & Spiritum S.*

Ideo autem *Chriſte eleiſon* ad Filium dicimus , non *Kyrie* , ſicut ad Patrem , & Spiritum Sanctum , quia Pater , & Spiritus Sanctus ſunt ejuſdem naturæ tantum , Filius vero , etſi ſit ejuſdem naturæ cum illis , eſt tamen etiam alterius , ut *geminæ gigas ſubſtantiæ* ; naturam ſcilicet humanam aſſumpſit , ſecundum quam unctus eſt a Deo Oleo lætitiæ

præ conſortibus ſuis, non oleo viſibili, ſed plenitudine divinitatis, ideo *Chriſtus*, ideſt unctus vocatur; ex cujus unctionis redundantia, & effuſione, hominis miſertus, quem latrones ſpoliatum, & vulneribus confoſſum ſemivivum reliquerant, plagas ejus vino, & oleo perfudit, ac curavit. Quamvis autem fideles omnei Dei miſericordia plurimum indigeant, ſpeciatim tamen eam invocat Sacerdos Sacrificium incruentum oblaturus, tum ut mens ejus ad Deum erigatur, & ad ea attendat, quæ ore pronunciat; quod certe divinæ Miſericordiæ donum eſt, tum ut dignus ſit, qui cum Deo loquatur, tum ut ſi tædio aliquo corporali prægravatus ſpiritus ſine mente oraverit, Dominus non in furore ſuo illum arguat; nec in ira ſua corripiat, ſed miſericordia ſua condonet; tum denique ut quavis attentione, & pietate ſacram actionem peragat, nihil ſibi de propriis meritis blandiatur, ſed ſervum inutilem ſe profiteatur ſecundum illud: *Dicite, ſervi inutiles ſumus*, & ejus imploret miſericordiam, qua expugnet inanem gloriam, de quo ait Pſalmiſta: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Non ait, in meritis, & operibus tuis, quia cujus miſericordia prævenimur, ut Deo ſerviamus, ejus munere coronamur, ut cum illo in æternum regnemus. Quod debuimus facere, fecimus; revera debuimus, quia qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, debitores ſibi nos fecit, non noſtris videlicet operibus confidentes, ſed de ejus ſemper examine paventes. Ideò *Kyrie eleiſon* Sacerdos ingeminat. Hactenus ex Natali Alexandro delibata ſunt. Nunc quo ritu idem *Kyrie eleiſon* cantari conſueverit, inſpiciamus.

§. II.

Quo ritu cantari KYRIE ELEISON *conſueverit. Ipſi addita aliquot verba.*

Kyrie cantatum in aliquibus locis, quibuſdam clauſulis interpoſitis additum.

IN quorumdam Monaſteriorum libris MSS. ad uſum Chori vidi ipſum *Kyrie* interpoſitis quibuſdam clauſulis interpolatum, quas privata auctoritate introductas puto. Legi in Chronico Angliæ ſub nomine Joannis Bromptoni Abbatis Ciſtercienſis inter X. Scriptores rerum Anglicarum edito *pag.* 879. B. Dunſtanum ſemel ſoporatum Angelos audiviſſe cum ſuavi nota *Kyrie eleiſon* pſallentes, cujus modulos harmoniæ adhuc, inquit, continet tropus ille apud Anglos famoſus, *Kyrie Rex ſplendens*, qui in majoribus feſtis Sanctorum cantari ſolet. Sed de harmonia, non de tropo hic ſermo eſt: nam ſeculo X. quo Dunſtanus vixit, non credo hujuſmodi tropos in uſu fuiſſe, quorum nulla mentio ante ſeculum XIII. reperitur (1). Inſulſi ſunt, ut plurimum, nec bene ſenſui cohærent. Qui- (1)
dam extant in Miſſali Romano ſub Pontificatu Pauli III. edito Lugduni hac præfixa inſcriptione. *Sequuntur quædam devota verba ſuper* Kyrie eleiſon, ſanctus, & Agnus Dei *ibi ob nonnullorum Sacerdotum paſcendam devotionem poſita, licet non ſint de Ordinario Romanæ Eccleſiæ, tamen in certis Miſſis ibidem annotatis licite dicenda*. Aliquot in exemplum ſubjiciam ex eodem Miſſali, & ex libro 3. Elucidatorii Eccleſiaſtici Jodoci Clictovæi, itemque ex Miſſali MS. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ num. 501.

In Feſtis Solemnibus.

KYrie fons bonitatis, a quo bona cuncta procedunt, *eleiſon*.
Kyrie, qui pati natum mundi pro crimine, ipſum ut ſalvaret, miſiſti, *eleiſon*.
Kyrie, qui ſeptiformis das dona Pneumatis, a quo cœlum, & terra replentur, *eleiſon*.
Chriſte unice Dei Patris genite, quem de Virgine naſciturum mundo mirifice Sancti prædixerunt Prophetæ, *eleiſon*.
Chriſte agie, cœli compos regiæ, cui melos gloriæ ſemper aſtans pro munere Angelorum decantat apex, *eleiſon* (2). (2)
Chriſte cœlitus adſis noſtris precibus, quem pronis mentibus in terris de-

devote columis ad te pie *Jeſu* (*a*) clamantes, *eleiſon*.
Kyrie ſpiritus alme cohærens Patri Natoque, unius uſiæ conſiſtendo, flans ab utroque, *eleiſon*.
Kyrie, qui baptizato in Jordanis unda Chriſto effulgens ſpecie columbina apparuiſti, *eleiſon*.
Kyrie ignis divine pectora noſtra ſuccende, ut digni pariter proclamare omnes poſſimus ſemper, *eleiſon*.

(a) Alibi *Rex*.

In feſtivitatibus Chriſti Domini noſtri.

KYrie cunctipotens genitor Deus omnicreator, *eleiſon*.
Fons, & Origo boni, pie, luxque perennis, *eleiſon*.
Salvificet pietas tua nos bone rector, *eleiſon*.
Chriſte Dei ſplendor, virtus, Patriſque Sophia, *eleiſon*.
Pſalmatis humani ſator, (*b*) lapſis reparator, *eleiſon*.
Ne tua damnetur Jeſu factura benigne, *eleiſon*.
Amborum ſacrum Spiramen, nexus, amorque, *eleiſon*.
Purgator culpæ, veniæ largitor opime, *eleiſon*.
Offenſas dele, ſacro nos munere reple, Spiritus alme, *eleiſon*..

(b) al. factor, lapſi

In feſtis B. Mariæ Virginis.

KYrie virginitatis amator, inclite Pater, & creator Mariæ, *eleiſon*.
Kyrie, qui naſci Natum volens de Virgine, corpus elegiſti Mariæ, *eleiſon*.
Kyrie, qui ſeptiformis repletum *Pneumate* (*c*) pectus conſecraſti Mariæ, *eleiſon*,
Chriſte unice de Maria genite, quem de Virgine naſciturum ſtirpis Davidicæ ſancti prædixerunt Prophetæ, *eleiſon*.
Chriſte uſiæ gigas fortis geminæ, qui pro homine homo ſine virili ſemine prodiſti de ventre Mariæ, *eleiſon*.
Chriſte cœlitus adſis noſtris laudibus, quas pro viribus ore, corde, actuque pſallimus, proles pie Jeſu Mariæ, *eleiſon*.
Kyrie Spiritus alme, amborum nexus, amorque, cœleſtis gratiæ rorem infudiſti Mariæ, *eleiſon*.
Kyrie, qui incarnato de Mariæ carne Chriſto ſub noſtra ſpecie ſemper florem ſervas Mariæ (*d*), *eleiſon*.
Kyrie ſimplex, & *ſumme* (*e*) Chriſmate ſacro nos reple, ut digno carmine decantemus laudes Mariæ, *eleiſon* (3). (3)

(c) al. gratiæ.
(d) alia lectio: *ſuper florem, requieviſti*.
(e) al. legitur *Trine*.

In aliis Feſtivitatibus.

KYrie Rex genitor ingenite, vera eſſentia, *eleiſon* (4), (4)
Kyrie luminis fons, rerumque conditor, *eleiſon*.
Kyrie, qui nos tuæ imaginis ſignaſti ſpecie, *eleiſon*.
Chriſte, Deus formæ humanæ particeps, *eleiſon*.
Chriſte, lux oriens, per quem ſunt omnia, *eleiſon*.
Chriſte, qui perfecta es ſapientia, *eleiſon*.
Kyrie, Spiritus vivifice, vitæ vis, *eleiſon*.
Kyrie, Utriuſque vapor, in quo cuncta, *eleiſon*.
Kyrie, Expurgator ſcelerum, & largitor gratiæ, quæſumus propter noſtras offenſas noli nos relinquere, conſolator dolentis animæ, *eleiſon*.

Do-

Dominicis diebus.

ORbis factor, Rex æterne, *eleiſon*.
Pietatis fons immenſe, *eleiſon*.
Noxas noſtras omnes pelle, *eleiſon*.
Chriſte, qui lux es mundi, dator vitæ, *eleiſon*.
Arte læſos dæmonis intuere, *eleiſon*.
Conſervans te credentes, confirmanſque, *eleiſon*.
Patrem, Natum, teque Flamen utrorumque, *eleiſon*.
Deum ſcimus unum atque trinum eſſe, *eleiſon*.
Clemens nobis adſis Paraclite, ut vivamus in te, *eleiſon*.
Omitto alia ejus generis, quibus homines ſimplices majus obſeqium ac ſolemniorem cultum ſe Deo exhibere arbitrabantur (5). (5)

(1) *Ante ſeculum XIII. reperitur.*) Amalarius de Div. Offic. lib. 3. cap. 6. ſic canendum ſcribit. cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis: *Kyrie eleiſon Domine Yater miſerere. Chriſte eleiſon miſerere, qui nos redemiſti Sanguine tuo. Kyrie eleiſon Domine Spiritus miſerere.*

(2) *Angelorum decantat apex.*) In aliquibus vetuſtis Miſſalibus ſic legitur: *Chriſte agie cœli compar regiæ, melos gloriæ, cui ſemper pro mundi crimineAngelorum decantat apex, eleiſon.*

(3) *Laudes Mariæ eleiſon.*) In inclyti Monaſterii Sancti Martini Athanacenſis Ord. S. Benedicti in Diœceſi Lugdunenſi antiquo Miſſali typis ejuſdem Cœnobii impreſſo an. 1531. habetur ſequens *Kyrie eleiſon* interpolatum item de Beata Maria.

Kyrie ter Virginum amator Deus Mariæ decus, *eleiſon*.

Kyrie, qui de Stirpe Regia claram producis Mariam, *eleiſon*.

Kyrie preces ejus ſuſcipe dignas pro mundo fuſas, *eleiſon*.

Chriſte Deus de Patre, homo natus de Maria Matre, *eleiſon*.

Chriſte, quem ventre Beata Maria edidit mundo, *eleiſon*.

Chriſte ſume laudes noſtras Mariæ almæ dicatas, *eleiſon*.

Kyrie, o Paraclyte obumbrans pectus Mariæ, *eleiſon*.

Kyrie, qui facis dignum thalamum pectus Mariæ, *eleiſon*.

Kyrie, qui ſupra cœlos Spiritus levas Mariæ: fac nos poſt ipſam ſcandere tua virtute Spiritus alme, *eleiſon*.

(4) *Kyrie Rex genitor &c.*) Extat inter verſus Fulberti Carnotenſis Epiſcopi Biblioth. vet. PP. Lugd. Tom. 18. pag. 152. Nonnullas alias hujuſmodi ineptas interpolationes, additis ad invocationes ſingulas quibuſdam clauſulis ab Eccleſiaſtica gravitate alienis, ex veterum aliquot ſimplicitate compoſitas refert nuperus Scriptor Joannes de Joanne Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus Tract. de divinis Siculorum Officiis pag. 112.

(5) *Se Deo exhibere arbitrabantur.*) Sane quamplures hujuſmodi interpolationes ad *Kyrie eleiſon* in vetuſtis Eccleſiarum Miſſalibus libris, præſertim ante ſeculum X. manuſcriptis conſpiciuntur; quæ id genus additamenta ad *Kyrie eleiſon* decantata, Joannes quoque de Joanne mox laudatus apud Panormitanos, & Meſſanenſes uſurpata fuiſſe tradit in feſtis duplicibus Sanctorum; immo & eadem in aliorum locorum Miſſalibus impreſſis etiam reperiri animadvertit. Interdum pariter ad conſimiles additiones ſubjungebatur Hymnus pro eorum temporum ingenio compoſitus. En iſtius exemplum quod profert doctiſſimus Lud. Ant. Muratorius de Liturgia Rom. vet. Diſſert. de Rebus Liturg. cap. 7. pag. 99. complectens ſimul Appendices ad *Kyrie eleiſon* verſibus hexametris exaratas, & Hymnum rhythmice compoſitum.

Kyrie eleiſon. Omnipotens Genitor, lumenque & lucis origo.

Kyrie eleiſon. De nihilo juſſu Verbi, qui cuncta creaſti.

Kyrie eleiſon. Humano generi peccati pondere preſſo.

Chriſte eleiſon. Ad cœnum terræ miſſus Genitoris ab arce.

Chriſte eleiſon. Indueras carnem caſta de Virgine natus.

Chriſte eleiſon. Tu mundi culpam mundaſti Sanguine fuſo.

Kyrse eleiſon. Æqualis Patri, ſeu Nato Spiritus almus.

Kyrie eleiſon. Trinus perſonis Deus, in Deitate ſed unus.

Kyrie eleiſon &c.

Canamus cuncti
Laudes hymniferas
Soli Deo placide.
Qui pius ſalvet
Semper, & protegat
Se ſequentes in ævum &c.

Deinde poſt nonnulla ſubdit laudatus Muratorius, atque hæc ait ibi eadem ferme repetens, quæ paſſim in iſto Liturgico ſuo Opere Cardinalis noſter inſinuat: „ Commendanda, inquit, eſt Romanorum Pontificium ſapientia, quæ ſublatis hiſce peregrinis mercibus, quibus onerata potius, „ quam ornata fuerat ſacra Liturgia, in antiquam puritatem, ac moderationem penſum Romanæ Miſſæ reſtituit &c. Reliqua vide ibi dum nos ad alia pergimus.

§. III.

§. III.

Prolixæ preces olim poſt Kyrie eleiſon.

In diebus, quibus non dicebatur Gloria *olim poſt Kyrie prolixæ preces dictæ.*

POſt *Kyrie eleiſon* ſequitur hymnus *Gloria in excelſis Deo*, ſi dicendus ſit, alioquin præmiſſa populi ſalutatione *Dominus vobiſcum*, dicitur oratio, ſive collecta, de quibus ſingillatim agendum erit, ſi prius notavero olim diebus, quibus omittitur *Gloria in excelſis*, immediate poſt *Kyrie*, prolixas preces pro omni ſtatu hominum recitari conſueviſſe, iis prorſus ſimiles, quas Irenicas, ſive Diaconicas Græci vocant, & initio Liturgiæ Diacono præcinente, choro reſpondente decantant. Permanſit hic ritus in Eccleſia Latina uſque ad ſeculum IX., ut obſervat Goar in notis ad Miſſam Chryſoſtomi *num.* 62., & nunc etiam permanet in Eccleſia Mediolanenſi diebus Dominicis Quadrageſimæ. Sicut enim alibi oſtenſum eſt, veteris Eccleſiæ mos fuit, ut officium cum Miſſa conveniret, ac propterea quibus diebus preces in officio dicebantur, in Miſſa quoque dici ſolebant. Agit de his Columbanus in Regula *cap.* 7. ubi modum pſallendi deſcribens, a Senioribus ſtatutum ait, *Cum verſiculorum augmento intervenientium pro peccatis primum noſtris, deinde pro omni populo Chriſtiano, deinde pro Sacerdotibus, & reliquis Deo conſecratis ſacræ plebis gradibus, poſtremo pro eleemoſynas facientibus, poſtea pro pace Regum, noviſſime pro inimicis, ne illis Deus ſtatuat in peccatum quod perſequuntur nos, & detrahunt nobis, quia neſciunt quid faciunt.* Has autem preces pro variis rebus, & perſonis compoſitas Diaconus in Miſſa pronunciare ſolebat: Diaconi namque, ut ait Concilium Aquiſgranenſe ſub Stephano Papa cap. 7. *clara voce in modum præconis admonent cunctos, ſive in orando, ſive in flectendo genua, ſive in pſallendo, ſive in lectionibus audiendis*. Auctor antiquitatum Liturgicarum *tom.* 3. *pag.* 307. harum precum hanc formulam affert, quam Miſſalem Litaniam vocat, ex antiquo Codice Bibliothecæ Fuldenſis a Wicelio tranſcriptam.

Dicamus omnes ex toto corde, totaque mente: Domine exaudi, & miſerere.

Qui reſpicis terram, & facis eam tremere: Oramus te Domine, exaudi, & miſerere.

Pro altiſſima pace, & tranquillitate temporum noſtrorum: Oramus te Domine &c.

Pro ſancta Eccleſia Catholica, quæ eſt a finibus uſque ad terminos orbis terrarum: Oramus te.

Pro patre noſtro Epiſcopo, pro omnibus Epiſcopis, ac Presbyteris & Diaconis, omnique Clero: Oramus te Domine.

Pro hoc loco, & habitantibus in eo: Oramus te Domine.

Pro piiſſimo Imperatore, & toto Romano exercitu: Oramus te Domine.

Pro omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, pro virginibus, viduiſque, & orphanis: Oramus te Domine.

Pro Pœnitentibus, & Catechumenis: Oramus te Domine.

Pro his, qui in ſancta Eccleſia fructus miſericordiæ largiuntur. Domine Deus virtutum exaudi preces noſtras: Oramus te Domine.

Sanctorum Apoſtolorum, & Martyrum memores ſumus, ut orantibus eis pro nobis veniam mereamur: Oramus te Domine.

Chriſtianum, ac pacificum nobis finem concedi a Domino comprecamur. Præſta Domine, præſta.

Et divinum in nobis permanere vinculum charitatis Dominum comprecemur: Præſta Domine, præſta.

Con-

Conſervare ſanctitatem, ac puritatem catholicæ fidei, ſanctum Deum comprecamur: Præſta Domine, præſta.

Dicamus omnes, Domine exaudi, & miſerere.

His ſimiles ſunt preces, quæ ritu Ambroſiano hodie dicuntur Dominica Prima Quadrageſimæ immediate ante Collectam, incipiente Diacono, & choro reſpondente.

Divinæ pacis, & indulgentiæ munere ſupplicantes ex toto corde, & ex tota mente precamur te: Domine miſerere.

Pro Eccleſia ſancta Catholica, quæ hic, & per univerſum orbem diffuſa eſt, precamur te: Domine miſerere.

Pro Papa noſtro N., & Pontifice noſtro N., & omni Clero eorum, omnibuſque Sacerdotibus, ac Miniſtris, precamur te: Domine miſerere.

Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Rege, Duce noſtro, & omni exercitu eorum, precamur te: Domine miſerere.

Pro pace Eccleſiarum, vocatione gentium, & quiete populorum, precamur te: Domine miſerere.

Pro Civitate hac, & conſervatione ejus, omnibuſque habitantibus in ea, precamur te: Domine miſerere.

Pro aeris temperie, ac fructu, & fœcunditate terrarum, precamur te: Domine miſerere.

Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, ac pœnitentibus, precamur te: Domine miſerere.

Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis conſtitutis, precamur te: Domine miſerere.

Pro iis, qui diverſis infirmitatibus detinentur, quique ſpiritibus vexantur immundis precamur te: Domine miſerere.

Pro iis, qui in ſancta Eccleſia tua fructus miſericordiæ largiuntur, precamur te: Domine miſerere.

Exaudi nos Deus in omni oratione, atque deprecatione noſtra, precamur te: Domine miſerere.

Dicamus omnes, Domine miſerere.

Aliæ hujuſmodi deprecationum formulæ extant apud Clementem *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtolic. cap.* 9. *vel* 13. & in Liturgiis Græcorum, quæ cum ſupraſcriptis fere coincidunt (1). Porro Diaconus eas recitaturus aſcendebat ambonem, ut notat Goar in Ordine ſacri Miniſterii *num.* 27. atque id obſervant Græci. Quod ſi deſit ambon, in Eccleſiæ medio ſtat, ejuſque centrum, quæ ad ſe pertinent recitaturus occupat, quaſi vicarium ambonis locum. (1)

Irenicæ Preces, ſeu Litaniæ alternis choris olim decantatæ.

(1) *Cum ſupraſcriptis fere coincidunt*) Hæ porro Litaniæ, ſeu Preces, quæ Irenicæ, ſive Pacificæ, vel Diaconicæ appellabantur a Græcis, antiphonatim, & per alternos choros recitabantur Clero eas dicente, ac Populo reſpondente ex Gregorio Magno, ut alias dictum eſt, lib. 7. epiſt. 63. Et quidem apud Græcos Diaconus, (unde illæ preces Diaconicæ dictæ) populo præibat ea dicens, pro quibus intercedere apud Deum deberet, & populus ad omnia reſpondebat *Kyrie eleiſon*, uti ex Conſtitutionibus Apoſtolicis loco in textu citato cap. 5., atque ex Liturgia Chryſoſtomi, Gregorius attamen, ut ſupra ſcribit, Græcos ſuo ævo ſimul omnes tam Clerum, quam Populum *Kyrie eleiſon*, hoc eſt Litaniam recitaſſe, niſi forte dicamus Gregorium hæc ita ſcripſiſſe, ut obviam iret quorumdam murmurationibus, quod Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem ipſe per omnia ſequeretur; conſtat nihilominus Litaniarum ritus antiquitas, de qua Deo dante nonnulla proferemus ad Card. noſtri de Div. Pſalm. cap. 14. §. 3. In pleriſque locis Litania per alternos choros decantari ſolet pueris ad Altare conſiſtentibus, Clerique vice concinentibus, populo autem reſpondente. Et vero quoad pueros quid ſimile reperitur in memoratis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ubi dicto lib. 8. cap. 8. dicitur. *in iis ſingulis, quæ loquitur Diaconus*, (in precibus nimirum irenicis, quæ Litaniis analogæ ſunt) *populus dicat* Kyrie *eleiſon, & in primis pueruli.*

§. IV.

§. IV.

De Hymno Gloria in excelſis, *a quibus compoſito*, & *aucto*.

QUia initium hujus hymni in Nativitate Salvatoris noſtri Jeſu Chri-
ſti ab Angelis decantatum fuit, inde Angelici nomenclaturam ac-
cepit (1). Apte vero inter hymnos numeratur, quia omnia illi (1)
conveniunt, quæ ad hymni conſtitutionem requiruntur, cantus ſcilicet
in laudem Dei. Præclare Auguſtinus in Pſal. 148. *Si laudas Deum*, &
non cantas, *non dicis hymnum*. *Si laudes quod non pertinet ad laudem*
Dei, & *ſic cantando laudes*, *non dicis hymnum*. *Hymnus ergo tria iſta*
habet, & *canticum*, & *laudem*, & *Dei*. Addidit Beda *præf. in pſalmos*
aliam conditionem, ut ſit metrice ſcriptus; ſed hanc non requiri ad ra-
tionem hymni conſtans eſt Sapientum ſententia, idque præter alios ad-
notavit Cœlius Rhodiginus *lib.* 7. *antiq. lect. cap.* 5. exemplo Pla-
tonis, apud quem in Sympoſio, & in Phædro hymni leguntur ſoluta
oratione; utque alia deſint exempla, hic ſolus ſufficit, de quo hic lo-
quimur; nam ab omnibus antiquis Patribus hymnus nuncupatur. Plura
de hymnis, eorumque uſu ex ſacris, & profanis Scriptoribus congeſſi
in meo Tractatu de Divina Pſalmodia *Cap. XVI.* §. 9. Nullus autem hoc
nobilior reperiri poteſt, ſive auctorem reſpiciamus, ſive antiquitatem, ſive
uſum, ſive tandem divinarum laudum, quæ in eo cantantur, excellentiam, &
ſublimitatem. Nam quid nobilius, ut cætera omittam, quam quod Deo gra-
tias agimus, propter magnam gloriam ſuam? Hoc videlicet idem eſt ac ſi di-
ceremus tibi propter te gratias agimus, non propter bonum noſtrum, quod
inde emanat, ſed propter gloriam tuam: quia gloria tua hæc eſt ſanctifi-
catio noſtra, & ad unam tui gloriam eſt, quod ſancti ſumus: quia ſan-
ctificans nos, participes nos facis gloriæ tuæ in via, & in patria; at-
que ideo noſtra intereſt, quod magni, & glorioſi Domini ſervi ſumus,
eamque ubique propagari, ac ea te perfrui magis gaudemus, quam ſi
noſtra eſſet, quia tu ſolus laudabilis, & glorioſus es, & nulla eſt vera
gloria extra te. Prima hujus hymni verba: *Gloria in excelſis Deo*, &
in terra pax hominibus bonæ voluntatis, e cœlo ad nos Angelorum vo-
ce derivata ſunt: cætera quis addiderit, incertum eſt. Quidam Apoſto-
lis tribuunt, eo quod integer habeatur *lib.* 7. *Conſtit. Apoſt. cap.* 47.
(2), ſed jam norunt viri docti quid de illarum Conſtitutionum auctore, (2)
& ætate ſentiendum ſit. Alii auctorem faciunt Teleſphorum Papam, qui
vivebat anno Chriſti 150., ejuſque ſententiæ ſunt Sigebertus in Chro-
nico, & Innocentius III. *lib.* 2. *de Myſteriis Miſſæ cap.* 20. Alii Sym-
macho adſcribunt, qui anno quingenteſimo Chriſti floruit. Plerique recen-
tiores ſequuti Alcuinum *lib. de Div. Offic. cap.* 40. Hugonem Victori-
num pariter *lib.* 2. *de Divin. Offic. cap.* 11. Remigium Antiſiodorenſem
in Expoſitione Miſſæ lib. 1. Honorium *in Gemma lib.* 1. *cap.* 87., &
Joannem Belethum *lib. de Div. Off. cap.* 36. a B. Hilario Pictavienſi
Epiſcopo completum fuiſſe aſſeverant (3), ſed in vita, & ſcriptis Hi- (3)
larii, & in ſcriptoribus, qui quatuor poſt ipſum ſeculis floruerunt, nul-
lum hujus rei veſtigium extat: atque inſuper obſervo Athanaſium, qui
ſynchronus Hilario fuit, ejus meminiſſe *lib. de Virginate* (4) verſus (4)
finem his verbis, *Matutino tempore hunc Pſalmum dicito*, Deus Deus meus
ad te de luce vigilo. *Ubi diluculum fuerit*, *hunc recitabis*, Benedicite
omnia opera Domini Domino, *hymnumque dicito* Gloria in excelſis Deo, &
in

Hymnus Gloria in excelſis Deo, cur Angelicus dictus.

Quis eidem cætera verba addiderit.

in terra pax, in hominibus bona voluntas. Laudamus te: Benedicimus te, Adoramus te, *& quæ ſequuntur*. Ex quibus liquet jam eo tempore uſitatum fuiſſe, & per varias regiones diſperſum. Cautius loquuti ſunt Patres Concilii IV. Toletani, qui can. 12. ajunt: *Reliqua, quæ ſequuntur* poſt verba Angelorum, *Eccleſiaſticos Doctores compoſuiſſe*, quicumque illi fuerint
(5). Auctor libri Pontificalis in vita Teleſphori, ait ipſum conſtituiſſe, (5)
ut ante Sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc eſt *Gloria in ex-*
celſis Deo, ſed non dicit ipſum reliqua adjeciſſe (6), & tunc forſitan verba (6)
tantum evangelica in uſu erant, ſicut extant in Liturgia Jacobi, non autem integer hymnus. Symmachus vero præcepit, ut omni die Do-
minico, & in natalitiis Martyrum diceretur (7): nam Teleſphorus in Miſsa (7)
tantum nocturna Nativitatis Domini cantari decreverat, ſi vera ſunt, quæ Sigebertus, & Innocentius præcitati tradunt. Statutum autem Symmachi ad totum hymnum extenditur, qui jam antea compoſitus erat, ut ex Athanaſio oſtendimus. Etherius Epiſcopus, & Beatus Presbyter *lib.* 1. adverſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum conſueviſse ajunt in Hiſpania cantari ritu Mozarabico, de quo ibi loquuntur, Dominicis diebus, &
in quibuſdam feſtivitatibus (8). A Græcis magna Doxologia nuncupatur, (8)
& ab iiſdem in matutinis laudibus recitatur. Jubent quoque dici ad laudes toto tempore Paſchali S. Valerianus Epiſcopus Arelatenſis, qui vive-
bat anno 550., & S. Tetradius in ſuis regulis (9). (9)

Variæ apud Veteres hujus Hymni nuncupationes.

(1) *Inde Angelici nomenclaturam accepit*) Hymnus iſte ad finem veterum Pſalteriorum Latinorum cum Apoſtolico, & Athanaſiano Symbolo habetur adjectus, & hymnus matutinus nuncupatur. In antiquiſſimo Cottoniano, & in Aethelſtaniano proximo Codice (teſte Uſſerio Armachano in Diſſert. 3. de Symbolis ad calcem ſuorum Operum) *Hymnus in die Dominico ad matutinas preces inſcribitur*. In Sarisberienſis Eccleſiæ uno circa ann. 980. exarato: *Orationis puræ cum laudatione* titulum præfert. In Benedictini quondam apud Cantabrigienſes Collegii vetuſtiore altero (Marini Papæ, & Karolomanni temporibus, juſſu Achadei Comitis circa annum Domini 884. in Gallia conſcripto) *Hymni Angelici* eſt titulus, atque ita ſic dictus hymnus iſte, quod initium ducat a cœleſti illa Doxologia, quam Chriſto nato ſacer cecinit Angelorum Chorus, Lucæ 2. 13. 14., uti optime Card. noſter deducit. „ Neque dubium cuiquam eſſe debet (inquir pius ac doctus Scriptor D. Anacletus Siccus Cler. Reg. S. Pauli de Eccleſ. Hymnodia lib. 1. cap. 4.) „ de forma An„ gelici hujus cantus, num ſcilicet fuerit al„ ternis expletus choris, id namque aperte „ colligitur ab illa voce *Militiæ* uſurpata a „ S. Evangeliſta, dum dicit: *Et ſubito fa„ cta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœle„ ſtis laudantium Deum* &c. Hæc vox apud „ rei militaris peritos infert ordinatam acie„ rum diſtributionem, alioquin non militiæ, „ ſed multitudinis nomine rectius diceretur. „ Verum adhuc omnem auſert rei hujus du„ bitationem communis ſenſus Eccleſiæ, quæ „ læta recolens in Natalitiis annuis Domini „ noſtri Jeſu Chriſti hos Angelicos cantus „ declarat chori formam adhibitam fuiſſe; „ nam introducens Paſtores cuidam factæ „ interrogationi reſpondentes uſurpat hæc ver„ ba: *Natum vidimus, & choros Angelorum „ collaudantes Dominum*. Quod itaque Evan„ geliſta aſſeruit verbo *Militiæ*, explicat Ec„ cleſia nomine chori, quia ſcilicet ſinguli cho„ ri cujuſque Hierarchiæ Angelorum, modo „ unus, modo alter, modo omnes dicebant „ *Gloria in Altiſſimis Deo* &c. Porro Dei laudes inter Sacrorum ſolemnia hymnis celebrare moris erat, non apud Judæos modo, & Gentiles ipſos, quoad inanes Deos ſuos, uti late probat Brovverus de Populorum ador. cap. 8. pag. 96.; verum & in Eccleſia ſpeciatim apud Chriſtianos præeunte cum diſcipulis ſuis ipſo Chriſto Domino noſtro Matth. 26. 30., ubi dicitur: *& hymno dicto exierunt in montem Oliveti*. Dominum ſecuti ſunt Apoſtoli, inter quos Paulus, & Silas *orantes media nocte laudabant Deum, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant*, uti legitur Act. Apoſt. cap. 16. 25.

Idem in Eccleſia Apoſtolica peractum habemus ex Pauli Epiſt. 1. ad Corinth. 14. 26., præſertim ad Coloſſ. 3. 16., ubi Apoſtolus hortatur fideles commonere ſemetipſos *Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia cantantes Deo*. Idem & ab ævi Apoſtolici Chriſtianis factitatum docent Apoſtolicorum Patrum ſcripta, quæ recenſere ſupervacuum eſt; hinc impius Lucianus, vel quiſquis Philopatri conditor, auctor certe illi coævus, Chriſtianos introducit ad hymnos *tota nocte decantandos vigilantes*. De Chriſtianis ſui temporis Plinius ad Trajanum lib. 10. Epiſtola 97. affirmat, *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. His hymnis Chriſti divinitatem præcipue celebrabant, ut Domini noſtri honorem adverſus Paganorum blaſphemias ardentius vindicarent. Ex horum numero fuiſ-

fe

ſe hunc hymnum Angelicum, & matutinum dictum, non ſine ratione conjicit Uſſerius præfatus, nec temere ab aliquibus dubitabatur, a primis fere rei Chriſtianæ exordiis uſurpari ſolitum fuiſſe; iſtius enim hymni expreſſam mentionem habent Auctor Conſtitut. Apoſtol. quiſquis ſit, & Athanaſius, ut infra dicitur ab Eminentiſſimo Scriptore; Videtur omnino hymnus iſte tanto conſenſu, tum in Orientalibus, tum in Occidentalibus Eccleſiis receptus ex eorum fuiſſe numero, quorum vetus auctor, qui contra Arthemonis hæreſim ſcripſit apud Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 28. meminit his verbis: *Sed & Pſalmi, vel Cantica ab initio ſcripta ſunt, quæ a fratribus fidelibus verbum Dei eſſe Chriſtum & Deum, tota hymnorum ſuorum laude concelebrant*. In hoc autem Hymno edito ab Uſſerio, ibidem poſt verba: *Tu ſolus Dominus*, deſiderantur alia, quæ ſubſequuntur in noſtro, quem canit Eccleſia, videlicet; *Tu ſolus altiſſimus*: ſed hic habet, *Tu ſolus Domine Jeſu Chriſte* &c.

Præterea in Liturgia Gallicana, quam ex Codice Bobienſi vulgavit Mabillonius, & Muſæi Ital. Tom. 1. hymnus iſte *Gloria in excelſis Deo* pro gratiarum actionibus poſt Miſſam privatim recitandus conſtituitur, & patet ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Mart. cap. 63. Id vero non uni tantum Eccleſiæ Gallicanæ fuit ſingulare; olim quippe in publicis gratiarum actionibus hymnus iſte Angelicus adhibitus fuit, nam Patres Concilii ſexti Oecumenici in allocutione acclamatoria ad Conſtantinum Pogonatum Imp. de felici ejuſdem Concilii exitu: *ſoli ſapienti*, inquiunt, *& omnipotenti Deo gratiarum laudes enixius offeramus*, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax *decantantes*. Item Patres octavi Concilii Toletani: *Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes Domino gratias exclamavimus Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, &c. Pippino etiam Caroli Magni filio occurrenti Summo Pontifici Leoni Papæ III. (ut ſcribit Eginhardus in Annalibus Francorum inter Scriptores Francicos Ducheſnii tom. 2., atque inter Germanicos Reuberi pag. 15. & ſeqq.) idem Pontifex *Gloria in excelſis Deo* inchoaſſe perhibetur, uti & apud Anaſtaſium in ejus vita. Porro, ut infra §. v. expreſſe dicetur, antiquitus hunc hymnum Angelicum ſoli Epiſcopi in Dominicis diebus, & feſtivitatibus Sanctorum Martyrum, quæ tunc ſolemniores erant, canere poterant: inferiores vero Sacerdotes in die Paſchatis tantum, uti ex Gregoriano Sacramentario habetur apud Muratorium Liturgiæ Rom. vet. tom. 2. pag. 1. *Item dicitur Gloria in excelſis Deo, ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus feſtis, a Presbyteris autem minime dicitur, niſi ſolo in Paſcha*. Ideo Epiſcopis Cardinalibus in Vaticana Baſilica celebrantibus concedebatur eumdem hymnum canere ex Stephani IV., ſeu ut aliis placet, III. conſtituto, ubi præſcribitur: *ut omni Dominico ſeptem Epiſcopi Cardinales Miſſarum ſolemnia ſuper Altare B. Petri celebrent*, & Gloria in excelſis Deo *cantetur*, uti & infra dicetur nota 7. Idem privilegium Abbati Caſſinenſi ſingulariter conceſſit Zacharias Papa; uti habetur in Bullario Caſſinenſi tom. 2. Conſtit. 7. num. 6. his verbis: *Hymnum quoque Angelicum in Dominicis, & feſtivis diebus concedimus in Miſſarum ſolemniis decantandum*: Quod autem olim Epiſcopis, & Abbatibus peculiare erat, omnibus poſtea, & ſingulis Presbyteris indifferenter ſtatutis diebus decantari conceſſum eſt; & quidem ita deducitur ex Remigio Antiſſiodorenſi, qui ſeculo exeunte nono floruit, in Expoſit. Miſſæ, & S. Udalrici Conſuetud. Cluniacen. apud Acherium Spicil. tom. 4. pag. 45. aliiſque XI. ſeculi monumentis, in quibus abſque ulla exceptione ab omnibus Sacerdotibus in diebus feſtis *Gloria in excelſis* dici præſcribitur. Quando vero, & quibus feſtis idem Angelicus hymnus ad Miſſam nunc recitari debeat, exprimunt Rubricæ, earumque explicant Expoſitores Gavantus, Meratus, aliique hujus generis Scriptores, quos Lector, ſi velis, conſulere poteris.

(2) *Conſt. Apoſt. cap.* 47.) ibique velut *Oratio matutina* præſcribitur. Vide quæ ſuperius tomo 1. ad cap. 8. §. 4. nota 3. & ſeqq. dicta ſunt.

(3) *Completum fuiſſe aſſeverant*) Idque a pluribus exiſtimari fatetur ipſe Innoc. III. loco citato, licet, ut dictum eſt, hanc gloriam Teleſphoro tribuat. Monachi Editores Operum Sancti Hilarii in Præfat. pag. VII. num. 21. videntur huic opinioni aſſentiri, atque ita in pleriſque Miſſalibus legitur, præcipue in edito Venetiis apud Hæredes Juntæ anno 1563., aliiſque, ubi Hilario hic Hymnus tribuitur, ſed id de illius complemento tantum, non de toto Hymno intelligendum.

Athanaſii liber de Virginitate pleriſque ſpurius reputatus

(4) *Lib. 1. de Virginitate*) Poſſet quis hoc loco Eminentiſſimo Auctori judicii minus recti notam infligere, quaſi inſipienter librum hunc pro genuino Athanaſii fœtu admittat, & recognoſcat, cum a pleriſque, neſcio an purgatioris critices eruditis, uti dubius, ac ſuſpectus, videlicet Eraſmo, aliiſque, immo ab aliquibus Hæreticis, maxime Sculteto, & Riveto ſpurius, & ſuppoſititius habeatur, ex eo, quia (ait Dupinius in ſua Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui hoſce heterodoxos in hac parte ſecutus, hunc librum inter Athanaſii Opera ſuppoſititia rejicit) liber iſte ſtylo humili ſcriptus ſit, contineatque præcepta de qualitate veſtium puerilium, quibus indui debent Virgines, atque in eo ſint locutiones Athanaſio indignæ, ut cum vocat virginem ſaltatricem Chriſti, & nonnulla ſint ab Athanaſii genio, & diſciplina illius ætatis remota. Verum *an hic de tripudio agitur*? (uti optime eruditiſſimi Patres Benedictini Congr. Sancti Mauri in Præfatione ad tom. 2. Operum ejuſdem S. Doctoris pag. VII. Scriptorem hunc, licet conterraneum, jure merito perſtringunt) *Et quid tam frequenti uſu celebratum in Eccleſia, quam Choreæ Virginum Chriſti ſponſarum*? Cæterum dicti Doctiſſimi Monachi, quamvis objectas a Sculteto, & ſuppoſititias in hoc libro pueriles præceptiones optime diluant, ejuſque ipſo judicio convincant non alias, quam illas eſſe, quas Dominus in Evangelio, D. Paulus

lus in Epiſtolis ſuis tradidit; unde præceptiones hujuſmodi, quæ in hoc libro leguntur, arbitrantur quidem eſſe cujuſdam pii, rerumque Eccleſiaſticarum periti viri; Athanaſii tamen opus eſſe vix credunt, tum ob diverſum orationis genus, tum quia in antiquis Collectionibus Athanaſianis non reperitur.

Nihilominus, etſi non abſque fundamento laudati religioſiſſimi Editores de hoc Opere dubitent, an Athanaſio tribuendum ſit, nec ne; immo in nova recenſione Operum Sancti Hilarii in Præfatione num. 21. expreſſe fateantur, quod hunc Librum Athanaſii opus eſſe minime liquet, ac propterea ad hujuſce libri auctoritatem non attendentes Hymnum *Gloria in excelſis* Hilario ſoli potius Pictavienſi, quam alteri adſcribendum exiſtimaſſent, niſi obſtaret can. 12. Concilii 4. Toletani ſupra ab Eminentiſſimo relatus; His tamen non obſtantibus idem Opuſculum de Virginitate genuinum Athanaſii fœtum, ex S. Hieronymo, Honorio Auguſtodunenſi, aliiſque antiquis Scriptoribus judicant cum Eminentiſſimo noſtro Card. Bellarminus lib. de Script. Eccl. Petrus Nannius in utraque ſua editione Operum S. Athanaſii, Caveus Differt. 2. de lib., & offic. Eccl. Græc. pag. 185. Caſimirus Oudin, & præ cæteris Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. ſec. 4. cap. 6. num. 21., ubi acerrime illud Opuſculum eximio ſuo Auctori Athanaſio vindicat, atque ineptas Riveti, & Sculteti exceptiones refellit, quos quidem advertere admonet, primo ſtylum Patrum non eſſe in omnibus eorum Operibus eumdem, ſed alium in orationibus, alium in Operibus Polemicis, alium in Epiſtolis; ſecundo Photium hanc ipſam ſtyli inæqualitatem in Sancti Athanaſii libris adnotaſſe, cum de ejus in Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum Commentariis, ita cenſuit Biblioth. Cod. 139. *Dilucide dicit, ut in omnibus ſuis ſcriptis; ad earum tamen Epiſtolarum gratiam, & venuſtatem, quibus ſeceſſum excuſat ſuum, quæque ad exilium pertinent, exponit, neque hic liber, neque alius ejus (qui quidem in meas inciderit manus) attingit*. Poſtremo ſtylum ſimplicem, & humilem Conſtitutionibus, & documentis ad Virginum ſacrarum Vitam componendam editis convenire. Idem etiam ſentit nuperus alter Gallicus Auctor Anonymus libri ſic inſcripti: *Les anciennes Liturgies* pag. 465., qui hunc librum Athanaſio tribuendum judicat, cui etiam ſuffragatur cl. Petrus Brunus Cærem. Miſſæ parte 2. art. 3.

Verum alii viri docti idem opus Athanaſii eſſe propugnant.

(·) *Quicumque illi fuerint*) Et quidem in Codice manuſcripto Bibliothecæ Chiſiæ circa annum 900. exarato, in quo continetur Pſalterium, poſt Pſalmos eſt *Gloria in excelſis*, in quo poſt verſum: *ſuſcipe deprecationem noſtram*, hæc leguntur: Jacob frater Domini Hieroſolymitanus addidit; *qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis*. Cyrillus Alexandrinus adjunxit: *Quoniam tu ſolus Sanctus* &c. uſque ad finem.

(6) *Sed non dicit ipſum reliqua adjeciſſe*) Id etiam ſcribunt Amalarius lib. 3. de offic. Eccleſ. cap. 8. & Valafridus Strabo de Rebus Eccleſ. cap. 22., atque laudatus Alcuinus de Divinis Offic. cap. 39. Ad hæc vide Pagium Brev. Geſt. Pontif. in Teleſphoro num. 1.

(7) *Et in Natalitiis Martyrum diceretur*) Ante Symmachum Stephanus I. Hymnum, quem Angeli in Chriſti Nativitate cecinere, ex verbis ſcilicet Evangelicis depromtum die Dominica in ſacris Liturgiis recitari juſſit; item Sanctus Silveſter I. juſſit Athanaſio teſte, ut die Dominico ſeptem Epiſcopi Cardinales hebdomadarii ſuper Altare Divi Petri Miſſas celebrando Angelorum Hymnum *Gloria in excelſis Deo* dicerent, ut ait Auguſtinus Oldoinus Addit. ad Ciacon. in eorum vitas; item Bonifacius I. teſte Durando in Rationali lib. 6. cap. 73. juſſit hunc Hymnum recitari feria quinta in Cœna Domini; quem poſtea Symmachus ultra diem Dominicum extendit ad Natalitia Martyrum.

Nonnulla Romanorum Pontificum decreta circa hujus Hymni Angelici recitationem.

(8) *Et in quibuſdam feſtivitatibus*) At vero in Eccleſia Gallicana ad Miſſam cantatum hunc Hymnum olim fuiſſe nulla docent veterum teſtimonia. In publicis quidem gratiarum actionibus decantatum, ut ſupra dictum eſt, conſtat ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 63., & lib. 2. de Miraculis Sancti Martini cap. 25.; at in Miſſa ipſa adhibitum nuſquam ſe legiſſe apud antiquos Scriptores teſtatur Edmundus Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 5. Hymni hujus etiam meminit Sanctus Joannes Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſtolam ad Coloſſ. ibi enim ait: *dum gratias agimus, dicimus Gloria in excelſis Deo, & in Terra*. Victor Vitenſis Epiſcopus loquens de Martyribus, qui in Africa, ſeu Carthagine paſſi erant ſub Hunnerico Rege lib. 3. *Procedebant*, ait, *cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas, decantantes Gloria in excelſis Deo*. Uſurpatum etiam hunc Hymnum ad matutinas laudes oſtendunt Hugo Menardus, & Martene citatus in Reg. S. Benedicti cap. 12. Græcis item hic Hymnus matutinus dicitur, is ſcilicet, qui in Officio matutino quotidie legitur, & diebus Dominicis, ac majoribus feſtis modulatione quadam cani ſolet. Vide Euchologion Græcorum pag. 58. & ſeqq. cum notis Jacobi Goarii. Item Gothofredum ad Philaſtrium pag. 147., & ante ipſos Germanum II. Patriarcham Conſtantinopolitanum in Theoria Rerum Eccl. Bibl. PP. Lugdun. tom. XIII. pag. 154., ubi hymnus iſte *magna Doxologia* nuncupatur ad differentiam parvæ Doxologiæ, quæ eſt *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* &c. quæ in fine Pſalmorum dicitur. Denique de hoc hymno Angelico, ſive a Græcis matutino dicto nonnulla profert Thomas Smith Anglicus Scriptor in Miſcellaneis Comment. de Hymnis Græcorum par. 2. pag. 154.

Hymnus Angelicus in publicis gratiarum actionibus adhibitus.

Item ad matutinas Laudes.

(9) *Tetradius in ſuis regulis*) Iſtius Hymni, non autem Auctoris, mentio etiam habetur in Regula S. Cæſarii Arelatenſis cap. 21. Denique de hoc Hymno Angelico iſta habet Hidelbertus Cenomanenſis Epiſcopus Carm. de Myſt. Miſſæ:

Angelicum poſt hæc Sacrifex Pater incipit hymnum,

Inceptum

Inceptum complet vociferando chorus.
Incipiens memorat quæ Salvatoris in ortu
Gaudia Paſtores Angelus edocuit.

Cantica, quæ poſt hunc ſuperi cecinere recenſet,
Gloria, *quam complet vociferando chorus.*

§. V.

Priſco more a ſolis Epiſcopis dicebatur.

REfert Anaſtaſius in Vita Stephani IV. ſtatutum ab illo, *ut omni die Dominico a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervabant Miſſarum ſolemnia, ſuper Altare B. Petri celebraretur*, & Gloria in excelſis *diceretur*. Ratio hujus Edicti eſt, quia olim a ſolo Epiſcopo dici poterat, a Presbyteris vero in ſolo die Paſchatis dicebatur, ut initio libri Sacramentorum S. Gregorii legimus: non quia ad Epiſcopos maxime pertineat Miſſam celebrare, ut explicat Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 83. *ſect.* 1., ſed quia revera ſic ferebat mos priſcus Eccleſiæ, ut ſoli Epiſcopi hunc Hymnum dicerent, ſicut ſoli in prima populi ſalutatione dicunt *Pax vobis* iis diebus, quibus *Gloria in excelſis* dici ſolet. Adeo verum eſt, quod ſæpius monui, non debere ex hodiernis moribus veterem Eccleſiæ inſtitutionem æſtimari. Valafridus Strabo cap. 22. *Statutum eſt*, inquit, *ut ipſe Hymnus in ſummis feſtivitatibus a ſolis Epiſcopis uſurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum deſignatum videtur*. In Bibliotheca Vaticana Palatina Cod. 495. extat antiquiſſimus Ordo Miſſæ Romanæ, initio ſic ſtatuens, *Dicitur Gloria in excelſis Deo, ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus feſtis. A Presbyteris autem minime dicitur, niſi in ſolo Paſcha* (1). Fruſtra hunc ritum convellere nititur Berno Augienſis cap. (1)
2. de rebus ad Miſſam ſpectantibus. *Cur non liceat*, inquit, *omni die Dominico, vel natalitiis Sanctorum Presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere? Quod ſi conceſſum eſt illum cantare in Paſcha ſecundum prætitulationem Miſſalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium, ubinam ſit a ſanctis Patribus, vel ab ipſo Sanctiſſimo Papa Gregorio interdictum; & ſi ad hæc reſpondere non valemus, merito manus damus*. Hæc ille, quem non diſputare, ſed obedire par erat, nam Gregorius id vetat initio libri Miſſalis, ut ipſe Abbas Augienſis agnoſcit, & illius auctoritas ſufficere ei debuerat, ne contradicere auderet. Nunc vero ſublata eſt illa reſtrictio, & ab omnibus idem hymnus cantatur, quod ſenſim introductum ſuſpicor paulo poſt Bernonem, qui vivebat anno 1040., ac deinde pro lege habitum.

Olim a Presbyteri. Hymnus Angelicus non dicebatur, niſi in Paſchate.

(1) *Niſi in ſolo Paſcha*) Idem confirmatur ex Ordine Rom. 1. apud Mabillonium Muſæi Ital. tom. 2. pag. 17., ubi legitur: *Similiter etiam a Presbytero agitur, quando in Statione facit Miſſas, præter* Gloria in excelſis Deo, *quia a Presbytero non dicitur, niſi in Paſcha*. Idem legitur & in eo Ordine, quem Menardus, & Pamelius ediderunt. Item Anonymus Sangallenſis Monachus in vita Caroli Magni Imp. cap. 20. loquens de quodam Epiſcopo: *Cumque præmiſſis melodiis juxta miniſterium ſuum imponere debuiſſet Hymnum Angelicum* &c. Nota ly *juxta miniſterium ſuum*, quibus indicat non alteri, quam Epiſcopo tunc competere. Ceſſavit poſtea ſpeciale hoc Epiſcoporum privilegium ſeculo octavo exeunte, ut §. antecedenti dictum eſt nota 1., atque omnibus æque Sacerdotibus Hymnus Angelicus ſuis præſcriptis diebus ad Miſſam recitari permiſſus. Hinc optime Cardinalis noſter contra quorumdam dicacitatem, qui in inſipientia loquentes, ex hodiernis ritibus, veterum diſciplinam, & Eccleſiæ antiquam praxim ignorantes, nimis audacter metiuntur: *Adeo verum eſt* (ait) *quod ſæpius monui, non debere ex hodiernis moribus veterem Eccleſiæ inſtitutionem æſtimari*: de qua re plura idem Purpuratus diſſerit Tract. de

Quare ex hodierno more veteris Eccleſiæ inſtitutio non æſtimanda.

Div.

Div. Pſalm. cap. 18. & nos ad ejuſdem Rer. Liturg. lib. 1. cap. 6. §. 1. nonnulla protulimus; ſed tamen haud pigeat, & aliquid item in id argumentum hoc loci quoad iſtum, alioſque conſimiles ritus, ſive aliquibus ſpecialiter antea conceſſos, deinde omnibus Sacerdotibus indultos, ſive determinatis diebus, locis, ac feſtis tantum ſtatutos, aut aliter immutatos, ac pro opportunitate hoc, vel illo modo præſcriptos, proferre. Quod namque, & cur aliæ veteres cæremoniæ abrogatæ ſint, aliæ retentæ, aliæque reſtitutæ, innovatæ, ſeu reſtrictæ, vel ampliatæ, ac fere in aliam formam redactæ, non alia profecto legitima ratio erit, niſi quia ſic Eccleſiæ viſum eſt, quam habere magnam in rebus ad diſciplinam, & conſuetudinum obſervantias ſpectantibus poteſtatem, quam ſolus ille negabit, qui Eccleſiam, & attributam ei divinitus auctoritatem refragari præſumet; ſola quippe fides, ut alias ſæpe diximus, irreformabilis eſt; cætera quæ diſciplinæ, aut ritus ſunt, varias decurſu temporum mutationes ſine fidei, aut religionis detrimento ſubire poſſunt. Itaque cur hæc aut illa cæremonia obſervata prius, deinde intermiſſa, tandemque penitus antiquata fuerit, moroſius perſcrutari non convenit, ne videamur, quod impium foret, Eccleſiam neglecti officii reprehendere.

Eodem pariformiter modo mirari haudquaquam vir prudens, aut Liturgicæ antiquitatis non ignarus debet, ſi Ritus eſſentiales eoſdem ubique gentium in Eccleſia Catholica religioſe obſervatos videns, alios acceſſorios ſenſim poſterioribus ſeculis introductos, non eoſdem ubique eſſe conſpiciet, habent quippe ſuas peculiares cæremonias Latini, Græci, Orientales, quin & in Occidente non omnium Eccleſiarum plena conſenſio eſt, nam neque Mediolanenſis cum Romana, nec Romana cum Gallica, neque hæc cum Hiſpanica in omnibus convenit, idemque in cæteris, ſive Occidentis, ſive Orientis partibus deprehendet, qui ſingulos ubique locorum Rituales, & cæremoniarum libros percurrere voluerit: Quibus tamen non obſtantibus omnes ſimul unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam jure dici poſſe nemo orthodoxus negabit, quamvis ſingulæ non eoſdem ubique ritus habeant, dummodo nempe dictæ particulares Eccleſiæ unitæ erunt invicem in fide, & Sacramentis ſub inviſibili capite Chriſto Domino, ac viſibili ejus Vicario in terris Summo Pontifice, tamquam filiæ cum Eccleſia Romana omnium matre, ac magiſtra, in qua Patrum teſtimonio omnis reſidet Apoſtolicæ Cathedræ, & plenitudinis poteſtatis principatus. Id autem indubitanter aſſerendum, quia unitatem Eccleſiæ facit, non unitas diſciplinæ, ſed fidei; una quidem eſt Eccleſia univerſalis, & orthodoxa, at unius corporis plura membra diverſa obire munia in unum finem tendentia quis neſcit? quantalibet itaque ſit rituum, ac cæremoniarum, ſeu hujuſmodi ſacrarum conſuetudinum in tot regionum varietate diverſitas, tandiu tamen unum corpus myſticum erit Eccleſia, quandiu erit in ea *unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium* &c., & membra, ut dicimus, erunt ſuo capiti catholica ſubjectione unita; quemadmodum enim multæ Provinciæ unum Regnum conſtituunt, quia etſi proprias ſingulæ conſuetudines habeant, & ſuis quæque moribus vivant, communibus tamen & fundamentalibus legibus ſub uno Principe eas regente, & gubernante connectuntur; ita eſt de ſpirituali Chriſti Regno, quod eſt Eccleſia, cum proportione dicendum, ejus nempe in Chriſto unitatem ab uſuum, & rituum indifferentium diſcrepantia, cum hi omnes ad unum finem tendant, Chriſti ſcilicet Sponſæ Eccleſiæ decus, quam circumdatam varietate pretioſum indumentum multiformi hujuſmodi gemmarum, colorumque nitore diſtinctum exornat, haudquaquam impediri. Sed ad veteres Hymni Angelici interpolationes deveniendum eſt.

§. VI.

Inſerti eidem Hymno quidam verſiculi.

SCribit Jodocus Clictoveus lib. 3. Elucidatorii huic Hymno Angelico inſertas fuiſſe quaſdam particulas ex Eccleſiaſtica Conſtitutione, ſed quæ ſit iſta Conſtitutio non liquet. Potius crediderim privata quorumdam licentia id primo cœpiſſe (1), poſtea invaluiſſe, adeo ut quibuſdam Miſſalibus hujuſmodi clauſulæ inſertæ fuerint. Paſſim in libris ad uſum chori tam editis quam MSS. ſequens interpolatio pro Miſſa B. Virginis reperitur. Poſt *Domine Fili, unigenite Jeſu Chriſte* additur: ſpiritus, & alme orphanorum Paraclyte (ut compleretur continua trium divinarum perſonarum nuncupatio). Poſt *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris:* Primogenitus Mariæ Virginis matris. Poſt *Suſcipe deprecationem noſtram:* Ad Mariæ gloriam. Tum ſequitur: *Quoniam tu ſolus Sanctus*; Mariam ſanctificans. *Tu ſolus Dominus*: Mariam gubernans. (1)

Variæ olim Hymni Angelici interpolationes, & additamenta.

Tu

Tu ſolus Altiſſimus : Mariam coronans, *Jeſu Chriſte*: *cum Sancto Spiritu* &c. (2) Refert autem Paris Craſſus in cæremoniali Summi Pontificis inedito cap. 67. Nicolaum V. prohibuiſſe, ne in ſua capella diceretur. (2)
Apud Pamelium in fine Tomi II. Liturgicorum duæ extant hujus Hymni interpolationes, quarum prima hæc eſt pro die Nativitatis Domini.

Laudamus te. Laus tua Deus reſonet coram te Rex. *Benedicimus te*. Qui veniſti propter nos Rex Angelorum Deus. *Adoramus te*. Glorioſum Regem Iſrael in Throno Patris tui. *Glorificamus te*. Veneranda Trinitas. *Qui ſedes ad dexteram Patris miſerere nobis*. In ſede majeſtatis tuæ. *Quoniam tu ſolus Sanctus*. Deus fortis & immortalis. *Tu ſolus Dominus*. Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum Rex. *Tu ſolus Altiſſimus*. Rex Regum, Regnum tuum ſolidum permanebit in æternum. *Jeſu Chriſte*, *cum Sancto Spiritu &c.*

Altera eſt in Dedicatione Eccleſiæ. *Gloria in excelſis Deo*. Quem cives cœleſtes ſanctum clamantes laude frequentant. *Et in terra pax*. Quem Miniſtri Domini Verbo Incarnatum terrenis promiſerant. *Laudamus te*. Laudibus cujus aſtra matutina inſiſtunt. *Benedicimus te*. Per quem omne ſacrum & benedictio conceditur, atque augetur. *Adoramus te*. Omnipotens, adorande, colende, tremende, venarande. *Glorificamus te*. Ut creatura creantem, plaſma plaſmantem, figmentum figulum. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Hymnum majeſtati, gratias autem pietati ferentes. *Domine Deus Rex cœleſtis*, & reliqua uſque ad *Suſcipe deprecationem noſtram*. Quem quiſquis adorat, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. *Qui ſedes ad dexteram Patris* uſque ad *Altiſſimus Jeſu Chriſte*: Vnigenite, qui es una *cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen*.

Non deſunt alia exempla, ſed iſta ſuperflua ſunt, ut quiſque agnoſcat temerario quorumdam auſu, ſeu potius ſimplicitate, ac zelo qui non erat ſecundum ſcientiam, inſerta hæc Angelico Hymno fuiſſe, quæ Eccleſiaſticam gravitatem minime redolent; cultumque divinum non augent, ſed diminuunt (3). (3)

(1) *Privata quorumdam licentia id primo cæpiſſe.*) Vide ſupra ex Cod. MS. Biblioth. Chiſiæ, de quo ſatis diximus nota 5. ad §. IV. paulo ante connotatum.

(2) *Cum Sancto Spiritu &c.*) Ita in Miſſali Eccleſiæ Gebennenſis impreſſo an. 1508. in Miſſali Auguſtano pariter hic Hymnus *Gloria* in feſtis ſolemnibus B. M. V. ſemper canitur cum aliquibus additamentis, uti & in Ritu Lugdunenſi. Mirum porro quot in Miſſalibus reperiatur hæc Hymni Angelici interpolatio. Apud quaſdam Eccleſias in ſolis B. M. ſolemnitatibus recitabatur: Id diſerte præſcribit ordo Miſſæ a Burchardo editus, ubi legitur, *nota quod textus in nigro poſitus dicitur tantum in Miſſis Beatæ Mariæ Virginis, tam feſtivis, & eorum Octavis . . . . . quam votivis ejuſdem*: apud alios per totum annum. In Miſſali Rhemenſis Eccleſiæ anni 1553. ante Hymnum hæc leguntur: *per totum annum ſic cantatur*. Interpolationes ejuſmodi damnare videtur cæremoniale Monachorum Bursfeldenſium, in quo hæc habentur cap. 50. *Quem quidem Hymnum, quoad ſeriem verborum ipſius numquam variamus, ſed ſemper uniformiter dicimus ſicut habetur in communiori uſu abſque ulla peregrina admixtione verborum*. Quis porro Author fuerit hujus additionis, ignoratur. Lactantius Ranſoldus Ord. Prædic. in Tract. Italico, cui titulus eſt. „ Miſterioſi ſignificati delle parole, geſti, cerimonie, ed altre coſe appartenenti al „ Santiſſimo Sacrificio della Meſſa; Venetiis edito an. 1581., agens de Authore Hymni Angelici hæc ſcribit. „ La commune opinione è, che ſia ſtato Telesforo l'autore, „ e che Simmacho vi aggiungeſſe quelle altre parole: *Spiritus, & alme orphanorum Paraclite ad Mariæ gloriam, Mariam ſanctificans*: con quelle altre, che adeſſo ſono „ ſtate levate per autorità Appoſtolica„; quæ incertis & dubiis ſunt apponenda. In Miſſali Romano Venetiis impreſſo anno 1499. aliam legi interpolationem pro feſto Conceptionis B. M. V. Poſt *quoniam tu ſolus Sanctus*, additur *Mariam præſervaſti*, poſt *Tu ſolus Dominus*, *Mariam fabricaſti*: poſt *Tu ſolus Altiſſimus*: *Mariam ſublimaſti*. Quis hæc verba Angelico Hymno inſeruerit, diſcimus ex Miſſali Neapoli Impreſſo anno 1482. & ex alio inſignis Eccleſiæ Meſſanenſis in Gallia an. 1527. Sixtus Papa IV. cum Officium Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ ordinavit ad Miſſam, in *Gloria in excelſis* hos verſiculos addidit: *Quoniam Tu ſolus Sanctus, Mariam præſervaſti &c.* Sublatæ tandem ſunt e Miſſalibus interpola-

Variæ circa hujus Hymni cantum Eccleſiarum conſuetudines.

Sublatæ poſtea fuerunt hujuſmodi interpolationes per Sanctum Pium V.

polationes ejuſmodi per Sanctum Pium V. Pontificem, verum & adhuc a Fratribus Minoribus eas interpolationes dici ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio in dicto feſto Conceptionis B. M. Virginis teſtatur Joannes Serranus ejuſdem Ordinis Epiſcopus Acernenſis in ſuo Opere de Immaculata ejuſdem B. M. Virginis Conceptione lib. 1. c. 1. n. 10. p. 14.

(3) *Non augent, ſed diminuunt.*) Obſervandum porro eſt ex Amalario lib. 3. cap. 8. Sacerdotem ad Orientem verſum olim hunc Hymnum impoſuiſſe. *Sacerdos*, ait, *quando dicit* Gloria in excelſis, *Orientis partes ſolet ille reſpicere, in quibus ita ſolemus Deum requirere, quaſi ibi propria ejus ſedes ſit. Non enim eſt ordo, ut qui Dominum laudare voluerit, tergum ad eum vertat, & pectus ad Servos.*

C A P. V.

Origo & uſus Sacerdotalis ſalutationis Dominus vobiſcum. *Græcorum ſalutatio* Pax omnibus. *Epiſcopi quoque pacem precautur. Quare præmitti ſoleat ante collectam* Oremus, *& aliquando* Flectamus genua. *Collectæ nomen æquivocum. A quo primum collectæ ſive orationes inventæ, & quæ forma in iis ſervanda. Earum concluſio explicatur. Cur dum recitantur, manus & brachia extendantur. De Laudibus, quæ olim poſt Collectam dicebantur.*

§. I.

Origo & uſus Sacerdotalis ſalutationis DOMINUS VOBISCUM. *Græcorum ſalutatio* PAX OMNIBUS. *Epiſcopi quoque pacem precantur.*

Salutatio Dominus vobiſcum antiquiſſima.

SAcerdos Hymno Angelorum recitato ſalutat populum (1) dicens (1)
Dominus vobiſcum, quæ ſalutatio e veteri Teſtamento in Eccleſiam derivata eſt. Booz enim, ut in libro Ruth *cap.* 2. legimus, ſalutans meſſores ſuos ait, *Dominus vobiſcum*: & Propheta miſſus a Deo ad Aſam Regem Judæ, cum victor e prælio cum exercitu ſuo reverteretur, dixit 2. *Paralip. cap.* 15. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo.* Vim autem & efficaciam accepiſſe videtur ex verbis Chriſti, *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Quia vero tamquam pluribus dicitur *Dominus vobiſcum*, decreverant olim majores noſtri, ne quis celebrare præſumeret, niſi duobus ſaltem præſentibus & adſtantibus, ut Lib. 1. Cap. XIII. §. V. dictum eſt. Sed hoc deinde antiquatum fuit, non quia celebranti adeſſe credantur Angeli, ut pie ſcripſit Innocentius III. *lib.* 2. *de myſt. Miſſæ cap.* 25. quaſi ex hoc inferret nunquam celebranti deeſſe adſtantes; ſed quia Miniſter licet ſit ſolus perſonam gerit Eccleſiæ: alioquin cum quis recitat ſolus Divinum Officium hanc ſalutationem prætermittere deberet, quod quam abſurdum ſit docet Petrus Damiani in libro, quem de hoc argumento ex profeſſo conſcripſit, eique propterea titulum præfixit, *Dominus nobiſcum.* Non ſolum igitur, qui celebrat, ſed etiam qui miniſtrat, perſonam publicam gerunt, & ſicut ille ſalutat Eccleſiam, ita iſte Eccleſiæ nomine ſalutanti reſpondet. Eſt autem hæc ſalutatio propria Sacerdotsi, quam cum in Africa ex præſumptione Lectores uſurparent, vetitum id fuit Can 4. Concilii III. Carthaginenſis (2). (2)
Apud Græcos nullus eſt uſus hujus ſalutationis, nec reperitur in eorum Liturgiis, & formula *Dominus ſit ſemper cum omnibus nobis* ſemel tantum extat in Liturgia S. Marci. Cum vero ſalutant populum dicunt *pax omnibus,*

Digitized by Google

nibus, ſicut conſtat ex Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi. Hinc ipſum
Chryſoſtomum, ſicut refert Socrates *lib. 6. cap.* 14. ab exilio revocatum
rogabat multitudo ejus reditu gaudens, ut in Epiſcopali Throno reſide-
ret, & pacem populo pro more precaretur. Idem quoque Chryſoſtomus
hom. 3. *in Epiſt. ad Coloſſ.* de hoc ritu diſſerens ait, *cum ingreſſus fue-
rit is, qui præeſt Eccleſiæ, ſtatim dicit*, pax omnibus. *Quando ſermonem
facit, & concionatur*, pax omnibus. *Quando benedicit*, pax omnibus.
Quando jubet oſculari, pax omnibus. *Peracto Sacrificio*, pax omnibus (3). (3)
Ita etiam Cyrillus in Joannem *lib.* 12. *Salutat diſcipulos uſitata illa for-
ma pax vobis, legem veluti quandam conſtituens Eccleſiæ filiis. Quo fit ut
in ſanctis potiſſimum Conventibus & Synaxibus circa ipſa myſterii initia hoc
invicem dicamus*. Athanaſius tandem Epiſtola ad Euſtathium (4) invehi- (4)
tur in quoſdam Epiſcopos, qui cum initio Sacrificii & ſermonis blandum
illud proferrent *pax vobis*, tragœdias tamen excitabant, & alios affige-
bant. Ex hac Græcorum conſuetudine, quæ ex Chriſti exemplo & do-
ctrina traxit originem, dimanaſſe reor, ut etiam Latini Epiſcopi, cum

Origo ſalutationis Epiſcopalis Pax vobis *pariter antiquiſſima*.

prima vice ſalutant populum, dicant *pax vobis*, illius vocem uſurpantes,
cujus Pontificio funguntur. Optatus Milevitanus lib. 3. *Non potuiſtis*, in-
quit, *prætermittere quod legitimum eſt: utique dixiſtis*, pax vobiſcum.
*Quid ſalutas de quo non habes? quid nominas quod exterminaſti? Salutas
de pace, qui non amas*. Hujus item ſalutationis meminit Ambroſius *lib.
de Dignit. Sacerdot. cap.* 5. quam formulam, cum quidam Epiſcopi præ-
ter Eccleſiæ conſuetudinem frequentarent; adeo ut altera Presbyteris com-
muni nunquam uti vellent, Concilium Braccarenſe primum (5) hoc de- (5)
cretum edidit Can. 21. *placuit ut non aliter Epiſcopi, & aliter Presbyteri
populum, ſed uno modo, ſalutent dicentes, Dominus ſit vobiſcum, ſicut in
libro Ruth legitur; & ut reſpondeatur a populo, & cum ſpiritu tuo: ſicut
& ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana
pravitas immutavit*. Priſcillianus enim, ut ad hunc Canonem notat Gar-
ſias Loaiſa, non ſemel tantum, ut moris eſt, ſed ſemper ab Epiſcopis
dicendum eſſe *pax vobis* contendebat. In hunc autem Canonem mendum
irrepſiſſe, ut pro Occidens Oriens legatur, dudum viri docti obſervarunt:
nam in Eccleſia Orientali alium fuiſſe uſum, quæ modo allata ſunt, ma-
nifeſtant (6). Omnes fere recentiores de hac ſalutatione Dionyſium lo- (6)
quutum eſſe arbitrantur *cap.* 3. *Eccleſ. Hierarchiæ* §. 8. ubi eam diviniſſimam
vocat; ſed ex textu evidens eſt de oſculo pacis eum loqui, cujus ratio-

Utraque tamen teſſera eſt communionis & pacis, qua Fideles in Chriſto adunantur.

nem reddit his verbis: *Non enim poſſunt ad unum colligi, atque unius
pacificæ unionis participes exiſtere, qui ſecum ipſi diſſident*. Sive autem
dicatur *pax vobis*, ſive *Dominus vobiſcum*, teſſera hæc eſt mutuæ com-
munionis & pacis, qua fideles in Chriſti fide & charitate copulantur.
Ideo Tertullianus (7) Hæreticos reprehendit, quod omnes ſine perſo- (7)
narum diſtinctione ſalutarent. *Pacem*, inquit, *cum omnibus miſcent*. Le-
gimus etiam Marcionis ſalutationem a Polycarpo recuſatam, quia extra
Eccleſiam erat (8). Primis item Eccleſiæ ſeculis hac ipſa de cauſa Infi- (8)
deles, Pœnitentes, & Catechumeni ſermoni intereſſe non poterant.
(Qui tamen ritus poſtea ſublatus fuit, ut cap. 7. oſtendemus), quia
Epiſcopus ipſum inchoaturus prius populum ſalutabat. Non enim, in-
quit Optatus Milevitanus, aliquid incipit Epiſcopus ad populum dicere,
niſi primo in nomine Dei populum ſalutaverit. Athanaſius *Tom.* 2. *edit.
Commelinianæ pag.* 245. peracturis ſacra aut docturis blandiſſima illa in
ore eſt ſalutatio, *pax omnibus*. Notabile eſt quod Michael Glycas re-
fert 4. parte Annalium ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Philonis Philoſophi, tem-

pore ſcilicet perſecutionum, fuiſſe quendam Eccleſiaſticum, qui ab Epiſcopo a communione fidelium ſegregatus fuit. Accidit autem ut ab ethnicis comprehenſus pro teſtimonio fidei occiſus ſit; & ipſo loco templum conſtructum eſt. Cumque Epiſcopus in eo celebrans verba illa proferret *pax omnibus*, e templo egrediebatur, idque pluries contigit, donec ab Epiſcopo abſolutus, nunquam deinceps exire viſus eſt. Cum vero Sacerdotes dicunt *pax vobis*, ſive *Dominus vobiſcum*, nos per ipſos ſalutat Chriſtus cupiens in nobis manſionem facere, & nos ſecum unire, ac templum ſuum Euchariſtici Sacramenti perceptione efficere; ſicut Angelus B. Virgini dixit *Dominus tecum*, antequam in ejus utero carnem ſuſciperet. Reſpondet populus Sacerdoti, *& cum ſpiritu tuo*, quæ verba accepta videntur ex Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 4. ubi Paulus ait, *Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo*, & extant in antiquiſſimis Liturgiis. Optime Chryſoſtomus hom. 18. in 2. ad Corinth. *In tremendis myſteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hæc enim verba* & cum ſpiritu tuo, *nihil aliud quam hoc ſignificant* (9). Olim univerſus populi cœtus Sacerdoti reſpondebat, ut ex Liturgiis, earumque Expoſitoribus apparet; idque Micrologus ſtatutum ait in Occidente a Concilio Aurelianenſi, ut ſcilicet non ſolum Clerici, ſed omnis populus reſponderet, *& cum ſpiritu tuo*. At nunc ſoli Clerici vel miniſtri reſpondent, de qua re fuſius egi ſupra *Lib. I. Cap. XXI*. §. 19. Senſum autem prædictæ reſponſionis Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *Epiſt.* 122. ita explicat: *Illud quod a plebe reſpondetur* & cum ſpiritu tuo, *hanc habet ſententiam. Pacem quidem nobis præbuiſti Domine, hoc eſt mutuam inter nos concordiam; pacem autem nobis da, hoc eſt hujuſmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli poſſit, ut cum ſpiritu tuo pacati, quam nobis in creationis initio indidiſti, a tua charitate diſtrahi nequeamus.* Et Florus magiſter in expoſitione Miſſæ ſcribit, nihil melius inveniſſe Eccleſiam, quod optaret Sacerdoti, niſi quod Sacerdos optat Eccleſiæ, ut idem Dominus, qui dignatur eſſe cum Eccleſia, dignetur etiam eſſe cum ſpiritu Sacerdotis (10).

Reſponſio item Populi, & cum ſpiritu tuo antiquiſſima.

(9)

(10)

(1) *Salutat Populum, &c.*) De hac ſalutatione, vide quæ dicit Eminentiſſimus Author in Tractatu de Divina Pſalmodia cap. 16. §. 17. num. 3. Vide item Antonium Bellotte in ſuis Obſervat. ad Rituale Eccl. Laudunenſis pag. 393. Claudium De Vert. Tom. I. pag. 95., & 96. Petrum Le-Brun Tom. 1. pag. 189. item Grancolas pag. 477. & ante ipſos Natalem Alexandrum in ſua Theolog. morali, & dogm. lib. 2. art. 5. num. 6. His addo ex Card. Turrecremata in cap. *Jacobus* de Conſecr. diſt. 1. quod dicitur *Dominus vobiſcum* a Sacerdote, non Deus, quia Dominus poteſtatis titulus eſt. Obſervandum porro, quod Pontifex, vel Epiſcopus cum prima vice Populum ſalutat ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiſcum*, ſed *Pax vobis*, quia Chriſtus Dominus, cujus typum referunt Pontifex, & Epiſcopus, his verbis Diſcipulos poſt ſuam reſurrectionem allocutus eſt, uti apud Jo. cap. 20. Verum ut poſtea Epiſcopus oſtendat ſe etiam eſſe de cæterorum numero Sacerdotum, dicit cum iſtis deinceps ante alias orationes *Dominus vobiſcum*, juxta Canonem laudati ab Eminentiſſimo Concilii Braccarenſis primi; ſed de hoc ritu iterum infra nota 5.

(2) *Vetitum id fuit Can. 4. Concilii III. Chartaginenſis &c.*) Ad hunc locum, ut recte obſervat Emmanuel a Schelestrate in ſua Eccleſia Africana Diſſertat. 3. cap. 7. num. notandus eſt locus Sancti Optati Milevit. lib. 3. ubi ſcribit tractatum Epiſcopalem, ſeu ſermonem haberi ab Epiſcopo cum geminata ſalutatione. *Non enim aliquid incipit Epiſcopus ad Populum dicere, niſi primum in nomine Domini Populum ſalutaverit*, uti infra Emin. Author; ſicut autem Epiſcopi in ſuis Tractatibus, ita Lectores in ſuis Lectionibus volebant eodem pariformiter modo Populum ſalutare, quod Gabriel Albaſpinæus ulterius exponit ad hunc Canonem Concilii Carthaginenſis, ubi veterem morem invaluiſſe ſcribit, ut non Diaconi, ſed Lectores Epiſtolas, & Evangelia in ſolemni Miſſæ Sacrificio pronunciarent, ut probat ex Cypriano Epiſtola 5. lib. 2. edit. antiquæ, nunc 35. ad Clerum Carthag., ubi de Aurelio Lectore hæc ait. *Interim vobis hoc die auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem*, & Can. 8. Carth. 4. ac Toletano I. Can. 2., *vel inter Lectores, itaut Evangelia, & Apoſtolum non legat.* (quod etiam infra Emin. Author confirmat cap. 6. §. 3. & cap. 7. §. 1.) Antequam autem Evangelii pronunciandi initium faceret, olim Lector, elata voce proferebat, *Pax vobis*,

Olim & alii ab Epiſcopis, ſcilicet Lectores, Diaconi, ac Presbyteri Populum eadem formula Pax vobis ſalutabant.

perinde

perinde ac hodierno die Diaconus dicit *Dominus vobiſcum* , quod etiam ex Auguſtino deducitur Epiſtola 165. , ubi ſcribens adverſus Donatiſtas ait : *quid perverſius , & inſanius , quam Lectoribus eaſdem Epiſtolas legentibus dicere* Pax tecum , *& ab earum Eccleſiarum pace ſeparare , quibus Epiſtolæ ſcriptæ ſunt* . Quia vero antiqui Patres hanc cæremoniam vocabant divinam Salutationem , quam Epiſcopis competere tradidit Sanctus Optatus , Patribus Hipponenſibus viſum eſt , ne amplius *Pax vobis* uſurpent , ſeu quod idem eſt , Populum ſalutent . Innocentius I. Epiſtola 86. in fine : *non licet Presbyteris coram Epiſcopo Populum benedicere , aut ſalutare* . Ex quo loco conſtat id etiam Presbyteris ereptum fuiſſe, neque hodie Presbyteri , ſed Epiſcopi dumtaxat , & cum illis Abbates ſalutant Populum iiſdem verbis *Pax vobis* . Cæterum Epiſcopos olim nonniſi in diebus feſtis hac ſalutatione uſos fuiſſe colligitur ex Ritu antiquo Eccleſiæ Ebroicenſis ad calcem Pontificalis Egberti Archiepiſc. Eboracenſis ab annis circiter 800. ſcripti apud Edm. Martene de antiqua Eccl. Diſcipl. in celebr. Offic. pag. 305. ubi hæc leguntur quoad Ordinem Miſſæ in Cœna Domini : *dicit Epiſcopus* Gloria in excelſis Deo , *& poſtea* Pax vobiſcum , *etiamſi non ſoleat dicere Epiſcopus , niſi tantummodo diebus feſtis* .

Quod poſtea illis vetitum, & ſolis Epiſcopis, veluti proprium relictum.

(3) *Peracto Sacrificio* Pax omnibus.) Immo ipſum S. Joannem Chryſoſtomum jam vita functum, cum Corpus ejus a Proclo Patriarcha Succeſſore ſuo in Throno collocatum eſſet , dixiſſe ad Populum *Pax vobis* ; idque Proclum ipſum & adſtantes omnes audiviſſe memoriæ proditum eſt , ut ſcribit Nicephorus Hiſt. Eccleſ. lib. 14. cap. 43.

(4) *Epiſtola ad Euſtathium* .) Ad hunc locum Joſeph Binghamus Londinenſis nuperus Acatholicus Scriptor Lutheranus Orig. Eccleſ. Lib. XIV. cap. 4. §. 14. Emin. noſtrum carpit , quaſi fictitiam Athanaſii Epiſtolam nullibi ad Euſtathium inſcriptam afferat ; ait enim , & aſſerit nullam Epiſtolam ſub hac inſcriptione inter Opera Athanaſii extare , quare ſubdit : *fides hujus rei ſit penes authorem noſtrum* ; ſed ſi diligentius Hypercriticus Anglus iſte Athanaſii Opera a Benedictinis Patribus elegantiſſime edita anno 1692. pervolviſſet , hanc utique inveniſſet Tom. 2. pag. 560. , quæ Epiſtola eſt loco præfationis ſcripta , in qua motuum Eccleſiaſticorum illius temporis Tragœdia deſcribitur , ubi initio Euſtathius quidam nomine interpellatur .

Joſeph Bingham Cardinalem Bona male vellicans refellitur .

(5) *Bracarenſe primum . . . . . . Can.* 21.) Ita in veteri Collectione , ut ſupra notavimus Tomo I. Lib. 1. cap. 7. §. 1. In nova Labbæi , & Coſſartii ſecundum eſt ; lege , quæ ibi dicta ſunt . Porro legendum cap. 3. mendum enim irrepſit in hac citatione.

(6) *Quæ modo allata ſunt , manifeſtant.*) Ex hoc autem decreto Synodi Provincialis Galliciæ non tollitur diſtinctio Sacerdotis ab Epiſcopo , nam etſi prima vice Epiſcopus ſalutet hac formula *Pax vobis* , quoniam authore Innocentio III. lib. 2. cap. 24. Myſter. Miſſæ hæc fuit prima vox Chriſti ad Apoſtolos , ſeu Epiſcopos , cum eis poſt reſurrectionem apparuit , poſtea tamen , ut cæteri Sacerdotes , utitur eadem ſalutatione : *Dominus vobiſcum* : ſicuti videre eſt in Ordine Romano II. quem Innocentio antiquiorem eſſe conſtat apud Mabillon. Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 44. ubi hæc leguntur : *dicto* Gloria in excelſis , *poſtea ſalutans Populum Pontifex dicit* Pax vobiſcum , *ſive* Pax vobis (addunt editi, Sacerdos autem *Dominus vobiſcum*) deinde ſemper uti Sacerdos *Dominus vobiſcum* . Cæterum colligitur ex Leonis VII. Papæ Epiſtola II. ad Gallos , & Germanos apud Labbæum Concil. Tom. 9. col. 597. non ſemper ab Epiſcopis celebrantibus dictum fuiſſe: *Pax vobis* ; ibi enim reſpondet Pontifex : *Non aliter tenendum eſt , quam in ſancta Romana Eccleſia ; in Dominicis enim diebus , & in præcipuis feſtivitatibus , atque Sanctorum Natalitiis Gloria in excelſis Deo , & Pax vobis pronunciamus . In diebus vero Quadrageſimæ , & in quatuor temporibus , ſive in vigiliis Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus Dominus vobiſcum tantummodo dicimus* . Nunc vero omni tempore Epiſcopi in hac prima ſalutatione dicunt *Pax vobis* .

Epiſcopi tamen in reliquis poſt primam ſalutationem dicunt Dominus vobiſcum.

(7) *Ideo Tertullianus* .) Id eſt lib. de præſcript. Hæreticorum cap. 41. Eadem porro ſalutatione Epiſtolam ſuam ad Tarſenſes claudit Sanctus Martyr Ignatius Epiſcopus Antiochenus , ut reliquos veteres prætereamus ; Hinc antiquus Author Anonymus , qui Miſſam Romanam expoſuit ante annos circiter nongentos apud Martene Tom. 1. de antiquis Eccl. Rit. pag. 436. de hac ſalutatione Sacerdotali *Dominus vobiſcum* loquens , hæc habet : *Hoc autem ſalutationis verbum , ideſt* Dominus vobiſcum , *non humana excogitatione fictum , atque compoſitum , ſed cæleſti , & divina authoritate ſuſceptum eſt , nam & in veteri teſtamento legitur quod Gedeon unus Judicum Populi Iſrael ab Angelo ſalutatus audierit* : Dominus tecum , virorum fortiſſime , *& in novo* &c.

(8) *Quia extra Eccleſiam erat* .) Hauſit hanc doctrinam Polycarpus a Magiſtro ſuo , S. Joanne Apoſtolo , & Evangeliſta , cujus Apoſtolicum Canonem habemus de averſandis Hæreticis in ſua Epiſtola ſecunda , ubi ait , *ſi quis venit ad vos , & hanc doctrinam non affert , nolite recipere eum in domum , nec ave ei dixeritis , qui enim dicit ave , communicat operibus ejus malignis* . Ipſeque Apoſtolus eamdem exemplo firmavit erga Cerinthum hæreticum , cum nec lavari in eodem balneo auſus , dixit ad aſtantes : *fugiamus ocyus , ne balneum , in quo eſt Cerinthus veritatis adverſarius , extemplo corruat* , uti teſtantur Sancti Irenæus , Hieronymus , & Epiphanius . Hujuſmodi innumera ſunt exempla apud Hiſt. Eccleſiaſt. Scriptores ; ſemper enim Hæreticorum quorumcumq; communionem devitandam præcepit Eccleſia .

Salutatio Eccleſiaſtica Hæreticis non danda .

(9) *Nihil aliud , quam hoc ſignificant* .) Idem Homil. 36. in 1. ad Corinth. , *ubi nos cæpimus loqui* Dominus vobiſcum , *plebs reſpondet* , & cum ſpiritu tuo . Poſt ipſum S. Maximus Martyr de hac ſalutatione ſic ſcribit in Eccleſiaſtica Myſtagogia : *Spiritualis Salutatio , quæ Latinis eſt* Dominus vobiſcum,

Græcis Pax *omnibus , bonorum omnium conſenſum , & concordiam, & rationalem quodammodo identitatem per fidem , & dilectionem præfigurat*. De hac autem Sacerdotali ſalutatione elegantiſſimum Opuſculum ſcripſit S. Petrus Damianus, quod a ſtudioſo rerum Eccleſiaſticarum ſcrutatore legendum erit. De populi vero reſponſione: *& cum ſpiritu tuo* mox dicemus.

Quid vere ſignificat Sacerdotalis ſalutatio, & Populi reſponſio.

(10) *Dignetur etiam eſſe cum ſpiritu Sacerdotis.*) Sed præſtat integrum Flori textum adſerre, id quod Lectori injucundum non erit, ex eo enim plene atque uberius diſcet quid vere in Chriſto hujuſmodi Sacerdotalis ſalutatio, & Populi ad eamdem reſponſio ſignificent: ſic itaque eſt: „ Cum vero Sacer-
„ dotes dicunt, *Dominus vobiſcum*, nos per
„ ipſos ſalutat Chriſtus, cupiens in nobis
„ manſionem facere, & nos ſecum unire,
„ ac Templum ſuum Euchariſtica Commu-
„ nione facere, ſicut Angelus Beatiſſimæ Vir-
„ gini dixit, *Dominus tecum*, antequam in
„ ejus utero carnem ſuſciperet. *Et quia ſa-*
„ *lutare nihil eſt aliud, quam ſalutem optare,*
„ *hæc eſt vera ſalutatio, ideſt, veræ ſalutis*
„ *optatio, ut Dominus ſit cum Eccleſia ſua,*
„ *tamquam in Templo ſuo, cui dicit Apoſtolus:* (* 2 Cor. 3. 17.)
„ * Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis
„ vos: *& Eccleſia habeat Dominum ſecum in-*
„ *habitantem, & illuminantem, regentem, &*
„ *protegentem; ut ille ſit ei Deus, & ille ſit*
„ *ei populus .... Ut dum tantæ beatitudinis*
„ *dono Eccleſia Dei & poſſidet Deum, & poſſi-*
„ *detur a Deo, impleatur in illa, quod Pſal-*
„ *miſta ait* (Pſal. 32. 12.) Beata gens, cujus
„ eſt Dominus Deus eorum, Populus, quem
„ elegit in hæreditatem ſibi. *Hoc eſt enim*
„ *ſummum hominis bonum, poſſidere Deum, &*
„ *poſſideri a Deo, ipſum ſolum diligere, &*
„ *illi ſoli ſervire, illi ſoli adhærere, ut adhæ-*
„ *rens Deo, unus cum illo ſpiritus fiat, di-*
„ *cente Apoſtolo*: Qui adhæret Domino, unus
„ ſpiritus eſt. *Nam & ipſe Apoſtolus in Epi-*
„ *ſtolis ſuis ita ſalutat Eccleſias, ut aliquan-*
„ *do dicat*, Dominus ſit cum omnibus vobis;
„ *aliquando*, Deus autem pacis ſit cum om-
„ nibus vobis; *aliquando*, gratia Domini no- (1. Cor. 6. 17.)
„ ſtri Jeſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro,
„ Fratres, Amen: *Ut nonnumquam ſub di-*
„ *ſtinctione Perſonarum invocans Trinitatem, ſa-*
„ *lutat*, gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti,
„ & charitas Dei, & communicatio Sancti
„ Spiritus, ſit cum omnibus vobis. *In qui-*
„ *bus omnibus hoc optat Fidelibus ſcribens, quod*
„ *Sacerdos ad Altare aſſiſtens, videlicet ut ha-*
„ *bentes Deum, non deſerantur a Deo. Recte*
„ *ergo Eccleſia tam ſalubri ſalutatione Sacer-*
„ *dotis accepta, & ipſa reſalutando orat, &*
„ *orando reſalutat Sacerdotem, dicens*: Et cum
„ ſpiritu tuo: *Nihil enim melius invenit Ec-*
„ *cleſia, quod optet Sacerdoti, niſi quod Sa-*
„ *cerdos optat Eccleſiæ, id eſt, ut idem Do-*
„ *minus, qui dignatur eſſe cum Eccleſia, di-*
„ *gnetur eſſe etiam cum ſpiritu Sacerdotis: ac*
„ *ſic in utroque benigna illa Domini promiſſio* (Matth. 28. 20.)
„ *impleatur*: Ecce ego vobiſcum ſum om-
„ nibus diebus uſque ad conſummationem ſe-
„ culi. *Hoc etiam modo aliquoties ſalutat Apo-*
„ *ſtolus, & pluraliter, ubi ait*: Dominus Jeſus
„ Chriſtus ſit cum Spiritu veſtro, Fratres,
„ Amen, *& ſingulariter, ubi Timotheum ſalu-*
„ *tans, dicit*: Dominus Jeſus Chriſtus ſit
„ cum Spiritu tuo, Amen. *Et bene Dominus*
„ *cum ſpiritu hominis eſſe optatur, qui in ſpi-*
„ *ritu, & mente rationali creatus eſt ad ima-*
„ *ginem, & ſimilitudinem Dei, & ibi eſt ca-*
„ *pax divinæ gratiæ, & illuminationis, ut in*
„ *quantum ei datur, poſſit ſentire dulcedinem*
„ *ſuavitatis, & ſplendorem præſentiæ ejus, ut* (Pſal. 33. 9.)
„ *fiat in eo, quod Pſalmiſta ait*, guſtate, &
„ videte, quoniam ſuavis eſt Dominus; *&*
„ *iterum*. Accedite ad eum, & illuminami-
„ ni, & facies veſtræ non confundentur. *Sic*
„ *namque ſanctificato ſpiritu hominis per inha-*
„ *bitationem Dei, efficitur homo etiam in cor-*
„ *pore Templum Dei*. Hæc Florus Diaconus
„ Lib. *De Actione Miſſarum*.

In hunc etiam ſenſum Card. Turrecremata Can. *Jacobus* de Conſecr. diſt. 1. eumdem debere eſſe, ait, pietatis affectum Præſulis, & Populi juxta illud Pſalmi 54. *In domo Dei ambulavimus cum conſenſu*. Hæc autem verba dicturus Sacerdos, ut ex Rubr. Miſſæ part. 2. tit. 5. de Orat. n. 3., & apud Quartum pag. 264. convertit ſe ad Populum, ſi tamen Eccleſia verſus Orientem directa ſit; nam ſi verſus Occidentem, ut in Baſilicis Lateranenſi, Vaticana, Ariminenſi, Narnienſi, aliiſque ſimilibus, in quibus Pontifex ſacra faciens vultum habet converſum ad Populum, immotus permanet, nec ſe vertit ad Clerum, cui obverſus eſt, atque etiam in ſacello particulari, ſi in eo Altare ita conſtructum eſt, ut Sacerdos celebrans faciem habeat ad Populum, non vertit humeros ad Altare cum dicturus eſt *Dominus vobiſcum, orate fratres, ite Miſſa eſt*, vel daturus benedictionem. Demum Honorius Auguſtodunenſis de Gemma animæ lib. 1. cap. 84. notat ſepties a Sacerdote in Miſſa dici *Dominus vobiſcum*, videlicet poſt introitum, ante Evangelium, ante offertorium, in Præfatione, dicens *Pax Domini* &c. pro *Dominus vobiſcum*, poſt Communionem, & in fine Miſſæ. In Expoſitione brevi antiquæ Liturgiæ Gallicanæ apud Martene Tom. V. Anecdor. p. 91., ut ſupra citatum fuit, poſt introitum, ſeu Antiphonam, & Præfationem ibi ſubſequentem, antequam Sacerdos Populum ſalutaret, Diaconus alta voce ſilentium indicebat, cujus ritus meminit Gregorius Turonenſis lib. 7. Hiſt. Franc. cap. 8. his verbis: *Unde factum eſt, ut quadam die Dominica poſtquam Diaconus ſilentium Populis, ut Miſſæ* (ideſt orationes) *auſcultarentur, indixit &c.* Sed de hoc ſilentio alibi ſermo erit.

Si Sacerdos celebret in Altari vultu ad Populum converſo dicens Dominus vobiſcum *&c. immotus maneat.*

§. II.

§. II.

Quare præmitti ſoleat ante Collectam OREMUS, *& aliquando* FLECTAMUS GENUA.

Olim orationem dare quid fuerit, atque illius ritus proferuntur exempla.

SAcerdos poſt ſalutationem & ſeipſum, & Populum excitat ad orandum dicens, *Oremus*. Qua monitione audita omnes ſacro adſtantes ſub ſilentio olim orabant, tum peracta brevi oratione omnium preces Sacerdos brevi item deprecatione concludens collectam alta voce recitabat. Cum autem Sacerdos exclamabat dicens *Oremus*, veteris Eccleſiæ phraſi orationem dare dicebatur: quem ritum perſpicue explicat Uranius in Vita Sancti Paulini deſcribens obitum Sancti Joannis Epiſcopi Neapolitani: *Ad Eccleſiam*, inquit, *proceſſit*, *& aſcenſo tribunali Populum ex more ſalutavit, reſalutatuſque a Populo orationem dedit, & collecta oratione ſpiritum exhalavit*. Eadem phraſi utitur Anaſtaſius in Vita Sergii II. ipſum referens Eccleſiam ingreſſum, cum Ludovico Francorum Rege, omnes autem proſtratos ad confeſſionem B. Petri oraſſe, *& data a Pontifice ſuper populum oratione* regreſſos eſſe. Synodus item Romana ſub Zacharia anno 743. celebrata cap. 14. decrevit, *ut Epiſcopus, aut Presbyter, dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum ſolemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Epiſcopo, aut Presbytero ſuppleantur Miſſarum ſolemnia, ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque in finem* (1). Deſcribunt eumdem ritum Acta Sanctæ Suſannæ apud Baronium anno 294. n. 10. ex quibus colligitur conſuetas tunc fuiſſe hujuſmodi preces non ſolum in Eccleſiaſticis conventibus, ſed etiam in privatis domibus, cum Sacerdotes alios viſitabant, vel ad ſe venientes excipiebant: Narrant enim Gabinium Presbyterum in adventu aliorum hujuſmodi orationem dediſſe, *Oremus*, illiſque humi proſtratis ſic oraſſe: *Domine Deus qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, reſpice in opus manuum tuarum, & illumina omnes in te credentes, quia tu es lumen verum in ſecula ſeculorum*. Cui orationi omnes reſponderunt, *Amen*. Similiter Cajus in domo Gabinii omnibus proſtratis *dans orationem* dixit, *Oremus*. *Domine Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui omnibus ad ſalutem, & vitam æternam miſiſti Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, ut nos e mundi tenebris erueret, da nobis ſervis tuis conſtantiam fidei, quia tu regnas in ſecula ſeculorum*. Reſponderunt omnes *Amen*. Aliquando in dicta oratione per verbum *Oremus*, monebat Sacerdos pro quibus orandum foret ea formula, qua nunc utitur Eccleſia in Officio feriæ ſextæ majoris hebdomadæ, cum pro omni ſtatu hominum preces fundit: ad quem morem alludit Auguſtinus Epiſt. 107. nunc 217. n. 2. ad Vitalem Carthaginenſem, qui perperam docebat non eſſe orandum pro incredulis. *Exere*, inquit, *contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem: & pro Cathecumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret: & pro fidelibus, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent; ſubſanna pias voces* (2). In Ordine Romano ſæpius memorato Reginæ Sueciæ ante annos nongentos ſcripto (Codex iſte antiquiſſimis literis quadratis exaratus eſt, & erat Petavii Senatoris Pariſienſis) plures extant ejuſmodi formulæ. Unam tranſcribo, pro iis, qui agapen faciunt. *Oremus, dilectiſſimi nobis Deum omnipotentem pro filio noſtro* illo, *qui recolens di-*

(1)

(2)

divina mandata de juſtis laboribus ſuis victum indigentibus ſubminiſtrat , quatenus hæc devotio ipſius, ſicut nobis eſt neceſſaria, ita ſit Domino ſemper accepta . Et immediate ſequitur hæc Collecta . *Deus , qui poſt baptiſmi Sacramentum ſecundam ablutionem peccatorum eleemoſynis indidiſti , reſpice propitius ſuper famulum tuum* illum , *pro cujus operibus tibi gratiæ referuntur , fac eum præmio beatum , quem feciſti pietate devotum . Per Dominum noſtrum* . Certis diebus dicto a Sacerdote *Oremus* , Diaconus ſubdit , *Flectamus genua* : qui ritus in præcitato libro ſic deſcribitur . *Sacerdos dicit* Oremus , *& annunciat Diaconus* Flectamus genua , *& poſt paululum dicit* , Levate . Ex qua rubrica duo eruuntur ; primum non a Subdiacono, ut nunc fit , ſed a Diacono dictum olim *Levate* : alterum flexis genibus poſt Diaconi monitionem aliquantulum oraſſe fideles, tum monitos, ut levarent ſe , ſurrexiſſe , & Sacerdotem illis ſtantibus collectam recitaſſe . Alludit ad hunc ritum Baſilius Magnus Lib. de Spiritu Sancto cap. 27. dicens : *Quoties genua flectimus, & rurſus erigimur , ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum in terra delapſi ſumus , & per humanitatem ejus , qui creavit nos, in cœlum revocati ſumus* . De hac ipſa re

Ritus flectendi genua ad orationem.

Cæſarius Arelatenſis *hom.* 34. (3) , ſic loquitur plebi ſuæ : *Rogo vos, &* (3)
admoneo fratres cariſſimi , ut quotieſcunque juxta Altare a Clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur , non ſolum corda , ſed etiam corpora fideliter inclinetis . Nam dum frequenter , ſicut oportet , & diligenter attendo , Diacono clamante Flectamus genua , *maximam partem populi velut columnas erectas ſtare conſpicio, quod Chriſtianis omnino nec licet , nec expedit* (4). Jeſſe item Ambianenſis in Epiſt. de baptiſmo : *Poſtmodum ad-* (4)
moneantur a Diacono , orate electi , flectite genua , & poſtquam oraverint , dicit , Levate . Et in Codice Remenſi apud Menardum : *Nuntiat Diaconus* Flectamus genua , *& populus ſilet* , & in Codice Tiliano apud eumdem in Officio feriæ VI. majoris hebdomadæ, *dicat Diaconus* , Flectamus genua , *& oret diutiſſime* : nam ea die prolixior fiebat oratio, qua peracta dicebat Diaconus *Levate* (5). At hodie, cum nullum fiat intervallum (5)
inter *Flectamus genua* & *Levate* , ſancitum eſt , ut primum a Diacono , & alterum dicatur a Subdiacono. Quod autem Collecta omnibus erectis a Sacerdote recitaretur, Caſſianus confirmare videtur , qui *lib.* 2. *Inſtitut. cap.* 7. de diſciplina orandi agens ait : *Cum is , qui orationem collecturus eſt, e terra ſurrexit , omnes pariter eriguntur ; ita ut nullus antequam inclinetur ille , genuflectere , nec cum e terra ſurrexerit , remorari præſumat* (6). (6)

(1) *Suppleat uſque ad finem* .) Ad hunc Canonem obſervare licet abuſum , qui nonnullis in Eccleſiis irrepſerat , & quidem in Italiæ Provinciis , hæc ſiquidem Synodus ex iis congregata erat , ubi Epiſcopus , ſive Presbyter , dicta Collecta ab Altari recedebat , quod ſupererat Miſſæ , alteri peragendum dimittens , cui malo mederi voluit S. Zacharias edito hoc Canone 14.

(2) *Subſanna pias voces* .) Et paullo infra num. 26. *numquid orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus , ut ſint fideles , pro his qui nolunt credere , ut velint credere* &c. Quibus locis ritus , quem etiam nunc ſervat Eccleſia in die Paraſceves , antiquitus commendatur .

(3) *Cæſarius Arelatenſis hom.* 34.) Quæ in Appendice Tom. 5. novæ Editionis Operum Sancti Auguſtini eſt 286.

(4) *Nec licet , nec expedit* .) Et præcedente ſermone : *Supplico , Fratres chariſſimi , & paterna pietate commoneo , ut quotieſcumque oratio indicitur , qui forte pro aliqua infirmitate non poteſt genua flectere , & dorſum incurvare , vel cervicem humiliare non differat* .

(5) *Qua peracta dicebat Diaconus* Levate.) Idque ſpecialiter pro hac die notat Ordo Romanus , quod peracta a populo oratione, Sacerdos dicebat Collectam , ad quam populus ſtabat flexis genibus , ea vero finita dicebat Diaconus *Levate* , & Sacerdos , ſtantibus omnibus , poſtremam clauſulam recitabat : *Per Dominum noſtrum* &c.

(6) *Remorari præſumat* .) Porro jam inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia uſitatum fuiſſe , ut Chriſtiani modo ſtantes , modo genuflectentes orare conſueverint , ex veterum traditione conſtat , ſervata tamen diſtinctione temporum pro ratione divinorum myſteriorum, quæ commemorantur; nam ſicut .

Veteres Chriſtiani modo ſtantes , modo genuflectentes orabant .

ſicut die Dominico, qui Reſurrectioni Domini eſt conſecratus, ita & Quinquageſimæ tempore, quod a Paſchate uſque ad Pentecoſten protenditur, non niſi ſtantes fideles publice orabant, aliis vero temporibus genua flectebant. Id expreſſe docet Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3. *de Dominico*, inquit, *nefas ducimus de geniculis adorare, eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus*. Idem ſancitum in Concilio Nicæno can. 20., & confirmant S. Ambroſius ſermone 61. de Pentecoſte. S. Hieronymus in Dialogo adverſus Lucifer., atque in Proœmio Epiſtolæ ad Epheſios, Caſſianus lib. 2. inſt. cap. 18. aliique, vide Card. Baronium in Annal. ad an. 58. num. 109. 110. & 111. Adde Prudentium Cathemerin. Hymn. matut.

Te Chriſte ſolum novimus,
Te mente pura, & ſimplici,
Te voce, Te cantu pio,
Rogare curvato genu,
Flendo, & canendo diſcimus.

Non gravabantur itaque priſci Fideles, & majores noſtri fervidi Deum *de geniculis adorare*, & ſtato tempore genuflexionibus incumbere, quas probe cognoſcebant opportunas ad majorem oſtendendam humilitatem, ad Dei miſericordiam facilius obtinendam, atque ad reverentiorem illi, tanquam unico, ſupremo, ac vero Numini cultum, honoremque demiſſius, ut par eſt, religioſe præſtandum.

§. III.

Collectæ nomen æquivocum.

Collecta pro hominum multitudine unita ſimul, & verius pro conventu fidelium ſumta.

NOmen vero Collectæ (1) æquivocum eſt, nam ſumitur aliquando (1)
pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, ut in Capitulari Caroli Magni lib. 3. cap. 74. *Si quis ſuper miſſum Dominicum cum collecta, & armis venerit*. Et lib. 5. cap. 130. *De itinerantibus,*
ut eos per Collectam nemo auſus ſit adſallire (2). Et magis preſſe pro (2)
conventu, & pro congregatione fidelium ad orationem ſimul convenientium: atque hoc ſenſu phraſis eſt antiquis Patribus, & Hiſtoricis Eccleſiaſticis valde uſitata, collectas agere, convenire ad collectam, adeſſe collectæ; adeout hoc nomen ad ipſum divinum Officium, & ad Miſſæ ſacrificium translatum ſit, ut ſupra oſtendimus, cum de nominibus Miſſæ ageremus. Etiam in veteri Teſtamento *Levit.* 23. *Deuter.* 16. 2. *Paral.* 7. cœtus fidelium, dieſque ſolemnes Collectæ dicebantur. Eadem voce Paulus Apoſtolus uſus eſt 1. *ad Cor.* 16. pro eleemoſynis, quæ ad alendos pauperes colligebantur. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non cum venero, tunc collectæ fiant*. Extat apud Chryſoſtomum inſignis oratio de eleemoſyna, & collectis, de quibus etiam agunt Juſtinus Martyr *Apolog.* 2. Tertullianus *cap.* 39. *Apolog.* Cyprianus *Epiſt.* 60. *ad Januarium, & reliquos Numidiæ Epiſcopos*, & Leo Magnus *in ſermonibus de Collectis*. Hæ vero indicebantur intra Miſſarum ſolemnia, & ſæpius in ſermone pro ſubſidio indigentium, ſive ad redimendos captivos; de qua re diffuſe tractat Ferrarius *lib.* 1. *de ritu Sacrarum Concionum cap.* 26. Accipitur

Tandem pro brevi oratione Sacerdotali ſuper populo dicta.

tandem Collectæ nomen pro brevi oratione, quam Sacerdos ſalutato populo recitat, quæ ideo Collecta dicitur, quia populo in unum congregato, & collecto recitatur: vel quia Sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit: vel quia ex ſelectis
ſacræ Scripturæ, & Eccleſiæ verbis compendioſa brevitate (3) colligitur: (3)
vel quia omnes collectis animis affectus ſuos, & mentem ad Deum attollunt; quas notiones fuſius proſequitur Claudius Eſpencæus *tract. de Collectis Eccleſiaſticis*. Innocentius III. *lib.* 2. *de myſteriis Miſſæ cap.* 27. & Joannes Beleth *lib. de div. Off. cap.* 37. Collectam proprie dici volunt eam orationem, quæ olim ſuper populum fieri ſolebat, quando collectus in unum erat cum univerſo Clero in una Eccleſia, ut ad aliam

pro-

procederet, in qua ſtatio celebranda erat. Tunc enim Epiſcopus, ſive
Sacerdos collecta omni multitudine, brevi oratione ſuper populum uti ſo-
lebat; ex quo fieri potuit ut ad reliquas hujuſmodi orationes Collectæ
nomen dimanarit. Hinc liber Sacramentorum S. Gregorii in feſto Puri-
ficationis S. Mariæ duplicem habet orationem, quarum una inſcribitur,
Ad Collectam ad S. Adrianum, ubi Populus, & Clerus colligebantur,
ut inde procederent ad S. Mariam Majorem, & incipit: *Erudi quæſu-
mus Domine plebem tuam*: altera dicitur ad Miſsam, ſcilicet, *Omnipo-
tens ſempiterne Deus, majeſtatem tuam* &c. (4). Lego etiam tributum (4)
quandoque Collectis nomen benedictionis: nam in ordine Coronationis
Caroli Calvi, quæ in ejus Capitulari *pag.* 486. deſcribitur, Collectis,
quas ſinguli Epiſcopi ſuper Regem recitarunt (5), hic titulus præfigitur: (5)
*Benedictiones ſuper Regem Carolum ante Miſſam, & Altare S. Stepha-
ni*. Explicat luculenter hujus nominis rationem Amalarius lib. 2. cap. 9.
Epiſcopus, inquit, *vel Sacerdos dicit:* Oremus, *ac deinde ſequitur bene-
dictio. Utroque nomine benedictionis, & orationis vocatur oratio Sacerdo-
tis. De benedictione dicit Apoſtolus*: Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet
locum idiotæ, quomodo dicit *Amen* ſuper tuam benedictionem, quia
neſcit quid dicas? *Hanc benedictionem vocat Ambroſius orationem dicens,
Imperitus audiens quod non intelligit, neſcit finem Orationis, & non reſ-
pondet* Amen, *ideſt verum, ut confirmetur benedictio*. Hactenus Amalarius;
ſed ſententia, quam tribuit Ambroſio (6), Hilarii Diaconi eſt, cujus eſſe (6)
Commentaria in Paulum Ambroſio adſcripta nonnulli exiſtimant (7). Quod (7)
vero benedictio pro Collecta accipi ſoleat, probatur etiam ex Regula S.
Benedicti *cap.* 11., in quo diſponens vigiliarum ordinem pro diebus Do-
minicis præcipit, ut dicto Hymno *Te Deum laudamus*, Abbas legat Evan-
gelium: lecto autem Evangelio, *& data*, inquit, *benedictione incipiant
Matutinos*. Hæc autem benedictio nihil aliud eſt, quam Collecta curren-
tis officii, poſt quam Laudes immediate ſubſequuntur (8). Idem confir- (8)
mat his omnibus antiquior Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 23.
*An quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum invocantem, ſi quando dixit,
Da illis Domine in te perſeverare uſque in finem, non ſolum voce auſus eſt,
ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potius ſuper ejus talem benedi-
ctionem, & corde credente, & ore confitente, reſpondit Amen?* Ex hoc
autem Auguſtini teſtimonio, & ex Epiſtola ad Vitalem ſupra citata,
itemque ex Actis S. Suſannæ evidens fit Collectarum uſum, quocunque
nomine vocarentur, viguiſſe in Eccleſia ante Sanctos Pontifices Gela-
ſium, & Gregorium Magnum, quibus plerique primam illarum inſtitu-
tionem attribuunt (9). (9)

Quandoque olim Collectis nomen benedictionis tributum.

(1) *Nomen vero Collectæ*) De Collectis vide poſt Card. noſtrum de Div. Pſalmod. cap. 16. §. 17. præ cæteris de multiplici Collectarum ſignificatione Carolum Ducangium in Gloſſario med. & inf. Latin. fortaſſe ex Cornelio Schultingio Biblioth. Eccleſiaſticæ de Div. Officiis tom. 1. parte 2. cap. 9. ubi de Orationum, ſive Collectarum origine, ac laude multa præclara habet, ut ait Guyetus in Heortologia lib. 3. cap. 2.

(2) *Nemo auſus ſit adſallire*) Vide Concilium Nannetenſe can. 15. *de Collectis, vel Confratriis, quas conſortia vocant*. Guillelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. Vitæ Sancti Bernardi cap. 8. *tunc demum Collectas deſerere, & ſeorſim ſecum habitare compulſus eſt*.

(3) *Compendioſa brevitate*) In eumdem ſenſum Valafridus Strabo de Reb. Eccl. cap. 22. *Inde*, ait, *Orationes dictæ ſunt Collectæ, quia neceſſarias earum petitiones compendioſa brevitate colligimus*. Et quidem breves eſſe orationes nos docuit Dominus, & Magiſter noſter Jeſus Chriſtus Math. 6. 7. *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui, ſicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur: nolite ergo aſſimilari eis* &c. Hujus multiloquii exemplum apud profanos apparet in continua Sacerdotum Baal invocatione, Regum lib. 3. cap. 18. 26. *Et invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos*: ſic & Arnobius contra Gentiles lib. 1. pag. 29. de iiſdem Gentili-

Collectæ, breves orationes paucis verbis multa concludentes.

bus

bus ſcribit : *cum Eſculapium ipſum datorem , ut prædicant , ſanitatis , quoad illis ſuperfuit vita , & precibus , fatigarent , & invitarent miſerrimis votis*. De Turcarum precandi more cum clamore magno, & plurima repetitione, ac nimia vociferatione, ita ut conſternati, ac feſſi ſpumam alii ex ore emittant, alii ob vim ſibi clamoribus illatam facie nigreſcant, & velut ſemimortui in terram labantur, plura ſcribit in ſuo itinerario Hieroſolymitano Joannes Cotovicus cap. 5. Eccleſia itaque Chriſti Domini Sponſi ſui magiſterio edocta, & ſacrilegos illos inani ſtrepitu ad idola clamantes, falſoſque Prophetas abominata, breves orationes ad Deum, qui corda potius, quam voces hominum ſcrutatur, in tremendo Miſſæ Sacrificio ex antiqua traditione adhibere conſuevit, quæ ideo Collectæ dictæ ſunt, quia paucis verbis multa colligunt. Has propterea & ſimiles vetuſtiſſimus Tertullianus lib. de Oratione cap. 1. *Orationes ſine agmine verborum* appellat, ac de iiſdem, earumque compendioſa brevitate ſic ait : *brevitas iſta . . . . magnæ , ac beatæ interpretationis ſubſtantia fulta eſt , quantumque ſubſtringitur verbis , tantum diffunditur ſenſibus*. In eamdem ſententiam Chryſoſtomus hom. 79. ad Pop. Antioch. *Breves* (inquit), *& frequentes Orationes fieri Chriſtus , & Paulus præceperunt* &c. Quare ex his, aliiſque ſilentio prætermiſſis veterum Patrum teſtimoniis, recte ex ipſo etiam Eccleſiæ ſpiritu concluditur Collectas quidem breves Orationes eſſe, ſed piæ devotionis affectus eruditione graves. De his Hildebertus Cenomanenſis :

Hinc oraturus alios hortatur ut orent
Diſcipulos , Chriſtus juſſit , & egit idem.

(4) *Omnipotens ſempiterne Deus majeſtatem tuam* &c.) Inde fit, ut ejuſmodi orationes etiam Collectæ appellentur, *Quoniam ſuper Collectam Populi fiunt , dum colligitur , ut procedat de una Eccleſia in aliam ad ſtationem faciendam*, ut loquitur Micrologus cap. 3. *ſic in capite jejunii illa oratio* : Concede quæſumus *apud Sanctam Anaſtaſiam ſuper Collectam Populi dicitur , qui ſtationem apud Sanctam Sabinam celebraturus eſt* . Idem ſentit Honorius in Gemma Animæ cap. 94.

(5) *Super Regem recitarunt*) Hoc Capitulare vide apud Sirmondum tom. 3. pag. 386., ad quod hæc ipſe notat : *in Regum noſtrorum coronatione diverſæ nunc etiam benedictiones , ſed ab uno Archiepiſcopo , pronunciantur ; olim , ut hic locus declarat , interdum etiam a diverſis Epiſcopis pronunciabantur , quomodo & in Ludovici Pii reſtitutione , quam in eadem Metenſi Eccleſia factam ſupra didicimus inter Miſſarum celebrationem : Septem Archiepiſcopi , ſeptem reconciliationis Eccleſiaſticæ orationes ſuper eum cecinerunt . Vetus etiam Ordo Romanus in Conſecratione Imperatoris ſingulas orationes a ſingulis Epiſcopis , Albano , Portuenſi , & Oſtienſi fundi ſolitas docet .*

(6) *Sed ſententia , quam tribuit Ambroſio*) Idem jam antea obſervaverat Emin. Auctor lib. ſupracit. de Div. Pſal. cap. 16. §. 17. n. 2.

(7) *Ambroſio adſcripta nonnulli exiſtimant*) Quamquam olim multis ſeculis conſpiratum ſit, ut hæc Commentaria in Epiſtolas Pauli Ambroſii fœtus crederentur ; cum jam inde a nono ſeculo Hincmarus Rhemenſis Tract. de Divortio Lotharii, Eccleſia Lugdunenſis tom. 15. Bibl. P.P. Lugd. editionis, Concilium Aquiſgranenſe III. anno 862. celebratum cap. 8. Amalarius, Prudentius, aliique innumeri ejuſdem, & ſequioris temporis Auctores plura ex his Commentariis ſub Ambroſii nomine protulerint; nihilominus cum Eraſmo, Turriano, aliiſque non uſque adeo certa viſa fuerint hæc Ambroſii opera, illa deinceps re penitius examinata, uno conſenſu, & calculo omnes eidem Sancto Doctori abjudicarunt. Id notavit jam pridem vir eruditus in recognitione Lovanienſi Operum S. Auguſtini ad lib. 4. cap. 4. contra duas Epiſtolas Pelagii, ac poſtea Franciſcus Turrianus multis conjecturis evincit lib. 5. adverſus Magdeburgenſes cap. II. Plures etiam rationes, & argumenta pro his Commentariis alteri, quam Ambroſio adjudicandis, afferunt Cornelius a Lapide Præfat. in Epiſtolas Divi Pauli pag. 24. Bellarminus de Script. Eccl. in Ambroſio, & Hilario; Labbæus, Dupinius, Caveus, aliique Scriptorum Eccleſiaſticorum Opera recenſent, præ cæteris fuſius Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 4. cap. 6. art. 14. Tempore Caſſiodori hi Commentarii Gelaſii nomine vulgabantur, ut ex ipſo Caſſiodoro lib. de Div. Lect. cap. 8. non Gelaſii Romani Pontificis, uti iſte putavit, cum ille Damaſo poſterior fuerit, cujus tempore Auctor horum Commentariorum ſe ſcripſiſſe teſtatur in Epiſt. 1. ad Timoth. 3., ſed illius, ut videtur, Epiſcopi Cæſarienſis, qui vixit ante Concilium Chalcedonenſe, & ſcripſit librum de duabus naturis. Alii hoſce Commentarios Remigio Antiſſiodorenſi tribuunt, ſed hic longe poſterior vixit, ſcilicet anno 880. Alii putant horum Auctorem eſſe eumdem, qui ſcripſit Quæſtiones veteris, & novi Teſtamenti tom. 4. Oper. S. Auguſtini, quia in quibuſdam cum eo conſentit, ſed ſtylo, gravitate, doctrina, ac methodo ab eo diſſentit. S. Auguſtinus lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagii cap. 4. citat ex hoc Commentario in cap. 5. Epiſt. ad Rom. Explicationem nomine S. Hilarii. Hinc putarunt Doctores Lovanienſes, quos ſequitur Salmeron Diſput. 19., & cit. Card. Bellarminus, cumque ipſo Labbeus, Hilarium Diaconum Urbis Romæ natione Sardum, eſſe horum Commentariorum Auctorem, cui poſtea eadem ſupradicti tribuere.

Ambroſio hactenus adſcripta commentaria in Epiſtolas Pauli non ipſi, ſed Hilario Diacono tribuenda plures exiſtimant.

Alii econtra eadem aliis ab Hilario adſcribenda cenſent.

Sed præſtat rationes, quibus hi clariſſimi viri ad id ſentiendum moti ſunt, adducere, quod & Lectori injucundum non eſſe confido. Et quidem apud Card. Bellarminum de Script. Eccl. edit. Venetæ Oper. ejuſdem tom. 7. pag. 93. ita recenſentur : Primo, quia Sanctus Auguſtinus, qui libenter, & frequenter Ambroſii teſtimoniis utitur contra Pelagianos, ex his Commentariis nulla teſtimonia petit. Secundo, quia Pelagius ipſe, qui Ambroſii teſtimonia Sancto Auguſtino objicere ſolet, ex his Commentariis nihil objecit, cum tamen in his Commentariis ſint non pauca, quæ Pelagii errores continere videntur, ut perſpicuum eſt ex Commenta-

Indicantur rationes, quibus dicta Commentaria Ambroſio abjudicanda videntur.

riis in Epiſtolam ad Romanos. Tertio, quia Auctor horum Commentariorum multa exponit contra ſententiam S. Ambroſii, quod plane perſpiciet, qui conferre voluerit illud ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet*, explicatum in Commentario hujus Auctoris, cum explicatione Ambroſiana in Epiſt. 47., & lib. 2. de Fide cap. 4. & illud I. ad Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali*: explicatum in Commentario hujus Auctoris, cum expoſitione Ambroſiana lib. 2. de Fide cap. 1. & 3. & lib. 3. cap. 2. Quarto, quia S. Auguſtinus lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. citat Sanctum Hilarium in expoſitione illorum verborum ad Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt*: & ſententia, quam S. Auguſtinus citat, habetur totidem verbis in Commentario hujus Auctoris; non igitur Auctor hujus Commentarii eſt Ambroſius, ſed Hilarius Pictavienſis, aut Hilarius Arelatenſis: nam iſte Auctor vixit tempore Damaſi, ut ipſe teſtatur in Commentario ad Caput tertium primæ ad Timotheum; tempore autem Damaſi Hilarius Arelatenſis aut natus non erat, aut adoleſcens erat: Sanctus autem Hilarius Pictavienſis obiit anno quinto Valentiniani Imperatoris ex Hieronymo in Chronico; annus autem quintus Valentiniani erat ſecundus Damaſi: non eſt autem credibile in extrema ætate tam ingens opus cudiſſe Hilarium: ſtylus inſuper Hilarii cum ſtylo hujus Auctoris nihil ſimile habet: Hilarius vero Arelatenſis poſt Damaſi tempora floruit.

Et Hilario Diacono adſcribenda.

Credibile igitur eſt auctorem horum Commentariorum eſſe Hilarium Diaconum Romanum, qui Luciferi ſchiſma propugnavit, & libros etiam non paucos ſcripſit, ut Sanctus Hieronymus teſtatur in Dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum eſt, hunc Hilarium a Sancto Auguſtino Sanctum Hilarium vocari, cum nuncupatio Sancti tunc ſatis communis fuerit Chriſtianis præſertim Eccleſiaſticis. Poſtremo accedit, quod idem videtur eſſe auctor horum Commentariorum, qui Quæſtionum veteris, & novi Teſtamenti, quæ extant inter Libros Sancti Auguſtini: doctrina enim horum Commentariorum, & illarum Quæſtionum ſimillima eſt, ut notaverunt Cenſores Lovanienſes in notis ad Auguſtinum; ſtylus videtur etiam eſſe idem, & ætas mirifice conſentit: Auctor enim illarum Quæſtionum quæſt. 44. ſcribit, ab excidio Hieroſolymæ uſque ad ſua tempora fluxiſſe annos tercentos, quibus ſi addas annos a Nativitate Chriſti uſque ad excidium Hieroſolymæ, erunt omnes anni 372. vel 373. ut ex Chronico S. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore ſediſſe Damaſum Pontificem, ſub quo Auctor horum Commentariorum ſcripſiſſe ſe memorat in explicatione capitis primi Epiſtolæ prioris ad Timoth. notiſſimum eſt. Quod ſi Auctor horum Commentariorum idem ſit cum Auctore illarum Quæſtionum, plane efficietur Auctorem horum Commentariorum non eſſe Ambroſium; Ambroſius enim nihil ſcripſit antequam Epiſcopus fieret, neque factus eſt Epiſcopus ante annum Domini 374. ut Cardinalis Baronius in Annalibus docet. Ille autem Auctor cum ſcriberet, numerabat annum Domini 372. vel 373., ut ſupra diximus.

(8) *Laudes immediate ſubſequuntur*) Ita ſentiunt S. Hildegardis in Explicat. Regulæ S. Benedicti, Bernardus Caſſinenſis, Nicolaus de Fractura, Boherius, Card. de Turrecremata, Antonius Perez, aliique apud Edmundum Martene Comment. in Regulam S. Benedicti pag. 283.

(9) *Quibus plerique primam illarum inſtitutionem attribuunt*) Et ſane ante hos Pontifices Collectarum uſum in Eccleſia viguiſſe non ſolum ex dictis, ſed ex dicendis in §. ſequenti uberius conſtabit.

§. IV.

A quo primum Collectæ, ſive Orationes inventæ, & quæ forma in iis ſervanda.

Orationes publicas in Eccleſia fieri ab Apoſtolis traditum.

S. Pontifex Cæleſtinus in Epiſtola ad Galliarum Epiſcopos de Gratia
Dei pro Proſpero, & Hilario cap. 11. ea, quæ ſolemus in Colle-
ctis a Deo petere, commemorans, eas Orationes ab Apoſtolis traditas
aſſerit his verbis: *Obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus,*
quæ ab Apoſtolis (1) *tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ec-* (1)
cleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.
Cum enim ſanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant, & precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut Idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut Hæretici Catholicæ Fidei perceptione reſipiſcant, ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Cathecumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc

Cæ-

Cæleſtinus, cujus verba libro Gennadii de Eccleſiaſticis dogmatibus *cap.*
29. *&* 30. ejus interpolator inſeruit. (2) Genebrardus quoque *lib. de Apo-* (2)
ſtolica Liturgia cap. 20. Collectarum inſtitutionem Apoſtolis adſcribit, ſed
nullo prolato teſte. Mihi vero hæc diſtinctio adhibenda videtur: nam ſi
præciſe de Collectis loquamur, quibus nunc utimur, veriſſimum eſſe reor
earum primos Auctores fuiſſe Gelaſium, & Gregorium: id enim om-
nes Rerum Eccleſiaſticarum Scriptores aſſerunt, & antiqua monumenta
evincunt. Quod ſi nomine Collectarum breves orationes collectis Gre-
gorianis ſimiles intelligimus, quibus ſumma petendorum a Deo paucis
verbis continetur, nulli dubium eſſe poteſt eas Gelaſio antiquiores eſſe,
atque ab Apoſtolis, eorumque immediatis ſucceſſoribus in ſacris conven-
tibus uſurpatas, ut ex Actis S. Suſannæ, aliiſque teſtimoniis ſupra citatis
probatum eſt (3): quibus adjungi poſſunt ex Concilio Milevitano *can.* 12. (3)
& ex III. Carthaginenſi 23. præcipientes, ne quis orationes in Miſſa re-
Quæ poſtea, nonniſi approbatæ, dicerentur in Miſſa.
citare præſumeret, niſi prius in Synodo approbatæ fuiſſent. Cum enim
creſceret pro arbitrio cujuſque Epiſcopi earum numerus, & diverſitas,
nimia licentia coercenda fuit, ne quid in Eccleſia audiretur aut a fide
abſonum, aut Eccleſiaſticæ gravitati incongruum. Quod vero Gelaſius ora-
tiones compoſuerit, teſtatur Anaſtaſius in ejus Vita: *Fecit*, inquit, *Sa-
cramentorum præfationes, & orationes cauto ſermone* (4). Neque Grego- (4)
Gregorianæ Orationes a Gelaſianis diverſæ.
rius omnes quæ extant in ejus libro Sacramentorum, de novo compoſuit;
ſed ut ait Joannes Diaconus in ejuſdem Vita *lib.* 2. *cap.* 17. Gelaſianum
Codicem de Miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens,
nonnulla adjiciens, in unius libri volumine coarctavit. Et Valafridus cap.
22. *Curavit*, inquit, *B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſe-
cluſis iis, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui
dicitur Sacramentorum*. Obſervo autem quod non obſtante Gregoriana
correctione, Miſſales S. Gelaſii diu permanſerunt, nam ut ſupra notavi
Lib. I. Cap. XXV. §. X. inter libros ſacros, qui anno 831. in Mona-
ſterio Centulenſi erant, tres Miſſales Gregoriani numerantur, & XIX. Ge-
laſiani, ubi videmus multo plures Gelaſianos fuiſſe quam Gregorianos,
quia nimirum illis potius quam iſtis ibidem utebantur. Nec dubito quin
hodie alicubi lateat aliquod Gelaſii Sacramentarium, ut vocant: imo cum
evolverem Codicem illum antiquiſſimum Ordinis Romani Petavianum, qui
nunc eſt in Bibliotheca Reginæ Svetiæ, ſuſpicatus ſum Ordinem S. Ge-
laſii in eo contineri, adeo multa habet diverſa a Gregoriano, niſi ſor-
te ex utroque mixtum ſit [vel aliqua addita ſint ab Epiſcopo illius Ec-
cleſiæ, pro qua ſcriptum fuit (5)]. Sunt in hoc plures Collectæ diverſæ a (5)
Gregorianis, ut in Aſcenſione Domini: *Deus, qui ad declaranda tuæ
miracula majeſtatis poſt reſurrectionem a mortuis hodie in cœlos Apoſtolis
adſtantibus aſcendiſti, concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut ſecundum tuam
promiſſionem, & tu nobiſcum ſemper in terris, & nos tecum in cœlo vi-
vere mereamur*. A Gregorianis item, paucis exceptis, diverſæ ſunt Am-
Sicut & ab iſtis Ambroſianæ, & Mozarabes.
broſianæ a S. Ambroſio, & ab aliis ejus Eccleſiæ Pontificibus compo-
ſitæ. In Miſſali autem Mozarabum (nempe quod ſecundum regulam S.
Iſidori dicitur) non ſolum diverſæ omnino ſunt orationes, ſed diverſa
quoque ipſarum formula eſt: nam & longiores ſunt, & ritu diſſimili re-
citantur; ut in Dominica prima Adventus immediate poſt Introitum di-
cit Sacerdos alta voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, reſpondet Clerus,
Amen. Tum Sacerdos hanc recitat orationem: *Deus, qui per Angeli-
cos choros adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti annunciare volui-
ſti: qui per Angelorum præconia Gloria in excelſis Deo, & in terra pax*

N 2 *lo-*

hominibus bonæ voluntatis adclamantibus demonſtraſti : concede, ut hujus Dominicæ Reſurrectionis feſtivitate pax terris reddita convaleſcat, & fraternæ dilectionis charitate innovata permaneat. Reſpondet Clerus : *Amen*. Mox ait Sacerdos *Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſæcula ſæculorum*. Et reſponſo *Amen*, Sacerdos ſalutat populum, dicens, *Dominus ſit ſemper vobiſcum* (hoc fere ritu omnes hujuſmodi orationes recitari ſolent ab his, qui hoc Miſſali utuntur). In Liturgiis Græcorum quamvis multæ ſint precationes, nulla tamen extat in qua Latinæ Collectæ modus obſervetur. Multas etiam Collectas compoſuerunt Alcuinus, & Grimoldus Abbas, quas Pamelius collegit *tom.* 2. *Liturgicorum* : itemque Muſæus Presbyter Maſſilienſis, & Voconius Epiſcopus Caſtellanenſis in Mauritania, ut refert Gennadius *lib. de viris illuſtribus cap.* 78. & 79.; ſed quales hæ fuerint neſcimus, quia eorum opera interierunt (6). Sunt & aliæ a recentiori- (6)

Illæ vero, quæ a recentioribus editæ ſũt, facile ab antiquis diſcernuntur.

bus editæ, quæ facile dignoſcuntur, ſi cum antiquis, & Gregorianis conferantur. Elucet enim in antiquis veteris Eccleſiæ ſpiritus : elucet in rebus ipſis Apoſtolica quædam gravitas ; in ſenſu, & in collocatione verborum grata quædam, & perſpicua concinnitas, adeo ut brevi compendio multa contineantur. Et primo quidem Dei benevolentia captari ſolet vel ab aliquo ejus attributo, vel a commemoratione alicujus beneficii nobis collati, vel propoſita noſtra infirmitate & indigentia. Sequitur expoſitio rei, quæ petitur, addito nonnunquam motivo, quo Deus flectatur ad ea nobis concedenda, quæ poſtulamus. Addit eis venuſtatem ipſum genus compoſitionis non ſolutum & vagum, ſed certo ambitu definitum, variiſque ſchematibus exornatum. Docet Petrus Cirvelus Darocenſis in proœmio expoſitionis libri Miſſalis editæ Compluti an. 1528. in prima Collecta explicari moraliter Introitum Miſſæ, ut in ſecreta Offertorium, in oratione finali communionem : quæ obſervatio quamvis in nonnullis locum habere poſſit ; omnibus tamen aptari nequit, niſi ſenſus literalis violento quodam ingenii conatu ad eam moralitatem ſubtiliter quidem, ſed ſine ullo fundamento, ut in ſimilibus ſæpe contingit, pertrahatur (7). (7)

Collectarum antiquitas ab Apoſtolica traditione derivata.

(1) *Quæ ab Apoſtolis tradita &c.*) Nominatimque a Paulo Epiſt. 1. ad Timotheum cap. 11., cujus verbis in medium prolatis, Auctor Librorum de Vocatione Gentium (qui male olim Ambroſio tributi, atque inter ejus Opera adſcripti, nunc autem verius fortaſſe Proſpero Aquitanico a pleriſque adjudicantur) lib. 1. cap. 12. ſubdit : *Præcepit itaque Apoſtolus, immo per Apoſtolum Dominus, qui loquebatur in Apoſtolo, fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, pro iis, qui in ſublimitate ſunt. Quam legem ſupplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium Fidelium devotio tenet, ut nulla pars mundi ſit, in qua hujuſmodi orationes non celebrentur a Populis Chriſtianis. Supplicat ergo Eccleſia* &c. Auctor etiam Conſtitutionum Apoſtol. lib. 8. cap. 12. ſingulas orationes recitat *pro Magiſtratibus, Exercitibus, Regibus, inimicis adhuc vigentibus* &c. Vide infra cap. XI. §. 4.

Has autem orationes utique in Sacrificio Miſſæ olim recitatas fuiſſe exprimit primo S. Lucas Evangeliſta in Actibus Apoſtolicis cap. 2. 42. ubi de fidelibus recens per Apoſtoli Petri ſermonem converſis hæc ſcribit : *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Idem etiam obſervatum ſcribunt Sancti Martyres Juſtinus, & Irenæus, ille Apol. 2. hic lib. 4. adv. hær. cap. 18. Paria refert Tertullianus ad Scapulam Africæ Præſidem ſcribens, ubi Chriſtianos Deo ſuo, & ipſius Imperatoris, pro hujus ſalute non orantes modo, ſed & ſacrificantes aſſerit cap. 2. his verbis : *itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius*, & poſt pauca nonnulla ſubdit, quibus ſatis indicat orationes, dum ſacrificaretur, pro omnibus in communi factas. Morem hunc ab initio in Eccleſia obſervatum deſcribit circa an. 347. S. Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſtag. 5. num. 8. *Super ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis, & afflictis, & in ſumma pro iis omnibus, qui egent auxilio, indigemus autem omnes* &c. Demum Auguſtinus Epiſt. 149. olim 59. ad Paulinum : *Obſecrationes, ſive poſtulationes* ab Apoſtolo nu-

per

per memoratas conſiderans, eas eſſe, quas Collectas dicimus, ioterpretatur, videlicet, *quas facimus*, inquiens, *in celebratioe Sacramentorum antequam illud, quod eſt in menſa Domini, incipiat benedici* (& hæ ſunt, quæ poſt *Kyrie eleiſon*, *&* *Gloria* dicuntur) *Orationes, quas proferimus cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtributionem comminuitur* &c. iſtæque ſunt: *Secreta*, *&* *Poſtcommunio* ſic dictæ, iofra actionem, & poſt ipſam. Habes inde paucis delineatum ſacrum Miſſæ canonem, qualis adhuc apud nos in Catholica Eccleſia uſitatur, ex quo probe dignoſcitur ipſis quoque primis Eccleſiæ ſeculis ordinem quemdam Precum, & Orationum extitiſſe, quibus in divinis Myſteriis utebantur Sacerdos, & Populus fidelis ſibi invicem reſpoodentes.

Earumque Ordo ferme idem olim extitit, ac nunc eſt.

(2) *Ejus interpolator inſeruit*) Eadem ratione uſus eſt Petrus Diaconus, teſtimonio ex Baſilii Liturgia deſumpto, ut & Remigius Lugdunenſis de tenenda verit. Script. pag. 216.

(3) *Aliiſque teſtimoniis ſupracitatis probatum eſt*) Vide Clementem I. Papam in Epiſt. ad Corinthios verſus finem, Clementem Alex. lib. 1. Pædag. cap. 9. Irenæum adver. Hæreſ. lib. 3. cap. 6. Origenem homil. 1. in Levit., & homil. 3. 10. 37. 39. in Ezechielem; & ſane, quo breviores Collectæ ſunt, eo antiquiores eſſe dignoſcuntur; multas etiam illarum SS. Pontificibus Silveſtro, ac Julio ætate pares aſſeri poſſe Eruditi agooſcunt, plures item S. Leoni Magno tribui debere ſuæ ipſius phraſes vindicant. Hinc præclariſſ. Card. Thomaſius in Præfat. ad Codices, quos edidit, Sacramentorum Eccleſiæ Rom. ait non a vero aberrare Morinum, dum lib. 9. de Pœnitentia cap. 30. n. 2. ſcribit multa ex his precibus dictis SS. Pontificibus Romanis non eſſe poſteriora, & ex phraſi, ſtyloque ſapere omnino tempora, quæ Imperatorem Cooſtantinum præceſſerunt. Sic ipſe orationis illius eloquentiſſimæ Archidiaconi ad Pontificem in reconciliatione Pœnitentium, quam Thomaſius refert in dicto Sacramentorum Cod. pag. 63. Auctorem facit ſaltem Conſtantino coævum, cui libentius utique ſubſcribo, quam Paſchaſio Queſnellio tom. 1. Operum S. Leonis, qui eamdem ibi ipſi Magno Pontifici adſcribit, quamvis huic potius quam Morino hac in parte non difficulter ſe adhærere dictus Card. Thomaſius fateatur, *victus*, inquit, *ipſo Leonino calamo, quem inibi mihi videre videor, vel primo ſcribentem, vel fere ex integro recenſentem.* At veneratiooe tanti, & eximii viri, verba illa, quæ ibidem leguntur, *& copioſior per gratiam adſumtio renaſcentium, augemur regenerandis* &c., videotur potius ad tempora Leonem præcedentia, quam ad ipſius ætatem referri debere, cum jam ſeculo v. poſt tot Chriſtianorum Principum Leges, & Statuta adverſus Gentiles ab Imperatoribus, præcipue Arcadio, & Honorio promulgata, de quibus Card. Baronius ad an. 399. num. 54. & ſeqq. pauci admodum ſupereſſent ex iiſdem Idololatris baptizandi, ac proinde dicta verba *copioſior*, *augemur*, cum & majorem exprimant, quam antea numerum eorumdem initiandorum, oonoiſi ad ſuperiora Leonis tempora pertinere crediderim.

Ven. Card. Thomaſius obſervatus.

Neque officit Leoninus ſtylus, qui ibi inveſſe videtur, non eoim admodum difficile eſt eumdem nonnihil in nonnullis Pontificum Leonis prædeceſſorum, puta Damaſi, Siricii, Bonifacii I., qui erat in Lege doctiſſimus, Cæleſtini, & Xiſti III. Epiſtolis, quarum aliquot exhibet in ſua collectione Romana parte 1. cl. Lucas Holſtenius, deprehendere, non abſimilem quippe dictionis gravitatem eæ præferunt, quam utique in orationibus, præſertim Sacerdotalibus a ſe compoſitis ipſos ſervaſſe certo certius eſt; præterea, ut optime advertit Mabillonius de Studiis Monaſt. parte 2. cap. 13. non ſemper ſtyli uniformitas, aut diverſitas per ſe ipſam argumento nobis eſt ineluctabili ad judicandum de legitimo alicujus operis Auctore, niſi reliquæ conditiones, & conjecturæ ad id neceſſariæ ſimul interſint. Cæterum hæc in Ven. Card. Thomaſii obſequium potius quam cenſuram dicta ſint; veritatis enim amator, ac prudentiſſimus Scriptor, ut ille erat, mihique hac in parte admodum notus, probabiliora, ac fortaſſe veriora ſibi proferri utique non gravaretur, ſi adhuc in vivis eſſet.

(4) *Orationes cauto ſermone*) Extat in Bibliotheca Palatino-Vaticana, ut ait vir clariſs. Emmanuel Scheleſtratius illius Bibliothecæ primarius Cuſtos, antiq. Eccl. illuſtr. in notis ad hunc Anaſtaſii locum de Gelaſio, „ Sacramentarium MSS. annorum circiter „ mille, in quo contioentur Præfationes an- „ te Gregorii tempora in Eccleſia Romana „ uſu receptæ, quæ forſan illæ ſunt, de qui- „ bus hoc loco mentio reperitur, unde oon „ male illud Sacramentarium Gelaſianum „ vocatur „ hæc laudatus Vaticani Muſæi Præfectus. Fortaſſe Codex iſte eſt Petavianus ille, alias Reginæ Sveciæ, nunc Bibliothecæ Vaticanæ, quem viderat Morinus, uti ipſe teſtatur in fine Commentar. de Pœnitentia Append. pag. 54., & de ſacris Ordinatioonibus in annotatione ad Sacramentarium Gelaſianum pag. 52., & de quo infra Eminentiſſimus noſter; Librum hunc nuper edidit piiſſimus mox laudatus Card. Joſeph Maria Thomaſius ordine primo in ſuis Codicibus Sacramentorum. Vide eruditam ejuſdem ad ipſos Præfationem. Vide item Sacramentorum Codicem a clar. Joſeph Blanchinio in Prolegomenis ad xv. tomum Anaſtaſii Bibliothecarii nuperrime editum, quem idem eruditiſſimus vir Leoni Magno tribuit, ubi & eximie probat ante Gelaſium extitiſſe in Eccleſia Romana Sacramentorum libros; quibus confirmatur Eminentiſſimi ooſtri ſuſpicio paulo ſuperius expreſſa, breves ſcilicet orationes, ſeu collectas ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus derivari. Vide etiam, quæ fuſe differit hac de re pluries a nobis commendatus P. Cajetanus Maria Meratus in noviſſimis ſuis Commentariis ad Gavantum in Rubricas Miſſalis parte I. pag. 7. num. 3., ubi differte oſtendit, quæ ſupra notavimus. Vide item quæ diximus ſupra lib. 1. cap. 25. §. 10.

Codex Gelaſianus Præfationum, & Orationum ab Anaſtaſio indica ut extat in Bibliotheca Vaticana.

§. 10. Ad hæc ſubdo Jacobum Baſnagium Hollandum Calvinianæ Sectæ Miniſtrum in ſua Hiſtoria Eccleſiæ alibi notata, Gallice ſcripta tom. 2. lib. 16. cap. 10. probare niti hunc Gelaſianum Codicem Miſſarum ipſo Gelaſio Pontifice poſteriorem eſſe, & ad ſeculum decimum referri debere, at irrito conatu, nam ad rationes, quas pro ſua, & noſtra ſententia affert Cardinalis Thomaſius in laudata ad ipſos S. R. E. Sacramentorum Codices a ſe editos Præfatione, nihil reſpondet.

Jacobus Baſnagius quoad hunc Gelaſianũ Codicem confutatus.

Et ſane quid contra Gelaſianum Sacramentarium Calvinianus Pſeudo-Hiſtoricus opponere valet? cum illius vetuſtatem manifeſte arguant, quod in Symbolo non habeatur vox *Filioque*, quæ, ut infra videbimus, non ante ſeculum nonum ad majorem claritatem, & expreſſionem Symbolo addita fuit; quod plures deſint Miſſæ ſeptimo, & octavo ſeculo uſurpari ſolitæ, quod denique pauciora, quam in aliis Liturgiis Sanctorum Natalitia celebrentur, uti in dicto Codice videre eſt. Præterea quis umquam credat hunc Gelaſianum Codicem Gelaſio ipſo poſtetiorem eſſe, atque ad ſeculum x. ſpectare, uti effutit Baſnagius, cum anno 831., ut advertit Emin. Auctor, tum hoc loco, tum alibi ſupra, in Abbatia Centulenſi reperirentur inter Libros ſacros Gelaſiani Miſſales num. XIX. idque ex Chronico Centulenſi apud Dacherium Spicil. tom. 4. pag. 420. An & hos dicet ad ſeculum decimum ſpectare? apage nugas, ne dicam ſtupidam ſtoliditatem! Sed & huic Gelaſiano Miſoliturgo, & Critico nimis intemperanti, alium & Criticum, & ejuſdem Sectæ gregalem oppono, ſcilicet Guillemum Cave, qui in ſua Hiſt. Liter. Script. Eccleſ. ubi de Gelaſio, ejuſque Codice Sacramentorum pag. 299. col. 1. hæc habet: „ Scripſiſſe Gelaſium Orationum, & Sacramentorum formulas, teſtes nobis ſunt luculenti Anaſtaſius in vita ejus, Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni, vetuſtus liber octingentorum fere annorum de officio Miſſæ primum a Caſſandro, deinde a Morino citatus, ab iſto Toloſenus dictus; ut Hugonem de Sancto Victore, Rupertum Tuitienſem, alioſque taceam. Collegit utique Gelaſius, prout credere par eſt, ſolemnes precum, & Sacramentorum formulas, quæ in Eccleſia Romana ſuo adhuc tempore in uſu erant, ac novo ordine digeſtas, pluribuſque de ſuo additis in unum Codicem compegit; quem poſtea mutatis, & adjectis a ſe nonnullis, Gregorius Magnus in compendium redegit. Gelaſianus Codex tribus conſtat Libris, nempe de anni circulo, de Sanctorum Natalitiis, & de Dominicis diebus, variiſque cauſis. Venerandam hujus Ordinis vetuſtatem manifeſto arguit, quod &c. affert deinde rationes a nobis ſupra allatas; demum hic concludit: „ Pauca quædam, præſertim lib. 3. reperiri, quæ Ctegorii Magni ætatem ſapiant, quid mirum? cum hujuſmodi libri ad uſum Eccleſiarum ſcripti novas acceſſiones pati ſoleant, prout ipſa conſuetudinis ratio tulerit: nec exinde quid aliud elici poteſt, quam exemplar exiguo poſt Gregorium tempore fuiſſe exaratum, ut in Præfatione recte notat doctiſſimus Editor, Card. ſcilicet Thomaſius, de quo expreſſam paulo ante mentionem facit. Ita quoad Gelaſianum Sacramentorum Codicem Guillelmus Cave.

Ab ipſo etiam Guillelmo Cave.

Refellitur uti Chriſt. Matth. Pfaffius Baſnagii vindex.

Verum his non obſtantibus adhuc Baſnagio adhærens alter ex modernis Novatoribus Chriſt. Matth. Pfaffius Suevus Tubingenſis in ſua Diſquiſitione Liturgica addita ad calcem Inſtitut. Eccleſiaſt. pag. 30. & 31. ait, de Baſnagio loquens „ Hujus ergo argumenta, cum nemo hactenus ex Romanenſibus jugulaverit, cum & Baſnagius ad eas rationes, quas pro ſua ſententia Thomaſius attulit, nil reſponderit, nos rem indecoram relinqueremus, niſi cauſa nobis præcipua, ſed a Baſnagio haud memorata eſſet, ob quam hanc Liturgiam Gelaſio abjudicandam cenſeremus „ deinde ſubdit in notis „ En autem iſtam! Gregorius lib. 7. Epiſt. 64. ait, ſe Canoni Miſſatico adjeciſſe Orationem Dominicam, quæ in eodem hactenus non extiterit. Itaque in Gelaſiano Codice ea inveniri haud debet, quæ tamen in illo, quem Thomaſius edidit, extat. „ Hæc Tubingenſis Cenſor, ſed quam futilis vixque caſſa nuce digua ſit hæc cauſa, quam ipſe tanti facit, videamus. Et primo, quod nemo noſtratum Catholicæ Romanæ Communionis, & Fidei ad Baſnagii argumenta, ut inquit, reſponderit, quid mirum? ſi idem, quod ipſi incubuerat, ad Thomaſii rationes pro Sacramentario Gelaſiano allatas reſpondere non valuit? quibus mox memoratis tribus & quartam adjicimus, videlicet, quod ſolummodo reperiantur ibi eorum Martyrum tantum Natalitia, qui ultimum ſpiritum in tormentis pro Chriſti fide reddiderunt, ac proinde, ut notat idem Thomaſius SS. Felix in Pincis, & Marcellus Papa, quia ſanguinem non fuderunt, non Martyres, ſed Confeſſores tantum ex priſco Eccleſiæ uſu appellentur. Debuerat ſane Pfaffius ipſe, dum Baſnagii hyperaſpiſtem gerit, prædictas Thomaſii rationes, ſi potis erat, convellere, ut jure poſſet dicere quod nemo hactenus ex Romanenſibus Baſnagii argumenta jugulaverit, eo vel maxime, quod ut idem ipſe ait, Baſnagius ad Thomaſii rationes nil reſpooderit; at cum aliam non habeat, quam tantillam hanc evanidam, & apparentem exceptiunculam mox allatam, ex male intellecto Gregorii textu prave conceptam, ac facillime, ut oſtendemus, evulſam, non Baſnagii hyperaſpiſten, ſed hyperaſthenem, valde ſcilicet infirmum, ſe profecto demonſtrat.

Ejuſque item objecto reſpondetur.

Ad hanc itaque ſic reſpondemus: Gregorius in citata Epiſtola, alias 64. nunc in nova editione Monach. S. Mauri lib. 9. indict. 2. ord. xii. non dicit ſe Canoni Miſſatico Orationem Dominicam adjeciſſe, quaſi antea in Miſſa non diceretur, ſed Apoſtolicum, & antiquiſſimum morem eum fuiſſe, *ut ad ipſam orationem oblationis hoſtiam conſecrarent*, Apoſtoli, *&* *valde*, inquit Gregorius ibi, *mihi inconveniens viſum eſt, ut precem, quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus,*

&

& non diceremus, & ipſam traditionem (forte orationem) *quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus, & ſanguinem non diceremus*. Deinde addit modum eſſe diverſum, quo recitatur a Græcis ac in Eccleſia Romana; etenim ait; *Dominica Oratio apud Græcos ab omni Populo dicitur, apud nos vero a ſolo Sacerdote*. Ex illis porro verbis: *valde mihi inconveniens viſum eſt* &c. colligitur Gregorium quidem Auctorem fuiſſe, ut Oratio Dominica reſtitueretur in Miſſa apud Romanos, non ut diceretur; neque enim, inquit Mabillonius, Comment. in Ord. Rom. pag. 51. veriſimile eſt orationem illam divinam, quam in omnibus aliis Liturgiis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, Gallicanis, Hiſpanicis, & Mediolanenſi, & quidem Apoſtolorum exemplo in ſacris frequentatam fuiſſe conſtat, a ſola Romana Eccleſia, quæ Apoſtolicam præ aliis traditionem ſemper ſecuta eſt, prætermiſſam initio fuiſſe. Certe totam Sacrificii petitionem fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludebat Auguſtini ævo, ut nos jam oſtendimus ſupra lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 2. patetque idem ex eodem S. Auguſtino hom. 42. inter 50. Serm. 227. *poſt ſanctificationem*, inquit, *ſacrificii, dicimus Orationem Dominicam*; quod & nonnulli Patres ante Gregorium teſtantur, Cyrillus Hieroſol. Cath. Myſtag. 5. S. Hieronymus lib. 3. adverſus Pelagium, aliique. Mos erat igitur Eccleſiæ univerſalis ante Gregorii ævum, ut Oratio Dominicalis in Miſſa diceretur; ſed cum fortaſſe quidam Sacerdotes Romani hanc Orationem, quaſi alias communem omitterent, uti Presbyteri Hiſpanici extra Dominicam in divinis officiis ex Concilii IV. Toletani can. 10., cui Concilio præfuit S. Iſidorus Gregorii Magni coævus, Gregorius Romanos ad uniformem ritum decreto ſuo revocavit, nihilque aliud ab ipſo hoc loci ſtatutum fuit, quam ut Oratio Dominica non prætermitteretur in Miſſa, & congruentiori loco, ſcilicet poſt Canonem diceretur, uti Joannes Diaconus in ejus Vita teſtatur lib. 2. cap. 20. *& Orationem Dominicam mox poſt Canonem ſuper Hoſtiam cenſuit recitari*. Hæc dicta ſint ad Baſnagii, Pfaffii, aliorumque ſimilium Pſeudo-Theologorum duritiem pro rei veritate clariſſimis rationum momentis infringendam.

(5) *Niſi forte ex utroque mixtum ſit*) Hac conjectura moti Thomaſius, & Mabillonius, ille Codices, quos luce donavit, Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ nongentis annis vetuſtiores, Sacramentarium ſcilicet Gelaſianum dictum, alioſque; iſte vero de Liturgia Gallicana libros tres, Miſſale Gothicum, Miſſale Francorum, & Miſſale Gallicanum, denuo edidit, addito Lectionario Gallicano hactenus inedito, ac Diſquiſitione de Curſu Gallicano, eoſque ineunte ſeculo octavo conſcriptos fuiſſe autumat lib. 3. num. 4. & 7. Rationibus autem plurimis, quibus doctiſſimus Thomaſius dictum Codicem Sacramentorum tribus libris diſtinctum vere ipſum eſſe Gelaſianum *de Miſſarum ſolemniis* oſtendit, hanc addi poſſe crediderim; Miſſam ſcilicet in *Nativitate S. Mariæ* VI. *id. Sept.* ibi pag.

Codices Sacramentorum a Thomaſio editi nongentis annis vetuſtiores.

171., quam ante Gelaſium apud Latinos celebratam fuiſſe non conſtat, cum de ea ſolemnitate ſileant veteres Patres, quinimmo S. Auguſtinus, qui ferme integro ſeculo Gelaſium præceſſit, Serm. 21. & 22. de Sanctis clare affirmat, loquens de S. Joannis Baptiſtæ Nativitate: *Natalem*, inquit, *S. Joannis hodie celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum; ſolius enim Domini, & Beati Joannis dies Nativitatis in univerſo mundo celebratur, & colitur*; item Serm. 287. de eadem Nativitate S. Joannis Baptiſtæ: *Hinc attendat*, ait, *charitas veſtra, quam magni hominis nativitas facta ſit. Natalis dies carnis, nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia, ſolos duos natales celebrat, hujus, & Chriſti*. Conſimilia item habet Serm. 292. juxta poſtremam editionem.

Thomaſii rationibus de his libris Gelaſio tribuendis additur & alia, Miſſa ſcilicet de Nativitate B. M. V. ibi deſcripta.

Quæ ſolemnitas Auguſtini ævo nondum erat inſtituta.

Et quamvis Eccleſia dicta die ſermonem ejuſdem S. Auguſtini adhibeat in officio, nequaquam tamen in Natali Dei Genitricis Sermo ille a Sancto Doctore habitus eſt, ut optime monet Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Rom., & poſt ipſum alii, ſed in Annunciatione ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, cujus feſti eſt Sermo ſecundus, quem Natalitiæ celebritati perpaucis mutatis accommodavit Eccleſia. Hujus ſolemnitatis inſtitutionem Sergio I. Papæ, qui ſeculo ſeptimo floruit, idem Eminentiſſimus Annalium Parens adſcribere videtur, eo quod legerit dictum Pontificem ea die Litanias publicas indixiſſe, tum apud Anaſtaſium, tum in Ordine Romano, & alibi; at id quidem indicat jam antea ſolemne in Eccleſia extitiſſe Nativitatis Deiparæ feſtum, non vero tunc inſtitutum, quemadmodum & idem recenſetur tamquam pridem obſervatum in Martyrologio Bedæ, qui ſub ejuſdem Sergii Papæ Pontificatu vixit; in ſtatutis etiam S. Bonifacii Epiſcopi Epiſc. Moguntini, ac Mart. qui circa idem tempus, ineunte ſcilicet ſeculo octavo paſſus eſt, quæ extant apud Acherium Spicil. tom. IX. pag. 62. aliiſque illius ævi veterum monumentis reperitur. Gregorio Magno eam ſolemnitatem Florentinius in ſuo vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio tribuit, quia Miſſa propria de eadem Nativitate in Gregoriano Sacramentario deſcribitur; at ipſe Gelaſianum Codicem Gregoriano anteriorem non vidit, quem dedit Thomaſius, in quo hæc eadem Oratio legitur, apud Gelaſium quidem ordine prima, apud Gregorium vero quinta: *Adjuvet nos, quæſumus Domine, Sanctæ Mariæ glorioſa interceſſio, cujus etiam diem, quo felix ejus eſt inchoata Nativitas, meminimus*.

Et Sergio Papæ I. a nonnullis tribuitur.

Gelaſio igitur, non Gregorio hæc inſtitutio tribuenda, quia etiam, ut monet Daniel Papebrochius in Paralipomenis ad ſuum conatum Rom. Pontificum, ubi de Gelaſio, ad calcem tomi 7. Act. SS. Maii pag. 47. hæc Oratio Gelaſianum potius ſtylum, quam Leoninum ſapit, quare & inde ulterius comprobatur Gelaſianum Sacramentorum Codicem a Thomaſio vulgatum vere ipſius Pontificis eſſe. Porro hæc quoad ſolemnitatem Virgineæ Nativitatis toti Eccleſiæ indictam expreſſa

Verius tamen Gelaſio tribuenda videtur.

ſunt

Quæ etiam ſolemnitas forſaſſe ante Gelaſium in aliquibus locis celebrata fuit

ſunt ; Nam forte ante Gelaſium in aliquibus Eccleſiis, Provinciiſque ex peculiari populi devotione, vel ſacrorum Præſulum erga Deiparam amore privatim celebratam fuiſſe probabile eſt . Et quidem clariſs. Andreas Sauſſajus in ſuo Martyrologio Gallicano 6. idus Septembris, hæc habet : *Nativitas Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, quam S. Maurilius Andegavenſis Epiſcopus, divino monitu primus in Gallia celebrandam indixit* : & idibus ejuſdem menſis, quo die Sancti Maurilii colitur memoria, hæc ejuſdem elogio inſerit : *Sanctiſſimæ quoque Dei Genitricis favore eo donatus eſt, ut Nativitatis ejus propaganda per ipſum totam per Galliam celebritas ipſemet primum per eam revelaretur*. Idipſum & alii Scriptores Galli teſtantur. Fuit autem S. Maurilius Patria Mediolanenſis, diſcipulus S. Martini, a S. Ambroſio ordinatus Lector, itemque invitus a S. Martino ordinatus Epiſcopus, uti apud Card. Baronium ad an. Chriſti 394. num. 98., qui perperam ibi Mauritium, non Maurilium, ut recte eum vocat in Martyrologio Rom. ad diem 13. Septembris. At hæc, ut diximus, non univerſalis Eccleſiæ, ſed particularis monumenta ſunt, de quibus noſtra non intereſt.

(6) *Quia eorum opera interierunt*) De Muſæi Maſſilienſis Presbyteri Sacramentario, quod hortante Euſtachio Epiſcopo Venerii ſucceſſore confecit, hæc habet Gennadius locis citatis „ Compoſuit Sacramentorum egregium, „ & non parvum volumen per membra qui„ dem, pro opportunitate officiorum, & tem„ porum, pro lectionum textu, pſalmorum„ que ſerie, & cantatione diſcretum, ſed „ ſupplicandi Deo, & conteſtandi beneficio„ rum ejus ſoliditate ſui conſentaneum. Quo „ opere graviſſimi ſenſus, & caſtigatæ elo„ quentiæ cognovimus virum „ hactenus Gennadius. Jure ergo dolendum, quod magno ſacræ eruditionis detrimento præclarum hoc opus interierit.

(7) *Ut in ſimilibus ſæpe contigit, pertrahatur*) Notat inſuper cum Eminentiſſimo noſtro Georgius Caſſander in ſuo Ordine Romano, ubi de Collectis : *Conſtant omnes fere precationes brevi exordiolo, quo Dei Patris, ad quem fere omnis oratio referatur, benevolentia captatur &c. non vero ab aliquo facto ad Dei honorem relato. Deus, cujus providentia &c. Qui cæleſtia, & terrena moderaris* ; *aliquando ſine proœmio : Deus, qui culpa offenderis &c.* Duplex porro eſt Collectarum ſtylus, deprecatorius, & hiſtoricus : deprecatoriæ ſunt fere omnes Collectæ, quæ leguntur in feſtis, & feriis de tempore ; hiſtoricæ quæ in feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ubi breviter, vel Sancti vita, aut ejus aliqua ſpecialis actio connotatur, uti videre eſt in Collectis feſtorum S. Stephani Protomart., S. Joannis Evangeliſtæ, SS. Innocentium, S. Joannis Baptiſtæ, & SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, Sancti Laurentii Mart. & aliorum ; reperiuntur etiam Collectæ, ut ita dicam, interceſſoriæ, ſcilicet, quibus dirigitur oratio, ut Sanctus pro nobis intercedat ad Dominum ; uti Collecta S. Matthæi Apoſtoli, S. Lucæ Evangeliſtæ, & aliorum.

Duplex Collectarum ſtylus, deprecatorius, & hiſtoricus.

Collectarum porro, & maxime antiquiorum, ſeries, ac diſpoſitio, uti jamdudum ſapientiſſime obſervavit Angelicus Doctor D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 17. quatuor ut plurimum partibus, ſeu expreſſis in verbis, ſive in iis aliquo modo contentis conſtat, nimirum Oratione, Gratiarum actione, Poſtulatione, & Obſecratione, juxta Apoſtoli monitum 1. ad Timoth. cap. 2.; & primo cum Oratio ſit elevatio mentis in Deum, ſtatim initio præmitti ſolet compellato ſummo numine his verbis : *Omnipotens ſempiterne Deus*, vel *Omnipotens, & miſericors Deus*, vel frequentius hac una voce *Deus*, vel alia *Domine*, vel utraque juncta *Domine Deus*. Inuſitatum vero eſt, ut præter primaria iſta duo nomina, *Deus & Domine* ulla alia recenſeantur attributa, quam *Omnipotentis, ſempiterni, & miſericordis*. Semel dumtaxat (uti notat Guyetus in Heortologia, ſeu de Feſtis Locorum propriis lib. 3. cap. 2. quæſt. 4.) legitur in Miſſali : *Omnipotens & mitiſſime Deus*, quod tamen adjectum *mitiſſime*, idem ferme ſonat, ac *miſericordiſſime*. Exprimuntur quidem aliquæ Dei Optimi Max. perfectiones periphraſi integra, ut cum dicitur : *Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum : Deus fidelium remunerator animarum* &c. Hæc autem & ſimilia magis ad gratiarum actionem pertinere videntur, de qua mox dicendum. Orationem porro excipit Gratiarum actio, ſive pro myſterio, quod ea die recolitur, ut cum dicimus in feſto SS. Trinit. : *Qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei* &c. Et in feſto Pentecoſtes : *Qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti* &c. ſive pro gloria, aut certa aliqua gratia collata Sancto, cujus feſtum agitur, vel etiam nobis ipſis illius ope, & interceſſione conceſſa, cujuſmodi ſunt : *Qui B. Petrum a vinculis abſolutum* &c. *Qui univerſum mundum B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti* &c. *Qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti* &c. *Qui populo tuo æternæ ſalutis B. N. miniſtrum tribuiſti* &c. Tertio item Collecta conſtat poſtulatione, quæ ejuſdem præcipua pars eſt, & continetur in ea gratia, ſeu beneficium, quod a Deo poſcitur, puta liberatio a peccatis, ereptio a periculis, vitæ eternæ adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiæ, & ſimilia. Exprimitur vero ejuſmodi poſtulatio cujuſcumque rei congruentis ad inſtar prædictarum fiat, altera ſequentium verborum, *Concede, Da, Largire, Præſta, Tribue, Quæſumus ut* &c. ſubjuncta Sancti, vel Sanctorum, quorum cultus eſt, invocatione, qua ipſis intercedentibus petita impetrentur a Deo. Quarto denique Obſecratio Collectam claudit *Per Dominum*, de qua in ſequenti §. Cæterum non eſt, quod ſemper has quatuor partes ſe ſe conſequentes habeant veteres etiam Collectæ ; ſæpe enim Poſtulatio gratiarum actioni præmittitur, ut in Collectis S. Stephani : *Da nobis quæſumus Domine, imitari quod colimus* &c. S. Laurentii : *Da nobis, quæſumus omnipotens Deus vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio* &c. Oratio vero, quæ ut plu-

Collectarum maxime veterum ſeries, & diſpoſitio quatuor partibus conſtans.

plurimum unica voce *Deus*, vel *Domine* continetur, modo Gratiarum actioni, modo Poſtulationi inſeritur, idque eſt quod hactenus inſinuatum, Collectas ſcilicet dictis quatuor partibus explicite, vel implicite, ut ſcholæ verbis utar, conſtare.

§. V.

Collectarum concluſio explicatur.

Oratio in Collectis Miſſæ ad Patrem fere ſemper directa.

COncluditur demum Oratio Obſecratione, & Obteſtatione per Chriſtum, qui eſt mediator, & Redemptor noſter. Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilium Carthaginenſe III. decrevit, & per Filium terminatur, ſicut ipſe olim præcepit dicens, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Atque ideo Tertullianus dixit *cap.* 21. *Apolog.* Chriſtianos Deum per Chriſtum colere. *Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati, & cruenti vociferamur, Deum colimus per Chriſtum. Per eum, & in eo ſe cognoſci vult Deus & coli*. Meminit ejuſdem ritus Optatus Milevitanus lib. 3. *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante aram rogaverit* (1). (1)
Et Haymo Halberſtaten. in cap. 7. Epiſt. ad Hebræos: *Unde*, inquit, *& Sacerdotes Eccleſiæ Altari aſſiſtentes dicunt, Suſcipe Domine, ſancte Pater, preces populi tui, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*. Nemo autem copioſius, & elegantius totam hanc clauſulam Orationum expoſuit, quam Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus in Epiſt ad Ferrandum Diaconum de quinque Quæſtionibus, (ab eo ſibi propoſitis) quarum quarta eſt iſta: *Unum*, inquit, *regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti credimus, & fatemur, ſimul eos dominari creaturis omnibus ſentientes: quare ergo in orationibus Sacerdotum*: Per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, *per univerſas pene Africæ regiones Catholica dicere conſuevit Eccleſia, tamquam ſolus Filius cum Patre poſſideat regnum in unitate ſcilicet Spiritus Sancti, ut regnantes adunare, non ſimul regnare Spiritus Sanctus intimetur?* Reſpondet Fulgentius admodum prolixe aſſerens nos per Jeſum concludere orationem, quod ille mediator ſit. Tum ex doctrina B. Auguſtini, ait ideo nos unitatem Spiritus Sancti cum Patre, & Filio prædicare, ut ex ipſo unitatis nomine, una eſſentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem uno regno, una Trinitatis poteſtas, unaque majeſtas a Fidelibus agnoſcatur: ne putetur aut Filius, aut Spiritus Sanctus ſecundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiori regnat inferior; ſed illa unitas Spiritus Sancti, quæ eſt communio Patris, & Filii, dum in illo regno unitatem Divinitatis monſtrat, unam eſſe regnandi æternitatem, unam poteſtatem, atque majeſtatem, unamque dominationem ſummæ Trinitatis edoceat. *Nullum* autem *præjudicium Filio, vel Sancto Spiritui comparatur*, ut idem Fulgentius ſcribit lib. 2. ad Monimum cap. 5. *dum ad Patris Perſonam precatio ab offerente dirigitur, cujus conſummatio, dum Filii, & Spiritus Sancti complectitur nomen, oſtendit nullum eſſe in Trinitate diſcrimen: quia dum ad ſolius Patris Perſonam honoris ſermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis deſtinatur intentio, Sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio* (2). Ad ſolum igitur Patrem omnes fere Collectæ (2)
directæ ſunt, paucæ ad Filium, nulla ad Spiritum Sanctum: non quia is donum eſt, & a dono donum non petitur, ut nonnulli cum Durando in ſuo Rationali philoſophantur; ſed quia Miſſa repræſentatio eſt ejus ob-

Raro ad Filiū, non ita ad Spiritum Sanctū invenitur.

lationis, qua Chriſtus ſe Patri obtulit, ac propterea ad ipſum Patrem Liturgicæ precationes diriguntur (3). Porro ex dictis antiquitas hujus clauſulæ *Per Chriſtum* dignoſcitur: quæ poteſt etiam ex Tertulliano confirmari, qui *lib. de ſpectaculis cap.* 25. æonas æonum ideſt ſæcula ſæculorum, alii omnino dicere vetat niſi Deo, & Chriſto. Et ex Irenæo *lib.* 1. *cap.* 1. ubi redarguens Valentini Hæreſiarchæ portentoſum commentum de triginta Aeonibus, variiſque Aeonum generationibus refert diſcipulos Valentini conatos fuiſſe illius erroris participes facere Catholicos, quod in orationibus dicerent æonas æonum, ideſt ſæcula ſæculorum (4).

Collectarum conclusiones aliquot ex antiquiſſimis Patribus priorum trium ſæculorum.

(1) *Per Filium ejus ante aram rogaverit*) S. Clemens I. Papa Rom. in Epiſt. ad Corinth. hanc clauſulam in fine adhibet: *Inſpector omnium Deus, Spirituum Dominus, & Herus univerſæ carnis, qui elegit Dominum Jeſum Chriſtum, & per eum nos in Populum peculiarem, omni animæ, quæ invocaverit magnificum, & ſanctum nomen ejus, det fidem, timorem, pacem &c. Per ſummum Sacerdotem, & Patronum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem illi gloria, majeſtas, imperium, honor, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* S. Irenæus lib. 3. adv. Hær. cap. 6. *Ego invoco te Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus, qui per multitudinem miſericordiæ tuæ bene ſenſiſti in nobis, ut te cognoſcamus, qui feciſti cælum, & terram, qui dominaris omnium, qui es ſolus, & verus Deus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* &c. Card. Baronius ad an. 270. n. 5. refert ex Actis SS. Martyrum Marii, Marthæ, Audifacis, &c. qui eodem tempore paſſi ſunt, quemdam Epiſcopum nomine Calliſtum hanc orationem dediſſe: *Domine Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, auge fidem, & fiduciam ſervis tuis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit cum te Deo Patre Omnipotente, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Et reſponderunt omnes: Amen.* Euſebius Hiſt. Eccl., ſeu de Martyribus Paleſtinæ cap. 8. refert orationem Pauli Martyris: *pro Chriſtianis . . . . deinde pro Judæis oravit, ut ad Deum per Chriſtum adducerentur, & ſic de cæteris.*

Quamvis ad Patrem dirigatur oratio, tota tamen Trinitas exoratur.

(2) *Eodemque offertur litantis officio*) Ante ipſum Tertullianus lib. de Orat. cap. 2. *quoties Patrem invocamus ob eſſentiæ unitatem, Filius, & Spiritus Sanctus coadorantur.* Sed & non pigeat eumdem inſignem Africanum Theologum Ruſpenſem Epiſcopum denuo de hac clauſula ſublimiter diſſerentem audire. Is itaque lib. 9. contra Fabianum de veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ, inter illius Operum fragmenta a Franc. Chiffletio edita, & in Biblioth. P.P. Lugdun. tom. IX. ſic habet: *Et quoniam unus eſt Patris, & Filii Spiritus, neceſſe eſt ut dum invocatur Pater, aut Filius, in Patre & Filio etiam ille, qui unus eſt utriuſque Spiritus, invocetur. Unus eſt autem Jeſus Chriſtus unigenitus Dei Patris Filius, cujus nomine concludimus omnem orationem, quam deſtinamus ad Patrem; nec tamen ſine Sancti Spiritus nomine, ut oſtendamus totam nos humiliter poſcere Trinitatem; non enim omni Trinitati dicimus*: Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, *ſed ſoli Patri, cujus eſt unigenitus Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Ad hoc autem nomen Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, cum Patrem oramus, adjungimus, ut quidquid poſcimus, a tota nos Trinitate poſtulare monſtremus. Et certe cum una ſit operatio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, tres illæ adorandæ Perſonæ ſunt unus orationis finis*; ſiquidem, (ut ſubdit ad hæc Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. lib. 1. quæſt. 2. art. 2.) ſunt unum operationis principium, ab iiſque ſimul, & indiviſe expectatur orationis effectus. *Certum eſt itaque* (proſequitur Fulgentius) *ſecundum veræ fidei regulam, in qua ſanctæ Trinitatis una ſubſtantia creditur, nullam ſeparationem Patris, & Filii fieri, ſive Pater, ſive Filius invocetur a Fidelibus; ab illis autem nec Patrem invocari, nec Filium, qui in invocatione quæ offertur Patri non credunt cum Patre Filium naturaliter invocari. Hæc enim habet naturalis unitas Trinitatis, ut inſeparabiliter cuncta illis tribus Perſonis exhibeantur ſanctæ religionis obſequia, in quibus una eſt inſeparabilis, incommutabiliſque natura. In orationibus quippe, quas una vera Eccleſia fundit ad Deum, & naturæ ſervatur unitas, & Perſonarum diſcretio cuſtoditur: ut cum ad Patrem dirigitur oratio, qui eſt origo Filii, & Spiritus Sancti Trinitatem veram ipſe finis orationis oſtendat. Sic Sabellii, atque Arii perfidia vincitur, dum in ipſis quoque orationibus, & precibus tam unius naturæ, quam trium Perſonarum veritas a Catholicis Sacerdotibus prædicatur.*

Hujuſmodi Collectarum clauſula plurium hæreſū perfidia jugulatur.

Neque tantum Sabellii, & Arii perfidiam vinci hujuſmodi Eccleſiaſticæ Orationis, ſeu Collectarum concluſione affirmat Fulgentius, verum & Manichæorum, & Eutychetis errores per fidem noſtram in ea expreſſam diſcerni, & confundi luculenter oſtendit. *Nam cum nos oſtendimus* (inquit prælaudato libro ad Ferrandum de quinque Quæſtionibus n. 33. apud Petrum Franc. Chiffletium inter Opera Ferrandi pag. 116. in fine & ſeqq.) *per æternum Sacerdotem Dominum Chriſtum noſtras orationes offerri, veram in eo carnem noſtri generis confitemur ſecundum illud, quod Apoſtolus dicit ad Hebr.* 5. 1. Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. *Cum vero dicimus* Filium tuum, *& adjicimus* qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, *illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ubi oſtenditur idem ipſe Chriſtus pro*

nobis

nobis Sacerdotali functus officio, cui naturalis eſt unitas cum Patre, & Spiritu Sancto. Vide quæſo quanti ex hoc convincantur Hæretici. Principaliter enim noſtra fides a Manichæorum errore diſcernitur, cum per illum Sacerdotem noſtras orationes offerimus, qui propterea verus eſt Sacerdos, quia ſemetipſum veram pro nobis hoſtiam obtulit, quod Apoſtolus (ad Epheſ. cap. 5. 1.) indubitanter affirmat, dicens quod: tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. *Qui utique veram hoſtiam non offerret, ſi carnis in eo veritas non fuiſſet. Hujus hoſtiæ veritatem poſtquam a mortuis reſurrexit, ipſe ſummus Sacerdos diſcipulis ſuis oſtendit, & contrectandam obtulit, dicens:* (Lucæ 24. 39.) Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

Hinc etiam fides noſtra diſcernitur ab Eutychis errore, qui licet Incarnatum Verbum negare non audeat, ipſam tamen Verbi carnem cum non fateatur ſumptam de carne Virginis, myſterium ſummi prorſus evacuat Sacerdotis, cui Apoſtolus illa, quam ſuperius poſui, ſententia contradicit; & alio loco (ad Hæbr. 2. 16.) Nuſquam enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. *Hoc itaque ſermone, quo per Jeſum Chriſtum nos oſtendimus noſtras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Chriſto veritatem humani corporis non fatetur. Sed quia Chriſtus non ſolum verus homo, ſed & verus eſt naturaliter Deus, & unus cum Patre, & Spiritu Sancto Deus, digne dicimus Deo Patri:* qui tecum vivit, & regnat: *In illa utique unitate naturali, quam oſtendens ait* (Joan. 10. 30.) Ego & Pater unum ſumus. *Ubi ſimiliter fides noſtra non ſolum ab Arii, & Sabellii, verum etiam a Neſtorii errore diſcernitur, in ipſo quippe unitatis vocabulo, ſicut Patris, & Filii diverſa cognoſcitur non eſſe ſubſtantia, ita cum dicimus:* qui tecum vivit & regnat, *oſtenditur Patris, & Filii una non eſſe Perſona. Apparet etiam æternum Sacerdotem ipſum verum Filium eſſe, qui cum Deo Patre regnat in unitate naturæ. Cum vero*, in unitate Spiritus Sancti *dicimus, unam naturam Spiritus Sancti cum Patre, Filioque monſtramus. Unitas autem naturæ quid aliud quam Trinitatem unum Deum, & ex hoc unum oſtendit & Regnum?* Hactenus de Collectarum clauſula diſerte ex Theologica veritate Fulgentius, qui & nonnulla ad idem argumentum proſequens, tum hoc loci, tum ſupra memorato lib. 9. contra Fabianum, docet non ſoli Patri, ſed toti ſimul Sanctiſſimæ Trinitati Sacrificium offerri: *Sive enim*, inquit, *in oratione, ſive in Sacrificio, nullam facit fides vera diſcretionem muneris, quia non eſt in Trinitate diverſitas poteſtatis.* Hinc igitur flectamus genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ipſum adorantes, ipſum glorificantes, ipſi gratias agentes; ad ipſum enim, ut dictum eſt, omnes pene orationes ſuas dirigit Eccleſia, ſed tamen omnis oratio Fidei noſtræ, quamvis ad unam ex Trinitate Perſonam dirigi videatur, nihilominus in ea totius Trinitatis honorificentia continetur, quia ex Joannis Epiſt. 1. cap. 5. 7. *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, hi tres unum ſunt.* Sed ad alia circa eamdem Collectarum clauſulam diſquirenda, procedendum erit.

(3) *Liturgicæ precationes diriguntur*) Item quia, uti vel ipſe obſervat Eraſmus de modo orandi, in tota Scriptura exemplum orationis ad Spiritum Sanctum in ſpecie directæ non extet; ob ſimilem cauſam Collectas ad Filium Dei valde raras habuit Eccleſia, quod in ſacris Literis præter unam, atque alteram orationem, v. g. S. Stephani Protomartyris Act. 7. 59. Filius Dei in perſona propria precibus hujuſmodi cultus vix legatur, & ipſe Chriſtus Dominus ita orandi modum docuerit, dicens Matthæi c. 6. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis*; adeoque ſic ſtatutum eſt in Concilio Carthaginenſi III. ut ſupra notat Eminentiſſimus Auctor ſub Siricio Papa ann. 393. can. 23. *nemo ad Altare Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, ſed ſemper orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione utatur, niſi probata.* Oratio itaque ad Patrem dirigitur; *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, & concluditur, *qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.* Idque ex antiqua, ut diximus, non interrupta Eccleſiæ traditione: *in qualibet concluſione commemorationem S.S. Trinitatis obſervare ſolemus* (ait Micrologus cap. 6.) *juxta quod in emendatioribus Sacramentariis expreſſum invenimus: adeo enim SS. Patres invocationem SS. Trinitatis obſervabant, ut nec in ipſis Sacramentis aliquid ſine ipſa ratum cenſerent.*

Statutum in Conciliis orationes in Eccleſia ad Patrem dirigi, & nonniſi probatas adhiberi.

Ad hunc locum notanda ſunt, quæ Innocentius Papa III. in reſponſione ad quæſita Joannis Lugdunenſis Epiſcopi ſcribit Epiſt. 14. apud Odoricum Rainaldum in Annal. Eccl. tom. XIII. ad ann. 1203. num. 72.: *Secundo quæſiſti*, ait, *cum orationes quædam ad Patrem, quædam ad Filium ſpecialiter dirigantur, cur nulla ſingulariter ad Perſonam S. Spiritus referatur, cum in Hymnis, ſive metricis, ſive rhythmicis, quibus Eccleſia utitur, ſæpius invocetur*: cui reſpondet Pontifex: *ob hoc ad Spiritum Sanctum Collecta non dirigitur ſpecialis, quoniam antiquitus in Eccleſia primitiva omnes ad ſolum Patrem Collectæ fiebant propter auctoritatem principii, quam ei Chriſtus in Evangelio totam attribuit, a quo & Filius ipſe naſcitur, & Spiritus Sanctus procedit.* Idque multis Evangelii textibus, ac rationibus probat, *atque hoc ipſum*, ait, *in Præfationibus uſque hodie obſervatur, quæ ad ſolum Patrem univerſaliter referuntur*; deinde ſequitur: *quia vero quidam Hæretici dogmatizare cœperunt, quod Chriſtus non eſſet verus Deus, ſed purus homo, & una ex eorum erroris cauſis erat quod Collectæ non fiebant ad Filium, ſicuti fiebant ad Patrem, quia Filius non eſſet Deus, ſicut eſt Pater: ideo ad confutandam hujus perverſitatem erroris, Eccleſia prudenter inſtituit, ut ſicut ad Patrem, ſic ad Filium dirigerentur Collectæ, ad majorem Deitatis expreſſionem talem concluſionis formam adjungens, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Fuerunt & alii*

Cur ad Perſonam Spiritus Sancti Collecta non dirigatur ſpecialis in Miſſa.

Hæretici, qui Spiritum Sanctum Deum non eſſe dixerunt; idcirco in Hymnis, & Litaniis, ſicut ad Patrem, & Filium, ſic ad Spiritum Sanctum Eccleſia poſtmodum proprias, & ſpeciales orationes inſtituit; Hæc Innocentius.

Præterea hoc loci præſtat Micrologi obſervationem de Eccl. Obſerv., ſeu de Miſſa rite celebranda cap. 6. animadvertere. Contendit ipſe Collectæ, ſeu Orationis concluſionem ita exprimendam eſſe: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum vivit, & regnat Deus*. Et poſtpoſitionem hujus vocis *Deus* his verbis *Spiritus Sancti*, tunc fuiſſe recentem; *Sciendum*, inquit, *in illa uſitata concluſione: Per Dominum noſtrum, quod Romanus Ordo, & antiquiſſima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: Qui tecum vivit, & regnat Deus; quod tamen moderni poſt nomen Spiritus Sancti ſubjungere ſolent, & hæc utique conſuetudo etiam apud Romanos uſquequaque adeo invaluit, ut antiquæ traditionis executio jam non ſine ſcandalo locum habere poſſit*: Hæc Micrologus, qui tamen ab hac in Romanos cenſura abſtinere potuerat; etenim ſive poſtponatur, ſive præferatur nomen *Deus*, nequaquam concluſionis ſenſus levi iſta tranſmutatione corrumpitur, cum nihil de ſubſtantia immutetur; adeoque nullum ſcandalum parere poteſt. Certe etiam nunc Eccleſia Romana modum a Micrologo olim in ipſa deſideratum obſervat, & an præter Ambroſianam Eccleſiam, alibi antiquior ille mos, ſeu ritus obſervetur, ignoro. Cæterum Radulphus Tungrenſis lib. de Can. Obſerv. prop. 23. ex Romana, ut ait, auctoritate hanc vocem *Deus* poſt nomen Spiritus Sancti ponendam, non præmittendam eſſe tradit. Porro circa hujuſmodi clauſulam *per Chriſtum*, vide eumdem Tertull. a Card. citat. Apologet. cap. 21. ubi ſic ait: *Deum colimus per Chriſtum. Illum hominem putate, per eum, & in eo ſe cognoſci vult Deus, & coli*.

Micrologus notatus parum æquæ in Romanos cenſuræ.

(4) *Ideſt ſæcula ſæculorum*) Irenæus ibi: *atque adeo nos cum in gratiarum actione dicimus in ſæcula ſæculorum*. Idem Tertullianus lib. 1. ad uxorem cap. 1. *Deus faciat, cui ſit honor, gloria, claritas, dignitas, & poteſtas nunc, & in ſæcula ſæculorum*; atque ideo, quia perſpicue id manaſſe videtur ex traditione Apoſtolica; eapropter in Liturgia Jacobi decem, & octo; in ea, quæ Clementis dicitur, tribus; in Liturgia Baſilii ſexdecim; in Liturgia Chryſoſtomi vigintitribus vicibus ea verba repetita leguntur. Florus Magiſter noni ſæculi Auctor in ſuo Opuſculo de Actione Miſſarum, quod ex verbis SS. PP. Cypriani, Auguſtini, Fulgentii, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii, aliorumque veterum, & ex antiquis Myſteriorum libris collegit, extatque in Biblioth. vet. PP. edit. Lugdunen. tom. 15. pag. 81. *Quid eſt autem* (inquit) *quod damus honorem, & gloriam Deo Patri per Filium in unitate Spiritus Sancti per omnia ſæcula ſæculorum? Quid eſt autem per omnia ſæcula ſæculorum? Niſi quod Beatus Judas Apoſtolus in fine Epiſtolæ ſuæ velut, & deſtincte, & deſignanter exponit, & exponendo generaliter concludit, dicens: ſoli Deo Salvatori noſtro, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum gloria, magnificentia, imperium, & poteſtas. Ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum*. In Liturgiis Græcorum orationes concluduntur glorificatione hac, vel ſimili forma concepta: *quia tua eſt potentia, tuum eſt Regnum, virtus, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen*, aut etiam *Gloria Patri* &c. Sicut erat &c. uti videre eſt in Liturgia Chryſoſtomi.

Clauſula in ſecula ſeculorum *in fine Collectarum appoſita, antiquiſſima.*

Diſſeruimus hucuſque de Collectis, ſive Orationibus plerumque ad Patrem, quandoque ad Filium directis; quia vero Ven. Card. Bellarminus lib. 6. de Euchariſtia, ſeu ſecundo de Miſſa cap. 16., ubi de Collecta, ait ordinarie quidem ad Patrem Collectas dirigi, non vero ad Trinitatem, duaſque propterea aſſignat cauſas, quarum una eſt, quia Dominus nos ita docuit orare Math. 6. „ *Pater noſter, qui es in cœlis*. Et Joannis „ item 6. *quidquid petieritis Patrem in nomine meo*. Altera, quia debet ſemper oratio „ concludi per Chriſtum, cum ſit ille advocatus noſter, per quem omnia petimus; „ incommodum autem fuiſſet dirigere orationem ad Trinitatem, & concludere: *Per* „ *Filium tuum* &c. videremur enim eo modo facere Chriſtum Filium Trinitatis, quod „ ſi omiſſa voce Filii diceremus: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, videremur dividere Chriſti perſonas, nam unam includeremus in Trinitate, quam invocamus, alteram excluderemus, per quam invocamus: „ tolluntur autem omnia incommoda, cum „ diriguntur ad unam perſonam: & quia „ perſona Patris eſt prima, & ab illa cæteræ originem ducunt, viſum eſt optimum, „ ut quando ad unam Perſonam dirigendæ „ erant, ad Patrem dirigerentur „. Hæc inter Theologos primi ſubſelli piiſſimus Doctor Bellarminus, cui & alii ſuccinunt nonnulli, inter quos Honoratus Tournely Curſus Theolog. tom. 3. parte 3. art. 13. ubi de Collecta; ideo hac de re nobis diſſerendum erit. Et quidem e contra Gavantus, ejuſque Annotator Meratus in Rubr. Miſſ. parte 1. tit. 9. num. 17. ajunt quandoque ad ipſam Trinitatem Orationes dirigi, uti revera conſtat ex illis duabus, de quibus ii ſermonem habent. Ille quidem inquit „ quod ſi ad ipſam „ Trinitatem dirigitur oratio, dicitur: *Qui* „ *vivis* &c. ne videatur ſeparari Chriſtus a „ Trinitate, deinde ſtatim ſubdit: hoc autem „ eſt commune omnibus concluſionibus, ut „ mentio in iis fiat ſemper Sanctiſſimæ Trinitatis, ut intelligamus nullum fieri præjudicium reliquis divinis Perſonis, quæ in „ Oratione taceri videntur, dum conſummatio oſtendit nullum eſſe diſcrimen in Trinitate. „ Fulgentius lib. 2. ad Monimum quæſt. 1. In Gavantum porro ſic obſervat Meratus: „ Quamvis Gavantus dicat orationem „ ad Trinitatem directam terminandam eſſe: „ *Qui vivis & regnas* &c. nihilominus Biſſus ſupra §. 6. advertit eſſe attendendum „ modum, quo Perſonæ in illa oratione „ nominantur, & ita dicendum: *Per eumdem Dominum noſtrum* &c. *in unitate ejuſ-*

„ *dem*

„ *dem Spiritus Sancti* &c. *vel Per Chriſtum* „ &c. exemplum adducit illius orationis *Suſcipe Sancta Trinitas*, quam lotis manibus „ dicit Celebrans in Miſſa, in qua quia peculiariter exprimitur nomen Filii, concluditur *Per eumdem Dominum noſtrum*. In alia „ vero Oratione, quam Celebrans dicit poſt „ *Ite Miſſa eſt*, nempe *Placeat tibi Sancta Trinitas*; quia nulla Perſona ſpecialiter exprimitur, idcirco concluditur: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*.

Card. Bellarminus, & Tournelius obſervati.

Quis autem horum inſignium virorum probabiliori videatur adhæſiſſe ſententiæ, meum profecto non eſt judicium ferre; memor quippe ſemper ero, qualiſcumque ſim, illius moniti apud Eccleſiaſticum cap. 7. 18. *Non te reputes in multitudine diſciplinatorum*. Cæterum, ſi id opinari libuerit, exiſtimaverim Card. Bellarminum laudatum aſſerendo ordinarie quidem ad Patrem Collectas dirigi, non vero ad Trinitatem, ad illas dumtaxat reſpexiſſe antiquiſſimas, quæ ante Epiſtolam, ante Præfationem, & poſt Communionem dicuntur, ac fere ſemper ad Patrem directæ ſunt juxta Concilii Carthag. vulgo III. decretum an. 252. emanatum can. 23. quo ſtatuitur: *ut in Altari ſemper ad Patrem dirigatur oratio*: adeoque hac ratione forte non advertiſſe ad memoratas *Suſcipe Sancta Trinitas*, & *Placeat tibi* &c., quæ non ita vetuſti ſunt inſtituti, uti ſuo loco dicetur. Et ſane quatuor primis Eccleſiæ ſeculis nulla in Orationibus de Sanctiſſima Trinitate mentio fiebat, ne qui trium Perſonarum myſterium ignorabant Gentiles, Chriſtianis ipſam Deorum pluralitatem, quam in illis execrarentur, objicerent, & exprobrarent, quemadmodum ex Vigilio Tapſenſi de Trinitate, qui quinto floruit ſeculo, & Floro Lugdunenſi, Expoſit. in Canonem Miſſæ, qui nono claruit, colligunt Petrus Brunus Explicat. Cærem. Miſſæ tom. 1. pag. 361. & poſt ipſum Em. Card. Proſper Lambertinus, nunc Benedictus Papa XIV. feliciter regnans Tract. de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. num. 185. deque hoc occultato Ethnicis, & Catechumenis auguſtiſſimo, atque ineffabili Sacroſanctæ Trinitatis myſterio plura cum Cardinali noſtro diximus ad lib. 1. cap. 16. §. 2. ſeu tom. 1. pag. 328. & ſeqq. Sciebant utique priſci Fideles, quod non adoretur Pater, niſi cum Filio, & Spiritu Sancto, neque una Perſona ſine alia glorificetur, ac propterea cultus omnis latriæ uni earum præſtitus, alteri plane abſque ulla differentia diſcretionis æqualiter tribuatur, & competat, juxta illud Joan. cap. 5. 23. *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*. Quod ſublime myſterium luculenter explicat S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſ. in Libro de Fide ad Petrum, cujus adoptata verba in officio SS. Trinitatis credenda & confitenda nobis proponit Eccleſia: *Sed quia*, inquit, *in illo uno vero Deo Trinitate non ſolum quod unus Deus eſt, ſed etiam quod Trinitas eſt naturaliter verum eſt, propterea ipſe verus Deus in Perſonis Trinitas eſt, & in una natura unus eſt. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio*.

Hæc, inquam, profecto non ignorabant primi illi Evangelici vagientis Eccleſiæ Præcones, neque eos latebat, quod licet in publicis ſacris fidelium conventibus orationes utplurimum dirigerentur ad Patrem, in Patre tamen omnes tres Perſonas *per unitatem naturalem*, quam habent, una ſimul, & æqualiter invocari, ſicuti diſerte ex Tertulliano, aliiſque antiquiſſimis Scriptoribus, idem tradit Bellarminus Controverſ. tom. 1. de Chriſto lib. 1. cap. 17. in fine; at vero propter mox allatam rationem, ne videlicet Infideles quicumque, Judæi, Ethnici, Catechumeni, aliique non initiati ſcandalum pati poſſe viderentur, dum myſterium neſcientes, Chriſtianos tres divinas Perſonas diſtinctas, quæ in ſimpliciſſima unitate naturæ Deus ſunt, adorantes, tres Deos colere ipſos falſo putarent; idcirco ut omnis hujuſmodi temerariæ ſuſpicionis vitaretur occaſio, prudenter olim ſancitum eſt, ut in publicis Eccleſiæ precibus *in altari ſemper ad Patrem dirigatur oratio*. Extinctis poſtea Tyrannorum in Chriſtianos perſecutionibus, reddita Populis fidelibus pace, & eliminata undequaque idololatrica ſuperſtitione, ceſſante proinde dicto quolibet adverſi præjudicii metu, non dubitavit tum Latina, tum Græca, univerſalis nempe Eccleſia Catholica in ſolemni, privataque divini Sacrificii oblatione, idem Sanctiſſimæ Triadi ſuſcipiendum, acceptandumque peculiari oratione dirigere, haſque Collectas concludere, vel *Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* &c. ubi jam intus illius aliqua mentio eſt, vel ubi nulla Perſona expreſſe indicatur, *Per Dominum. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus* &c. Neque propterea ſic (ni fallor) videmur dividere Chriſti Perſonas, unam includentes in Trinitate, quam invocamus, alteram excludentes, per quam invocamus, uti concipiunt laudati Bellarminus, & Tournelly; nam dicendo: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus*; hac profecto clauſula eamdem Divinam Verbi Incarnati Perſonam invocantes, non dividimus, nec a Trinitate excludimus, cum illam ipſam, & per ipſammet invocamus, quemadmodum idem Dominus, ac Magiſter noſter docuit Joan. cap. 14. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*. Indeque eſt quod Eccleſia divino hoc edocta monito, poſterioribus ſeculis, cum omnis adverſæ ſuſpicionis metus ſublatus fuit, nonnullas etiam orationes, quamvis paucas, ad Filium dirigere conſuevit cum illa concluſione: *Qui vivis, & regnas* &c. uti ex Ordinibus, & Sacramentariis poſt Gregorii Magni tempora confectis conſtat. Hæc autem dicta ſint, non ad Bellarmini, ac Tournelly cenſuram, quorum Theologicam eruditionem admirabundus ſuſpicio, ſed ad pleniorem utcumque rei Liturgicæ illuſtrationem.

§. VI.

§. VI.

Aliæ earum Collectarum concluſiones, deque ipſarum numero.

De clauſula finali, & voce Amen.

POſt Collectam totus cœtus accinit *Amen*, de qua voce, ejuſque uſu poſt precationem loquitur Apoſtolus 1. *ad Cor. cap.* 14., & poſt eum antiqui Patres Juſtinus Martyr Apolog. 2. *Abſolutis precibus, & gratiarum actione quilibet de populo, qui adeſt, fauſtis vocibus acclamat* Amen. Hieronymus *Præf. lib.* 2. *in Epiſt. ad Galatas* in Eccleſiis Urbis audiri teſtatur quaſi cœleſte tonitru populum clamantem, & reboantem *Amen*. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 7. *cum Epiſcopus ſolus intus eſt, populus orat cum illo, & quaſi ſubſcribens ad ejus verba reſpondet:* Amen. Idem in fragmento ſermonis ad populum contra Pelagianos *Amen veſtrum ſubſcriptio veſtra eſt, conſenſio veſtra eſt, adſtipulatio veſtra eſt*. Dionyſius Alexandrinus in Epiſt. ad ſummum Pontificem Sixtum apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 9. *Qui gratiarum actionem frequenter audierit, & cum cæteris reſponderit* Amen. Theodoretus in Epiſt. 2. ad Cor. cap. 1. *Non ſolus Sacerdos orans offert hymnum, ſed etiam qui* Amen *adjungit, eſt oblatæ glorificationis particeps*. Cyrillus Catech. myſtagog. 5. obſignari ait per *Amen* orationem; ſicut eadem voce obſignatas olim Epiſtolas, quas *Formatas* vocabant, docet Ferrarius *lib. 1. de antiquo genere Epiſtolarum Eccleſiaſticarum cap.* 5. Alia quædam de hac voce notavi in tractatu de Divina Pſalmodia *cap.* 16. §. 17. *num.* 5. (1). Quod vero attinet ad numerum Collectarum, ſunt (1)
quidam recentiores, qui aſſerunt Eccleſiam Romanam a temporibus Apoſtolicis tres orationes recitare conſueviſſe: nullum tamen hujus aſſertio-

Quot in Miſſa Collectæ dicendæ ex antiquis Sacramentariis.

nis teſtimonium afferunt: imo illi refragantur Ordo Romanus, & antiqui Sacramentorum libri, in quibus pro ſingulis Miſſis una tantum Collecta aſſignatur (2). Neque obſtat Concilium Laodicenum, a quo ſan- (2)
citum fuit can. 19. tres in Miſſa orationes fieri, unam pro Catechumenis, alteram pro Pœnitentibus, tertiam pro Fidelibus: cui ſanctioni favet Chryſoſtomus *hom.* 72. *in Matth.* Nam Ritus Græcus in uſu Collectarum, ut ſupra indicavimus, diſcrepat a Latino, & in locis citatis tam Concilium, quam Chryſoſtomus non loquuntur de Collecta, quæ a nobis poſt Introitum dicitur; ſed de orationibus, quæ poſt Evangelium, & Homiliam (Epiſcoporum) fieri ſolebant ſuper Catechumenos, & Pœnitentes, antequam veteri ritu dimitterentur, & ſuper Fideles, qui in Eccleſia remanebant. Puto autem orationes apud Latinos multiplicari cœpiſſe in Monaſteriis, quod ex Synodo Matiſconenſi habita, ut notat Sirmondus an.. 627. deduco. In ea ſiquidem Agreſtinus Monachus Luxovienſis vir pravi, & arrogantis ingenii Regulam *S.* Columbani tanquam ſuperſtitioſam impugnavit, inter cætera objiciens Columbanum a cæterorum Eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra Miſſarum ſolemnia multiplicatione Orationum, vel Collectarum celebrare. Cui obſtitit Euſtaſius ejuſdem Monaſterii Abbas dicens, multiplicationem orationum omnibus proficere Eccleſiis, quia dum plus Dominus quæritur, plus invenitur: & cum uberius oratione pulſatur, eo citius exaudire probatur. Narrat diffuſe hanc diſputationem Jonas Aurelianenſis in vita prædicti Euſtaſii ſive Euſtachii, ut alii eum vocant. Huc etiam ſpectat quod Matth. Paris refert in vita Abbatum S. Albani, Joannem ſcilicet ejus Monaſterii Ab-

Abbatem conſtituiſſe, ne numerus Collectarum in Miſſa ſeptennarium excederet (3). Non ſolum autem in Miſſæ, officiorumque divinorum ſolemniis Collectæ olim recitari ſolebant; ſed in quocumque Clericorum ſeu Monachorum conventu, quoties ſimul orabant, qui præſidebat brevi Collecta conventum dimittere ſolebat. Teſtis eſt hujus conſuetudinis Valfridus Strabo cap. 22. dicens, conſueviſſe veteres Patres, qui cæteris eminentiores erant, non ſolum inter officia Miſſæ; verum etiam in aliis conventibus, & colloquutionibus brevi oratione opus concludere: *Quod*, inquit, *& in ſanctorum Patrum exemplis agnoſcimus, dum alii alios honorificentiæ cauſa orationes colligere poſtulabant. Sicut etiam nunc ſolent Sacerdotes in concluſionibus nocturnæ, vel diurnæ Synaxeos orationes breves, ideſt Collectas ſubjungere. Sunt enim tales, ut non alibi, quam circa Sacrificii celebrationem ſint dicendæ. Sunt vero aliæ, quibus & in officio Miſſæ, & non minus in aliis locis poſſumus uti*. Confirmatur ex Regula Magiſtri cap. 15. ubi loquens de oratione pro fratre fluctuante ab univerſa congregatione facta, poſtquam omnes diutiſſime oraſſent, ſurrexiſſe omnes ait, & ab Abbate completam fuiſſe orationem. Cæterum hoc loco præterire non debeo ab hoc Magiſtro, quicumque ille fuerit, Collectam inuſitato, ſibique peculiari, ac plane barbaro vocabulo vocari *Rogus Dei*. Sic ille paſſim in Regula cap. 33. *Extra lectiones, verſum, & rogus Dei* cap. 35. *Pſalmi matutini dici debent omni tempore ſex, reſponſorium unum, verſum, lectionem Apoſtoli, & Evangelii, quam ſemper dicit Abbas, & rogus Dei*. Et infra *Poſt ipſam rogus Dei* cap. 37. *Pſalmi completorii tres dici debent, Reſponſorium, lectionem Apoſtoli, lectionem Evangeliorum, poſtquam ſemper præſens Abbas dicat rogus Dei, & verſum cluſorem*. Gloſſator hujus regulæ (4) putat *rogus Dei* eſſe *Kyrie eleiſon*. ſed proculdubio Collecta eſt, ut ex ipſa officii ſerie, & ex communi uſu Monachorum manifeſtum ſit. Credo autem ſic dictam, quia per illam rogatur Deus. Hæc obiter. Uſum vero Collectarum extra divina officia aſtruit etiam Gregorius Magnus *lib.* 3. *Dialog. cap.* 17. Agens enim de Mortuo, quem Monachus quidam fuſis ad Deum precibus ſuſcitavit, *cum diutius*, inquit, *oraſſent*, Monachus ſcilicet, & Quadrageſimus Subdiaconus, *complere orationem Quadrageſimum Subdiaconum ſervus Dei petiit: qua completa ab Altaris crepidine pulverem colligit, atque cum eodem Quadrageſimo ad defuncti corpus acceſſit, ſeſeque ibidem in orationem dedit. Cumque diutius oraſſet, jam non ſicut prius fecerat, orationem compleri per Subdiaconum voluit, ſed ipſe benedictionem dedit*, Collectam nimirum recitavit, quam diximus ſupra benedictionis nomine intelligi, *ſtatimque ſurrexit*. Erant autem ut plurimum hujuſmodi orationes, quæ ad complendum dicebantur, fere ſimiles Collectis noſtris Liturgicis, ut ex antiquis Monachorum uſibus conſtat. In officiis Græcorum concluduntur orationes Dei glorificatione diverſis formulis idem ſignificantibus. *Quia convenit tibi omnis gloria, honor, & adoratio Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum amen. Quia tua eſt potentia, tuum eſt regnum, virtus, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum amen. Quia tu es rex pacis, & ſalvator animarum, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum amen*. Ita quoque completam orationem a B. Maximo Rejenſi Epiſcopo, narrat in ejus vita Dynamius Patricius: *His verbis*, inquit, *complevit officium: ſit gloria Dei benedicta in æternum, & in ſecula ſeculorum: reliquis reſpondentibus Amen* (5).

Collecta ab aliquibus olim barbaro vocabulo dicta Rogus Dei, atque etiam extra divina officia completa.

(3)

(4)

(5)

(1) *De*

Vox Amen *ex ipſis Moſaicis cæremoniis traducta in Eccleſiam.*

(1) *De divina Pſalmodia cap.* 16. §. 17. *n.* 5.) Porro hæc vox *Amen* ex ipſis Moſaicis cæremoniis traducta videtur in Eccleſiam; ſolebant enim in populo Judaico ad benedictiones Sacerdotis, vel maledictiones ita reſpondere *Amen*, uti ex Deuteron. cap. 27. 15. & ſeqq. Paralip. 16. 36. num. 5. 22. Nehem. 8. 7. Jerem. 28. 6. *Amen proinde*, inquit Auguſtinus ſerm. ad Pop. contra Pelagium, *noſtra ſubſcriptio eſt, conſenſio noſtra eſt, adſtipulatio noſtra eſt*. Et ante ipſum Terullianus loco citato de ſpectaculis, eos reprehendit, qui ex ore, quo *Amen* in ſancta protulerant, teſtimonium gladiatori reddebant. De hac autem voce *Amen* Henricus Valeſius in notis ad Euſebii lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 15. „ ſane, inquit, hanc olim fuiſſe „ Chriſtianorum conſuetudinem, ut in fine „ orationis *Amen* clara voce reſonarent, do„ cet ritus, qui etiamnum ſervatur in Eccle„ ſia, ut ſcilicet poſt ſingulas orationes a „ Sacerdote pronunciatas populus univerſus „ acclamet *Amen*, de quo more Athanaſius „ in Apologia ad Imperatorem Conſtanti„ num pag. 683. & Palladius in vita S. Jo„ annis Chryſoſtomi „ De hac item voce præter Scriptores de officiis divinis vide Card. Baronium an. 57. num. 163. Nic. Fullerum Miſcell. Sac. ſeu Theolog. cap. 2. Goarum ad Euchelog. Græc. pag. 138. Plura etiam habent Macri Fratres in Hierolexico, ſed & digni ſunt, qui referantur antiqui illi verſus de hujus vocis ſignificatione:

Verum, vere, fiat, Amen tria denotat iſta,
Si verum, nomen, adverbium ſit tibi vere;
Amen, Amen, vere duo ſunt adverbia vere,
Amen pro fiat, tibi verbum deficiens eſt.

Olim una tantum Collecta, deinde tres, & poſtmodum plures ad Miſſam dictæ uſque ad novem.

(2) *Una tantum Collecta aſſignatur*) Hæc paullulum excedere videtur Eminentiſſimus Auctor; etenim in Sacramentario Gelaſiano, quod nuper edidit piæ memoriæ Card. Thomaſius, & poſt ipſum Mablllonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 3., ac noviſſime Muratorius in Liturgia Rom. vetere, idem denuo evulgarunt, fere in omnibus Miſſis tres orationes, ſeu Collectæ per ſingulas Miſſas leguntur. Ita etiam in Ordine, quem confecit Alcuinus, ſolent eſſe duæ ad ſingulas Miſſas, & fortaſſe Eminentiſſimus Auctor advertit tantum ad Ordinem Romanum, & Sacramentarium Gregorii, in quibus una tantum deſcribitur. Et quidem Gregoriani Ordinis a Gelaſiano totum diſcrimen eſt (inquit Mabillonius loco indicato lib. 1. cap. 2. pag. 6. num. 5.) in varietate, & numero earum orationum, quas Collectas vocant, nam cætera utriuſque eædem omnino partes ſunt. In Gelaſiano duæ, aut tres ante Epiſtolam orationes; unica ſecreta ante Præfationem, atque duæ poſt communionem, quarum una eſt *ſupra populum*. At in Gregoriano tantum ad ſingulas Miſſas aſſignantur orationes, quarum una ante Epiſtolam, altera ſecreta, tertia poſt communionem. Hactenus eruditiſſimus Mabillonius.

Collectæ in numero fere ſemper diſpari dictæ.

(3) *Ne numerus Collectarum in Miſſa ſeptenarium excederet*) Quem numerum numquam excedendum eſſe docent Anonymus Turonenſis in ſuo Speculo Eccleſiæ, Joannes Belethus cap. 37. Durandus lib. 4. Rationalis cap. 14. In veteri Ordinario Monaſterii Fiſcannenſis ab annis circiter 400. manu exarato de numero orationum in Miſſa dicendarum hæc ſcripra reperit Edmundus Martene de antiq. Eccleſ. Rit. tom. 1: lib. 1. cap. 4. art. 3. num. xi. *A traditione autem Majorum noſtrorum, accipimus in omni Miſſa unam, aut tres, aut quinque, aut ſeptem orationes dici debere; unam juxta Romani Ordinis diſtinctionem, tres, quia Dominus ante paſſionem ſuam ter oraſſe legitur: quinque, propter quinque partitam ejus paſſionem, in cujus commemorationem eadem celebramus officia: ſeptem, quia Apoſtoli ſeptem petitiones Dominicæ orationis, & conſecrationem eorumdem myſteriorum frequentaſſe leguntur. Rariſſime ſiquidem diligentiores officii Divini obſervatores alium in orationibus ad Miſſam, numerum admittunt, niſi quem nos competenti myſterio inſignitum hic notavimus*. Quæ verba deſumpta videntur ex Micrologi obſervationibus Eccleſ. cap. 4. Id etiam habet Radulphus Tungrenſis propoſit. 23. Similis uſus viget nunc apud Carthuſianos; Eccleſia Lateranenſis ex ejus ſingulari ritu, referente Joanne Diacono apud Mabillonium Muſæi Ital. tom. 2. pag. 566. reſervans Apoſtolicam inſtitutionem *nonniſi Dominica in officiis utitur oratione; quoniam aliæ orationes poſtea ſunt ſuperadditæ*: Hunc ritum notaverat Durandus loco ſupra citato, ut mox dicetur, vide etiam Card. Raſponum de Baſil. Lateran. Avenionenſe Concilium an. 1574. coactum novem Collectas recitari permiſit, *quoniam audivimus pleroſque ad libitum Collectas multiplicare; idcirco non plures ſeptem, vel ad ſummum novem dicantur*: Attamen Synodus prima Mediolanenſis ſub S. Carolo Borromæo Archiepiſcopo numerum Collectarum ad quinque reſtringit, niſi plures Eccleſia præſcripſerit: *ne plures tribus, vel ad ſummum quinque orationes, ſeu ut vocant Collectæ, dici poſſint, niſi ubi Eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet.* Idemque Sanctus Præſul in Inſtructionibus pro celebratione Miſſæ: *cum plures ſunt orationes, aut Collectæ numero diſpari recitabuntur, & ſeptem non excedant. Cum autem in feſto, in quo unica oratio dicenda eſt, ratione tamen officii Eccleſiæ hujus altera commemoratio agenda eſt, duæ tantum erunt*. Myſticas hujuſce multiplicationis Collectarum rationes exponunt Micrologus, Durandus, Joannes Beleth. Porro idem Durandus lib. 4. Rationalis cap. 14. & 37. obſervat, *quod in Eccleſia Lateranenſi nunquam dicebatur oratio, ſed in Miſſa, & in omnibus horis loco orationis, alta voce pronunciabatur oratio Dominica, quæ in novo Teſtamento prima oratio fuit*. Cujus moris aliud mihi pro nunc non ſuppetit teſtimonium.

(4) *Gloſſator hujus Regulæ*) Is eſt Hugo Menardus in ſua Concordia Regularum cap. 33. §. 6. in notis, quem pro ſua ingenita moderatione ſilet Eminentiſſimus Auctor, & ex eodem Dufreſnius in Gloſſario Med., & infimæ Latin. verbo *rogus Dei*. Cæterum non *Kyrie eleiſon*, ſed Collectam intelligi ſuo

etiam

etiam calculo confirmant Edmundus Martene de antiq. Monachorum Ritibus lib. 1. cap. 2. num. 71., & Macri Fratres in eorum Hierolexico dicto verbo *rogus Dei*; idque ulterius comprobatur ex Caſſiano Inſtit. lib. 2. de nocturnis Orat. cap. 7. ubi ait: *Cum autem is, qui orationem collecturus eſt, e terra ſurrexit*; Præſes ſcilicet, ſeu alius ab eo conſtitutus, uti ex eodem Strabone, cujus hac de re textum affert Cardinalis noſter. Patet etiam ex Odone Monacho Glanofol. in Hiſt. Transl. S. Mauri; etenim apud Acherium, & Mabillonium Act. SS. Ord. S. Benedicti ſeculo IV. p. 2. num. 20. *cum oratio*, inquit, *a Presbytero compleretur*. Quod autem hujuſmodi Collectæ nedum in Miſſa, aliiſque officiorum divinorum ſolemniis dicerentur, ſed & poſt ſingulos quoſque Pſalmos, teſtes ſunt antiqua Monaſteriorum Pſalteria manuſcripta, in quibus ad calcem ſingulorum Pſalmorum extant ſingulæ Collectæ, & orationes. Bruno Herbipolenſis Epiſcopus ſæculo XI., qui in ſuo Pſalterii veteris Commentario ad unumquemque Pſalmum propriam, & convenientem orationem, ſeu Collectam adjecit: Card. inſuper Thomaſius, in ſua nupera, quam illuſtravit, veteris Pſalterii editione, ac typis Romanis tradidit clar. Joſeph Blanchinus Congr. Oratorii Presb. an. 1741., ubi poſt ſingulos pſalmos tres ad minus orationes leguntur. Has porro orationes inſtitutas conjicit eruditiſſimus Card. præfatus ad idem Pſalterium ex Concilio Agathenſi an. 506. can. 30. ibi enim præſcribitur, ut *poſt antiphonas, Collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur*. Verum tantæ antiquitatis non judicarem; probabilius videtur, immo & pro certo haberi exiſtimandum (ut ipſe ſubdit) S. Leandrum Hiſpalenſem, aut Conantium poſt Murilam, ſeu Mavulanem Palentinum in Hiſpania Epiſcopum, qui circa an. 638. claruit, vel omnium, vel majori ex parte earum orationum Auctores eſſe. *Leander enim*, inquit Iſidorus lib. de vir. Illuſtr. *conſtitutus Epiſcopus* . . . . *in toto Pſalterio duplici editione orationes conſcripſit*. Conantius autem, ut B. Ildephonſus lib. pariter de Script. illuſtr. ait: *orationum libellum de omnium decenter ſcripſit proprietate Pſalmorum*. Scribit etiam Rainerus Monachus Leodienſis, qui vixit an. circa 1130. in vita Sancti Woloodonis Epiſcopi Leodienſis, qui obiit anno 1020. apud Bollandianos in Actis SS. Aprilis tom. 2. ad diem 21., hunc Sanctum virum propria manu ſcripſiſſe Librum Pſalmorum, *in quo unicuique Pſalmo compoſitam ex eodem, & a ſe dictatam ſubjecit orationem*. Sed an extet hoc Orationarium ex Pſalmis, & an Sanctus ille Antiſtes Auctor ſit illarum orationum quas poſt unumquemque Pſalmum expreſſas refert in veteri Pſalterio cum Canticis, de quo ſupra, Operum Card. Thomaſii tom. 1. parte 2. laudatus ibi Joſeph Blanchinus, incertum eſt, idemque tamquam dubium ſuo rationum pondere oſtendit in Præfatione ad dictum Pſalterium pag. 144.

Collectæ non tantum in Miſſa, ſed etiam in quibuslibet divinis officiis dictæ.

Quia etiam in fine cujuſque Pſalmi recitatæ.

(5) *Reliquis reſpondentibus Amen*) Olim ad Collectas, ſeu orationes, pro earum complemento, non ſemel tantum, verum etiam bis quandoque reſponſum fuiſſe *Amen*, ex memoratis orationibus Mozarabicis, ſeu Hiſpanis in fine cujuſque pſalmi poſitis apud laudatum Blanchinium, ut dictum eſt, perſpicue conſtat, videlicet poſt ipſam orationem immediate, & poſt ejus ejus clauſulam. Harumce Orationum unam, aut alteram afferam in exemplum ex Breviario Mozarabico pag. 82., & 411. apud eumdem Blanchinium p. 157. & 158. poſt primum pſalmum *Beatus vir*. *Domine*, (ita eſt prima) *apud quem eſt ſalus plena juſtitiæ, & perfectio beatitudinis incorruptæ, da nobis, ut in legis tuæ meditatione die, ac nocte tempora tranſeamus, & ab impiorum conſilio, atque a peccatorum via, vel a peſtilentiæ cathedra declinemus; quo velut lignum fructiferum, aquarum decurſibus enutritum, & fructibus repleamur, & gratia decoremur*. ℟. Amen. *Per miſericordiam tuam Deus noſter, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in ſecula ſeculorum*. ℟. Amen. Alia de Sancto Confeſſore. *Fac nos Domine intentos cordibus die, ac nocte in legis tuæ meditatione verſari, ut meditantes eloquia tua intento cordis ſtudio fructum tibi reportemus in tempore opportuno, quo Beatiſſimi* (N.) *Confeſſoris tui adjuvati ſuffragiis, cælum, quod ille mercatus eſt meritis, nos facias intrare gratiæ tuæ donis*. ℟. Amen. *Per miſericordiam tuam* &c. ℟. Amen. Item de Sancto Martyre ibid. pag. 164. *Ecce lætatur in te, Domine, Martyr tuus* (N.) *& in te gloriatur, qui a te coronatur; petimus ergo te, Domine Deus quantis poſſumus precibus, ut quia ejus hodierna die feſta ſolemnia celebramus, noſtrorum veniam delictorum conſequi mereamur*. ℟. Amen. *Per miſericordiam tuam Deus noſter* &c. ℟. Amen. Et ſic in hunc modum reliquæ ſunt fere omnes ad finem cujuſque Pſalmi poſitæ, quæ ſingulæ Collectæ, ut notatum eſt, duplici reſponſo *Amen* concluduntur. Inde eſt quod monet clar. Joannes Pinius Tract. Hiſt. de Liturgia antiqua Hiſpanica cap. 9. p. 73. ex editis apud Card. Aguirrium tom. 3. Concil. Hiſp. ex pag. 261. „ dici poſt ſingulas „ orationes Matutinarum precum, & Veſ„ pertinarum, itidemque Laudum, & San„ cti Miſſæ Sacrificii: dici, inquam, *Per mi„ ſericordiam tuam Deus, qui es benedictus, & „ vivis, & omnia regis in ſecula ſeculorum*. „ Quibus reſpondetur *Amen*, & iſta conve„ niunt cum his, quæ poſita ſunt ad calcem „ orationum Officii Romani, ſcilicet *Per „ Dominum* &c. Alias item clauſulas habent Hiſpani Mozarabes in ſuis orationibus: *poſt nomina, & ad pacem* nuncupatis, quæ his verbis conſtant: *Quia tu es vita vivorum, ſanitas infirmorum, ac requies omnium Fidelium Defunctorum in æterna ſecula ſeculorum*. ℟. *Amen*. Item: *Quia tu es vera pax noſtra, & charitas indiſrupta, vivis tecum, & regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in ſecula ſeculorum*. Reſp. *Amen*.

Quibus Orationibus bis, reſpondebatur Amen.

Has porro orationes ſoli Epiſcopi, vel Presbyteri, non Diaconi, ut in laudato Concilio Agathenſi, de quo nota antecedente dictum eſt, recitabant poſt Antiphonas, reſpondente tota Fidelium congregatione bis

Idque ſolum, cum eas Epiſcopi, vel Presbyteri recitarent.

Amen, quemadmodum advertimus; qua de reſponſione, inquit Blanchinius loco indicato, & illud obiter obſervabo (quod minime animadverſum a Scriptoribus Sac. Rituum) quod abſente Epiſcopo, vel Presbytero, ejuſmodi Collectiones, ſive Collectæ, aut omittebantur omnino, aut ſaltem non reſpondebatur ab adſtantibus *Amen*, ne quidem Diacono ipſi oranti; cum id verſum fuerit olim in culpam Diaconorum, quod facerent ſibi orantibus reſponderi. *Nunc enim*, (ait vetuſtiſſimus Auctor Quæſtionum ex utroque Teſtameoto, inter Opera S. Auguſtini ult. edit. tom. 3. quæſt. 101.) *videmus Diaconos temere quod Sacerdotum eſt, agere per convivia, & in oratione id velle, ut reſpondeatur illis: cum iſtud ſolis competat Sacerdotibus*. Huc etiam obſervare licet abuſum, qui nonnullis in Eccleſiis, ſeculo præſertim octavo, obrepſerat, quo Epiſcopus, ſive Presbyter dicta Collecta ab Altari recedebat, quod ſupererat Miſſæ alteri complendum, & peragendum dimittens. Tanto malo mederi curavit Zacharias Papa anno 743. coacto Romæ Concilio in Baſilica S. Petri celebrato, ubi edito inter cæteros hoc canone 14. ſtatuitur: *ut Epiſcopus, aut Presbyter dum ingreſſus fuerit ad Miſſarum ſolemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Epiſcopo, aut Presbytero ſuppleantur Miſſarum ſolemnia; ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque ad finem, quia ſcriptum eſt: qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Si quis vero præſumpſerit, præter quod poſuimus, agere, a ſacro Corpore, & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſuſpenſus*. Hæc ex Actis Synodi Romanæ primæ, ſub Zacharia Papa celebratæ adverſus illicita conjugia, & perſonas Eccleſiaſticas, qui regulas Patrum tranſgrederentur, deque continentia Clericorum, aliiſque ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus, quæ integra recitat Card. Baronius Annal. tom. IX. ad dictum annum num. 22. ex Bibliotheca Vaticana, aliiſque monumentis depromta; quibus hactenus pro modulo expreſſis, illis quæ de Collectis, earumque clauſulis dicenda viſa ſunt, finem imponimus.

§. VII.

Cur dum recitantur, manus, & brachia extendantur.

Ex utroque Teſtamento manus & brachia extendebantur ad Orationem.

COllecta expanſis manibus, brachiiſque protenſis recitatur, eo ſcilicet habitu, qui fidelibus orantibus in utroque Teſtamento ſolemnis
fuit (1). Ideo pſallebat David, *Dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum: In nomine tuo levabo manus meas: expandi manus meas ad* (1)
te (2). Nam ſicut Adam extenſa manu ad vetitæ arboris fructum Dei (2)
præceptum tranſgreſſus eſt; ita credimus ipſum pœnitentem noxias manus ad Deum extendiſſe, cum ab ipſo veniam prævaricationis in oratione petebat; eumque ritum filios, & nepotes ſuos edocuiſſe. Hac ipſa de cauſa Chriſtum in Cruce manus ſuas extendiſſe adverſus primi parentis manus incontinenter extenſas Nazianzeni ſententia eſt. *Idcirco*, ait ille orat. 1. *lignum adverſus lignum, & manus adverſus manum; illæ fortiter extenſæ adverſus incontinenter extenſam; illæ clavis confixæ, atque conſtrictæ adverſus remiſſam, & ſolutam; illæ orbis fines conjungentes adverſus eam, quæ Adamum e Paradiſo exturbavit*. Utroque autem myſterio Chriſtianos hac forma oraſſe exiſtimo, ut & Adami tranſgreſſionem, & Chriſti e patibulo pendentis, ac pro nobis ſatisfacientis imaginem exprimerent. Apparent paſſim in cryptis, & cœmeteriis Romanæ Urbis virorum, & mulierum extenſis brachiis, & elevatis manibus orantium antiquiſſimæ picturæ, quas Boſius ſpectandas exhibet in Roma ſubterranea. Nec aliud Apoſtolus ſignificat cum Timotheo ſcribens, ait, *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*. Conſonant antiqui Patres. *Crucis ſignum eſt*, ait Minutius Felix, *cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur*. Et Tertullianus in Apologetico cap. 30. *Manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus, precantes ſemper ſumus*. Idem lib. de orat. cap. 11. *Nos*, inquit, *non attollimus tantum manus, ſed etiam expandimus e Dominica Paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto* (3). Eumdem uſum S. Pachomio (3)
familiarem fuiſſe Scriptor vitæ ejus tradit his verbis: *conſueverat ſtans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum ſpatia minime colli-*

gebat

gebat (4) . Et in Hymno de Sanctis Fructuoſo Epiſcopo & ſociis ele- (4)
ganter Prudentius ait excidiſſe illis vincula in flammis, ut manus & bra-
chia ad Deum levarent.

Non auſa eſt cohibere pœna palmas
In morem Crucis ad Patrem levandas,
Solvit brachia, quæ Deum precentur.

Hunc ipſum habitum petentium a Deo auxilium ipſi etiam infideles
natura duce agnoverunt, Apulejo teſte, qui lib. de mundo ait, *habitus
orantium hic eſt , ut manibus extenſis ad Cœlum precemur* (5) , qua (5)
de re plura congerit eruditiſſimus Briſſonius lib. 1. de formulis (6). (6)

(1) *In utroque teſtamento ſolemnis fuit .*) In veteri hunc ritum pluribus ſacrarum Literarum locis deſignatum legimus , & præſertim Exodi cap. 17. 12. ubi iſthæc leguntur : *Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet , ſuperabat Amalech ; quapropter Aaron , & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte* : Iterum lib. 2. Paralipomenon cap. 6. 12. 13. 14. , ubi legitur , quod Rex Salomon orans ante Altare Domini *extendit manus ſuas* : Item, *palmis in Cœlum levatis , ait : &c.*

(2) *Expandi manus meas ad te .*) Pſalm. 27., Pſalm. 62., Pſalm. 87., & alibi pluries.

(3) *Et orantes confitemur Chriſto .*) Idem Tertullianus pluribus in locis confirmat lib. de Spectaculis , quem ſcripſit , ne Chriſtiani ludis Gentilium intereſſent, ubi admonens illos, iiſdem exponit pericula in his ſpectandis , dicens ; *illas manus , quam ad Deum extuleris , poſtmodum laudando Hiſtrionem fatigare?* Vide ad hunc locum Ludovici de la Cerda notas . Item lib. de Oratione cap. 13. *At qui cum modeſtia , & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces noſtras , ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis , ſed temperate , & probe elatis , ne vultu quidem in audacia erecto* . Ita ad Moyſis exemplum S. Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis Epiſcopus ſæviente perſecutione pro ſuis civibus , & Martyribus cum tyranno depugnantibus oraturus in monte , cum Diacono aſcendit , ibique extenſis manibus oravit , uti teſtatur Gregorius alter Nyſſenus in ejus Vita , Aſterius Amaſeæ Epiſcopus apud Photium Cod. 281. in fragm. Homil. de Precatione : *Precatio vitæ noſtræ auxilium eſt, colloquium cum Deo , obluſio terrenorum , via ad Cœlum , & rectas tendere ad Cœlum manus , formam exhibere Chriſti Cruci adfixi* . S. Ambroſius de Cruce ſerm. 56. *Homo* , ait , *cum manus levaverit , Crucem pingit , atque ideo elevatis manibus orare præcipimur , ut ipſo membrorum geſtu Paſſionem Domini fateamur* .

(4) *Spatia minime colligebat .*) De Sancto Patre noſtro Benedicto ſcribit S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 37. quod *erectis in Cœlum manibus inter verba orationis exſpiravit* .

(5) *Ad Cœlum precemur .*) Teſtatur & idem Tertullianus ſupra laudatus Carm. de Jona , & Ninive , ubi Jonæ ſocios , dum inter inſurgentes maris procellas periclitarentur , ſuos utique Deos extenſis brachiis , ac manibus elevatis deprecatos fuiſſe , ait : *Expanduntque manus nullorum ad numina Divum* .

(6) *Briſſonius lib. 1. de formulis .*) Item Dionyſius Lambinus ad Horatii lib. 3. ode 23. , & Ouzelus in Animadv. ad Minutium pag. 80. aliique .

§. VIII.

De Laudibus , quæ olim poſt Collectam dicebantur .

NOn eſt autem prætermittendus , antequam finem imponam huic Capi-
ti, ritus quidam Romanæ Eccleſiæ, qui olim poſt dictam a Celebran-
te Collectam in Miſſa ſolemni ſervabatur (1) ; & a Cencio Camerario (1)
tunc præfecto Cæremoniarum , poſtea Summo Pontifice Honorio III. in
ſuo Cæremoniali MS. cap. 2. accurate deſcribitur (2) . Diaconi Cardi- (2)
nales , Subdiaconi , & alii Ordines , cum Scriniariis faciebant laudes Domino Papæ immediate poſt Collectam hoc Ordine : Archidiaconus , cum aliis Diaconibus , & Subdiaconibus ſtabant juxta Altare , & incipiebant alta voce , *Exaudi Chriſte* . Scriniarii vero ſtantes in Choro cum Pluvialibus reſpondebant , *Domino noſtro Papæ vita* . Idque tertio repetebatur . Deinde Archidiaconus dicebat tribus vicibus *Salvator mundi* , ad ſingulas reſpondentibus Scriniariis *Tu illum adjuva* . Tum ſequebantur Litaniæ , videlicet

licet *Sancta Maria*, *Tu illum adjuva*. *S. Michael*, *Tu illum adjuva*. Et quæ ſequuntur. Quibus finitis dicebat Archidiaconus, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*: idem ſemper reſpondentibus Scriniariis. Et poſt hæc Subdiaconus legebat Epiſtolam. Hodie laudes hoc loco fieri ſolent Domino Papæ eodem fere ritu in die dumtaxat ſuæ coronationis. Similes laudes, ſive acclamationes intra Miſſarum ſolemnia fieri quoque ſolebant Imperatoribus, & illis abſentibus ipſorum imaginibus; ſicut legimus initio libri XI. Epiſtolarum Gregorii Magni (3). *Venit icona* (3) *Phocæ & Leontiæ Auguſtorum Romam*, *& acclamatum eſt eis in Lateranis in Baſilica Julii ab omni Clero*, *vel Senatu*. *Exaudi Chriſte*. *Phocæ Auguſto*, *& Leontiæ Auguſtæ vita*. Excommunicatis autem ob varias hæreſes Græcis Imperatoribus, non ſunt factæ eis laudes (ut Sigonius refert an. 712. 730.), quas poſtea factas Carolo Magno a Leone Papa coronato more antiquorum Principum refert Chronicon editum ab Henrico Caniſio Tom. 3. antiquarum lectionum, & auctius Tom. 2. ſcriptorum Hiſtoriæ Francorum Andreæ Ducheſne. Apud Goldaſtum Tom. 2. parte 2. antiquitatum Alamannicarum extant hujuſmodi Laudes & Litaniæ, quæ ante Epiſtolam fieri ſolebant in pleriſque Germaniæ Eccleſiis tempore Nicolai I. Finita oratione poſt *Gloria in excelſis Deo* dicit Sacerdos tribus vicibus ſemper reſpondente Clero, *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*. *Tum ait Sacerdos*, *exaudi Chriſte*. Reſpondet Clerus *Nicolao Summo Pontifici*, *& univerſali Papæ vita*. Sequitur Litania, *Salvator mundi*, *Tu illum adjuva*. *S. Petre*, *S. Paule*, *S. Andrea*, *S. Clemens*, *S. Xixte*, *S. Cyriace*. Et ſingulis reſpondetur, *Tu illum adjuva*. Sequitur. *Exaudi Chriſte*. *Ludovico a Deo coronato*, *magno*, *& pacifico Regi vita*, *& victoria*. *Redemptor mundi*, *Tu illum adjuva*, *S. Michael*, *S. Gabriel*, *S. Raphael*, *S. Joannes*, *S. Stephane*, *S. Theodule*, cum reſponſione ad ſingulos, *Tu illum adjuva*. Addit Sacerdos: *Exaudi Chriſte*. *Hemmæ Reginæ noſtræ vita*. *S. Felicitas*. *Tu illam adjuva*: eodemque modo invocantur *S. Perpetua*, *S. Petronilla*, *S. Lucia*, *S. Agnes*, *S. Cæcilia*. Iterum ait Sacerdos. *Exaudi Chriſte*. *Nobiliſſimæ proli regali vita*. *S. Sylveſter*, *Tu illam adjuva*. *S. Laurenti*, *S. Nazari*, *S. Pancrati*, *S. Anaſtaſia*, *S. Genovefa*, *S. Columba*: addita ſingulis reſponſione, *Tu illam adjuva*. Rurſum dicit Sacerdos. *Exaudi Chriſte*. *Omnibus Judicibus*, *vel cuncto exercitui Francorum*, *& Alamannorum vita*, *& victoria*. *S. Hilari*, *Tu illos adjuva*. *S. Martine*, *S. Mauriti*, *S. Dionyſi*, *S. Albane*, *S. Criſpine*, *S. Criſpiniane*, *S. Gereon*: *Tu illos adjuva*. Poſt hæc repetit Sacerdos, *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*: & hæc, quæ ſequuntur Chriſti attributa commemorat, atque ad ſingula reſpondet Clerus *Chriſtus vincit*, &c. *Rex regum*, *Chriſtus vincit*, &c. *Rex noſter*. *Spes noſtra*. *Gloria noſtra*. *Miſericordia noſtra*. *Auxilium noſtrum*. *Fortitudo noſtra*. *Liberatio & Redemptio noſtra*. *Victoria noſtra*. *Arma noſtra inviciſſima*. *Murus noſter inexpugnabilis*. *Defenſio & exaltatio noſtra*. *Lux*, *via*, *& vita noſtra*. Chriſtus vincit &c. Denique Sacerdos ait. *Ipſi ſoli gloria*, *& poteſtas per immortalia ſecula ſeculorum*. Reſpondet Clerus, *Amen*. *Ipſi ſoli honor*, *laus*, *& jubilatio per infinita ſecula ſeculorum*. *Amen*. *Ipſi ſoli virtus*, *fortitudo*, *& victoria per omnia ſecula ſeculorum*, *Amen*. *Chriſte audi nos*, ter. *Kyrie eleiſon*; ter. *Feliciter*, ter. *Tempora bona habeas*, ter. *Multos annos*, ter. Hæc Goldaſtus ex Codice MS. Monaſterii S. Galli. Romanis vero Pontificibus, quando fieri deſierint hujuſmodi laudes in ſingulis Miſſis, ignotum mihi eſt (4). Scribit Joannes Lucius *lib.* 2. *de* (4)

Regno

Regno Dalmatiæ cap. 6. adhuc in ea Provincia laudum ſive acclamationum intra Miſſarum ſolemnia conſuetudinem permanere.

Ritu antiquo Liturgiæ Gallicanæ poſt Collectam Chorus cantabat triſagium, & quidem Græce, & Latine, uti forte legimus in Miſſa Mozarabum in hunc modum: *Agios*, *Agios*, *Agios Domine Deus Rex æterne*, *tibi laudes*, *& gratias*; aut ſimilem illi, quod in Paraſceve concinit Eccleſia. *Agios*, *o Theos* &c. Inde ſequebatur canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Iſrael*; quod tamen Canticum in Quadrageſima, cum aliis lætitiæ Hymnis ſupprimebatur.

(1) *Qui olim poſt dictam a Celebrante collectam in Miſſa ſolemni ſervabatur.*) Non in ſola Eccleſia Romana, ſed in præcipuis etiam Galliarum Eccleſiis viguit olim hæc conſuetudo præcinendi laudes poſt Collectam in inſignioribus anni feſtivitatibus, ut ex MS. earum Ordinariis liquet. Aliquot eorum teſtimonia hic referemus, ut aſſerti conſtet veritas; Antiquum Rituale Manuſcr. Eccleſiæ Turonenſis editum a Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 4. art. 12. pag. 568. hæc habet: „ Vadit Subdiaconus in Pulpito „ ad Epiſtolam; ſed antequam legatur, Cel„ lerarius cum Juvenibus reveſtitis, & Cle„ riculis, qui ab eo vineas habent, ante Al„ tare Beati Petri incipit preces, ſcilicet „ *Chriſtus vincit*, ſicut ſequitur, & debet „ Cantor, cum aliis de Choro, & Clericulis „ reſpondere. Hoc dicto dicitur Epiſtola. Ordinarium Manuſcr. Eccleſiæ Viennenſis in Gallia ab eodem Martene vulgatum pag. 614. „ Poſt orationem duo milites, ſeu in eorum „ abſentia, duo de majoribus Capellanis laudes pronuncient: *Chriſtus vincit*. „ Ritus Ec„ cleſiæ Laudunenſis a Bellotte editi pag. 50. „ In Nativitate Domini, die Paſchæ, & fe„ ſto Pentecoſtes finita oratione, ſeu finitis „ orationibus, quas poſt Hymnum Angeli„ cum recitare ſolet, cantantur Laudes, ſeu „ Letaniæ a duobus Canonicis, a Cantore, „ & Subcentore ad hoc præmonitis ab utra„ que parte Chori, qui tempeſtive aſcen„ dunt Presbyterium, ac cum debitis Alta„ ri, & Epiſcopo reverentiis accedunt ad „ legile, ſeu pulpitum juxta Cruces a par„ te dextra in medio dicti Presbyterii ad hoc „ præparatum, ubi ſtantes facie verſa ad „ aquilonem incipiunt prædictas Litanias, „ alta voce cantantes: *Chriſtus vincit*, *Chri„ ſtus regnat* &c. Quibus Chorus reſpondet „ eodem tono; deinde cætera in iiſdem Li„ taniis contenta proſequuntur ex libro ad „ hoc ex præſcripto Eccleſiæ confecto.

Quod hujuſmodi Laudes, ſeu Litanias poſt Collectam decantatus varii Eccleſiarum ritus.

Meminit harum Laudum Pontificale Manuſcrip. Durandi Mimatenſis Epiſcopi, ſed eas contra morem aliarum Eccleſiarum recitari jubet ante Collectam, & Hymnum Angelicum. „ *Laudes*, inquit, ſive Rogatio„ nes ſequentes dicuntur in præcipuis ſolem„ nitatibus, videlicet in diebus illis, in qui„ bus Pontifex ſedet poſt Altare, quod fit „ hoc modo: Præcentor cum quatuor bonis „ Cantoribus, & cum totidem pueris bene „ cantantibus immediate poſt *Kyrie eleiſon*, „ incipit poſt Altare alta voce *Chriſtus vin„ cit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*. Et „ Chorus reſpondet idem in eodem tono, „ & Cantores *Gloria noſtra*. Chorus, *Chriſtus „ vincit* &c. Et immediate Pontifex incipiat „ *Gloria in excelſis Deo*. Hæ porro laudes, de quibus Durandus loquitur, fortaſſe eædem, aut ſimiles illis ſunt, quarum mentio facta eſt ſupra cap. 4. §. 3. & in diebus tantum quibus non recitatur *Gloria in excelſis*, dicebantur, iſtæ vero in præcipuis ſolemnitatibus, & quando dictus Hymnus Angelicus dici ſolitus erat, canebantur. Quiſquis autem is ritus ſit, utræque iſtæ, ſive Laudes, ſive Litaniæ, ante, vel poſt Collectam olim dictæ quocumque nomine nuncuparentur, preces, & orationes ſunt, quæ intra Miſſam antiquitus in quibuſdam Eccleſiis canebantur. Illud etiam ſcitu digniſſimum, quod Epiſcopus pecuniam diſpenſare ſolebat iis, qui Laudes hujuſmodi decantaverant. Citati ritus Eccleſiæ Laudunenſis, ſic habent. „ Quibus ut „ ſupra decantatis duo prædicti Canonici ac„ cedunt per medium Presbyterii ad Epiſ„ copum in Faldiſtorio ſedentem cum de„ bitis reverentiis, qui nummos eis largi„ tur, quos ipſi recipiunt cum oſculo ma„ nus porrigentis, & exinde revertuntur ad „ Chorum. Manuſcr. Ordinarium ejuſdem Eccleſiæ nummorum etiam quantitatem nos docet „ Finitis Laudibus, inquit, vadunt ad „ Epiſcopum, & ipſe dat utrique duode„ cim nummos bonæ monetæ. Ordo Rom. 12. a Cencio Camerario conſcriptus, de quo infra nota ſequenti pag. 169. „ Priori autem „ Cardinalium Diaconorum (dat Dominus „ Papa) quatuor *Melequinos* (*Ducangius in „ Gloſſ. legit Meloquinum*, ideſt *monetæ Itali„ cæ ſpecies*), & totidem ſolidos pro Prio„ ratu, Presbyterio, & laude Diaconorum, „ & Subdiaconorum „. Manuſcr. Ordinarium B. M. Remenſis. „ In fine Laudum quando „ dicturi ſunt, *te Paſtorem Deus elegit*, aſcen„ dunt gradus uſque ante ipſum Archiepiſco„ pum, ibi finitis Laudibus accedunt, & oſ„ culantur manus ejus. Ipſe autem benedicit „ eis & de benedictione ſua dat utrique duos „ ſolidos. Nulla pecuniæ mentio fit in Pontificali Durandi Mimatenſis Epiſcopi, nec in citato MS. Viennenſis Eccleſiæ Ordinario.

Earum Laudum Cantoribus data pecuniæ retributio.

Prolixas hujuſmodi Laudes repræſentat Martene lib. 1. de antiq. Eccl. Rit. cap. 4. art. 3. pag. 363., & ſeqq. ex MSS. Cod. Eccleſiæ Sveſſionenſis. Alias refert ex Codice Arelat. Eccleſiæ in Gloſſario Carolus Dufreſne. Laudunenſis Eccleſiæ Laudes inſeruit Bellotte ſuis obſervationibus in Rit. Eccl. Laudun. rediv. Rotomagenſes exhibet Dumoleon

in

in ſuis Liturgicis itineribus pag. 323. Omnium antiquiſſimas, & Ludovici, ac Lotharii Imperatorum temporibus ſcriptas, ſed interpolatas addidit Illuſtriſſimus Franciſcus Blanchini ex vetuſtiſſimo Codice Eccleſiæ Veronenſis in Prolegomenis ad Tom. 3. Vitarum Rom. Pontif. Anaſtaſii Biblioth. Porro obſervat Martene loco citato antiquam hanc conſuetudinem Laudes præcinendi omnino obſoletam eſſe, præter quam in Eccleſiis Lugdunenſi, & Viennenſi, quæ in retinendis priſcis ritibus aliis religioſiores fuere, quibus Remenſem, & Rotomagenſem adjungit; addere poterat & Sveſſionenſem, de qua teſtatur Franciſcus Pouget Inſtit. Cathol. Tom. 2. pag. 832. ac Laudunenſem, quæ priſcum morem retinuit in quibuſdam anni ſolemnitatibus, id obſervante Bellotte mox laudato. Præteriri non debet mos, qui olim in Lugdunenſi Eccleſia vigebat canendi Laudes, ſed breviores, etiam poſt Antiphonam ad communionem. Eas hic repræſentamus ex Ordinario illius Eccleſiæ an. 1524. „ Hunc diem „ multos annos, iſtam ſedem Deus conſer„ vet, Populum Chriſtianum Deus conſervet „ feliciter, feliciter, feliciter, tempora bona „ habeant, multos annos. Chriſtus in eis „ regnet, in ipſo ſemper vivant. Amen „. An vero hic ritus hodie in Lugdunenſi Eccleſia ſervetur, incompertum mihi eſt. Has autem acclamationes a Græcis, apud quos frequens earum mentio, tam in Conciliis OEcumenicis, quam in Cæſarum inauguratione, ad Latinos manaſſe ſtatuunt viri Doctiſſimi Antonius Bellotte loc. cit. Dufreſnius in Gloſſario; ego vero primum Græcos eas a Romanis accepiſſe crediderim, ſed de hoc item nota ſeq.

Hæ laudes etiam poſt Antiphonam ad communionem decantatæ.

(2) *Accurate deſcribitur.*) Cencii Camerarii Librum hunc Cæremonialem de conſuetudinibus, & obſervantiis Eccleſiæ Romanæ in præcipuis ſolemnitatibus edidit clar. vir Joannes Mabillonius inter cæteros Ordinis Romani libros num. XII. Tom. 2. Muſæi Italici pag. 167., & pag. ſeq. leguntur Laudes a Card. noſtro deſcriptæ. Porro hæ laudes, ſeu acclamationes, Græcis *Polychronia* dictæ, nedum Summis Pontificibus, Imperatoribus, ac Regibus fiebant, ſed & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, quibus Populus fauſta, felicia, ac bona precabatur. Earum uſus antiquiſſimus eſt, & a votis publicis Impp. quinquennalibus, decennalibus, vicennalibus, &c. initium creditur ſumpſiſſe, & quidem quoad hæc publica Gentilium vota pro Imperatoribus facta ex variis Plinii Junioris Epiſtolis, præſertim 44. 101. & 102. libri decimi colligitur eadem tam in exercitibus, quam Provinciis nuncupata fuiſſe. Is enim ſic Trajano Imperatori ſcribit: *Vota Domine priorum annorum nuncupata alacres perſolvimus, novaque rurſus curante commilitonum, & Provincialium pietate ſuſcepimus, precati Deos, ut te, remque publicam florentem, & incolumen, ea benignitate ſervarent, quam ſuper magnas plurimaſque virtutes præcipua ſanctitate obſequii Deorum honore meruiſti.* Plinio Trajanus reſpondit: *Solviſſe vota Diis immortalibus te præeunte pro mea incolumitate cum Provincialibus lætiſſimo conſenſu, & in futurum nuncupaſſe libenter mi Secunde chariſſime cognovi litteris tuis.* Ex quibus liquet in iis votis longam vitam Imperatori, ſecuritatem Imperio, Domui Auguſtæ amplitudinem, exercitui virtutem, Senatui fidelitatem, pacem mundo, & victoriam adverſus hoſtes, populos petiiſſe. Hæc autem omnia propemodum illis affinia ſunt, quæ olim pii fideles a Deo publice in Eccleſia ſublimibus ſeculi perſonis, ac Magiſtratibus adprecabantur. Quod & inſinuari videtur in Petri Epiſt. 1. cap. 2. 13. iis verbis: *Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti &c.* deinde poſt pauca: *Regem honorificate.* Et expreſſe Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Imperatorem a Chriſtiano honorari, & ſalvum fieri cum Imperio toto docet. Quare hujuſmodi fere ſimilis conſuetudo fortaſſe ex illis de quibus locuti ſumus, traducta deducitur in Eccleſiaſticis Conventibus. Inſuper de hiſce publicis acclamationibus Sæcularibus Principibus factis legendus Carolus Dufreſnius in ſua Diſſertatione de inferioris ævi Numiſmatis num. 42., & in notis ad Alexiadem pag. 252. cum de illis hic non ſit ſermo.

Eædem non ſolum Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ſed & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis factæ.

Quoad Eccleſiaſticas vero acclamationes, notæ in primis ſunt, quæ in Conciliis fieri conſueverunt, & adhuc ſolent; ſiquidem in nuperrimo Romano Concilio ſub Benedicto Papa XIII. factæ leguntur. Inter acclamationes Epiſcopis factas antiquiſſimæ ſunt, quæ ab Hipponenſi Clero, & Populo ſancto Auguſtino publice in Eccleſia factæ fuere, cum ipſe jam ſenex Succeſſorem ſibi Heraclium, ſeu Eradium Presbyterum dixit, ut in Actis Eccleſiaſticis ejuſdem deſignationis, ſive Epiſtola ejuſdem ſancti Doctoris 213. alias 110. Tom. 2. Oper. pag. 600., ubi poſt illa verba Auguſtini: *Presbyterum Heraclium ſucceſſorem mihi volo*: ſequuntur iſta: *a Populis acclamatum eſt Deo gratias, Chriſto laudes*: dictum eſt vicies ter: *Exaudi Chriſte, Auguſtino Vita*: Dictum eſt ſexies decies. *Te Patrem, Te Epiſcopum*: dictum eſt octies; cumque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit: *non opus eſt me de laudibus ejus &c.* mox poſt pauca: *a Notariis Eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur, quæ dicimus, excipiuntur, quæ dicitis, & meus ſermo, & veſtræ acclamationes in terram non cadunt &c.* a Populo acclamatum eſt trigeſies ſexies: *Deo gratias, Chriſto laudes, Auguſtino vita*; dictum eſt tredecies: *Te Patrem, Te Epiſcopum*, dictum eſt octies; *dignus, & juſtus eſt*: dictum eſt vicies, *benemeritus, bene dignus*, dictum eſt quinquies, *dignus, & juſtus eſt*, dictum ſexies: Deinde poſt plures acclamationes hæ poſtremæ fuerunt: a Populo acclamatum eſt: *judicio tuo gratias agimus*: dictum eſt vicies ſexies: a Populo acclamatum eſt: *fiat fiat*: dictum eſt vicies quinquies. Aliæ inſuper leguntur, quæ ibi videri poſſunt. Fratres etiam Macri in ſuo Hierolexico in voce *Kyrie eleiſon* nonnulla etiam quoad antiquas acclamationes ſcribunt. Viguit autem hic acclamationum ritus in inſignioribus Galliæ Eccleſiis, uti teſtantur eorum Ordinaria

Inter quas antiquiſſimæ illæ ab Hipponenſi Clero, & Populo S. Auguſtino publice in Eccleſia factæ.

apud

apud Edmundum Martene de antiq. Eccleſ. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 13. & ex ipſo Franc. Pouget Inſtit. Catholic. Tom. 2. pag. 833.

(3) *Epiſtolarum Gregorii Magni.*) Edit. antiquæ; verum in nova Monachorum Sancti Mauri habetur id in Appendice ad Epiſtolas num. XII. Tom. 2. col. 1301.

(4) *Ignotum mihi eſt.*) Uſque ad Gregorii X. tempora, videl. uſque ad ſeculum XIII., & ultra eaſdem intra Miſſas perduraſſe teſtatur Ordo Romanus num. 13. dicti Papæ juſſu editus apud Mabill. Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 221., & ſeqq., ubi pag. 227. prædictæ Laudes leguntur. Pariter Edmundus Martene de antiq. Eccleſ. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 3. num. 14. ait hanc conſuetudinem laudes præcinendi adhuc in aliquibus Galliarum Eccleſiis permanere, ut jam ſupra nota 1. dictum eſt.

CAP. VI.

Epiſtolæ nomen cur lectionibus Liturgicis tributum ſit. Earum uſus antiquiſſimus. Lectæ aliquando Pontificum Epiſtolæ. Ordo Lectionum, a quo primum inſtitutus. Quo olim ritu, & a quibus legerentur. De Graduali, ſeu Reſponſorio, ejuſque origine, & variis ritibus. Vox Alleluja quando primum audita. Uſus ejus in Miſſa. Cur omittatur in Septuageſima. Tractus quid ſit. De Sequentiis, & illarum auctoribus.

§. I.

Epiſtolæ nomen cur lectionibus Liturgicis tributum ſit.

Sacræ Scripturæ Lectio in Eccleſia ex Synagogæ exemplo ab Apoſtolis deducta.

ANtiqui Codices Sacramentorum tam editi, quam MSS. *Poſt Collectam*, inquiunt, *ſequitur Apoſtolus*, ideſt lectio ex Apoſtolo (1). (1)
Tametſi enim ipſa lectio ex aliis quoque libris veteris, & novi Teſtamenti deſumatur, ut plurimum tamen ex Epiſtolis Pauli accipitur, ac propterea ſolius Apoſtoli in prædictis Codicibus mentio fit (quam formulam paſſim uſurpant veteres officiorum Explanatores). Atque inde orta eſt Epiſtolæ nomenclatura, quæ huic lectioni communiter tribui ſolet, licet non ex Epiſtolis, ſed ex Prophetis, ſive ex aliis Scripturæ ſacræ libris deſumta ſit. Valfridus Strabo cap. 22. non adeo certum eſſe ait quis ante celebrationem Sacrificii Lectiones Apoſtolicas, vel Evangelicas primum ſtatuerit: *Creditur tamen*, ait, *a primis ſucceſſoribus Apoſtolorum eandem diſpoſitionem factam, ea præcipue cauſa, quia in Evangeliis eadem ſacrificia celebrari jubentur: & in Apoſtolo qualiter celebrari debeant, docetur*. Quod ſi de lectione ſacræ Scripturæ generaliter ſermo ſit, nulli dubium eſſe poteſt, eam legendi in Eccleſia conſuetudinem ab Apoſtolis emanaſſe, ad quos hic ritus e veteri Teſtamento profluxit. Nam *Exodi* 24. aſſumens Moyſes volumen fœderis, & immolatis victimis, legit audiente populo coram altari: idemque *Deuteronomii* 31. verba ejuſdem libri legi præcepit omni populo in unum congregato, ut diſcerent omnes timere Dominum, & verba ejus cuſtodire. Sic Levitæ 2. *Eſdræ* 8. in conſpectu totius populi divinæ legis codicem legebant diſtincte, & apte ad intelligendum. Sic ipſe Chriſtus Redemptor noſter *Lucæ* 4. intravit ſecundum conſuetudinem die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere. Sic Paulus *Act.* 13. Hebræos arguit voces Prophetarum ignorantes, quæ per omne ſabbatum legebantur. Hunc vero morem ſervatum fuiſſe ab Apoſtolis, cum fideles ad ſynaxim conveniebant, ipſemet Paulus aſſeverat ad Corinthios ſcribens, ep. 1. cap. 14.

Quam

Cum convenitis unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet : quem
textum de Pſalmis, & lectionibus ante ſacrificium quidam interpretantur
(2). Idem expreſſius ad Coloſſen. 4. *Cum lecta fuerit apud vos Epiſto-* (2)
la hæc, facite ut in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam quæ Laodi-
cenſium eſt, vos legatis (3) Et in fine Epiſt. 1. ad Theſſalonicenſes, *Ad-* (3)
juro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratri-
bus. Quamvis enim præciſe non jubeat fieri hanc lectionem in Miſſa-
rum ſolemniis, veriſimile tamen eſt illi tempori reſervatam, quo ſole-
bant fideles ad ſacra myſteria percipienda convenire; cum præſertim
temporibus illis extra hanc occaſionem publicos conventus in Eccleſia
factos nuſquam legamus. Clare item hic ritus in Liturgia Jacobi Apo-
ſtoli præſcribitur, ut nimirum legantur ſingulis diebus in ſacra, & divi-
na Miſſa oracula ſacra veteris Teſtamenti, & Prophetarum, & Incar-
natio Filii Dei. Idem aſſerunt antiqui Patres, Tertullianus in Apolog.
cap. 39. *Coimus ad literarum divinarum commemorationem*. Et lib. 2. ad
Uxorem cap. 6. *ubi*, inquit, *fomenta fidei de Scripturarum interjectione;*
ſive ut Pamelius legit, *interlectione*? Quæ verba cum aliis, quæ ibi-
dem leguntur, ad Miſſam pertinere ex antecedentibus evincitur. Ju-
ſtinus Martyr Apolog. 2. Sacrum Chriſtianorum deſcribens ait, *& com-*
mentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum, quoad tempus fert, le-
guntur. Cyprianus Epiſt. 33. & 34. (4) Lectorum meminit, quorum (4)
munus erat legere in Eccleſia. Dionyſius initio cap. 3. Eccl. Hierar-
chiæ ordinem Liturgiæ deſcribens, *Conſequenter*, ait, *ſacrarum Scriptu-*
rarum lectio recitatur. Eadem in Apoſtolicis Conſtitutionibus, & in Ba-
ſilii, Chryſoſtomi, aliorumque Liturgiis præcipitur, tamquam ſacri mi-
niſterii notabilis pars, per quam ad divini Sacramenti participationem fi-
delium animi diſponuntur (5). Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei cap.* (5)
8. Synaxim diei Paſchatis commemorans, *ſalutavi*, inquit, *populum, &*
facto tandem ſilentio Scripturarum divinarum ſunt lecta ſolemnia. Idem
initio ſerm. 33. de verbis Domini utriuſque lectionis argumentum pro-
ponit: *Lectiones ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus, & de quibus*
aliquid ſermonis adjuvante Domino proferamus. In lectione Apoſtolica gra-
tiæ aguntur Deo de fide gentium: in Evangelio ad cœnam vocati ſumus.
Et ſerm. 10. de verbis Apoſtoli: *Primam lectionem audivimus Apoſto-*
li, fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Ita etiam ſerm. 49. de temp.
Audivimus Apoſtolicam lectionem. Et ſic paſſim in aliis ſermonibus (6). (6)
Leo Magnus ſerm. 4. Quadrag. prædicaturus jejunium ex verbis Apo-
ſtoli ſe incipere ait, & dicere quod lectum eſt, *ecce nunc tempus ac-*
ceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Theſ-
ſalonic. *Quando lector dicit*, Hæc dicit Dominus, *& ſtans Diaconus ſi-*
lentio indicto omnibus os obſtruit, non lectori honorem habens hoc facit,
ſed ei qui per illum cum omnibus loquitur. Idem Hom. de David, &
Saule, qua elegantiſſime declamat adverſus ſpectacula, eos redarguit qui
iiſdem oculis, quibus obſcœna ſpectacula inſpexerunt, ſacram menſam
intuentur, in qua tremenda myſteria peraguntur: & iiſdem auribus Pro-
phetam, & Apoſtolum audiunt, quibus ſcortum audierunt (7). Ex his (7)
autem omiſſis recentiorum teſtimoniis, evidenter deducitur morem le-
gendi in Eccleſia, & ſpecialiter initio Miſſæ Scripturam non ab Alexan-
dro I. Romano Pontifice, ut quidam perperam ſcribunt (8), ſed ab Apo- (8)
ſtolis incœpiſſe (9). (9)

(1) *Id eſt lectio ex Apoſtolo*) Ita antiquitus *Apoſtolus* intelligebatur pro lectione Epiſtolæ, uti habetur in Conſtitutione Childeberti Francorum Regis an. 554. tom. 1. Capitul. Reg. Franc. pag. 7. Item in Concilio Toletano IV. Epiſtola, quæ in Miſſa legitur, *Apoſtolum* dicitur: *in quibuſdam quoque Hiſpaniarum Eccleſiis Laudes poſt Apoſtolum decantantur*. Vide Card. de Aguirre Concil. Hiſp. tom. 2. pag. 416. & conſtat item ex can. 4. Conc. Remenſis an. 813. ubi dicitur: *Subdiaconi miniſterium eſſe Apoſtolum legere*.

(2) *Quidam interpretantur*) Rhenanus, aliique, uti notat Pamelius ad Tertull. lib. 2. ad uxorem cap. 6. n. 43.

(3) *Et eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*) Eadem etiam leguntur in ſuppoſititia ad Laodicenſes ſcripta, quæ licet in pluribus Bibliis, præcipue Germanicis, Normbergæ anno 1483., & Auguſtæ Wormiæ, ac Amſtelodami excuſis legeretur, eamque proferant Hervæus Dolenſis Monachus in ſine Epiſt. ad Coloſſenſes inter Opera Sancti Anſelmi, ac Sixtus Senenſis in Bibliotheca Sancta lib. 2. ſub voce *Paulus*, aliique poſt ipſos, itemque eam, ut genuinam commendent Stephanus Prætorius cum aliis quibuſdam a ſe editis Apoſtolorum fragmentis, & Jacobus Faber Stapulenſis in Commentariis ad Paulinas Epiſtolas; attamen ex Eccleſiæ auctoritate, Concilii præſertim Tridentini, quæ quatuordecim tantum Pauli Epiſtolas admittit, inter quas nulla ad Laodicenſes occurrit, auctoritate Sanctorum Patrum, qui eam nunquam citarunt, & teſtimonio Sancti Hieronymi in Catalogo Script. Eccleſ. ubi recenſitis S. Pauli Epiſtolis, ſubjungit: *legunt quidam & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus exploditur*, eadem inter Apocryphas Scripturas, & extra Canonem Sacr. Bibliorum rejicienda univerſim nunc a Catholicis adjudicatur; quin, & noſtratum plerique, videlicet Cardinales Baronius, Bellarminus, & alii merito ambigunt duce Chryſoſtomo, an unquam ullam ad Laodicenſes Epiſtolam ſcripſerit Apoſtolus Paulus. Et ſane in dicta Epiſtola ad Coloſſenſes, ubi laudatus Doctoris Gentium textus exprimitur, non agit ibi Apoſtolus de Epiſtola aliqua, quam, ut nonnullis viſum eſt, ad Laodicenſes ſcripſerit, ſed de Epiſtola Laodicenſium reſponſiva ad Coloſſenſes loquitur, qua illi teſtatum facerent ſe recepiſſe Pauli Epiſtolam, propoſitæque in ea doctrinæ adhæſuros, uti docte obſervat vir clariſs. Franc. Dominicus Bencinus de Literis Encyclicis Diſſert. 2. pag. 18. num. 17., qui & hanc rationem ſubdit dicens: iſtam olim in Encyclicis conſuetudinem fuiſſe, ut quæ mittebat Eccleſia, præſtolaretur a reliquis conſenſionis & profeſſionis teſtimonium in peculiaribus Epiſtolis exaratum, ex quibus ſubinde tomus Encyclicus conflabatur, ubi una Eccleſiarum doctrinæ, & profeſſio eluceſceret. Hæc eruditiſſimus Scriptor. Porro de hujuſmodi Epiſtola ad Laodicenſes plura habent Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 1. cap. 12. art. 6. atque Abbas clariſs. D. Placidus Troyli Theol. Poſitivo-Polem. &c. tom. 1. tract. 4. de ſac. Script. §. 43. n. 593.

(4) *Cyprianus Epiſt. 33. & 34.*) Edit. Pamelianæ, ſiquidem in poſteriori editione Jo. Felli extant ſub n. 38. & 39.

(5) *Per quam ad divini Sacramenti participationem fidelium animi diſponuntur*) Optatus Milevitanus lib. 6. de Schiſm. Donat. adverſus Parmenianum. *Pollutos* (inquit) *vocas, quia furtivas vobiſcum non legimus lectiones, aut negate vos alienas lectiones legere, ſi poteſtis, ut quid audetis Epiſtolas ad Corinthios legere, qui Corinthiis communicare noluiſtis? Ut quid ad Galatas, & Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quorum communione non eſtis?* Ex quibus evidenter deducitur Epiſtolas Pauli ad Corinthios, Galatas, & Theſſalonicenſes lectas fuiſſe in Eccleſia, & quidem dum ſacra peragerentur myſteria; nam iis adeſſe, & ibi lectum audire verbum Dei, indicat communionem.

Epiſtolæ ſacræ in Eccleſia lectæ dum divina peragentur myſteria.

(6) *Et ſic paſſim in aliis ſermonibus*) S. Ambroſius Epiſtola 33. vet. edit. num. 20. *Sequenti die (erat autem Dominica) poſt lectiones, atque tractatum &c. Miſſam facere cœpi*, & in Præfat. ad enarrat. in XII. Pſalmos: *Quantum laboratur in Eccleſia, ut fiat ſilentium, dum lectiones leguntur*, & lib. 1. de offic. cap. 10: *Hoc ſacrificium laudis Deo dependitur, cum Scripturæ divinæ leguntur.* Porro de ſilentio, dum lectiones in Eccleſia leguntur, indicto, cujus hic meminit Ambroſius, quoad Eccleſiam Latinam, & quoad Græcam Chryſoſtomus, paullo poſt apud Card. noſtrum, qui & illius textum affert, ut de eodem alibi etiam memorato, atque iterum infra ſuo loco fortaſſe exprimendo nonnulla exoticæ eruditionis in gratiam Philologorum dicamus. Obſervandum eſt Ethnicis quoque ſolemne fuiſſe in ſuis templis proclamare *favete linguis*, cum eorum ſacra peragerentur, vel ut mavult Briſſonius de Formulis vet. lib. 1. *Tace, omnis eſto mutus*; de qua dictione Seneca lib. de vita beata ad Gallionem ſcribit quod id edictum, *non, ut plerique exiſtimant, a favore trahitur, ſed imperatur ſilentium ut rite peragi poſſit ſacrum nulla mala voce, ſed ne bona quidem obſtrepente*: cui aſſerto & conſentiunt Servius ac Donatus ad lib. 5. Æneidum ſuper illa Virgilii verba: *ore favete*. Vide item Card. noſtrum Tract. de Div. Pſalm. cap. 16. §. 14. n. 6.

(7) *Quibus ſeorſum audierunt*) Concilium Rhemenſe anno 813. celebratum canone 4. meminit Epiſtolarum, quas Subdiaconi legere debebant: *Præſidentibus cunctis lectæ ſunt Epiſtolæ Pauli qualiter Subdiaconi miniſterium eſt eumdem Apoſtolum legere, ut officium ſibi commiſſum implere rectius poſſent*; & in Vita Benedicti Papæ III. apud Anaſtaſium legitur, quod ipſe reformavit Lectionarium, *in quo erant lectiones, quæ a Subdiaconibus more ſolito leguntur per cunctas Eccleſiarum ſtationes.*

(8) *Quidam perperam ſcribunt*) Honorius in Gemma animæ cap. 88. & ex ipſo alii.

(9) *Sed ab Apoſtolis incœpiſſe*) Quoad Ordinem attinet, an ſacræ Liturgiæ initium antiquitus a lectionibus factum, vel a precibus fuerit, non plane conſtat a quorum altero

exordirent veteres. Juſtinus loco ſupracitato ab Eminentiſſimo, ac poſt ipſum Tertullianus initium a lectionibus ducunt; Auctor vero Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 61. & Dionyſius Areopagita Hierarch. Eccl. cap. 3. preces, ſive Pſalmos initio ſtatuunt. Quare arbitror preces, & Pſalmos interſectos fuiſſe lectionibus Prophetarum, atque Apoſtolorum; medios nimirum poſt veteris Teſtamenti, & ante Novi Lectiones, ut ſic varietate continuarum, ac prolixarum precum tædium minueretur, ne quæ oranti plurimum neceſſaria intentio eſt, per productiores moras hebetaretur, quemadmodum id conſpicitur in Miſſis Feriæ ſextæ in Paraſceve, Sabbati Sancti, & Vigiliæ Pentecoſtes, ubi primum Lectiones leguntur, deinde Pſalmi cum Precibus, atque iterum Lectiones iiſdem conſequuntur, & intermiſcentur, indeque emanaſſe puto, ut Lectiones, & preces alternatim in ſacris dicerentur, uti nunc fit. Et quidem duas lectiones, unam ex veteri, alteram ex novo Teſtamento recitatas fuiſſe indicat Gregorius Turonenſis lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 5. ubi hæc habet: *Factum eſt ut illa Dominica, prophetica Lectione jam lecta, ante Altarium ſtaret, qui Lectionem B. Pauli proferret.*

§. II.

Earum uſus antiquiſſimus.

Lecta olim etiam in Eccleſia ſummorum Pontificum aliorumque Epiſcoporum epiſtolæ.

USus veterum Patrum fuit non ſolum ſcripta Prophetarum, & Apoſtolorum legere in Eccleſia, cum fideles ad Miſſarum ſolemnia conveniebant, ſed ſummorum item Pontificum, aliorumque Epiſcoporum Epiſtolas, eas præſertim quas Irenicas, ſive Pacificas, aut Communicatorias vocabant: quarum commercio unitas, pax, & communio inter ſupremum Eccleſiæ caput Romanum Pontificem, & reliquos Epiſcopos, atque univerſa Eccleſiæ membra una fidei conſenſione conſervabatur; ita ut Orthodoxi ab Hæreticis facile ab omnibus ex illarum literarum participatione diſcernerentur. Mittebantur enim ab una Eccleſia in aliam, ut ſcirent fideles cum quibus Epiſcopis communicandum eſſet Negat hac de cauſa Auguſtinus *Epiſt.* 162. ſe literas communicatorias ſcripſiſſe Donatiſtis, quas jam olim ait, propter ſuam perverſitatem ab unitate Catholica, quæ toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed privatas, qualibus nobis uti etiam ad Paganos licet. Et quia cum illis, qui longo regionum intervallo diſſiti erant, communicatio per oſculum pacis fieri non poterat, neque per Euchariſtiam, aut per Eulogias; per hujuſmodi Epiſtolas fieri ſolebat. Præclare Chryſoſtomus hom. 30. in 2. ad Cor. *Vide quemadmodum omnes tam corporibus longe diſſitos, quam vicinos inter ſe conciliet, hos nempe per oſculum, illos per literas.* Epiſtolam Clementis ad Corinthios publice lectam in Eccleſia teſtatur Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Apud Euſebium *lib.* 4. *cap.* 15. extat ejus generis Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ ad omnes Orthodoxos, qua S. Polycarpi Martyrium deſcribitur (1). Et infra (1)
cap. 23. agens de Epiſtolis a Dionyſio Corynthiorum Epiſcopo ſcriptis ait, ex quibus una eſt ad Lacedæmonios rectæ fidei inſtitutionem continens, pacemque & unitatem inſinuans (2). Aliam ſimilem refert *lib.* (2)
5. *cap:* 1. Eccleſiæ Lugdunenſis, & Viennenſis ad Eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ de Martyribus illius Provinciæ. In collatione Carthagine habita pro defenſione Felicis, & Cæciliani legimus, quod pro executione impii edicti Diocletiani traditæ ſunt etiam literæ ſalutatoriæ ſimul cum ſacris Codicibus, qui legebantur in Eccleſia. Auguſtinus Epiſt. 165. hæc de Donatiſtis ſcribit: *Legunt in Codicibus ſanctis Eccleſias, quibus Apoſtoli ſcripſerunt, & nullum in eis habent Epiſcopum. Quid autem perverſius, & inſanius, quam lectoribus eaſdem Epiſtolas legentibus dicere: Pax tecum, & ab earum Eccleſiarum ſe pace ſeparare, quibus ipſæ*

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtolæ ſcriptæ ſunt (3). Seriem vero & ordinem Lectionum, atque (3)
Epiſtolarum, & Evangeliorum, quæ ſingulis diebus per annum in Miſ-
ſæ ſacrificio legi debent, communis Eruditorum ſententia eſt, paucis li-
cet negantibus, S. Hieronymum diſpoſuiſſe in libro, quem Comitem
inſcripſit (4), ediditque Pamelius tom. 11. Liturgicorum. Sed & Cor- (4)
nelius Schultingius initio ſuæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ ſe eumdem Co-
mitem MS. habuiſſe aſſerit multo ampliorem quam ſit editus a Pame-
Hieronymi liber Comitis dictus qualis fuerit. lio, quem typis mandare non potuit deficientibus ad id ſumptibus ne-
ceſſariis (5). Citant hunc librum nomine Lectionarii omnes antiqui ſa- (5)
crorum rituum Scriptores, quidam ſine nomine auctoris, alii expreſſo
nomine S. Hieronymi, & titulo Comitis. Ita Micrologus cap. 25. *Li-
ber etiam Comitis, ſive Lectionarius, quem S. Hieronymus compaginavit.*
Et Berno Augienſis cap. 1. *Beatum Hieronymum credimus ordinatorem
Lectionarii, ut ipſius teſtatur prologus appoſitus in capite ejuſdem Comi-
tis*. Sed hic prologus non extat in præcitato Codice Pamelii. (6) Hugo (6)
item a S. Victore lib. 2. de Off. Eccl. cap. 11. *Hieronymus Presbyter
Lectionarium, ut hodie habet Eccleſia, collegit: ſed Damaſus Papa, ut
nunc moris eſt, legi inſtituit*. Vere autem hunc librum a Hieronymo
conſcriptum eſſe ex eo quidam confirmant, quod Patres eo antiquiores
Lectionum dumtaxat utriuſque Teſtamenti generaliter mentionem faciunt:
poſteriores vero certas lectiones ſingulis diebus aſſignatas commemorant.
Sed certas fuiſſe ante Hieronymum Lectiones ex Hippolyti Martyris
canone Paſchali evincitur, in quo ſtatæ lectiones in cellulis, ſive later-
culis deſignantur. Extat autem hic canon latine translatus, & notis il-
luſtratus ab Ægidio Bucherio in ejus Commentario de Doctrina tem-
porum (7). Græce vero legitur apud Gruterum in Inſcriptionibus pag. (7)
CXL. ex eo deſcriptus, qui ſculptus eſt in lateribus antiquiſſimæ Sedis
lapideæ cum ſtatua ipſius Hippolyti in ea ſedentis, e ruderibus Urbis an-
te annos centum effoſſæ, & in ingreſſu Vaticanæ Bibliothecæ colloca-
tæ (8). Auguſtinus quoque, qui Hieronymo contemporaneus fuit, cer- (8)
tas, & proprias lectiones ſtatis diebus ſuo tempore in Africa lectas fuiſ-
ſe docet initio Expoſitionis in Epiſtolam Joannis his verbis: *Meminit ſan-
ctitas veſtra Evangelium ſecundum Joannem ex ordine lectionum nos ſolere
tractare. Sed quia nunc interpoſita eſt ſolemnitas ſanctorum dierum, qui-
bus certas ex Evangelio Lectiones oportet in Eccleſia recitari, quæ ita
ſunt annuæ, ut aliæ eſſe non poſſint: ordo ille, quem ſuſceperamus, ne-
ceſſitate paulum intermiſſus eſt, non omiſſus*. Et infra tract. 9. ejuſdem
Expoſitionis, *interceſſerunt*, inquit, *ut intermitteremus textum hujus epi-
ſtolæ, quædam pro diebus feſtis ſolemnia lectionum, quæ non potuerunt niſi
legi, & ipſa tractari*. Hunc autem morem, qui tunc vigebat in Afri-
canis Eccleſiis, credibile eſt in aliis quoque ſervatum (9). Hieronymum (9)
vero ſuum lectionarium per ſingulos dies diſtributum ordinaſſe, jubente
Damaſo Papa, qui ordinem illum in Romana Eccleſia ſervari præcepit,
ex qua ad alias dimanavit. A Concilio Laodiceno can. 59., & a Car-
thaginenſi, quod Tertium dicitur, c. 47. ſancitum fuit non oportere in
Eccleſia libros legere, qui ſunt extra canonem, ſed ſolos Canonicos ve-
teris, & novi Teſtamenti (10). Toletanum IV. c. 16. Apocalypſim le- (10)
gi mandavit Miſſarum tempore a Paſcha uſque ad Pentecoſten. Et Bra-
carenſe I. c. 20. decrevit, ut per ſolemnium dierum vigilias, vel Miſſas
omnes eaſdem, & non diverſas lectiones legant.

Unde orta conſuetudo legendi in aliquibus Eccleſiis SS. Martyrum & Confeſſorum acta

(1) *Qua Sancti Polycarpi Martyrium deſcribitur.*) Atque hinc orta perhibetur conſuetudo legendi etiam in aliquibus Eccleſiis Sanctorum Martyrum paſſiones, & Confeſſorum geſta. In Africana ſiquidem Eccleſia miracula S. Stephani Protomart. recitata fuiſſe diſcimus ex Actis Translationis ejuſdem in Præfat. lib. 1. & lib. 2. cap. 1. In Eccleſia Hiſpana S. Braulio Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus libellum ſcripſit de geſtis S. Æmiliani, *ut poſſet in Miſſæ ejus celebratione quantocius legi*: uti ipſe aſſerit in Præfat. ad ejus Vitam, apud Mabillonium Sec. 1. Bened. pag. 205. Eamdem praxim obtinuiſſe in Eccleſia Gallicana teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 2. de Miraculis Sancti Martini cap. 49. & lib. 1. de Gloria Mart. cap. 86., ubi habet: *Lecta paſſione* Sancti Polycarpi, cujus feſtum celebrabatur, *cum reliquis Lectionibus, quas Canon Sacerdotalis invexit, tempus ad Sacrificium offerendum advenit*. Denique in Eccleſia Mediolanenſi egregium eſt teſtimonium Pauli Sacerdotis, & Gebeardi Religioſorum virorum Eccleſiæ Ratiſponenſis in Epiſtola 3. ad Martinum Theſaurarium Sancti Ambroſii, ſeu ejus Eccleſiæ Cuſtodem, Mabillon. Muſæi Italici Tom. 1., quem ſic alloquuntur: *Geſtis Sanctorum, quæ Miſſarum celebrationibus apud vos interponi ſolent, non indigemus, quoniam his abundamus*. Legendi ad hanc rem Baronius in Præfat. ad Martyrol. Rom. cap. 2. Theodoricus Ruinart. in Præfat. ad Acta Martyrum ſelecta & ſincera pag. IV., & V. Aringhus Romæ ſubterr. lib. 1. cap. 30., atque etiam in Eccleſia Romana paſſiones lectas fuiſſe diſcimus ex Adriani Papæ I. Epiſtola ad Carolum Magnum, ubi ait: *Vitæ Patrum ab Orthodoxis titulatæ ſuſcipiuntur, & leguntur*. Publice autem hujuſmodi Acta Martyrum, & inſignium Confeſſorum Vitæ, ac geſta legebantur in Eccleſiis in ipſorum feſtivitatibus, ut ita auditis illorum virtutibus, fideles populi eorum exemplo ad ſimilia Deo auxiliante perficienda accenderentur, quemadmodum ex Eccleſiæ Spiritu in ſuis orationibus expreſſo clare deducitur. Quod & innuit Juſtinus Martyr in §. antecedenti indicatus Apolog. 2. ubi ſacrum Chriſtianorum deſcribens, inter cætera dicit, poſt lecta Prophetarum, & Apoſtolorum ſcripta, ab eo qui præſidet Populum inſtrui, ut ad imitationem eorum, quæ lecta ſunt, ad ſemper recte agendum moveatur.

(2) *Pacemque, & unitatem inſinuans.*) Quo etiam loco dignoſcitur Clementis, & Soteris Pontificum Epiſtolas publice lectas fuiſſe in Eccleſia; ſiquidem in fragmentis Epiſtolarum, quas Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ad Soterum ſcripſit, ibique ab Euſebio relatis, ita ait Dionyſius. *Hodie ſanctum diem Dominicum tranſegimus, in quo veſtram legimus Epiſtolam; quam quidem perpetuo legentes, perinde ac priorem nobis a Clemente ſcriptam, unde optimis monitis inſtruamur, habebimus.*

(3) *Quibus ipſæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.*) Sancti Cypriani Epiſtolas Clero, & Populo publice legi præcipere ſolebat Cornelius Papa, uti ex ejuſdem Cypriani Epiſtola ad Cornelium vet. edit. 12. edit. Pamel. 55. Oxon. 59. circa finem. Idem patet ex Epiſtola 4. Liberii Papæ ad Conſtantium Imp. num. 2. Immo & ipſorum Imperatorum Epiſtolæ in Eccleſia legebantur, ut conſtat ex Epiſtola 23. Cæleſtini I. Papæ ad Theodoſium Juniorem Imperatorem, atque aliis veterum monumentis comprobari poſſet.

Imperatorum etiam Epiſtolæ quandoque in Eccleſia lectæ.

(4) *Quem Comitem inſcripſit.*) Quo vero ad ſeriem, & ordinem lectionum, cum lecti proculdubio fuerint ſub Eccleſiæ initio ſacri Evangeliorum, & Apoſtolorum Codices, ut infra cap. ſequenti uberius demonſtrabitur, non idcirco videtur ſtatim illos ordine accommodato ad tempora, ſicuti nunc diſpoſitos habemus, ſed concatenata quaſi ſerie, ut ſcripti erant, & juxta normam, ac modum, quo Lex legebatur in Synagoga, lectos fuiſſe; quum enim Theopneuſti Authores novi Teſtamenti, non eodem tempore, ſed unus poſt alium ſcripſerint, haud facile creditu eſt, quod illico ſub ipſis incunabulis hinc decerptæ ſint pericopæ Evangelicæ, & Apoſtolicæ ſingulis ſtatis diebus legendæ, altum quippe de iis apud primævos Scriptores ſilentium eſt. Scribit quidem Juſtinus ſupra ab Em. citatus Lectiones ex Prophetis, & Apoſtolis eſſe recitatas in Eccleſiaſticis Conventibus, *quoad tempus ferebat*, & Tertullianus Apologetici cap. 39. *Cogimur*, inquit, *ad divinarum litterarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere*. At ne quis inde colligat jam tum Juſtini, aut ſaltem Tertulliani ævo certas pericopas ex ſcripturis pro ratione dierum feſtorum, aut Dominicorum eſſe ad prælegendum ſelectas, ipſa temporis tunc præſentis nota, quam deſignat uterque, ſcilicet perſecutionis, vetat, eo ſiquidem tempore, cum ſemper pavidi, ſemperque ſuſpecti Chriſti fideles timerent, eſſe Gentilium incurſione a ſacris peragendis, dum iis inſiſterent, exturbati, ſi id imminere ſuſpicabantur, breves audiebant Scripturarum lectiones, ſi nullus aderat timor, longiores, quemadmodum ſupra dictum eſt ad lib. 1. cap. 5. §. 3. ſcilicet Tom. 1. pag. 75. de antiquæ primorum fidelium Eccleſiæ Liturgia; neque enim aliter interpretanda videntur ea Juſtini, & Tertulliani verba: *Quoad tempus fert*; *ſi quid præſentium temporum qualitas cogit* &c., quæ non niſi in hæc reddi queunt, *in quantum poſſibile eſt, tempus permittit, aut ſupereſt*.

Hieronymi liber, qui Comes dicitur, non primis ſæculis, ſed Eccleſia in ſumma pace conſtituta in ordinem diſpoſitus.

Hoc idem innuit Juſtinus ipſe loco citato, dum enim ibi ait legi conſueviſſe die ſolis, hoc eſt Dominica, ſcripta Prophetarum, & Apoſtolorum, mox ſubdit: tum ab eo, qui præſidet orationem haberi, qua Populum inſtruit, & ad imitationem eorum, quæ lecta ſunt, cohortatur. Quare faciendæ lectionis ſignum a Præſide factum fuiſſe credendum eſt, vel manus plauſu, Monachorum more, uti ex Caſſiano lib. 2. Inſtit. cap. 11., vel gutturis ſono, uti legitur in Libro de Eccleſiaſtica Cura Caroli Magni cap. 7. vel alio quovis ſigno tunc uſitato; atque inde qui præerat, Epi-

ſcopum

ſcopum, aut Presbyterum orationem ſuam, ſeu exhortationem ad Populum inchoaſſe, niſi velimus dicere (quod utique credibilius, & veroſimilius apparet, Chriſti etiam exemplo firmatum, ut mox dicemus) Eccleſiam primitivam in ſacris Lectionibus legendis eumdem Ordinem, ac ſeriem ſervaſſe, quem olim habuit Judæorum Synagoga, adeoque ſicut veteris Teſtamenti Scripturas, ita & earum lectionem mutuaſſe. Et quidem duæ ſunt Lectiones, quas Judæi ſolemniter qualibet hebdomada recitant in Synagoga, quarum altera ex Lege, ſeu Moyſis Pentateucho, altera ex Prophetis deſumitur. Prima, quæ legalis eſt, Hebraice paraſcia. Secunda, quæ Prophetica, & Haphtora dicitur.

In ordine Lectionum probabile ac veriſimile eſt Eccleſiam primitivam eumdem morem ſervaſſe, quem olim habuit Judæorum Synagoga.

Dividunt Judæi totum Moyſis Pentateuchum in 54. ſectiones juxta numerum majorem hebdomadarum anni apud ipſos, & in qualibet hebdomada, ſeu Sabbato unam ex his recitant, facto initio a Bereſcith, ſive Geneſis Libro. Sub his ſectionibus quatuor, vel quinque capita, aut etiam plura comprehenduntur, quæ quidem ſectiones non cum ipſis capitibus ſemper initium ſumunt, ſed plerumque a locis illuſtrioribus, a quibus argumentum aliquod inſigne demonſtratur, quarum Sectionum Catalogum texuit eruditiſſimus noſter Abbas D. Julius Bartoloccius Rerum Hebraicarum Excellentiſſimus Scriptor Bibl. Rabb. Tom. 2. pag. 595., & ſeqq. Poſt has ſectiones legis, quas etiam, prout nunc in Eccleſia leguntur, recitat Rupertus Abbas Tuitienſis, earumque rationem reddit in fine librorum de Divinis Officiis apud noſtrum Emintentiſſium de Div. Pſalmod. cap. 16 §. 4. num 2. ſequitur Haphtora, ſive alia lectio ex Prophetis deſumpta, quæ lectio prophetica correſpondet lectioni Legis, ita ut ſi legenda foret lectio Legis Geneſis, in qua de creatione Mundi agitur, prophetica lectio illi correſpondens eſſet ex Iſaiæ cap. 42. verſ. 5. *Sic dixit Deus Dominus creator Cælorum* &c. juxta Hebraicam verſionem, & ſic de reliquis, quarum ſeriem item profert laudatus Abbas Bartoloccius loco citato pag. 655. Quælibet itaque Paraſcia, inquit, idem Bartoloccius, habet ſuam Haphtora, nec Haphtora, ſeu Lectio prophetica reperitur, quæ careat ſua Paraſcia, ſcilicet lectione Legis Moſaicæ, cui utcumque correſpondet, atque inde derivatum arbitror, quod eodem fere ſimili modo Epiſtola in Eccleſia Catholica correſpondeat Evangelio, a Judæis ſiquidem, & Synagoga, e quorum grege quamplurimi Chriſti fidem ſuſceperant, Eccleſiæ Patres nonnullas laudabiles conſuetudines ſumpſiſſe jam ſupra diximus.

Idque & ab initio Eccleſiæ obſervatum colligitur.

Utriuſque hujus Lectionis uſum, Legis ſcilicet, ac Prophetarum Eccleſiæ initio fuiſſe habemus ex Actibus Apoſtolorum cap. 13. 15. *Poſt lectionem Legis, & Prophetarum*; & Lucæ 4. 16., de quibus ſupra Eminentiſſimur Author, habemus item ex hoc Lucæ textu, quod quando Lectio recitatur, ſurgendum eſt, ſicuti Chriſtus fecir, ibi enim dicitur, *& intravit ſecundum conſuetudinem ſuam in Synagogam, & ſurrexit legere*. Quod & faciunt Judæi, qui utramque lectionem, Legalem, & Propheticam ſtantes legunt, indeque etiam hunc ritum ex Chriſti exemplo in Eccleſia effluxiſſe proculdubio cenſendum eſt. Hujus præterea lectionis utriuſque teſtimonium habemus ex Authore Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 4. in Ordinatione enim Epiſcoporum, & Miſſæ celebratione hæc rubrica legitur; *ac poſt lectionem Legis, & Prophetarum, & Epiſtolarum noſtrarum, & Actorum, atque Evangeliorum ſalutet Eccleſiam ordinatus* &c. Qui idem Ordo ſervatur in officio Miſſæ quatuor anni Temporibus, quibus diebus præmittuntur Lectiones ex Pentateucho Moyſis, ex Prophetis, & ex Epiſtolis Apoſtolorum, poſtea ſequitur Evangelium, quemadmodum ſupra, ubi de Miſſa Ambroſiana, & infra hujus capitis §. 4. Eminentiſſimus Author; Lex enim Moyſis, & Prophetarum vaticinia, tamquam Evangelii Præcurſores præmitti debent, ſicut & Lectiones, atque Epiſtolæ novi Teſtamenti, per quas Evangelii gratia prædicatur omni creaturæ, & diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datur nobis. Atque hæc de Lectionum ordine, de quibus item infra nonnulla dicemus.

Clariſs. Joannes Pinius Soc. Jeſu Theol. in Tract. Hiſt. Chron. de Liturg. ant. Hiſp. Gothica &c. cap. 9. §. 6. hæc de Libro Comes dicto habet: „ Ecce jam aliud indicium „ magnæ Kalendariorum antiquitatis, quod „ in eo ponitur, ut quanto pauciores, vel „ plures in eis notantur vigiliæ, tanto amplius creſcat, vel decreſcat genuinus, ac „ primigenius antiquitatis character. Bucherianum in primis nullas habet; nullas, „ item Carthaginenſe. Frontonianum ſolummodo haber quatuor; Acherianum quinque; „ Liber Comitis novem; quem vel ideo a „ Sancti Hieronymi ætate remotiſſimum judico, quidquid Card. Bona Rer. Liturgic. „ lib. 2. cap. 6. §. 2. eum iſti Authori aſſerat „ Abſtinuiſſet ab hac Cenſura vir doctus, & eruditus, ſi meminiſſet teſtimonium Comitis haberi in charta Cornutiana, de qua infra Papias in Lexico: *Comes vocatur ab Eccleſiaſticis Congregatio Cæleſtium Lectionum*. Quibus verbis innuitur *Lectionarius*, quem a S. Hieronymo ferunt compoſitum, qui *Comitem* eum inſcripſerit, ut obſervavit Pamelius in Epiſt. ad Micrologum. Verum ſi quem nuper edidit vir doctiſſimus D. Lucas Acherius Tom. 13. Spicilegii pag. 253. Prologus ad Conſtantium in eumdem Librum, revera eſt Hieronymi, longe ante eum id nominis obtinuerat, quod ex illius initio colligere eſt, unde quæ de eo habet Papias excerpſerat: *quamquam*, inquit, *licenter adſumatur in opere congregatio cæleſtium Lectionum, & ipſum opuſculum ab Eccleſiaſticis viris Comes quidem ſoleat appellari &c.* Utcumque ſit de Prologi Authore, conſtat eam Lectionario inditam, ac receptam nomenclaturam anno 471. ex charta donationis Eccleſiæ Cornutianæ hoc anno ſcripta, & edita a Svareſio, ubi hæc leguntur: *Item Codices, Evangelia, 4. Apoſtolum, Pſalterium, & Comitem*. Quibus verbis liquido conſtat, prout etiam obſervavit Mabillonius lib. 6. de Re Diplomatica

Cl. Joannes Pinius notatur, & ab ejus cenſura vindicatus Card. Bona.

tica, Comitis Librum, ſi Hieronymum non habuit Authorem, coævum tamen illi fuiſſe, vel ſupparem, ac proinde vetuſtiſſimum eſſe, aut ſaltem paulo poſt Hieronymi mortem editum. Liquet etiam denominationem iſtam perantiquam eſſe, nam hujuſmodi Liber Comitis dicitur apud Bernonem Augienſem cap. 1. & 4. atque in Vita S. Felicis Archiep. Trevir. num. 8. Hoc pariter titulo Comitis, & Lectionarii donatur liber iſte a Micrologo cap. 25. & Hugone Victorino de Officiis Eccl. lib. 2. cap. 11. Joanne Beleth. Ration. Div. Offic. cap. 57. aliiſque XI. ſeculi Scriptoribus. Quidam ſic appellatum volunt, quod Eccleſiaſtici eum ut Comitem ſemper habere debeant, ut loquitur Phocas Grammaticus inter Grammaticos Putſchii, ubi ait:

Te longinqua petens Comitem tibi fere viator
Ne dubites: parvo pondere multa vehis.

(5) *Deficientibus ad id ſumptibus neceſſariis.*) Noviſſime hunc librum edidit Stephanus Baluzius ad calcem Capitul. Reg. Franc. Tom. 2. Col. 1310., quem tamen nonnihil interpolatum aſſerit Card. Thomaſius ad Codices Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ.

(6) *Extat in præcitato Codice Pamelii.*) Neque etiam in Stephani Baluzii mox laudato, quem tamen Prologum, ſeu Præfationem extulit Dacherius Tom. 13. Spicilegii ſui pag. 253., & ante ipſum Matth. Flacius Illyricus an. 1549. ac deinde Centuriatores Magdeburgenſes.

(7) *Commentario de Doctrina temporum.*) Item a Card. Noriſio in ſuis Epochis Syromacedonum Diſſert. 2. pag. 99., & ab Emmanuele Schelelſtratio Antiq. Eccl. Tom. 1. p. 510. & ſeqq. Vide notam proxime accedentem.

(8) *In ingreſſu Vaticanæ Bibliothecæ collocatæ.*) Nobile hoc, & præclariſſimum Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentum Romæ in agro Verano extra muros Urbis non procul ab Eccleſia S. Laurentii Mart. repertum & erutum an. 1551. Bibliothecæ poſtea Apoſtolicæ memoratæ illatum Marcello Cardin. Cervino, poſtea Summo Pontifice, tunc S. R. E. Bibliothecario, adhuc ibidem viſitur, & ab eruditis omnibus tanquam irrefragabile priſcæ Chriſtianæ Religionis teſtimonium ſuſcipitur, quo docemur pios Chriſtifideles olim primis Eccleſiæ ſeculis, ut nunc Sanctorum, atque illuſtrium virorum effigies ſcriptura reddere, & imagine repræſentare conſueviſſe. Iſtud autem inſigne ſacræ ſimul, ac litterariæ eruditionis memorabile pignus, uti a Cardinali noſtro deſcribitur, nihil aliud eſt, quam marmoreum ſimulacrum Cathedræ inſidens, utrinque in lateribus Græcis characteribus inſculptum, quibus exprimitur Canon Paſchalis, & ad ejus marginem Catalogus librorum, quos idem S. Hippolytus edidit. Hæc, quemadmodum ibi conſpiciuntur inſcripta, a Joſepho Scaligero primum cum notis Græce edita lib. 7. de Emend. temporum pag. 723. deinde a Grutero, loco jam in Card. textu indicato, & a Bucherio Comment. in Victorii Can. Paſch. cap. 15. pag. 291. item a Petavio lib. 11. de Doctr. Temp. atque a Lemoynio in ſuis Obſerv. ad Var. Sac. pag. 930. aliiſque illuſtrata fuere.

(9) *In aliis quoque ſervatum.*) Et quidem in Eccleſia Gallicana Gregorii Turonenſis tempore proprium Lectionarium extitiſſe ab antiquis olim acceptum ipſe Gregorius nos docet lib. de Vitis Patrum cap. 17. ubi ait: *advenit dies Dominicus, lectis igitur Lectionibus, quas Canon ſanxit antiquus.* Idque profecto ante Ritum Romanum in Galliis receptum. Joannes item Mabillonius Liturg. Gallicanæ lib. 2. Lectionarium edidit vetus Gallicanum, quem ex manuſcriptis ante annos nongentos ſe excerpſiſſe ait: Itidem Muſæus Presbyter Maſſilienſis, de quo ſupra; *Hortatu S. Venerii Epiſcopi ſui excerpſit ex ſacris Scripturis Lectiones totius anni feſtivis aptas diebus.* Quibus etiam confirmantur, quæ paulo ante nota 4. circa finem adduximus pro Card. noſtri vindiciis adverſus clar. Joannis Pinii cenſuram in eumdem de Libro Comitis, quem ipſe ex communi eruditorum ſententia, paucis licet negantibus, S. Hieronymo adſcribit; ſi enim Gregorii Turonenſis ævo, qui ſeculo ſexto exeunte floruit, Eccleſia Turonenſis juxta Canonis antiqui ſanctionem ſuum Lectionarium habuit, fortaſſe & ipſum a Muſæo Presbytero, qui centum circiter annis ante Gregorium vixit, concinnatum, quem iſte pro Eccleſia Maſſilienſi hortatu Epiſcopi ſui confecit, quare & Hieronymus conſimilem librum, ſeu Lectionarium hortatu pariter Damaſi Papæ ad Eccleſiæ Romanæ uſum in Miſſis celebrandis diſponere non potuit? Porro de hoc libro vulgo Comes dicto, ut ſatis indicatum eſt, plura habet inter noviſſimos Liturgicos Scriptores ſæpe laudatus Cajetanus Maria Meratus in Gavanti Comment. ad Rubricas Miſſalis Rom. Parte I. Obſerv. Præl. num. 4. ſeu Tom. 1. edit. Ven. in fol. pag. 4. & 5.

(10) *Veteris, & novi Teſtamenti.*) Atque fortaſſe ex eorum Conciliorum Statutis Gelaſius Papa in Concilio Romano, in quo libros Canonicos ab Apocryphis diſcrevit, eamdem cenſuram, & cautelam circa Acta Ss. Martyr. adhiberi voluit, nempe, ut nonniſi probata legantur in Eccleſia; etenim ait: *Sed ideo ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in Eccleſia Romana non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur.* Quare Card. Baronius ad ann. 290. pag. 686. edit. Rom. concludit; *ſed habito delectu poſtea complura fidelia inventa ſunt Acta Martyrum, quæ in eadem Eccleſia, ſicut in cæteris, publice recitantur.*

§. III.

§. III.

Lectæ aliquando Pontificum Epiſtolæ. Ordo lectionum a quo primum inſtitutus. Quo olim ritu, & a quibus legerentur.

SOlebant autem antiquitus tam Epiſtola, quam Evangelium legi in
ambone, ſeu pulpito (1), ex quo etiam Epiſcopus conciones ha- (1)
bebat: quem locum antiqui Patres honoris cauſa tribunal Eccleſiæ appellarunt. Cyprianus Epiſt. 34. agens de Celerino, quem poſt confeſſionem Lectorem ordinaverat, *Quid aliud*, inquit, *quam ſuper pulpitum, ideſt ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris dignitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus legat præcepta, & Evangelium Domini, quæ fortiter, & fideliter ſequitur?* Prudentius Hymno de S. Hippolyto

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur; Antiſtes prædicat unde Deum (2). (2)

Gregorius Turonen. lib. 2. de gl. Martyrum cap. 2. *Denique oratione facta erigo oculorum aciem ad tribunal*. Sidonius carm. 16. Aram vocat:

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit.

Ambo quid, ejus derivatio, & uſus in Eccleſia.

Cathedræ item nomen accepit, unde Eccleſia Cathedralis. Græcis proprie Ambones dicuntur loci excelſi, & montani, ſive montium cacumina, & quicquid in plano prominet, & exurgit: atque inde tranſlatum eſt nomen ad Eccleſiæ ſuggeſtum ſignificandum, in quo præter prædictas Lectiones etiam Diptycha recitari, & ſermones haberi conſueve-
rant (3). (Ex eodem loco fidei profeſſionem emitti ſolitam ab his, (3)
qui ad fidem convertebantur, conſtat ex Auguſtino Lib. 8. Conf. cap. 2.) Valfridus Strabo falſo credidit nomen eſſe Latinum, & ab ambiendo deducit. In eo quoque ſtabant Cantores graduale, & reliqua cantaturi: unde Concilium Laodicenum can 15. non oportere ait præter Canonicos cantores, qui Ambonem aſcendunt, & ex membrana pſallunt, alios canere in Eccleſia. Et Can. 33. Concilii Trullani quarumdam Eccleſiarum damnatur abuſus, in quibus Laici ſuggeſtum aſcendentes lectoris, & cantoris Officio fungebantur. Erat autem diſcrimen inter Epiſtolam, & Evangelium, nam illa in inferiori, iſtud in ſuperiori loco legebatur. Ita Ordo Romanus. *Subdiaconus, qui lecturus eſt, mox ut viderit poſt Pontificem Presbyteros reſidentes, aſcendit in Ambonem ut legat, non tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui Evangelium lecturus eſt.* In quibuſdam Eccleſiis duo ſunt graduum ordines, unus a ſiniſtris verſus Orientem, quo aſcendebant, alter a dextris Occidentem ſpectans, quo deſcendebant. In aliis Subdiaconus via una, Diaconus altera ibat. Adhuc Romæ extat veteris Ambonis forma in Ec-
cleſiis S. Clementis (4), S. Pancratii, & S. Laurentii extra muros. Pri- (4)
ſcis temporibus Lectoris partes erant Epiſtolam, & Evangelium legere,
ut notum eſt ex Epiſtolis Cypriani 33. & 34. (5) ſupra relatis: & ex (5)
Concilio I. Toletano Can. 2. quo ſtatuitur, ut pœnitens non admittatur ad Clerum, niſi exigente neceſſitate inter Oſtiarios deputetur, vel inter Lectores, ita tamen, ut Evangelium, & Apoſtolum non legat: quod
fruſtra prohibitum eſſet, niſi ad Lectoris Officium id tunc ſpectaſſet (6). (6)
Accedit quod in antiqua Subdiaconi Ordinatione, ſive ex Concilio Carthaginenſi, ſive ex Aquiſgranenſi, ſive ex Ordine Romano: nihil prorſus

Quo tempore cœperint Subdiaconi Epiſtolam legere, incertum.

ſus reperitur, quod ad legendam Epiſtolam referri poſſit: idque fuſius
oſtendunt Hallier de materia & forma Ordinationis §. 16. & Morinus de
ſacris Ordinationibus *P.* 3. *exerc.* 12. *cap.* 2. Lector autem olim per tra-
ditionem Codicis ordinabatur, qui ritus adhuc hodie perſeverat, & in
Eccleſia Orientali traditur eis Codex Epiſtolarum S. Pauli, quas publice
legunt in Eccleſia (7). Quo vero tempore cœperint Subdiaconi legere (7)
Epiſtolam dubium eſt. Suſpicor autem ſeculo octavo id contigiſſe; Ama-
larius enim, qui initio ſeculi noni claruit lib. 2. cap. 11. *Miror*, inquit,
qua de re ſumptus ſit uſus in Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſime,
non ergo ſemper, *legat Lectionem ad Miſſam, cum hoc non raperiatur
ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex literis canoni-
cis, neque ex nomine ſuo*. Et in fine capitis ſubdit. *Sed poſtquam ſtatu-
tum eſt à Patribus noſtris, ut Diaconus legeret Evangelium, ſtatuerunt ut
& Subdiaconus legeret Epiſtolam, ſive Lectionem*. At quando id ſtatutum
fuerit non dicit Amalarius, & ego exiſtimo ante cœpiſſe Diaconos lege-
re Evangelium, quam Epiſtolam Subdiaconos, ut oſtendam cum de
Evangelio ſermo erit. Favet ſupradictæ conjecturæ Concilium Remenſe I.
anno 813. celebratum, in quo can. 4. aſſeritur, quod *præſidentibus cun-
ctis lectæ ſunt Epiſtolæ Pauli, qualiter Subdiaconi miniſterium eſt eumdem
Apoſtolum legere, ut officium ſibi commiſſum implere rectius potuiſſent*.
Apud Anaſtaſium Benedictus III. qui vixit in Pontificatu anno 856. librum
perditum reſtituiſſe dicitur, *in quo erant Lectiones, quæ a Subdiaconibus
more ſolito leguntur per cunctas Eccleſiarum ſtationes, in quo Græcas &
Latinas Lectiones, quas die Sabbato Sancto Paſchæ, ſimulque & Pente-
coſtes Subdiaconi legere ſoliti ſunt, adjungi præcepit, miræque operationis
tabulis argenteis decenter adornavit*. Ex quo vides hunc morem a Roma-
na Eccleſia ad cæteras dimanaſſe. Atque id Micrologus cap. 8. confirmat
dicens, *ſolis Subdiaconibus inter inferiores gradus Romana auctoritas con-
cedit, ut ſacris veſtibus induti Epiſtolam legant ad Miſſam. Quod tamen
non ex eorum conſecratione, ſed potius ex Eccleſiaſtica conceſſione merue-
runt obtinere*. Priſco ritu in multis Eccleſiis lectioni Epiſtolæ lectio ali-
qua ex Prophetis præmitti ſolebat, diebus præſertim ſolemnioribus, qui-
bus in Comite S. Hieronymi aſſignata eſt: & extat etiam hodie in qui-
buſdam Miſſalibus pro vigilia Nativitatis Domini, & pro tribus Miſſis
ejuſdem feſtivitatis; quibus etiam diebus olim erat in Miſſali Romano,
ut Radulphus teſtatur *Propoſit.* 23. antequam ſcilicet Fratres Minores Ro-
manum ritum immutarent. Hic autem mos ab Eccleſia Mediolanenſi
quotidie ſervatur, itemque a Mozarabica, ut in eorum Miſſalibus patet.
Eumdem ritum viguiſſe in Gallia, priuſquam Romanis uſibus uterentur,
Gregorius Turonenſis teſtis eſt lib. 1. Mirac. S. Martini cap. 5. *Factum
eſt*, inquit, *ut illa Dominica, Prophetica Lectione jam lecta, ante Al-
tarium ſtaret, qui Lectionem B. Pauli proferret* (8). De Eccleſia Orien- (8)
tali teſtimonium Pachymeris habemus, qui exponens cap. 3. Eccl. Hie-
rarchiæ Dionyſii ait; *Deinde per Lectores divinarum Scripturarum, Pro-
phetarum, Apoſtoli, & Divini Evangeli lectio fit* (9). Finita Epiſtola (9)
reſpondent Miniſtri nomine totius populi *Deo gratias* (10), (gratias Deo (10)
agentes, quod panem doctrinæ ſuæ nobis frangere dignatus ſit, & ani-
mas eſurientes divinæ Sapientiæ pabulo recreare). Hæc autem vox *Deo
gratias* antiquiſſima eſt, nam ejus meminit S. Benedictus *cap. 66. ſuæ
Regulæ* tamquam a Monachis paſſim uſurpatæ: & Auguſtinus *in Pſal.*
132. Donatiſtas redarguit, qui Catholicorum *Deo gratias* irridebant.

(1)

(1) *Legi in Ambone, ſeu Pulpito*) De Ambone, ſeu Pulpito prolixam quidem, ſed eruditam Diſquiſitionem texuit clar. vir Joannes Baptiſta Thiers in ſuis Diſertationibus Eccleſiaſticis num. 2., ubi quæ de hac materia dici poſſunt, ſolide excuſſit. Plura quoque ante ipſum doctiſſime congeſſit de Ambone notiſſimus Scriptor Carolus Du-Cangius in notis ad Pauli Silentiarii deſcriptionem Templi S. Sophiæ n. 75. & ſeqq., ac in Gloſſ. med. & infimæ Latin. verbo *AMBO*.

Varia apud veteres Ambonis nomina.

Cæterum Ambo veteribus Patribus Exedra etiam, Suggeſtum, Dicterium, atque Auditorium dicebatur. Exedram vocat S. Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. *In gradibus Exedræ, in qua de ſuperiori loquebar loco*. Idem in geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo: *Cum Deuterius Epiſcopus una cum Epiſcopis in Exedram proceſſiſſet*. Suggeſtum appellat S. Gregorius Nazianzenus orat. 150. *Plebs circum cancellos, ut proximum obtineret ſuggeſto noſtro*, & infra: *hujus ſuggeſti cancelli a multitudine compreſſi*. Dicterium, & Auditorium nuncupat Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in vita Sanctæ Teclæ lib. 2. cap. 4. Ex quibus liquet Ambonem, ne dum Epiſtolam, aut Evangelium lecturos aſcendiſſe, ſed & ipſos Epiſcopos ex iiſdem Ambonibus, quæ ad Populum recitanda erant, tradidiſſe. S. Martinus I. Papa in Synodo Lateranenſi: *Capitula numero novem in Ambone prædicans*; Annales Francorum anno 800., *Ipſe Pontifex coram omni Populo in B. Petri Baſilica Evangelium portans Ambonem conſcendit*. Vide Anaſtaſium in Pelagio Papa: Capitula Caroli Magni lib. 1. cap. 8. *in Ambone ipſa auctoritas coram Populo legatur*. Porro etſi PP. antiqui honoris cauſa, Ambonem Tribunal etiam vocitent, nihilominus hoc nomen proprius Epiſcopali ſedi, ac throno, de quo ſupra, tribuitur; plures enim & maxime Græci Ambonem a Tribunali diſtinguunt; S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria Rerum Eccleſiaſtic. *Ambo coram Porta Tribunalis ſtatuitur*. Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcop. lib. de Templo, & Miſſa, ac lib. de Sacram. *Ambon e conſpectu Portæ tribunalis ſtat, ſacratiſſimum Tribunal ad Orientem ſtatuitur, & ex oppoſito, ſi permittat locus, Ambo ponitur*. Vide Petrum Arcudium de Concord. Eccleſ. Occident., & Orient. lib. 6. cap. 2.

Cæterum non obſtantibus, quæ diximus, contra Eminentiſſimum noſtrum, ejuſque ſententiam, qua ex Prudentio, Gregorio Turon., & Sidonio oſtendit Epiſcopos olim etiam ex Ambone ſermones ſuos ad populum habuiſſe, cum Valeſio in Socratem ad lib. 6. cap. 5., ubi ait: id tanquam ſingulare quidpiam in Chryſoſtomo Socratem notaſſe, quod verba facturus in Ambonem conſcendere conſueviſſet, ut a populo facilius exaudiretur, cum alias Epiſcopi, ut plurimum in gradibus Altaris concionarentur, uti ex quadam Childeberti Regis conſtitutione id probare nititur, inſurgit Joſeph Binghamus Orig. Eccl. lib. 7. cap. 5. §. 4. aſſerens hanc Eminentiſſimi opinionem errore quodam fundatam videri ex dicto Valeſii teſtimonio; quare ſubdit, hinc non poſſe concludi, quod Ambo ordinarius Epiſcopis concionandi locus fuerit, ſed potius Altare. Sed perperam impugnatur Eminentiſſimus Auctor: Epiſcopum etiam ex Ambone conciones habuiſſe ne dum ex ſupradictis patet, quæ manifeſta ſunt, ſed ulterius confirmatur. Epiphanius enim Ticinenſis Socratis compilator, qui ſæculo 6. ineunte floruit in ſua Hiſt. Tripart. lib. 10. cap. 4. hunc Joannis Chryſoſtomi morem expreſſe indicat: *Epiſcopus vero Eutropio ſub Altare jacente &c. reſidens ſuper Ambonem, ubi ſolebat prius facere conſuetum ſermonem*: Eundem autem Chryſoſtomum Lectorum ſæpe Ambonem in Baſilicæ gremio collocatum conſcendiſſe, ut ex eo concionans ab omnibus facilius, ac commodius audiretur, nos docent Georgius Alexandrinus in Vita ejuſd. cap. 18. Sozomenus in Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 5. atque Nicephorus Calixtus pariter in Hiſt. Eccl. lib. 13. cap. 7. apud Bernard. Ferrarium de Ritu ſac. Concionum vet. lib. 3. cap. 8., ubi integros eorum textus ille refert. Item hanc conſuetudinem in Gallia viguiſſe teſtatur Pithæus in Gloſſario ad libros Capitularium voce *Ambo*, ubi ex Benedicto Levita Caroli Magni Conſtitutionem refert, *ut in divinis celebrandis myſteriis* (Epiſcopus) *more Subdiaconorum ſacras lectiones, conſcendens Ambonem Populis nuntiaret*. Memoratus Nicephorus Hiſt. Eccl. lib. 16. cap. 26. narrat Macedonium Patriarcham Conſtantinopolitanum Euthymii ſucceſſorem Ambonem conſcendiſſe pro Concione, ut ſe purgaret ab impacta hæreſi, & fidei profeſſionem ederet. Item Iſo Sangallenſis Monachus de Mirac. S. Othmari Abbatis lib. 1. cap. 4. apud Dacherium ſæc. Ben. 3. parte 3. pag. 165. *Epiſcopus &c. cum propter frigoris ſubreptionem faucium raucedine impeditus ad Populum loqui non potuiſſet, quemdam Archipreſbyterum Ambonem conſcendere, ac vice ſui ſermonem ad Populum facere juſſit, ita videlicet, ut Preſbyter ipſe altiori paululum loco conſiſtens ea tantum proferret, quæ ſibi Epiſcopus, in vicino poſitus dicenda inſinuaret.* Ubi vides admodum ballucinatos fuiſſe Valeſium, & Binghamum contra Eminentiſſimum Auctorem. Sed de hac re iterum infra cap. ſequenti §. 7. Porro Ambo, ſeu Pulpitum, ne dum locus erat ſacris lectionibus, & concionibus deſtinatus, verum etiam publicis exorciſmis habendis; etenim in Vita S. P. Bernardi Abbatis cap. 6. legitur fœminam a Dæmone obſeſſam univerſo Populo adſtante, & candelas in manibus accenſas tenente ſolemniter exorcizaturum inter Miſſarum ſolemnia ad Ambonem conſcendiſſe, & inde nequam ſpiritum anathematizaſſe.

Vindicatur Card. Bona a Joſeph Binghami nota, illiuſque ſententia confirmatur.

(2) *Prædicat unde Deum*) Uranius in Vita S. Paulini Epiſcopi Nolani 22. Junii: *aſcenſo Tribunali ex more populum ſalutavit*.

(3) *Sermones haberi conſueverant*) Ita Georgius Alexandrinus ſupra adductus in Vita Sancti Joannis Chryſoſtomi loquens de ejus homiliis ait: *quod ſæpe etiam ex Ambone legebantur*. Quidquid item publice in Eccleſia dicebatur, ex Ambone annunciabatur, uti præter Canones ab Eminentiſſimo infra citatos

Quidquid publice in Eccleſia legendum erat, ex Ambone annunciabatur.

Concilii Laodiceni, & Trulliani, teſtatur Sozomenus lib. 9. cap. 2. Hinc ſub Menna Act. 5. univerſus populus clamabat *diptyca ad Ambonem*, ſcilicet deferantur, & legantur.

(4) *In Eccleſiis S. Clementis*) Et quidem in Sancti Clementis Eccleſia omnium urbis antiquiſſima, de qua præcipue videndus Philippus Rondininus, qui de eadem Baſilica ſingularem ſcripſit Tractatum de ejus Ambonibus lib. 2. cap. 9. pag. 29. 4. n. XIV. tres ibi, ait, haberi, & adhuc conſpici Ambones: duo in cancellis dextris, unum ſcilicet pro Epiſtola verſus Altare, alterum pro legendis prophetiis verſus populum, tertium in ſiniſtris paulo altiorem, & ornatiorem pro Evangelio, quorum figuras idem Rondininus, & Mabillonius Comment. ad Ordinem Romanum p. XXIV. aliique exhibent. Ex quibus videas longe diſparem fuiſſe formam Ambonum a forma Odeorum noſtrorum, quorum ſitus etiam diverſus, cum Ambones illi plurimum ad ſeptentrionem poſiti eſſent, odea vero noſtra ex parte, quæ chorum a navi diſterminat. Porro ad Ambones Romani ad eum modum accedebant, quem deſcribit Gregorius Turonenſis in lib. 1. de gloria Martyr. cap. 44., ubi agit de S. Cypriano Mart. Epiſcopo Carthaginenſi, *in cujus Baſilica*, inquit, *Analogius, in quo libro ſupraposito cantatur, aut legitur, mirabiliter compoſitus eſſe refertur, nam ex uno lapide marmoris totus ſculptus adſeritur; ideſt menſa deſuper, ad quam per quatuor gradus aſcenditur; cancelli in circuitu, ſubter columnæ, quia & pulpitum habet, ſub quo octo perſonæ recipi poſſunt*. In Eccleſia pariter Sancti Laurentii in agro Verano duo in navi viſuntur ambones pro Epiſtola, & Evangelio prædictis Sancti Clementis conſimiles.

Deſcribuntur veterum Ambones.

(5) *Ex Epiſtolis Sancti Cypriani* 33. & 34.) Item ex canone 8. Concilii Carthaginenſis IV. aliiſque veterum Latinorum monumentis, quæ hic memorare non vacat. Apud Græcos vero Lector, qui illis eſt Anagnoſtes, omnes Scripturas legit, præter Evangelium. Vide quæ dicta ſunt ad lib. 1. cap. 25. §. XVIII. ſeu tom. 2. pag. 374. & ſeqq.

(6) *Ad Lectoris officium id tunc ſpectaſſet*) De Lectoribus extat Siricii Papæ decretum in Epiſtola I. ad Himerium, ubi ait: *quicumque itaque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis a ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari*. Item Zoſimi Epiſtola 9. ad Heſychium cap. 3. *ſi ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſque ad vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret*. Item ex Hibernenſi Canone lib. 1. cap. 9. apud Dacherium Spicil. tom. 9. *Puer vero ab infantia miniſteriis Eccleſiaſticis deditus uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum Lector, ſive Exorciſta ſtet*. Vetuit quidem Juſtinianus Imperator Novella 123. ut Lectores ante annum duodevigeſimum ordinarentur. Sed antea in Eccleſia cum Orientali, tum Occidentali mos obtinuerat, ut pueris hoc officium impertiretur. De Orientali, cum plura poſſent proferri exempla, iſtud ſufficiat Euthymii, quem Otreſus Melitenenſis Epiſcopus: *Suſceptum puerum baptizavit, commiſſæque ſibi Eccleſiæ Lectorem fecit*; ut in Euthymii ipſius Vita narrat Cyrillus Scythopolitanus apud Monachos Ben. Congr. S. Mauri Analect. Græc. tom. 1., cui addi poteſt illud Chryſoſtomi, de quo Palladius in ejus Vita, ſeu Dialog. pag. 227. *octodecim annos natus receſſit a Libanio, atque a Meletio Antiochenſi Archiepiſcopo baptizatur, & lector ordinatur*. De Occidentali autem Eccleſia præter Siricium, Zoſimum, & Canones Hibernenſes, hujus rei teſtis eſt Paulinus Nolanus, qui de Sancto Felice ſic canit: *A puero inſtituit ſervire Deo . . . . & primis lector ſervivit in annis*: teſtis Auguſtinus, ut in Epiſtola 1. ad Cæleſtinum num. 3. teſtis Ennodius in vita Sancti Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi apud Bolland. Act. SS. Januarii tom. 2. pag. 364. *ubi hunc annorum ferme octo lectoris officium ſuſcepiſſe tradit*: teſtis denique, ut alios ſileam, Victor Vitenſis lib. 1. Hiſt. Wandal. & lib. 4., ubi cum Carthaginenſem Clerum exilio damnatum quingentorum numerum ſuperaſſe memoret, addit, *inter quos quamplurimi erant lectores infantuli*. Item in Vita Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi apud Surium 27. Auguſti legitur ipſum S. Antiſtitem octavo ætatis ſuæ anno lectorem ordinatum fuiſſe: *Clero adſcriptum inter ipſa infantiæ rudimenta poſt exactæ ætatis ſeptennium*. Colligitur item ex Concilio Carthag. III. cap. 4. Vaſenſi II. can. 1. ex Ferrando Diacono cap. 129. ac Sidonio Apollinari lib. 4. Epiſtola 25. Cæterum S. Cypriani ævo, ut ex citatis ejus Epiſtolis 33. & 34. edit. Pamel., & nonnullis aliis, ſolis provectæ ætatis hominibus meritis, & doctrina inſignibus lectoris munus demandabatur. At poſtmodum, cum e primis is eſſet ordinis Eccleſiaſtici gradibus, ad illum admiſſi fuere impuberes, & infantuli, ut dictum eſt.

Plura referũtur quoad Lectoris ætatem, gradum, & officium.

(7) *Quas publice legunt in Eccleſia*) Vide Goar in Euchologi. Græcorum p. 236. & Guillelmum Cave Append. ad Hiſt. Liter. de Script. Eccl. diſert. 2. de Libris Eccleſiaſt. Græc. pag. 181. verbo *Apoſtolus*, ubi nonnulla in hanc rem producuntur.

(8) *Qui lectionem B. Pauli proferret*) Item lib. 4. Hiſt. Franc. cap. 16., ubi narrat tres libros ſuper Altare ad legendum in Miſſa collocatos fuiſſe, videlicet *Prophetiæ*, *Apoſtoli*, & *Evangeliorum*. Idem conſtat ex antiquo Lectionario Luxovienſi, quod edidit Mabillonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 2. ex Sacramentario Bobienſi Muſæi Italici tom. 1. in quibus lectiones per anni circulum ſingulis Miſſis legendæ diſtribuuntur ex utroque Teſtamento. Hanc etiam conſuetudinem in Africa viguiſſe jam ſupra demonſtratum eſt lib. 1. cap. 7. in notis ad §. 3.

Tres libri ad legendum in Miſſa olim ſuper altare collocati.

(9) *Evangelii lectio fit*) Porro non lectoribus tantum ad id ordinatis legendi Scripturas in Eccleſia poteſtas erat, ſed etiam ex ſpeciali privilegio eadem quandoque Principibus viris delata: ſic in matutino Nativitatis Domini lectionem quintam in Capella Papali canere ſolet, ſi forſitan adſit, Imperator

Poteſtas legendi ſcripturas in Eccleſia quandoque Principibus viris delata.

tor, aut Magnus Princeps, uti notant fratres Macri in Hierolexico, quemadmodum & Carolus IV. Imperator Evangelium nudato enſe in vigilia Nativitatis Domini in matutinis Moguntiæ legiſſe traditur in magno Chronico Belgico pag. 286. Cæterum ad hunc locum præſtat referre, quod obſervat, & tradit clar. Edmundus Martene de antiquis Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 4. num. 4. ubi de Epiſtola hæc habet „: *Summopere cavendum eſt*, inquit Belethus cap. 38. *ne quis Epiſtolam legere præſumat, niſi ſit hypodiaconus, aut Diaconus, aut etiam Sacerdos; melius eſt enim ut Sacerdos legat, etiamſi cantet Miſſam, quam Acolythus*: Hanc Belethus doctrinam accipere potuerat a Concilio Quiniſexto, in cujus canone 33. præſcribitur, „ *ut nulli ex omnibus permittant juxta ordinem eorum, qui ſunt in Clericorum ordinem relati, populo in ſuggeſtu divinas Scripturas recitare, niſi in Sacerdotali tonſura uſus fuerit, & benedictionem a ſuo Paſtore canonice ſuſceperit*. Hoc munus obibant olim Epiſcopi, ut patet ex Gregorii Turonenſis Hiſt. Franc. lib. 8. cap. 7. ubi Palladius Epiſcopus Sanctonenſis Prophetiam pronunciaſſe memoratur; licet hoc olim proprium eſſet officium Lectorum, quibus ab antiquo liber in ordinatione porrigitur, non Subdiaconis, qui ſeculo tantum octavo Epiſtolam in Miſſa legere videntur incepiſſe, ut bene probat Card. Bona Rer. Liturg. lib. 2. cap. 6. „ Hæc Edm. Martenius, cujus relationi confuendæ addo Micrologum cap. 8. ubi loquens de Sacerdote Subdiaconi munus ſibi præſtante hæc ait: *unde & congruentius ipſi ſibi officium Subdiaconi repræſentat, quam quemlibet inordinatum, nec ſacris veſtibus indutum hoc explere permittat*. Relatus item Martenius & de antiqua Eccl. Diſcipl. in Divinis celebrandis officiis cap. 12. num. 2. ſive pag. 84., quæ ante diximus quoad Scripturas in Eccleſia lectas a Principibus viris ex particulari indulto, nonnullis aliis documentis, ipſe cæteroquin haud plene adhærens, confirmat. Verum hujuſmodi lectiones, non ex ſacra Scriptura veteris aut novi Teſtamenti, ſed ex ſermonibus Sanctorum Patrum, aut Actis SS. Martyrum, vel Confeſſorum deſumtas fuiſſe crediderim; neque enim priſcis temporibus, quæ minorum etiam altaris miniſtrorum ſunt propria, ita facile Laicis, quamvis inſignioribus, obiri concedebantur. At de hac re melius alii judicent.

(10) *Deo gratias*) Clar. Joannes Grancolas in ſuis antiq. Liturg. tom. 2. ſcribit in Africana Eccleſia populum finita Epiſtola reſpondiſſe *Pax tecum*, cujus conſuetudinis teſtem appellat Auguſtinum in Epiſtola 16. editionis vet. Verum in ea Epiſtola Auguſtinus ſermonem inſtituit de uſu Donatiſtarum, qui Lectoribus in Eccleſia reſpondere ſolebant *Pax tecum*, quamquam fieri poteſt, ut apud Catholicos etiam mos ille reciperetur, quemadmodum id adhuc Græci obſervant, qui ſemper lectionem ex novo Teſtamento dicunt in Miſſa, qua a Lectore recitata Sacerdos reſpondere ſolet: *Pax tibi*. Cæterum apud Latinos, & quidem in dicta Eccleſia Africana ad Epiſtolæ finem reſponſum fuiſſe *Deo gratias*, non obſcure indicat idem Auguſtinus ſerm. 133. alias 33. de verbis Domini: *In lectione Apoſtolica*, inquit, *Gratiæ Domino aguntur de fide Gentium*. Pro hujus paragraphi coronide afferendum eſt, quod circa Card. noſtri opinionem, qua exiſtimat ante cœpiſſe Diaconos legere Evangelium, quam Subdiaconos Epiſtolam, reponit clar. Cajetanus M. Meratus Comment. in Gavantum tom. 1. parte 2. tit. 2. edit. Venetæ in fol. pag. 82. hæc dicens: „ Certum tamen videtur Subdiaconos jam a Gregorii Magni temporibus „ in Eccleſia Romana Epiſtolam recitaſſe, „ quippe Gregorius ipſe in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Evangelicæ Lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia „ exſolveret, Pſalmos vero, ac cæteras lectiones Subdiaconi recitarent. Videatur „ Epiſt. 44. lib. 4. vet. editionis „: Hæc ille. At pace viri, dum in vivis erat, amiciſſimi Gregorius præciſe de Epiſtola mentionem non facit, quod ſi hæc inter *cæteras lectiones* intelligenda erit, id ex ſpeciali indulto olim ante ſeculum octavum conceſſum, non ex eorum tunc conſecratione, ut aiunt Amalarius, & Micrologus ſupra ab Eminentiſſimo allati. Porro de Epiſtola; ejuſque legendæ ritu præter hucuſque memoratos Scriptores, videndi Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 7. & Jo. Antonius Pallotta Sac. Rit. & Cærem. lib. 2. cap. 12. qui & agunt de illis verbis *Deo gratias*, quibus in fine Epiſtolæ reſpondetur.

§. I V.

De Graduali, ſeu Reſponſorio, ejuſque origine, & variis ritibus.

DUm perlecta Epiſtola præparat ſe Diaconus ad legendum Evangelium, chorus Reſponſorium concinit, quod Graduale nuncupatur, non a Gradibus Altaris, ut quidam recentiores ſcribunt (1), ſed a gra- (1)
dibus ambonis ſive pulpiti, ut docet Ordo Romanus dicens: *finita lectione illis qui Gradualem, & Alleluja cantaturi ſunt, juxta pulpitum in inferiori gradu ſtandum eſt*. Et vetus ejuſdem Ordinis expoſitio apud Caſſandrum in Liturgicis cap. 21. *Reſponſorium*, inquit, *quod ad Miſ-*

ſam

ſam dicitur, pro diſtinctione aliorum Graduale vocatur, quia hoc pſallitur in gradibus, cætera vero ubicunque voluerit Clerus. Idem aſſerit Amalarius lib. 3. cap. 17. *Lector, inquiens, & cantor in gradum aſcendunt more antiquorum* (2). Nomen autem Reſponſorii inde accepit, quia lectioni (2)
convenire, & reſpondere debet, ſive ut ait Rabanus *lib. 1. cap.* 33. quia uno deſinente alter reſpondet. Aſſerit Iſidorus *lib. 1. cap.* 8. *de Eccl. off.* Reſponſoria ab Italis inventa eſſe, ſed a quo præciſe, & quo tempore inſtituta ſint, incertum eſt (3). Sunt qui eorum auctorem Cæle- (3)
ſtinum faciunt, ſunt qui Gregorium Magnum. Et Gregorius quidem ea in ſuo Antiphonario per ordinem digeſſit, quæ in ſingulis Miſſis per annum cantari ſolent: at uſum pſallendi vel aliquot Pſalmi verſiculos, vel integrum Pſalmum (4) inter Epiſtolam, & Evangelium multo antiquiorem Gregorio fuiſſe, ſaltem in Africa, ex Auguſtino clare oſtenditur. (4)
Nam initio ſerm. 33. de verbis Domini recenſet quid in lectione Apoſtolica, quid in Pſalmo, quid in Evangelio lectum ſit. Et de verbis Apoſtoli ſerm. 8. *Apoſtolum*, inquit, *audivimus, Pſalmum audivimus, Evangelium audivimus: conſonant omnes divinæ lectiones* & infra ſerm. 10. *Primam lectionem audivimus Apoſtoli, deinde cantavimus Pſalmum: poſt hæc Evangelica lectio decem leproſos mundatos nobis oſtendit*. Plerique Miſſæ Expoſitores tam veteres, quam recentiores de Gradualis antiquitate agentes gravi ſe difficultate involvunt propter decretum Concilii quarti Toletani, quod celebratum fuit ſub Honorio Papa anno 633. In eo ſiquidem can. 12. non obſtante quod dudum Gregorius Magnus Reſponſorium poſt Epiſtolam cantari ſtatuiſſet, ſancitum fuit ut immediate poſt Epiſtolam Evangelium legeretur, nulla facta Reſponſorii interpoſitione. Verba canonis hæc ſunt: *In quibuſdam Hiſpaniarum Eccleſiis laudes poſt Apoſtolum decantantur, priuſquam Evangelium prædicetur; dum canones præcipiunt poſt Apoſtolum non Laudes, ſed Evangelium annunciari* (5). *Præſumptio eſt enim, ut antea ponantur ea, quæ ſequi debent. Nam* (5)
Laudes ideo Evangelium ſequuntur propter gloriam Chriſti, quæ per idem Evangelium prædicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam ſuſcepturis, qui hunc ordinem perturbaverint. Putat Berno Augienſis cap. 1. tempore hujus Concilii Gradualia frequentari cœpiſſe, & Hiſpanos novitate rei perculſos reſtitiſſe; poſtea vero Romanæ Eccleſiæ auctoritate conſtitutum fuiſſe, ut Reſponſoria, & Alleluja ante S. Evangelium canerentur. Idque ait Valfridus Strabo cap. 22. uſu Romano commendatum ad omnes deinde Latinorum Eccleſias perveniſſe. Sic omnes fere ignorantia facti hunc nodum evadunt, (6)
ſed non ſolvunt. Ad ritum enim Mozarabicum, quo tunc (6) Hiſpania utebatur, & longo poſt tempore ibidem viguit, pertinet citatus canon: quem ritum cum quidam Sacerdotes perverterent, merito in illos Toletani Concilii Antiſtites, Iſidoro Hiſpalenſi in eo præſidente, animadverterunt. Sunt autem Laudes, quæ poſt Evangelium priſco more Hiſpaniarum dicuntur, non hymnus trium puerorum, ut ait in notis ad præcitatum canonem Garzias Loayſa, ſed verſiculus cum Alleluja ei prorſus ſimilis, qui ritu Romano poſt Reſponſorium cantatur (7). Ipſum vero Reſ- (7)
ponſorium cantabant Hiſpani poſt lectionem veteris Teſtamenti, quæ in eorum Miſſali Epiſtolæ præmittitur. At poſt Epiſtolam chorus reſpondet *Amen*, & ſequitur immediate Evangelium. Eodem fere ritu utuntur Ambroſiani, nam poſt lectionem veteris Teſtamenti ſequitur Pſalmellus, quem vocant inſtar Gradualis Romani. At verſum cum Alleluja concinunt poſt Epiſtolam. In Liturgia Maronitarum poſt lectam Epiſtolam dicit Sacerdos hæc verba: *Gloria Domino*

Quid fuerint olim & nunc item ſint Laudes apud Hiſpanos.

Domino Pauli, & Prophetarum, & Apoſtolorum. Miſericordia Dei ſit ſuper Lectores, & ſuper auditores, & ſuper civitatem hanc, atque omnes habitatores ejus in ſæcula Amen. Alleluja, Alleluja. Ferte oblationes, & introite in atria Domini, & adorate eum in Templo ſanctitatis ejus, & conſitemini ei, ac benedicite nomini ejus, a quo vita datur. Alleluja.

Graduale quid: a quo denominatum; variæ de eodē opiniones.

(1) *Ut quidam recentiores ſcribunt*) Graduale, ſeu Gradale ſic nuncupatum eo quod cantaretur in inferiori gradu ex Ordine Romano, vel juxta gradus ambonis, ſeu pulpiti, in quo legebatur Evangelium ex Rabano ut infra lib. 1. cap. 33. vel quia cantabatur, dum Diaconus aſcenderet gradus Evangelici pulpiti ex Valaf. Strabone cap. 22., cui conſentiunt Rhenanus ad Tertull. librum de Corona militis, & Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 16. Verba Strabonis hæc ſunt: *Gradualia ſuccinebantur, quando Miniſter aſcendit in locum editiorem ad pronunciandum Evangelium*, vel etiam in gradibus Altaris, uti Durandus ait lib. 4. Rat. Div. Offic. cap. 19. Denique ſic dictum Graduale, ſive quia myſtice a gradibus humilitatis, ut pote illi conveniens, qui necdum aſcendit de virtute in virtutem, ſed adhuc in valle lacrymarum poſitus, jam tamen aſcenſiones in corde diſpoſuit, uti ex Ruperto Tuitienſi lib. 2. de Div. offic. cap. 21. Innocentio III. de Miſſa aliiſque; ſive quia per gradus virtutum ad id pervenitur, ex Stephano Eduenſi de Sacram. Altaris cap. 12. & Rabano Mauro præfato. Ex his variæ de Gradualis, ſeu Gradalis nomine ſententiæ, quarum illa præferenda videtur, quam ex Ordine Romano ſelegit Cardinalis noſter, ſcilicet ab ambonis gradibus ita nuncupatum. Graduale in Eccleſia Rhemenſi in gradibus Sanctuarii cani teſtatur Grancolas Tract. de Miſſa, & Div. offic. Duo Gradualium genera diſtinguunt Durandus, & Joannes Belethus; alterum, quod ante Altare canebatur, & alterum in pulpito, ſeu ambone; Belethus ait, Graduale ante Altare cani diebus ferialibus, & ſolemnibus in ambone, *quod in gradibus*, inquit, *ante Altare diebus profeſtis cani ſoleat, in ſolemnioribus vero in altioribus, hoc eſt in pulpito*. Durandus autem notat in diebus feſtivis cani Graduale ad Altaris gradus, in ferialibus vero in medio chori *in profeſtis*, ait, *diebus in medio chori ante gradus Altaris, in feſtivitatibus in gradibus cantatur Altaris. Hæc de Gradaalis nomine.*

(2 *Aſcendunt more antiquorum*) Quod olim ad Graduale decantandum aſcenderetur præ cæteris memoratis Scriptoribus diſerte firmat Rabanus Maurus Straboni, & Amalario coævus, ac noni ſæculi Scriptor lib. 1. de inſtit. Cler. cap. 32, ubi ait: *Reſponſorium iſtud quidam Graduale vocant, eo quod juxta gradus pulpiti cantatur*. Iſtud etiam olim poſt verſum repetebatur, quod & ſæculo item XIII. in uſu fuiſſe teſtatur Sychardus Cremonenſis Epiſcopus in ſuo Mitrali MSS. idemque adhuc ſervant Canonici Præmonſtratenſes, cum poſt Reſponſorium Graduale non ſequitur Alleluja, vel Tractus, ſed de repetitione Gradualis, alibi.

(3) *Quo tempore incertum eſt &c.*) Apoſtolico jam tum ævo Philo de Aſcetis Ægyptiis hæc habet apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 17. *Cum unuſquiſpiam modulate, ac decenter Pſalmum canere exorſus fuerit, cæteri cum ſilentio auſcultantes extremas dumtaxat hymnorum partes ſimul concinunt*, quod utique quam proxime accedit ad reſponſoria Eccleſiaſtica: quare ad idem tempus eorum originem referre a veritate non admodum alienum erit.

Quis Reſponſoriorum Auctor fuerit.

Præterea horum Reſponſoriorum inventor videtur Muſæus Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, qui ſæculo V. floruit, de ipſo enim Gennadius lib. de Scrip. Eccleſ. cap. 79. tradit eumdem excerpſiſſe *de ſacris Scripturis lectiones totius anni feſtivis diebus aptas; Reſponſoria etiam Pſalmorum, capitula temporibus, & lectionibus congruentia*, ex quo forte Alcuinus Poem. 3.

> *Hymnos, ac Pſalmos, & Reſponſoria feſtis*
> *Congrua promemus ſubter teſtudine templi.*

Quidquid autem ſit de eorum inventione, Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. cap. 8. *Reſponſoria*, inquit, *vocata hoc nomine, quod uno canente, chorus conſonando reſpondeat. Ante autem id ſolus quiſque agebat, nunc unus interdum, interdum duo, vel tres communiter canunt, choro in plurimis reſpondente*. Eccleſia Romana diu hunc morem veterem conſtanter retinuit, ut unus cantor, non plures reſponſorium præcinerent. Ordo Rom. 1. num. 7. *Servi Domini mei talis Subdiaconus Regionarius leget Apoſtolum, & talis de ſchola* (Cantorum) *cantabit, & talem poſtea non licet alterum mutare in loco lectoris, vel cantoris*: num. 10. *Poſtquam legerit* (Epiſtolam Subdiaconus) *cantor cum cantatorio aſcendit, & dicit Reſponſorium* num. 26. *Item de Reſponſorio graduali ab incipiente uſque ad finem cantatur. & verſus ſimiliter*. Ordo Rom. 3. num. 7. *Subdiaconus regionarius referens ad Pontificem, qui debeant legere, aut cantare . . . & pronunciat talem Subdiaconum regionarium Epiſtolam legere, & talem Reſponſorium* &c. Amalarius lib. 3. cap. 11. ſemper cantorem ſingulari numero vocat, qui Gradale reſponſum præcinit. Poſt ſæculum decimum cœpit in Eccl. Rom. mos vetuſtus aliquantum immutari; ut nimirum non unus, ſed duo Cantores Graduale Reſponſorium præcinerent. Rituale Benedicti Canonici num. 20. *Cantores vero incipiunt Gradale, & Alleluja: Et Primicerius cum ſchola Reſponſorium*, & num. 40. *Duo Cantores incipiunt Gradale: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens; primicerius cum ſchola reſpondet, & illi duo Cantores recitant Gradale.*

Graduale Reſponſorium olim ab uno tantum Cantore, deinde poſt ſæculum X. a duobus, vel pluribus cantatum.

Cæterum in Romana Eccleſia ejuſmodi Reſponſoria a Cantoribus majoris Scholæ fuiſſe cantata veteres Ordines Rom. ſupracitati indicant. In aliis porro Eccleſiis ea præcinebant Pſalmiſtæ, ut ait Iſidorus cap. *perlectis* diſt. 25., idque muneris pueris attribuit Sychardus Cremonen. Epiſc. in ſuo Mitrali MSS. Fæminis vero etiam Sanctimonialibus id genus modulationis jam olim interdictum

legimus

Feminis vero etiam ſanctimonialibus id genus modulationis, ſeu publice in Eccleſia pſallere interdictum.

legimus a Zacharia Papa in Epiſtola ad Pipinum Majorem domus Franciæ, quæ eſt quinta Cod. Carolini editi Tom. 3. Hiſtoriæ Francorum Ducheſnii. *Quinium Capitulum*, ait, *de Monachis, ideſt Ancillis Dei; de quibus flagitatum eſt, ſi liceat eas ad Miſſarum ſolemnia, aut Sabbato Sancto publice lectiones legere, & ad Miſſas pſallere, ut Alleluja, vel Reſponſorium. De his in Libro Decretorum Beati Gelaſii Papæ cap. 23. deſtinatum eſt, quod nefas ſit Feminas ſacris Altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ ſunt virorum officio deputata, præſumere. Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut feminæ ſacris Altaribus miniſtrare firmentur, cunctaque, quæ nonniſi virorum famulatui deputata, ſexum, cui non competit, exhibere &c.*

Qui autem Cantor Reſponſorium Gradale inchoabat, ipſe uſque ad finem ſolus cantabat, præcipue in Eccl. Romana.

Cantor autem Reſponſorium Gradale non ſolum inchoabat, verum etiam ad finem uſque ſolus præcinebat. Ordo Rom. I. n. 26. *Item de Reſponſorio Graduali ab incipiente uſque ad finem cantatur*. Amalarius lib. 3. cap. 11., & Raban. lib. 1. de Inſtit. Cleric. tradunt in Reſponſoriis, *id ab altero reſponderi*, quod ab alio fuerit cantatum; aliquid autem reſponderi omnino poſtulat, ut id ipſum ſit antea dictum: ſed res pluribus non indiget, cum diſerte Amalarius tradat veterem modum cantandi Reſponſorii, hiſce Gradalibus non exceptis, quem ad ſuam uſque ætatem Romana firmiſſime retinebat Eccleſia, ita enim ſcribit de Ordine Antiphonarii cap. 18. *non enim Sancta Romana, & noſtra Regio uno ordine canunt reſponſorios, & verſus. Apud eam Præcentor in primo ordine finit reſponſorium; Succentores vero eodem modo reſpondent. Dein Præcentor canit verſum* (finito verſu) *Succentores vero ſecundo incipiunt Reſponſorium, a capite uſque ad finem perducunt. Deinde Præcentor canit Gloria Patri &c.*

Ab eo tamen more deſcivit poſtea Romana Eccleſia, nam ſubſequenti ævo cœpit in ea etiam ab uno, vel duobus Cantoribus inchoari Reſponſorium Gradale, choro Cantorum illud ad finem uſque proſequente. Ordo Rom. 11. num. 7. *Cantor cum Cantorio ſine ulla neceſſitate aſcendit . . . . . . & ſolus inchoat Reſponſorium, & cuncti in Choro reſpondent*. Vide Rituale Benedicti Canonici num. 20. & 40. Expoſitio Miſſæ ex concordia Scripturarum divinarum, quæ extat MSS. in Ord. Rom. Vallicellano ſic habet: *Reſponſorium ad Chriſti vocationem, qua Apoſtolos vocavit, pertinet. Et ideo ſolus in Lecturio incipit Cantor, quia ſolus Chriſtus Apoſtolos vocavit, & cuncti in Choro reſpondent, quia reſponderunt Apoſtoli, & obedierunt Chriſto clamanti: Et ipſe* (Cantor) *ſolus poſt inchoationem reſponſorii ſuum* (lege verſum) *decantat, quia Chriſtus ſolus pernoctans, poſtquam vocavit diſcipulos, orabat*. Item alia Expoſitio totius Miſſæ ex concordia Scripturarum divinarum ex eodem MSS. Ordine Romano, interrog.

Reſponſorium a reſpondendo dictum.

Reſponſum, quare dicitur? Reſponſorium (ait) *a reſpondendo, eo quod uni inchoanti unitur, ut laudem univerſus referat Populus Domini*. Ubi obiter obſerva ad decimum ſeculum, quo ſcriptus eſt præfatus Ordo, perduraſſe veterem ritum, ut unus ſolus Cantor Reſponſorium Gradale præcineret; *etſi in Reſponſoriis*, ut ſcribit Amalarius lib. 4. cap. 33. *ſolerent vocem levare, quam in Pſalmis, & Hymnis;* attamen cum primum a Cantore præcinebatur Reſponſorium, preſſiore potius voce cantabatur, eo quod Cantor adhuc neſciret quomodo finiretur verſus acuta ne voce, an inclinata. Hinc poſt cantatum verſum, cum repetebatur Reſponſorium, ea cauſa ſublata, alta voce id cantabatur. Amalarius lib. 3. cap. 11. *verſus timore non eſt auſus* (Cantor) *alte levare Reſponſorium, neſcit quomodo finiat* verſum (*In repetitione Reſponſorii*) . . . . . (Cantor) *exaltat vocem fiducialiter jam non timens verſum*. Syeard. Cremonenſis Epiſcopus, in ſuo Mitrali manuſcripto. *Iſta cantantium alii ſunt Cantores, qui cantus in Choro magna voce diſtribuunt: qui ſunt Rectores Eccleſiæ, qui Deum laudant, & alios verbo, & exemplo ad laudandum invitant. Alii ſunt Pueri, qui graduale in gradibus cantant . . . . . qui dum graduale incipiunt . . . . . quod* (Graduale) *primum non alta voce elevant, verum poſtmodum cantaturi: In repetitione vero jam non timentes* (verſum) *vocem elevant*.

Cantato toto Reſponſorio ab uno Cantore, Schola, vel Chorus Cantorum illud reſpondebat, ſeu repetebat conſimiliter tonum: Amalar. lib. 3. cap. 11. Quid autem reſponderent, idem Amalarius ibidem oſtendit, id ſcilicet, quod alius ante cecinerat. Repetito Reſponſorio Graduali a Schola, ſive a choro Cantorum idem Cantor, qui illud præcinuerat, verſum, ſive unum, ſive plures, ſolus canebat. Ita Ordo Rom. num. 26. & Amalarius præfatus lib. de Ord. Antiphon. cap. 18. Cæterum, quum duo Cantores adhiberi cœperunt ad Reſponſ. Gradale cantandum, iidem illius verſus pariter concinebant, ſeu, ut poſtea fieri cœpit, inchoabant. Poſt verſum ſtatim Schola Cantorum illud ſecundo repetebat. Amalar. lib. 3. cap. 11. Porro & ſequenti pro feſtis diebus præmitti cœpit hæc repetitio poſt verſum; propterea quod iis diebus alius ſequeretur cantus *Alleluja*, vel *Tractus*. Nam in iis Miſſis, in quibus Alleluja, vel Tractus non dicebatur, obſervatus diu fuit vetus mos ejuſmodi repetitionis ob eam (ut reor) cauſam, ne cantus iſte unius, vel duorum Cantorum voce tantum, ſed concentu pleniore concluderetur. Rituale Benedicti Canonici n. 35. *Per totam Quadrageſimam reiteratur Gradale infra hebdomadam, niſi fuerit aliquis Tractus*. Durandi tempore prorſus obſoleverat mos antiquus repetendi Reſponſorii in generaliore uſu. Præmonſtratenſes tamen, & Carmelitæ adhuc in ſuis Miſſalibus repetitionem Gradualis præſcribunt, quum poſt illud nec alleluja ſequitur, nec Tractus, ut ſupra dictum eſt.

Quod ſi Reſponſorium Gradale plures verſus haberet, poſt ſingulos verſus ab uno, eodemque Cantore cantatos, Reſponſorium ipſius repetebatur. Indicia ejus rei comperimus manifeſto in antiquis Ritualibus; Nam in Reſponſorio feriæ quartæ majoris hebdomadæ, *Domine exaudi orationem meam*, quod quinque verſus habet, eſtque in vetuſtis Codici-

dici-

dicibus, & apud Amalar. lib. 1. cap. 12. non *Tractus* appellatum, ſed Reſponſorium; in hoc, inquam, Reſponſorio repetitiones ejuſmodi fieri conſueviſſe legimus in conſuetudinibus Corbejenſis Monaſterii apud Martene Collect. Monum. Vet. lib. 3. cap. 12. num. 32. Præcentor Reſponſorii Gradalis, quia ſolus decantabat, depoſita Caſula, ſive Planeta, remanebat in ſola alba: *Miniſtri*, (inquit Amalar. lib. 1. cap. 15.) *Caſulas ſe exuunt, quando Lectoris, ſive Cantoris Officium aſſumunt . . . . Albam ſine Caſula portat Lector, ſeu Cantor in ſingulari Officio*: Hinc in antiquis Ritualibus præſcribitur, ut Albati Cantores, ſive Alba induti cantent Reſponſoria Gradalia. Cantor Reſponſorii aſcendebat cum Cantatorio, ideſt libro Gradali, etiamſi illi opus non eſſet, ut legeret. Ordo Rom 1. num. 10. *Poſtquam* (Subdiaconus Epiſtolam) *legerit Cantor, cum cantatorio aſcendit, & dicit Reſponſorium* Ordo Rom. 11. num. 7. *Cantor cum cantatorio ſine aliqua neceſſitate aſcendit*. Amalar. lib. 3. cap. 16. *Cantor ſine aliqua neceſſitate legendi tenet tabulas in manibus . . . . Tabulæ, quas Cantor in manibus tenet, ſolent fieri de oſſe . . . . . . quapropter tenentur in manu*. Has tabulas pro tegumento fuiſſe, arbitror, Libri Gradalis; nam idem Amalar. in Præfat. Libri Antiphonarii: *notandum eſt*, inquit, *volumen, quod nos vocamus Antiphonarium, tria habere nomina apud Romanos, quod dicimus Gradale, illi vocant Cantatorium: quia adhuc juxta morem antiquum apud illos in aliquibus Eccleſiis in uno volumine continetur*. Quod igitur Cantatorium appellavit Ordo Rom., hoc Tabularum vocabulo expreſſit Amalarius.

Erat & olim Liber Gradalis dictus, ſeu Cantatorius, ex quo Gradualia, Reſponſoria, & Tractatus canebantur.

Eccleſia duplicem habebat Ambonem, ſive Suggeſtum, vel Pulpitum, uti jam ſupra ad §. 3 nota 4. dictum eſt, unum in Auſtrali parte pro Evangelio, alterum in Aquilonari pro Epiſtola, in quo etiam Gradale concinebatur, ſed forte in prioribus gradibus aſcenſus, ut obſervare eſt in veteri præfato titulo S. Clementis, ubi in Ambone Aquilonari ſupernum extat Pulpitum ad recipiendum Codicem Epiſtolarum aptum, in quo qui legeret ad Altare reſpiceret, & occidentem, ad quem ſpectant ejuſdem Eccleſiæ poſtica, & hic ſane locus erat pro Epiſtola legenda, quam verſo ad Altare vultu ſemper Subdiaconus recitabat. Porro in eodem ipſo Ambone ſtatim in ipſis gradibus alterum Pulpitum marmoreum viſitur ad ſuſtinendum quemcumque grandem Codicem aptiſſimum: Et hoc quidem e reginne eſt ſuperioris alterius Pulpiti; non ſolum autem inferius, verum etiam contra quam alterum, Portam Eccleſiæ verſus ſitum eſt, & ad Orientem, in eoque fortaſſe recitabantur Lectiones in ſacris functionibus nocturnis Officii Divini, & cantabatur Graduale a Cantore, ut obverteret nimirum vultum Orienti, ſicut expreſſe de Alleluja Orientem verſus cantando teſtatur Durandus lib. 4. cap. 20. num. 8. Ubi vero unus extabat Ambo Auſtralis pro Evangelio, in eodem Ambone quidem, ſed inferiore in gradu Reſponſorium cantabatur, uti ſupra in Ord. Rom. I. num. 10., & Ord. Rom. II. num. 7.

(4) *Vel integrum Pſalmum &c.*) In antiquioribus Eccleſiæ moribus Pſalmus integer Reſponſorius cantabatur, qui mos ad ætatem uſque Sancti Joannis Chryſoſtomi perduravit, qui Homil. in Pſalm. 145. habita in Dominica Palmarum, *Egrediamur*, inquit, *& nos, & pro ramis Palmarum voluntatem florentem exhibeamus, & clamemus, quemadmodum hodie hyperſalomen* (hoc eſt Pſalmo ſuccinuimus, ſive reſpondimus) *Lauda anima mea Dominum*. Dein ſubſequenti ævo diſtruncatus eſt in Oriente integer Pſalmus Reſponſorius, relictis tantummodo duobus verſiculis ex aliquo ferme Pſalmo excerptis, quos *Procimeon* Liturgiæ Græcæ appellare conſueverunt, quod vocabulum vetus Latinus interpres Liturgiæ S. Baſilii, ad ſenſum oculos convertens, rectiſſime *reſponſum* tranſtulit. Minime vero negotium alicui faceſſet, quod ante Epiſtolas B. Pauli hujuſmodi cantus fiat apud Græcos; nam hoc diſcrimen videtur fuiſſe Græcos inter, & Latinos, quod illi Reſponſ. Pſalmum ante Libros omnes novi Teſtamenti, ut aperte teſtantur Conſtitutiones antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ Apoſtolicæ vocantur lib. 2. cap. 37. hi vero ante ſolam Evangelicam Lectionem Pſalmum reſponderint, ut ex Latinis Patribus conſtat. Contracto in Oriente Reſponſorio integri Pſalmi cantu, in duos Pſalmi verſiculos coarctari & Romæ conſimiliter cœpit in binos verſiculos totus Reſponſorius Pſalmus, cujus tamen retinuere vocabulum iſti duo verſiculi, *Reſponſorius Gradalis*, poſtea dicti.

Quomodo, quando, & ubi primum contractus Reſponſorius Pſalmus.

Quo vero tempore id in Eccleſia contigerit, ignoramus: id ſane ſcimus Sancti Leonis Papæ temporibus nondum obſoleviſſe Pſalmum Reſponſorium, quem ipſe ſubindicat Serm. 2. in anniverſario Aſſumptionis ſuæ ad Summi Pontificii munus. Rurſus S. Gregorii Magni Liber Sacramentorum eumdem jam obſoletum demonſtrat, quum in Ordine præpoſito: *qualiter Miſſa Romana celebretur*, hæc habet in MSS. Cod. *Deinde ſequitur Apoſtolus. Item Gradalis, ſive Alleluja*. Antiphonarii Miſſales ejuſdem S. Gregorii id etiam comprobant, Gradales tantummodo Reſponſorios, non integros Pſalmos, exhibentes. Porro Berno Augienſis Lib. de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus cap 7. *Gradualia*, inquit, *ſicut non ſolum in noſtris Libris habetur inſertum, ſed etiam, ut in quodam Ordine, ſecundum Sancti Gelaſii Papæ auctoritatem, reperi prætitulatum*. Hinc, niſi titulus Ordinis præfati mentiebatur, colligere poſſumus Sancti Gelaſii Papæ tempore jam uſitata fuiſſe Gradalia, quorum forte Auctor idem fuerit. Ordini a Bernone laudato conſentit & Liber Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ, qui Gelaſianus Codex eſſe videtur: Nam in eo expreſſa extat mentio bini Reſponſorii poſt Lectiones feriæ ſextæ Paraſceves. Ritu antiquo Eccleſiæ Gallicanæ apud Martene Theſ. anecdot. Tom. V. pag. 92. Lectionibus pronunciatis, Chorus Hymnum trium puerorum decantabat, & quidem, ut credibile eſt, per modum Reſponſorii, quem ſane Hymnum a Gregorio Turonenſi lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 3. *Pſalmum reſponſo-*

Id forte, vel S. Gelaſii Papæ, aut S. Gregorii ævo fieri inceptum.

ponſorium dici conjicitur; etenim quælibet e ſcripturis cantica Pſalmorum nomine donare conſueverant veteres. Porro ad hunc ritum ſpectare videtur Canon 13. Concilii Toletani IV. ut *per omnes Hiſpaniæ Eccleſias, vel Galliæ in omnium Miſſarum ſolemnitate decantetur Hymnus trium puerorum in pulpito.*

(5) *Sed Evangelium annunciari.*) Referuntur hæc ad verba Concilii Valentini integro ſæculo ante Toletanum IV. anno ſcilicet 546. celebrati in Hiſpania, ubi (apud Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. Tom. 2. pag. 288.) Can. 1. ſtatutum habetur: *ut Evangelium poſt Apoſtolum legatur*; ad quem inquiunt Patres: *cum de Eccleſiaſtica regula tractaremus antiquos Canones relegentes, inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum in Ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus*, &c.

(6) *Ad Ritum enim Mozarabicum, quo tunc*, &c.) Nondum tamen tunc temporis ſub hac nomenclatione cognito.

Garcias Loiſa recte a Cardinali notatus.

(7) *Poſt Reſponſorium cantatur.*) Recte quidem hoc loco Eminentiſſimus Auctor reprehendit Garziam Loayſam accipientem Laudes pro Hymno trium puerorum, atque ejus exemplo Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 4. num. 12. itemque Pinius de Litan. Mozarab. pag. 20. c. 3. §. 2., & noviſſime Joſeph Blanchinius in notis ad lib. Orat. Gothico-Hiſp. pag. 182. Tom. I., cum certum ſit ex Iſidoro de Div. Offic. cap. 13. *Alleluja*, hoc loco ſignificari: *Laudes*, inquit, *hoc eſt Alleluja canere antiquum eſt Hebræorum* &c. Hujus vero rationem reddit Etymolog. lib. 6. cap. 19. *Alleluja duorum verborum interpretatio eſt*, hoc eſt, *laus Dei, & eſt Hebræum*. Hoc autem *Alleluja* ſemper cum aliquo verſiculo, aut Reſponſorio annectebatur, uti ex Walafrido Strabone ab Eminentiſſimo citato colligitur, ibi enim ait: *Reſponſoria, & Alleluja, quæ ante Evangelium cantantur, deinde adjuncta videntur*. Atque olim in Hiſpaniis etiam ad Miſſas Defunctorum ita factitatum fuiſſe teſtatur Eminentiſſimus noſter Div. Pſalm. cap. 16. §. 6. num. 4. in fine, ſiquidem in Miſſali Gothico, ſeu Mozarabico in Laude poſt Evangelium hæc habentur: *Alleluja. Animam quieſcentem de inferno erue Deus, & Paradiſo reſtitue, Alleluja &c.*

§. V.

Vox Alleluja *quando primum audita. Uſus ejus in Miſſa. Cur omittatur in Septuageſima. Tractus quid ſit.*

QUod vero attinet ad hanc vocem *Alleluja*, quæ poſt Reſponſorium certo anni tempore ſimul cum verſiculo, & tempore Paſchali ſine Reſponſorio geminatu verſu decantatur, plura congeſſi in Tract. de divina Pſalmodia cap. XVI. §. 7. Auctor libri de vita & morte Prophetarum inter opera S. Epiphanii Aggæum Prophetam primum fuiſſe ait, qui Alleluja cantavit, cum novam templi ſtructuram vidit. Sed ex Pſalmis conſtat primum ejus Auctorem fuiſſe David Regem, de qua re eleganter Caſſiodorus in Pſal. 104. *Hoc verbi decus*, ait, *a præſenti Pſalmo fecit initium, nec ante a quoquam reperitur poſitum, quamvis multi Scriptores fuerint primitus Hebræorum. Hoc Eccleſiis votivum, hoc ſanctis Feſtivitatibus decenter accommodum: hinc ornatur lingua Cantorum, iſtud aula Domini læta reſpondet, & tamquam inſatiabile bonum tropis ſemper variantibus innovatur*. Extat etiam in libro Tobiæ *cap.* 13. nec alibi legitur in tota ſerie veteris Teſtamenti. At in nova lege Joannes Apoſtolus in ſua admirabili Apocalypſi *cap.* 19. refert ſe audiſſe in cælo ſupernarum virtutum Choros pſallentes *Alleluja*: ut inde cognoſcamus nobiliſſimum hoc canticum e Cœlis in Eccleſiam deſcendiſſe (extat etiam in omnibus Liturgiis Græcorum) (1). Quidam ſecuti Sozomenum *lib.* 7. (1)
cap. 19. exiſtimarunt Eccleſiam Romanam in ſolo die Dominicæ Reſurrectionis cecinisse Alleluja: de qua re Latinos reprehendit Michael Conſtantinopolitanus: cui reſpondens Humbertus Cardinalis ait nos toto anno Pſallere Alleluja, exceptis novem hebdomadibus, quibus id intermittere a Patribus noſtris accepimus, a Septuageſima nimirum uſque ad Paſcha (2). (2)
S. Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 17. diverſas hac de re Eccleſiarum conſuetudines fuiſſe teſtatur: *ut Alleluja*, inquit, *per ſolos dies quinquaginta*

David Rex primus, qui cantaverit Alleluja.

ta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur. Nam & in aliis diebus
varie cantatur alibi atque alibi, ipſis autem diebus ubique. Idem in Pſal-
mum 106. ait, *Alleluja cantare certo tempore ſolenniter moris eſt, ſe-*
cundum Eccleſiæ antiquam traditionem (3). Gregorius Magnus lib. 7. (3)
Epiſt. 63. murmuraſſe quoſdam ſcribit, quod Alleluja ad Miſſas dici fe-
ciſſet extra tempora Pentecoſtes, quibus ita reſpondet, *ut Alleluja hic*
diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex B. Hieronymi traditione, tempore
beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum. Quod ita intelligendum
eſt, ut cum olim tempore tantum Paſchali cantaretur, tunc ſancitum
ſit etiam extra illud frequentari (4). Cur vero novem prædictis hebdo- (4)
madibus omittatur, variæ traduntur cauſæ a Scriptoribus rerum Eccleſia-
ſticarum, quas Theophilus Raynaudus coacervat lib. de attributis Chriſti
ſect. 2. *cap.* 11. *num.* 294. *& ſequentibus* (5). Vivente S. Benedicto ini- (5)
tio tantum Quadrageſimæ dimitti ſolebat, ut conſtat ex cap. 15. Re-
gulæ: verum omitti Dominica Septuageſimæ paucis poſt ipſum annis
cœpit, ut in Antiphonario S. Gregorii ſtatuitur, ubi pro Alleluja poni-
tur Tractus aliquot verſibus, & interdum integro Pſalmo conſtans; cui
a trahendo hoc nomen inditum eſt, quia tractim & graviter, notarum-
que, ſeu vocum prolixo decurſu cantatur (6). *Dum vero pſallimus* Al- (6)
leluja, *jubilamus magis quam canimus*, ut obſervat Rupertus Abbas lib. 1.
de Div. Offic. cap. 35. *unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures*
neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & ropia-
tur illuc, ubi Sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis.

Neuma quid? & quomodo, ac quare in Alleluja decantando protrahatur.

Sunt autem neumæ ſive neumata, vel neumatum diſtinctiones, ut vo-
cant Muſici, notæ illæ quæ in fine ejus vocis Alleluja prolixe decantan-
tur, de quibus Seraphicus Bonaventura Lib. de Expoſit. Miſſæ cap. 2.
Solemus, ait, *longam notam poſt Alleluja ſuper hanc literam A, proli-*
xius decantare, quia gaudium Sanctorum in Cœlis interminabile & ineffa-
bile eſt. Et Stephanus Eduenſis lib. de Sacram. Altaris cap. 12. *Allelu-*
jatici cantus modulatio, inquit, *laudes fidelium Deo dicatas exprimit, &*
gratiarum actiones, quibus ſuſpirant ad æterna gaudia. Verbum eſt breve,
ſed longo protrahitur pneumate. Porro his notis, quæ poſt Alleluja ſine
verbis cantantur, Jubili, ſive Jubilationis nomen (7) tribuerunt Antiqui. (7)
Ab aliis Sequentiæ dictæ ſunt; quia ſunt quædam veluti ſequela, &
Appendix cantici Alleluja, quæ ſine verbis poſt ipſum ſequitur. Utriuſ-
que nominis meminit Amalarius lib. 3. cap. 16. dicens: *Hæc jubilatio,*
quam Cantores Sequentiam vocant, ſtatum illum ad mentem noſtram redu-
cit, quando non erit neceſſaria locutio verborum; ſed ſola cogitatione mens
menti monſtrabit, quod retinet in ſe. Et Ordo Romanus, *ſequitur*, ait,
jubilatio, quam ſequentiam vocant (8). (8)

(1) *Hoc canticum e Cœlis in Eccleſiam deſcendiſſe.*) Hinc credirum Anſelmo Cantuarienſi Comment. in hoc caput Apocal. (ſi tamen ipſe ejus Operis Auctor eſt, an Anſelmus Laudunenſis) Alleluja non eſſe vocem alicujus Linguæ, ſed Angelicam, & beatarum mentium, quem ideo veluti Homerum quandoque bonum dormitaſſe, animadvertit Eminentiſſimus Auctor de Div. Pſalmod. loco cit. cap. 16. §. 7. n. 3. Hoc autem vocabulum Hebraicum compactum eſt ex conjugatione imperfecta plurali Pihel הללו *Laudate*, & nomine יה *Deum*, quod ex יהוה videtur eſſe contractum: Itaque non ſatis accurata eſt explicatio Alcuini de Div. Offic. cap. 251. *Canticum etiam lætitiæ, ideſt Alleluja, quod eſt laus Domini ſine fine cantabit*: Non melior eſt Iſidori interpretatio de Eccleſ. Offic. lib. 1. cap. 13. *Alleluja expoſitio, duorum verborum conſiſtit compoſitione, nempe laus Dei*, uti advertit Chriſtianus Lupus Operum Tom. 5. edit. Bruxell. p. 159. Item Michaelis Cærularii, cui recte repoſuit Card. Humbertus: *Scimus* Alleluja *Hebraice dictum, & Latine interpretari* Laudare Dominum, *ſed quod etiam Dominus venit, aut Benedictus, qui venit, interpretetur, neſcimus, nec niſi a vobis hactenus audivimus*. Exſuperat vero omnem admirationem Durandi Mimatenſis ſententia in Rationali Div. Offic. & præ-

Variæ de hoc voce Alleluja Opiniones.

præcipue Tholoſani Præſidis, Joannis Stephani Duranti, ſeu verius Petri Danetii Epiſc. Vaurenſis, qui de Ritibus Eccleſ. lib. 2. cap. 20. monet *Alleluja* vocabulum eſſe Græcum. Item, ut ex Anſelmo ſupracitato, ad imitationem Hymni Angelici, quem Joannes Apocalypſis exhibet cap. 19. Alleluja in Eccleſiæ laudes introductum eſt. Quum enim Cœleſtes illi ſpiritus in ſuo Hymno *Alleluja* quater alta voce pronunciaverint, grandi hocce exemplo Eccleſia uti voluit; quo voces Angelicas referret, & in canticis ſuis vivam gloriæ Cœleſtis imaginem imprimeret. Recte pro noſtra ſententia Iſidorus: *Joannes in Apocalypſi refert &c.*

Cur vox Alleluja *retenta fuerit in Hebraico idiomate ab Eccleſia.*

Cur vero Hebraice ab Eccleſiis Orientis, & Occidentis retineatur, non male ab ipſo Iſidoro declaratur: *Alleluja autem, ſicut & Amen de Hebræa in aliam linguam nunquam transferuntur; non quia interpretari minime queant, ſed, ſicut ajunt Doctores, ſervatur in eis antiquitas propter ſanctiorem auctoritatem*; & ex Hieronymo Epiſt. 137. ad Marcellam; *Nuper quæſiſtis, quid ea verba, quæ ex Hebreo in Latinum non habemus expreſſa, apud nos ſonarent . . . . ut eſt illud Alleluja. Ad quod breviter reſpondemus, ſive 70. Interpretes, ſive Apoſtolos id curaſſe, ut quoniam prima Eccleſia ex Judæis fuerat congregata, nihil ad credentium ſcandalum innovarent, ſed ita, ut a parvo imbiberant, traderent. Poſtea vero, quam in univerſas Gentes dilatatus eſt ſermo, non potuiſſe ſemel ſuſpecta mutari. Licet & illud Origenes aſſerat propter vernaculum uniuſcujuſque linguæ idioma, non poſſe ita apud alios ſonare, ut apud ſuos dicta ſunt, & multo melius eſſe non interpretata ponere, quam vim eorum interpretatione tenuare. Igitur Alleluja exprimitur: Laudate Dominum*: Adeo autem familiaris erat hic Hymnus temporibus Divi Hieronymi, ut de ipſo ſanctus hic Doctor ſcribat ad nobilem virginem Euſtochium Ep. 27. cap. 10. *Quo ſigno* (Alleluja ſcilicet) *Monachi vocantur ad collectam*; Nec enim tantum in Eccleſia a Clericis cantabatur, aut Monachis, ſed id erat & Laicis, in durioribus operibus, celeuma; Etenim de Palæſtinæ ruſticis ad Marcellam Ep. 17. ſcribit idem S. Doctor: *Quocumque te verteris, arator ſtivam tenens Alleluja decantat.* Quod ipſum eiſdem verbis repetit in ſequenti ad ipſam Epiſt., & adjungit: *Hæc ſunt in hac Provincia carmina, hæ amatoriæ Cantilenæ, hic Paſtorum ſibilus, hæc arma culturæ.*

Familiare non tantum Clericis in Eccleſia, ſed & Ruſticis apud Syros Alleluja.

Quod vero quater *Alleluja* uſurpent Angeli, ex repetitione crebra oſtendunt, & frequentiſſime in Dei laudibus verſari nos oportere, & maximam gloriæ cæleſtis partem in Deo celebrando conſiſtere, quod venuſte explicat Auguſtinus ſerm. 7. de duabus piſcationibus: *Dicamus* (inquit) *quantum poſſumus Alleluja, ut ſemper dicere mereamur. Ibi cibus noſter Alleluja, potus Alleluja, actio quietis Alleluja, totum gaudium Alleluja erit, ideſt laus Dei*. Hymnum hunc a Synagoga acceptum Apoſtoli derivarunt in Eccleſias, nec ſine fundamento: etenim Babylonicæ captivitatis ſolutio, & Salomonicæ Baſilicæ reſtauratio, dumtaxat fuerunt noſtræ a diabolica captivitate per Jeſum Chriſtum Dñum noſtrum redemptionis, ac plenæ cum immortalitate juſtitiæ, & per ipſam in primæva, immo in primævis longe ſanctiora Divinæ Majeſtatis templa reparationis prænunciativa, ac promiſſiva Sacramenta, ut item ſcite obſervat Chriſt. Lupus loco ſupra cit. Hinc longe potiori jure nos in his, quam Judæi in illis, cantamus *Alleluja*, quod nobis aſſidue cantandum Apoſtoli præceperunt. Quot autem in quovis feſto Pſalmi cantandi, & quoties *Alleluja* ſit adjungendum, decidit ſecunda Turon. Synodus, & ſubnectit can. 18. *Quod Angelo oſtendente Patres didicerant*. Per Patres intelligit primævos Ægypti Monachos, quos quomodo Angelus Pſalmos, & Allel. in Divinis Officiis cantare docuerit, multis exponit in ſecundo Monaſticarum Inſtit. Lib. Joannes Caſſianus; Et dum Alexandrinum Serapidis fanum in Chriſtianam Baſilicam convertere pararent ſub Arcadii imperio fideles, de magno Gentilium ſacrilegiorum Protectore Olympio ſcribit Hermias Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 13. *Olympius concubio noctis ejus, poſtquam ſuperveniente die hæc tranſacta ſunt, ſubaudivit quemdam in Serapidis Templo Alleluja cantantem; & quoniam foribus clauſis conſtante quiete neminem conſpiceret, ſed ſolum tantummodo vocem audiret Pſalmi, præſagium intellexit, & clam omnibus templo egreſſus in Italiam trajecit. Præmonſtrabat Angelus illic non amplius vanum Serapidem, ſed Divinam Majeſtatem conſueto Eccleſiæ Hymno glorificandam.*

Item Alleluja *cantatum, quando cani debeat in Eccleſia forte etiam ex Synagoga deſumptum.*

Quod ergo Apoſtoli & a Profetis, & ab omni poſtmodum Synagoga in Sacramento cantatum, & ab omni triumphante Dei Regno in perpetuas æternitates cantandum noverant, cantari voluerunt *etiam a militante Eccleſia, atque ita Chriſti Dei, ac Domini Regnum in nobis inchoari*. Judæi autem Pſalmum cum Alleluja recitabant, quum renovabant quotannis memoriam ejus Agni Paſchalis, qui in Hieroſolymorum Templo immolabatur, & ab illis forte potuerunt Chriſtiani ritum accepiſſe canendi *Alleluja* tempore Paſchali, & diebus Dominicis ad renovandam memoriam Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti deſtinatis. Alleluja Paſchali tempore poſt Graduale dicitur, quia tunc temporis, ut plurimum canebantur Pſalmi nuncupati ab Hebræis Allelujatici, quia *Alleluja* pro titulo habent, quales ſunt a 113. uſque ad 119. More antiquo vel in ipſis Defunctorum funeribus adhibebatur, ut liquet in Epitaphio Fabiolæ nobilis Matronæ Romanæ Heronym. Epiſt. 30. cap. 4. *Fama totius Urbis Populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata tecta Templorum reboans in ſublime quatiebat Alleluja*: Ad quæ verba Chriſtianus Lupus Tom. 5. pag. 159. *Exiſtimo illum non de Cleri ſacro cantu loqui, ſed de fauſtis Populi Chriſtiani acclamationibus*; & Bivarius de vet. Monach. Tom. 2. p. 48. num. 99. *Reboans in ſublime quatiebat Alleluja, ideſt laudes Dei; videlicet Orationes, & Pſalmi in funere cani ſoliti. Nam liquidum eſt Alleluja laudantium cum lætitia, & jubilo Dominum, & omni mæſtitia abjecta vocem eſſe*:

Olim antiquo more proclamatum Alleluja *in ipſis funeribus defunctorum.*

Quater ab Angelis in Apocalypſi cantatum Alleluja, *& cur?*

At

At non video cur *Alleluja* dici tunc non potuiſſet , quum in Euchologio Græcorum ſingulis precibus , quæ pro mortuis recitantur , Chorus reſpondeat *Alleluja* . Et in Miſſa Mozarabum Introitus pro Defunctis ſit : *Tu es portio mea Alleluja : in terra viventium Alleluja* : Itemque Alleluja dicatur poſt Evangelium , ſic conceptis verbis : *Alleluja . Animam quieſcentem de inferno eruc Deus , & Paradiſo reſtitue , Alleluja* , & quæ ſequuntur . In Vita etiam Sanctæ Radegundæ Abbatiſſæ de Monialibus , quæ eam defunctam flebant , dicitur ; *gemitum pro Alleluja reddebant* : Apud Surium Tom. 1. ad diem 13. Auguſti , & Card. Baronium ad an. 590. num. 39.

(2) *A Septuageſima nimirum uſque ad Paſcha* .) Cum narrat Sozomenus lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 19. ſemel tantum in anno eam vocem *Alleluja* Romæ decantatam fuiſſe, omnino errare videtur , inquit Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 384. num. 29. , & antea in notis ad Martyrolog. ad diem 5. Aprilis , nam ejuſmodi uſum , non Romanæ Eccleſiæ , ſed Vigilantii Hæreſiarchæ dogma fuiſſe teſtatur S. Hieronymus in eumdem Vigilantium ſcribens , cujus etiam auctoritate exploratum habetur ejuſmodi vocem in ſacris etiam Officiis Defunctorum Romæ cani conſueviſſe , ut ſupra jam dictum eſt . In Eccleſia Gallicana eumdem uſum viguiſſe affirmare videntur Acta S. Radegundis præfatæ lib. 2. Romæ itidem cum primis elementis ea etiam voce infantes imbui ſolitos idem S. Hieronymus ſcribit Epiſt. 7. , & 27. His non obſtantibus Henricus Valeſius in Notis ad dictum Sozomeni locum ; „ reprehendit , „ inquit , hoc Baronius ad prædictum annum „ Chriſti 384. Verum, argumenta , quibus „ id probare nititur , parum firma mihi vi„ dentur ; Proinde auctoritatem Sozomeni „ hic ſequi malim , maxime cum Caſſiodo„ rus ejus verba retulerit in Hiſtoria Tri„ partita , qui profecto nunquam id feciſſet , „ niſi hunc morem vetuſtum fuiſſe optime „ norit Eccleſiæ Romanæ , ut in ea ſcilicet „ ſemel tantum in anno *Alleluja* caneretur , „ nempe in die Paſchæ .

Sozomenus rectè a Card. Baronio notatur , quidquid contra Valeſius ſentiat .

At pace tanti viri mihi potius infirma apparent ejuſdem Valeſii , quam Baronii argumenta ; neque enim video cur Hieronymo Eccleſiæ Doctori maximo præferendus Sozomenus , qui nonnullis Novatianus creditur , cujus *Hiſtoriam Sedes Apoſtolica recipere recuſat , quoniam multa mentitur* : De eo quippe ſic expreſſe habet S. Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 95. , quem ideo ab Eccleſia alienum , & parum veracem plerique Scriptores optimæ notæ , & ex iis Eminentiſſimus Auctor in Catalogo Auctorum ſuæ Pſalmodiæ præfixo nuncupant . Præterea cui major adhibenda fides in rebus ſacris Romæ geſtis , an Hieronymo teſti oculato , atque conſuetudinum illius Eccleſiæ peritiſſimo , qui Sozomenum ferme integro ſeculo præceſſit , an ipſi Græco Scriptori Latinis infenſo , homini Laico , profeſſione Scholaſtico , ſeu Cauſidico , qui Conſtantinopoli ſcripſit ? Judicet æquus lector . Denique uni credemuſne Sozomeno , ſemel tantum Romæ *Alleluja* cantatum fuiſſe ſcribenti , cum de hoc penitus ſileant alii duo coævi Scriptores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ , Socrates , & Theodoritus ? Quorum primus , uti & Novatianis addictus , id utique Catholicis objeciſſet . Quod autem idem ex Sozomeno referat Caſſiodorus in ſua Hiſtoria Tripartita , id parum obſtat , nam e putido fonte hanc hauſit aquam . Porro de Sozomeni auctoritate , eique habenda fide iterum infra , & adverſus eumdem Valeſium capite ſequenti ad §. 6. Cæterum utut ſit , facile conciliari poſſunt Hieronymus , & Sozomenus , ſi nempe ſemel quidem die Paſchatis , ut Sozomenus ſcribit , certo publico , ſtatoque ritu , ita Romæ cantatum *Alleluja* dicatur , ut tamen præter illum diem ex B. Hieronymi traditione , quiſque ſuo arbitratu ut mallet *Alleluja* cantaret .

Vindicatur a Valeſii nota Card. Baronius .

(3) *Secundum Eccleſiæ antiquam traditionem* .) Item in Pſalmum 110. *Venerunt dies , ut jam cantilemus Alleluja* , &c. , & in Pſalm. 148. *Propter hæc duo tempora ; unum , quod nunc eſt in tentationibus , & tribulationibus hujus vitæ ; alterum , quod tunc erit in ſecuritate , & exultatione perpetua , inſtituta eſt nobis etiam celebratio duorum temporum ante Paſcha , & poſt Paſcha . . . . . . Illud tempus in jejuniis , & orationibus exercemus ; hoc vero tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus ; Hoc eſt enim Alleluja , quod cantamus , quod latine interpretatur , ut noſtis , Laudate Dominum* . Quod & confirmat citata Epiſt. 119. ad Januarium cap. 15.

(4) *Extra illud frequentari* .) Eminentiſſimo noſtro ſubſcribit alter , non minus dignitate , quam doctrina , & ſanctitate Ven. Card. Thomaſius , qui in Præfat. ad antiquos Miſſarum Libros S. R. E. conciliari poſſe ait (ut jam advertimus) verba Sozomeni cum laudato S. Hieronymo , ſi intelligantur de publico in Eccleſia cantu , non de privato ad cujuſcumque pius religioſæ devotionis impulſum . Præterea tanta erat Hieronymi apud Romanam Eccleſiam auctoritas , ut in ipſius inſtitutis aliquid immutarit , addito ſacris Hymnis *Alleluja* . Non erat quidem notio vocis hujus omnino peregrina , cum die Paſchatis templa ſua reſonare docebat . Interim negandum non videtur , quod conſiliis Hieronymi permota Roma frequentiorem *Alleluja* uſum Pſalmodiæ ſuæ adjunxerit , quod cauſa fuit turbarum , quas in Hieronymum concitavit Vigilantius , quod iſte diceret *Alleluja* nunquam , niſi in Paſchate cantandum ; Non cenſendum tamen Hieronymum Hymni hujus in Romana Eccleſia canendi Auctorem fuiſſe , aliter Auguſtinus ei coævus perperam cani diceret ſecundum antiquam Eccleſiæ traditionem .

(5) *Cap. 11. num. 294. , & ſequentibus* .) S. Auguſtinus in Pſal. 106. *Neque enim & hoc ſine Sacramento certis diebus cantamus* Alleluja . Jejuniorum tempore intermittebatur ; quod cum a nonnullis in Quadrageſima , excepta ultima hebdomade , apud Hiſpanos cantaretur , Toletanis Patribus conſuetudinem abrogari placuit . Concil. Tolet. 4. *Cognovimus*

Diebus Quadrageſimæ intermiſſum Alleluja .

mus quoſdam Hiſpaniæ Sacerdotes, qui in Quadrageſimæ diebus Alleluja decantant, præterquam in ultima hebdomade Paſchæ ; quod deinceps fieri interdicimus. Mabill. Liturg. Gallic. lib. 2. edit. Paris. p. 124. Dominicæ primæ in Quadrageſima officium in eodem Mozarabico ita incipit: *Ecce nunc tempus acceptabile Alleluja, ecce nunc dies ſalutis Alleluja* . . . . . Impoſterum Alleluja omittitur ad Paſcha ex præſcripto Concil. Tol. 4. Can. XI. Chriſtianus Lupus Tom. 5. pag. 159. Quartum decretum refert Microlog. cap. 47. „ In Septuageſima Heptateuchum incipiunt ; unde & Alexander Papa II. conſtituit, ut Reſponſoria de eadem Hiſtoria in eadem Dominica incipiantur. Alleluja etiam in Sabbato ad Veſperam juſſit dimitti ante Septuageſimam. Quod idem confirmat Radulphus Tungrenſis cap. 16. & hoc decretum culpant Græci Schiſmatici. Etenim famoſus Conſtantinopoli repertus Tractatus habet & hanc calumniam : *Latini a Septuageſima uſque ad Paſcha non cantant Alleluja*.

Eodem modo canebat Cantor Alleluja, quo Gradale, ideſt in eodem loco, eiſdem veſtibus, & reſpondente Cantorum Schola, ſicut ad Gradale Victor Uticenſis Epiſcopus de Perſecutione Wandalica Lib. 1. Ord. Rom. VI. Amalar. lib. 3. cap. 13. 15. & 16. vetus MSS. Expoſitio Miſſæ ex Concordia Scripturarum divinarum ; Rupertus Abbas lib. 1. de Div. Offic. cap. 34. & 35. Guil. Durandus lib. 4. cap. 20. num. 6. Nequis autem cum in antiquis MSS. Codicibus unicum Alleluja cum ſuo verſu animadverterit, putet ſemel dumtaxat olim in Miſſa cantatum, ſciat unicum haberi Alleluja, quia id ipſum iiſdemque muſicis notis, & ſemel, & iterum, & tertio etiam recaneretur, nec plane verſiculum adjunctum haberet, niſi recaneretur. Hinc infertur repetendum Alleluja, quotieſcumque repetitur verſiculus. Ex omnibus hactenus dictis de Alleluja liquido patet quam ſtulte nos Catholicos reprehendat Lutherus, quod non dicamus ſemper per annum *Alleluja*. Quo circa ipſe ſtatuit in formula Miſſæ, quam ſuis obſervandam tradidit, ut etiam in Quadrageſima, atque in ipſa Hebdomada ſancta decantetur *Alleluja*. Sed nefarius iſte ſacrorum Rituum depravator, & S. R. E. hoſtis hac in re omnino temere ab univerſæ venerandæ antiquitatis uſu receſſiſſe ſatis oſtenditur, dum in mox citato Concilio Toletano IV. quod ſeculo ſexto habitum fuit, Can. 10. expreſſe cavetur, ne in Quadrageſima dicatur *Alleluja*. Et multo ante ipſam Synodum Auguſtinus in Epiſt. 119. cap. 15. ait uſum fuiſſe celeberrimum, & in Eccleſia frequentatum, ut ſolum a Paſchate uſque ad Pentecoſten quotidie, & in Dominicis diebus caneretur *Alleluja* in ſignum lætitiæ ob Chriſti Reſurrectionem. Item S. Gregorius aliquando notatus fuit, quod extra tempus Pentecoſtes ad Miſſas cani juberet *Alleluja*, nimirum in omnibus feſtis, exceptis iis, quæ incidunt inter Septuageſimam, & Paſcha; Vide lib. 7. Epiſt. 63. ad Joannem Epiſc. Syracuſanum, ubi ipſe reſpondet uſum iſtum non a ſe incipere, ſed introductum tempore Damaſi authore S. Hieronymo. Eſſe autem *Alleluja* Canticum lætitiæ, & merito intermitti in diebus pœnitentiæ, & luctus, patet ex Scriptura divina, nam Tobiæ 13. ubi deſcribitur gloria cæleſtis Hieruſalem, inter alia legimus: *Et per vicos ejus Alleluja cantabitur*. Ita pariter in Apocalypſi 19. deſcribens Joannes Apoſtolus lætitiam Sanctorum, quæ erit in Cœlo poſt diem judicii: *Et audivi*, inquit, *vocem* . . . . . *dicentium Alleluja, gaudeamus, & exultemus*, &c. Hinc optime Rupertus Tuitienſis Abbas lib. 1. de Div. Offic. cap. 34. ait Graduale eſſe verſiculos ad pœnitentiam pertinentes, & ideo Paſchali tempore omitti, ejuſque loco duplicari *Alleluja*, quia totum illud tempus remiſſionis & lætitiæ eſt, ſicut e contrario a Septuageſima uſque ad Paſcha omitti *Alleluja*, & duplicari ea, quæ ad luctum, & pœnitentiam pertinent. Atque hæc dicta ſufficiant ad Lutheri obſtruendum os loquentis iniqua.

Quidquid in contrarium oblatret Lutherus.

(6) *Notarumque, ſeu vocum prolixo decurſu cantatur.*) Pſalmus decimus triſtius quid ſignificabat, quum ab uno ſolo canebatur; ideoque jejunii tempore, & quum memoria fieret myſteriorum Paſſionis Dominicæ, in uſu fuit tractim canere. Poſt ſeculum decimum credidere complures, quod tractim canere a trahendo diceretur, ideſt cantum lento, lugubrique tono protrahendo, ut Durandus lib. 4. cap. 21. *Dicitur autem Tractus a trahendo, quia tractim, & cum aſperitate vocum, & prolixitate verborum canitur*. Et juxta novam hanc opinionem abrogatus eſt in pleriſque Eccleſiis vetus mos Pſalmum canendi per unum ſolum, & introductum, ut cum plures canerent alternatim bini bini, tantumque cautum eſt ne, a Choro interrumperentur. Ita Petrus Le-Brun Lib. de precibus, & Cærem. Miſſæ Tom. 1. pag. 206. Cantus hic Tractus ideo appellatur, quod continuata ſerie modulationis unius Cantoris, non interrupta reſponſionibus aliorum intercinentium perageretur. Sic enim tractim canere dicitur Cantor, quemadmodum Latini tractim tangere, tractim dicere, tractim ſuſurrare, &c. accipiunt, trahendo ſcilicet in longum ſine intermiſſione, non interrumpendo ſeriem Orationis, vel percuſſionis, vel ſuſurri &c. Amalarius lib. 3. cap. 12. *Hoc differt inter Reſponſorium, cui Chorus reſpondet, & Tractum, cui nemo* (ſcilicet reſpondeat) *revertendum eſt ad volucres, ſcilicet Columbas, & Turtures, quæ ſignificant Reſponſorium, & Tractum* . . . . . . *Hoc ſane inter Turturis, & Columbæ ſignificantiam diſtat, quod Columba, quæ gregatim converſari &c. conſuevit* . . . . . . *Turtur vero, quæ ſingularitate gaudet* . . . . . *Moyſes quaſi Tractum decantat tribulationis, qui ſolus aſcendit ad Dominum* . . . . . *Daniel Tractum lætitiæ cantat, quoniam ſolus fugientibus ſociis inter Angelos remanet*.

Tractus quid, & cur ita appelletur.

Tractus dicebatur ab uno ſolo Cantore totus; qui Cantor alius erat a Cantore Reſponſorii Gradalis, Ord. Rom. 3. num. 9. Cantica Vigiliarum Paſchæ Tractus MSS. Cod. conſenſu appellata niſi ab uno, eodemque

Can-

Cantore non cantabantur. Ordo Rom. 1. num. 40. Eodem modo cantatum arbitror Canticum, ſive benedictiones trium puerorum &c. in Sabbatis quatuor Temporum, ab eodem ſcilicet, qui lectionem Danielis legerat; commutata ſolum voce a pronuntiatione Lectionis in ſonum, ut dicebant antiqui, ſive in tonum Cantici. Hinc in Miſſali Lugdunenſi, aliiſque antiquioris ritus, ejuſmodi benedictiones in textu ipſo lectionis nunc uſque leguntur. Cæterum Cantor Tractus, præterquamquod Caſulam ſolus cantaturus deponebat, cum in Pulpito canebat, ut aperte ſcribit Sycardus Cremon. Epiſc. in ſuo Mitrali MSS. Chriſtianorum Eccleſiæ hunc Reſponſorium Cantum ſtatim ab Evangelii exordio admiſerunt. Auctor Tractuum, vel Cæleſtinus, uti Berno de Offic. Miſſæ, vel Gelaſius, uti Rupertus lib. 2. de Div. Offic. cap. 21. vel Teleſphorus, uti Durandus lib. 4. cap. 21. putant, vel hi omnes perfecere, uti Gavant. Theſ. p. 1. authumat; Lector pronunciabat hunc titulum *Pſalmus David*, Caſſiod. cap. 2. Præfat. in Pſalterium: *uſus Eccleſiæ Catholicæ Spiritus Sancti inſpirationes generaliter, & immobiliter tenet, ut quicumque eorum*, Pſalmorum ſcilicet, *cantandus fuerit, qui diverſo nomine prænotantur, Lector aliud prædicare non audeat, niſi Pſalmos David. Quod ſi eſſent proprii, ideſt aut Idithum, aut Filiorum Core, aut Aſaph, aut Moyſi, eorum utique prædicarentur nomina, ſicut & in Evangeliis ſit, quando aut Marci, aut Lucæ, aut Matthæi, aut Joannis vocabulo pronuntiantur*. Lector pronunciato titulo Pſalmum de Codice legendo exordiebatur; præcinebatque ſingulos, totoſque omnino verſus Pſalmi, quos ſigillatim intercalari reſponſione plebs univerſa una cum Epiſcopo, & Clero repetendo ſuccinebat. S. Auguſtinus Serm. 18. novæ editionis: *Tunc ergo non ſilebit, ſed apparebit; ideo dictum eſt; non ſilebit. Modo autem dicit illud lector de* Codice, *& contemnitur. Dicit illud de ore ſuo tractator, aut diſputator Epiſcopus, & irridetur.*

Olim in Pſalmis tituli eorum pronunciati.

(7) *Jubilationis nomen.*) Sonus quidam eſt lætitiæ ſine verbis, ut ait Auguſtinus in Pſalm. 109. num. 4.

(8) *Quam ſequentiam vocant.*) Sequentiarum nomine appellatæ ſunt notæ illæ in uſibus Cluniacenſibus ſeculi X. apud Dacherium Spicil. p. 48. & 50. de quibus ꝗ. ſequenti.

§ VI.

De Sequentiis, & illarum Authoribus.

Sequentiæ cur ſic appellatæ.

HInc factum eſt ut Proſæ illæ, ſeu Rythmicæ modulationes, quæ rarius in Romana Eccleſia, in aliis quibuſdam frequentius poſt Alleluja cantantur, Sequentiæ dictæ ſint (1), quia loco Sequentiæ pſalli (1)
cœperunt. Radulfus Tungrenſis propoſ. 23. *Abbas Notgerus Sequentias aliquas pro neumis de Alleluja compoſuiſſe dicitur*. Et paucis interjectis. *Jubili autem ſeu neumata gradualium & de Alleluja reſecandi non ſunt, niſi cum illorum loco Sequentiæ decantarentur*. Hugo Victorinus de myſteriis Eccleſiæ cap. 7. *Quando Sequentia dicitur, poſterius Alleluja non habet pneuma; ſed chorus loco ejus Sequentiam concinit*. Guibertus Tornacenſis lib. de Offic. Epiſcopi cap. 23. *Additur Sequentia, & non protrahitur ſecundum Alleluja; ſed Sequentia loco ejus canitur*. De Auctoribus Sequentiarum diffuſe tractat Cornelius Schultingius *tom.* 1. *pag.* 2. *cap.* 6. *&* 7. *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, & de ſingulis judicium ſuum profert, ſed non ſemper exactum: multas enim perperam tribuit ſanctis Pontificibus Gelaſio & Gregorio aliiſque Patribus, quas ſtylus evincit a recentioribus ſcriptas eſſe. Communis autem ſententia eſt primum earum Auctorem fuiſſe Notgerum Abbatem S. Galli, qui earum volumen Lituvardo Vercellarum Epiſcopo (tempore Caroli Craſſi) obtulit, ut Eccherardus Monachus in vita ejuſdem Notgeri ſcribit cap. 16. & ſequentibus, apud Goldaſtum Tom. 2. rerum Alamannicarum (2). Plures etiam (2)
ſeculo XII. compoſuiſſe fertur Adam de S. Victore. Crevit deinde earum numerus, & irrepſerunt nonnullæ prorſus ineptæ: non enim ſervati ſunt Canones Concilii Milevitani, & tertii Cartaginenſis, ut nihil publice in Eccleſia recitaretur, quod in Synodo comprobatum non eſſet; ſed multi multas introduxerunt, ut ait Radulfus, quia quiſque gaudet ſuis novitatibus. Lugdunenſes proprias habent in ſingulis fere Miſſis: propriæ item extant in Miſſali Norvegiæ, & in aliis diverſarum Eccleſiarum, quarum maximam partem explicat Jodocus Clictovæus lib. 4. ſui Elucidatorii

rii

rii (3). At in Romana Eccleſia quatuor dumtaxat cantari ſolent, Paſ- (3)
chalis nimirum, quæ incipit *Victimæ Paſchali* (4), cujus Auctorem eſſe (4)
Notgerum Herrera ſcriptor recentior aſſerit *lib.* 2. *de origine & progreſſu*
rituum Miſſæ cap. 12. Altera eſt diei Pentecoſtes, *Veni Sancte Spiritus*,
quæ Roberto Galliarum Regi adſcribi ſolet, licet a nonnullis tribuatur
Hermanno Contracto (5). Tertia eſt S. Thomæ Aquinatis pro feſto (5)
Corporis Chriſti, *Lauda Sion Salvatorem*. Quarta denique canitur in Miſſis
Defunctorum, *Dies iræ, dies illa*, quam diverſis diverſi tribuunt (6). (6)
Leander Albertus (7) Latino Cardinali Urſino Ordinis Prædicatorum ad- (7)
ſcribit: Lucas Vadingus Thomæ de Celano Ordinis Minorum: alii apud
eumdem Vadingum S. Bonaventuræ vel Matthæo Aquaſpartano ex Gene-
rali Minorum Cardinali. Poſſevinus in Appar. ſacro tribui ait Auguſtino
Bugellenſi Pedemontano Ord. S. Auguſtini (8), ſubdens ibidem verum (8)
Auctorem eſſe Umbertum V. Generalem Ordinis Prædicatorum (9). (9)
Arnoldus Uvion *lib.* 5. *ligni vitæ cap.* 70. a quibuſdam adjudicari aſſerit
S. Gregorio Magno (10): nec deſunt, qui S. Bernardo affingant (11). (10)(11)
Notat autem Petrus Cirvelus in expoſitione Miſſalis *lib.* 2. *cap.* 125. im-

Sequentia in Miſſis Defunctorum impropriè dicta.

proprie dici Sequentiam in Miſſis Defunctorum, quia hoc Officium nec
Alleluja, nec Sequentiam debet habere, quæ ſunt cantica lætitiæ: idque
ex eo quod ſupra oſtendimus confirmari poteſt, nam Sequentia neumati
poſt Alleluja addito ſuffecta eſt: atque inde deducitur hanc nulli Anti-
quorum tribuendam eſſe, ſed alicui recentiori, cum ritus Eccleſiaſtici
immutari cœperunt (12). Porro Sequentiæ in vita Pauli Abbatis S. Al- (12)
bani Troparia nuncupantur. A Græcis aliter quam a Latinis Epiſtola legi
conſuevit. Nam præmiſſis Antiphonis & Precibus; (quæ locum tenent
noſtri introitus, ſequitur Oratio, quam vocant ingreſſum Evangelii) tum
canunt Triſagion, deinde Alleluja, cum duobus Verſibus & Pſalmis,
qui Propoſitum dicuntur, poſt quos legitur Epiſtola, & ea completa ite-
rum Chorus Pſallit Alleluja (13). (13)

(1) *Sequentiæ dictæ ſint.*) Proſæ ſequentiæ appellantur, quia ſequuntur Epiſtolam, ut ait Grancolas de Miſſa, & Div. Offic.

(2) *Apud Goldaſtum Tom.* 2. *rerum Alamannicarum.*) Notgerus, qui circa annum 880. ſcribebat, aſſerit in ſua Præfatione vidiſſe ſe verſus aliquos ſequentiarum in Antiphonario, quod Presbyter quidam e Monaſterio Gemetici a Normannis diruto attulerat. Monaſterium autem illud fuit incendio conſumptum anno 841., ut obſervat Le-Brun Tom. 1. Cærem. Miſſæ in notis ad § de Sequentiis. Ex quo juvat conjicere initio ſaltem ſeculi 9. introductas fuiſſe Sequentias.

(3) *Jodocus Clictovæus lib.* 4. *ſui Elucidatorii.*) In pluribus Miſſalibus tum MSS., tum editis habentur Sequentiæ pro omnibus diebus Dominicis, & feſtis per annum, exceptis diebus a Septuageſima uſque ad Paſcha, exque tam inconditæ, ut Concilium Colonienſe anno 1536., & Rhemenſe 1564., quum eas ad trutinam revocarint, plurimas ſupprimi mandaverint. Radulphus Tungrenſis de Obſerv. Can. prop. 23. & Grunez de Offic. Miſſ. Tr. 2. cap. 5. ſæpe laudant Carthuſianos, & Ciſtercienſes, qui numquam etiam num ſequentias admiſerunt. Miſſale Carmelitarum, & Ordinis Prædicatorum Sequentias interdicunt in Miſſis privatis, & quidem *Proſam ſimiliter non dicat*, ait Miſſale Carmel. an. 1514. Rubr. 44.

Carthuſiani, & Ciſtercienſes, Sequentias non admiſerunt, atque Carmelitæ, & Prædicatores in Miſſis privatis non admittunt.

(4) *Quæ incipit Victimæ Paſchali.*) In Miſſali Trajecti circa annum 924. ſcripto, & in Archivio Aquiſgranenſi ſervato legitur pro tempore Paſchali Sequentia, quæ incipit: *Salve feſta dies*, quæ in Proceſſione Paſchali canebatur, eamque antiquiorem eſſe illa *Victimæ Paſchali* aſſerit Le-Brun ſecunda parte art. 6. Tom. 1. Explic. Cærem. Miſſæ pag. 212.

(5) *Tribuatur Hermanno Contracto.*) Sequentia *Veni Sancte Spiritus* a Durando quidem in Ration. lib. 4. Regi Franciæ Roberto tribuitur, qui initio ſeculi XI. regnavit; illi tamen Bromptonus Hiſtoricus Durando antiquior adſcripſit aliam, quæ incipit: *Sancti Spiritus adſit nobis gratia &c.*, & antea canebatur. Hæc autem recitata fuit in Ordine Cluniac. ſeculo XI. Legitur eadem in Miſſali Colonien. an. 1133., & in Miſſ. Rom. ſub Greg. X. an. 1270. ita ex Ord. Rom. 13. pag. 240. Et etiamnum a F.F. Prædicatoribus recitatur in Dominica I. Pentecoſtes, qua die cantata fuit Romæ uſque ad tempora Sancti Pii V. Pariſiis autem, & in omnibus fere Galliæ, & Germaniæ Eccleſiis uſque ad initium ſec. 17. Illa autem *Veni Sancte Spiritus* inter eas, quæ infra octa-

Varii Sequentiarum Authores referuntur.

octavam recitabantur, numerabatur; Poſtmodum vero ob elegantiam aliis omnibus ſuffecta fuit.

(6) *Quam diverſis diverſi tribuunt.*) Ciacconius Vit. Pontif. & Card. Tom. 2. pag. 222. de Latino Card. Urſino: Reliquit etiam, ait, ut videre eſt in Bibliotheca Ord. Prædic. & apud Eiſegrenium, ſcriptas Proſas de B. Virgine, e quibus duas vere pias ex perantiquo Cod. Pergameno MSS. quondam Bibliothecæ Torrigianæ de Urbe excerptas Romæ anno 1651. Typis Manelphii in fine Marialis Iſidori Theſſalonicenſis primum, mox an. 1654. in Purpura Mariana Hippolytus Maraccius e Congregatione Clerie. Reg. Matris Dei in lucem produxit. Scripſit item Proſam, quæ canitur in Miſſa Defunctorum *Dies iræ, dies illa* &c.

(7) *Leander Albertus.*) Et ex eodem Abraham Bzovius ad an. 1292. num. 37. & 38. aliique.

(8) *Auguſtino Bugellenſi Pedemontano Ord. S. Auguſtini.*) Ita etiam Joſeph Pamphilus in Chronicis Auguſtinianis. Vide & Andream Roſſottum noſtrum in Script. Pedem.

(9) *Auctorem eſſe Umbertum V. Generalem Ordinis Prædicatorum.*) Qui obiit anno ante 1274., ſed Angelus Ellius in Speculo Spirituali hujus Sequentiæ Auctorem facit quemdam innominatum ex Ordine Minorum, quem Bartholomæus Piſanus in conformitatibus S. Franciſci lib. I. fructu II. ait eſſe Thomam de Cellano, qui vivebat anno 1250.

(10) *Aſſerit Sancto Gregorio Magno.*) Sed mentio Sybillæ in tertio verſu indicat hanc Proſam recentiorem eſſe Gregorio, qui in ſuo Sacramentorum Libro nil gentilitatis habet.

(11) *Qui S. Bernardo aſſingant.*) Is eſt Stephanus Proyſthinius lib. 1. de quatuor Noviſſ. cap. 5., cujus Sequentiæ initium, inquit ille:

Cum recordor moriturus,
Quid poſt mortem ſim futurus,
Terret me terror venturus,
Quem expecto non ſecurus.

Terret me dies terroris,
Iræ dies, ac furoris,
Dies luctus, ac mæroris,
Dies ultrix peccatoris.

Dies iræ, dies illa &c., at illi quaterni ſunt verſus, iſti vero ſunt terni, hinc probabile non eſt, ſi D. Bernardus hujus Proſæ eſt author, eumdem rythmi verſus ipſo fere initio variaſſe. Jacobus Ludovicus a S. Carolo in ſua Biblioth. Pontificia ait Innocentium III. hujus Sequentiæ mortuorum authorem eſſe, quam tamen Beato Jacopono tribuunt Guillelmus Cave in Append. ad Hiſt. Lit. pag. 6., & Juſtus Fontaninus de Italæ eloquentia lib. 2. cap. 8. pag. 132. Innocentio III. item adſcribitur Rythmus *Veni Sancte Spiritus* ab Eckardo Auctore Vitæ B. Notkeri illi Papæ coævo apud Mabillonium ſec. V. Bened. pag. 18.

Sequentia Dies iræ non admodum antiqua, ſed fortaſſe circa ſec. XIV addita in Miſſis Defunctorum.

(12) *Cum ritus Eccleſiaſtici immutari cœperunt.*) Et quidem confirmatur ex Miſſali MSS. D. Camilli de Maximis ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ inſcripta circa annum 1400. ad uſum Fratrum Minorum, ut patet ex Rubricis, & ex Miſſa S. Franciſci, ubi Miſſa Defunctorum non habet Sequentiam *Dies iræ* &c., nec Miſſa Corporis Chriſti *Lauda Sion* &c., & in Miſſis Defunctorum ſtatuit omitti Canticum, ideſt, *trium Puerorum*, & dici Pſalm. *De profundis*, cum oratione *Fidelium* &c. vel *Abſolve* &c. Juxta Miſſalia Pariſienſia, aliarumque Eccleſiarum Sequentia *Dies iræ* legi cœpit initio ſeculi IX. legitur tamen in Miſſ. Narbonenſi anno 1527., & 1576. in Cameracen. an. 1527. & ad libitum in Miſſalibus Senonenſibus an. 1556., & 1575., una cum alia Proſa, quæ nihil eſt aliud, quam Paraphraſis Pſalmi *De profundis*, quæve unica legitur in Miſſali Bajocenſi ann. 1501. Maldonatus Scriptor an. 1569. in ſuo Tract. de Cærem. Miſſæ Pariſiis dictato: *colligo*, inquit, *curioſitate privata aliquorum Sacerdotum fuiſſe additam Proſam in Miſſis, quæ pro Defunctis dicuntur, ut dicant* Dies illa, dies iræ: *quod ſit extra rationem, & antiquiſſimos Miſſales libros, qui tantum habent Sequentiam in diebus lætis*; & Dominicani in notis, quas an. 1576. Salamanticæ ediderunt in proprii Miſſalis Ordinarium hanc Proſam, utpote quæ contra Rubricas ſit, ſtatuunt non eſſe canendam. Ita Ordin. Prædic. Venet. 1582.

In diebus tantum ſolemnibus canuntur Proſæ, quæ nunquam canendæ eſſent in Miſſis pro Defunctis, in quibus quippe *Alleluja* non canitur, ſicuti fit in Eccleſia Senonenſi. In aliis Eccleſiis Proſa hæc, oratio potius Defunctis propria cenſetur, quam Sequentia. In Miſſali Romano recognito, & ad antiquorum Miſſalium ordinem redacto, Venetiis impreſſo apud Hæredes Lucæ Antonii Junctæ anno 1559., & 1563., cujus exemplaria duo vidi in noſtro Monaſterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Montis Soractis, præter quatuor ſupradictas Sequentias, inter quas loco illius, quæ incipit *Veni Sancte Spiritus* diei Pentecoſtes legitur alia incipiens: *Sancti Spiritus nobis adſit gratia* &c. & feria 2. *Veni Sancte Spiritus*, ut ſupra, aliæ infraſcriptæ habentur, videlicet, in feſto S. Auguſtini Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris incipiens: *De profundis tenebrarum* &c. In feſto S. Hieronymi Conf., & Eccl. Doct. incip. *Corde, voce pulſa Cælos* &c., quæ extant in corpore Miſſalis, deinde in Miſſis, quæ olim Miſſali Romano inſertæ fuere; in feſto SS. Nominis Jeſu Sequentia inc. *Dulcis Jeſus Nazarenus* &c. In feſto S. Gabrielis Archangeli Sequentia inc. *Felix tempus numeravit* &c. Denique inter Miſſas votivas in Miſſa quinque Plagarum Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sequentia ſatis prolixa, *Cœnam cum Diſcipulis Chriſtus celebravit* &c. In Miſſa de Spaſimo, ſive de Pietate B. M. V. *Stabat Mater doloroſa* &c., quæ etiam nunc legitur in feſto Septem dolorum ejuſdem B. M. Virginis. Præterea in pleriſque Miſſalibus ſequentes leguntur, videlicet ex inſtitutione Greg. XIII.

in

Digitized by Google

in ſolemnitate Sacratiſſimi Roſarii Sequentia, quæ incip. *Virginalis hortuli Verbi pubent Surculi* &c. Item in feſto Sanctiſſimi Nominis Jeſu Sequentia admodum diverſa a ſupracitata, quæ ſic inc. *Lauda Sion Salvatorem* &c., & in Miſſalibus noviſſime impreſſis legitur. Item in feſto Sancti Antonini Epiſcopi Ord. Prædic. incip. *Antonino Magno laudes concinant Chriſtiani* &c. Aliam denique Sequentiam ſe legiſſe teſtatur in plerifque antiquiſſimis Miſſalibus, puta in Giennenſi apud Hiſpanos P. Honoratus a S. Maria in ſuis Animad. ad regulas, & uſum Critices Tom. 2. lib. 4. Diſſert. 8. art. 3. atque ea Sequentia eſt, quæ dicitur in Miſſa Votiva *de Vultu Sancto*, ſeu Veronica, & incipit.

Salve ſancta Facies noſtri Redemptoris,
In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,
Impreſſa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ ob ſignum amoris.

Porro circa Sequentias, aut hujuſmodi Proſas plura profert Jodocus Clictovæus lib. 3. ſui Elucidatorii, quem totum, ſicut & quarti partem hiſce explanandis impendit. Item de iiſdem nonnulla habent Carolus Guyetus in ſua Heortologia, ſeu de feſtis Locorum propriis lib. 3. cap. 25. quæſt. 6. Et poſt ipſum Meratus in Gavantum Tom. 1. edit. Ven. in fol. pag. 64. & 83. aliique plures. Cum autem in antiquis Eccleſiarum uſibus, maxime Gallicanis frequentiſſimæ eſſent ejuſmodi Proſæ, ſeu Rythmicæ preces poſt Graduale, Tractum, & Alleluja, adeout nullum fere feſtum iis eſſet vacuum, uſus jam Romanæ Eccleſiæ Sancti Pii Papæ V. juſſu editus, ac Clementis VIII. authoritate recognitus quatuor tantum harum Sequentiarum admittit, ut optime Cardinalis noſter obſervat, cæteraſque omnes reſpuit; neque obſtat quod ad calcem aliquot Miſſalium, veterum præſertim ejuſmodi Proſæ reperiantur appoſitæ, etenim extra corpus Miſſalis ſunt, nec ulla Summorum Pontificum authoritate firmatæ, ut in uſum admitti queant, vetante id in primis Bulla Pii V. ne quid umquam Miſſali a ſe edito addatur, detrahatur, aut immutetur. Et ſane cum illarum veterum Sequentiarum plures inſulſæ ſint, parumque religioſæ, ut dictus Guyetus ait, ſatius longe videtur eas omnes abjicere, prout abjecere de facto inſigniores Eccleſiæ, inter cæteras extra Italiam, in Gallia Turonenſis, Rothomagenſis, Pariſienſis, & aliæ, uti nonnulli notant Liturgici Scriptores Gallici. Si quæ tamen ſint alicubi Patronorum aliquorum propriæ ab omni ævo cantari ſolitæ, certiſque Chori cæremoniis religioſis, ac laudabilibus adſtrictæ, haud reclamandum admodum exiſtimarim, ſi retineantur in iis etiam Eccleſiis, quæ uſu proprio dimiſſo ad Romanum acceſſerunt, tum ratione conſuetudinis legitime præſcriptæ (cujus in hac parte vim eſſe maximam alias innuimus), tum quod additionis non par ſit ratio, ac detractionis, illa enim utcumque tolerari poteſt, maxime cum ſint partim approbatæ, ſive uſu ipſo, ſi veteres ſint, nullaque improprietate infectæ, ſive majorum, ad quos ſpectat, authoritate, ſi de novo recognitæ, & emendatæ, aut recenter cuſæ fuerint, quales ſunt, ut reliquas ſileam, quæ ex ſpeciali indulto habent Religioſi Ordines in eorum Miſſalibus de ſanctis Fundatoribus, & Patronis, uti nos in Miſſali Monaſtico de S. P. Benedicto *Læta quies magni Ducis* &c. aliiſque.

(13) *Et ea completa iterum Chorus Pſallit Alleluja.*) Item in Galliarum Eccleſiis, dum Diaconus ad Analogium procederet Evangelium cantaturus, Chorus interim Triſagium præcinebat, & iterum cantato Evangelio repetebat, ut ex antiqua Lirurgia Gallicana apud Martene Anecdot. Tom. V., qui & de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 4. num. X. ait, quod in Eccleſia Ambianenſi, dum Sacerdos in Miſſa ſolemni legit Epiſtolam, quotidie Diaconus ſtans ad miniſterium, ſive parvam menſam, quæ eſt a latere Epiſtolæ, vinum, & aquam miſcet in calice, illumque benedicit dicens orationem *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ* &c. quam orationem Sacerdos omittit ad Offertorium. Qui quidem ritus communis fuiſſe videtur pluribus Gallicanis Eccleſiis, ut idem de nonnullis enarrare proſequitur. Sed præſtat ad hujus Capitis coronidem referre, quæ de Epiſtola, Graduali, & Alleluja elegiacis verſibus breviter exponit Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus Carm. de Myſterio Miſſæ.

Lectio, quæ ſequitur, doctrinam ſignat eorum,
Qui ſunt præmiſſi Septuaginta duo.
Illorum monitis dum Reſponſoria cantat,
Edocet aſſenſum ſe tribuiſſe Chorus.
Alleluja ſequens memorat, quæ gloria mentis,
Quam pia laus oris ſit comitata fidem.

CAP. VII.

CAP. VII.

Lectum Evangelium in Eccleſia a tempore Apoſtolorum. Non ſtatim hoc munus tributum Diaconis. Varii ritus legentium, & audientium. Libro Evangeliorum habitus honor in Eccleſia, in Synodis, publice, & privatim. Vetus quidam Monachorum mos. Sermones, homiliæ, & monitiones ad populum poſt Evangelium. Quædam de ſolemni Pœnitentium abſolutione.

§. I.

Lectum Evangelium in Eccleſia a tempore Apoſtolorum. Non ſtatim hoc munus tributum Diaconis.

Mos legendi Evangelium in Eccleſia antiquiſſimus, & ab ipſius exordio.

MOrem legendi Evangelium in Eccleſia antiquiſſimum eſſe, nemo dubitare poteſt, qui in evolvendis veterum Patrum monumentis verſatus ſit. Cœpit enim in ſolemni fidelium conventu legi, ſtatim ac ſcriptum fuit. Et quidem de Lucæ Evangelio teſtimonium perhibet Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap.* 8. dum fratrem commemorat comitem ſuæ peregrinationis, *cujus laus*, inquit, *eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, quod non de Barnaba, ut Græci putant, ſed de Luca intelligendum eſſe Hieronymus, & alii teſtantur; faveteque Ignatius Martyr, *qui Epiſt. ad Epheſios* hoc Pauli elogio utitur dicens, ut teſtatur Lucas, cujus laus eſt in Evangelio (1). Clarius autem Euſebius *lib.* 2. *Eccl. Hiſt.* (1)
cap. 15. ſcriptum a Marco Evangelium ait Romanorum precibus: *Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio, librum illum auctoritate ſua comprobaſſe dicitur, ut deinceps in Eccleſiis legeretur. Refertur id a Clemente in ſexto Inſtitutionum libro, cui teſtis etiam accedit Papias Epiſcopus Hierapolitanus.* Hæc Euſebius, cui quod attinet ad publicam Evangelii recitationem, adſtipulantur Juſtinus Martyr, & Cyprianus ſuperiori Capitulo relati, & alii Patres, quorum teſtimoniis paginas implere in re clariſſima ſuperfluum foret [2]. Neque obſtat Canon XVI. Concilii Laodiceni, quo ſancitum (2)
fuit, ut Evangelium cum aliis ſcripturis ſabbato legeretur: nam fortaſſis in ea Provincia die tantum Dominico, & quarta ac ſexta feria, quæ tunc ſolemniores erant, & Miſſæ ſacrificio colebantur, ut ſuo loco oſtendimus, legi conſueverat; eumque ritum Patres illius Concilii ad diem quoque ſabbati extenderunt: vel aliam ſpecialem, nobiſque ignotam illius edicti cauſam fuiſſe credendum eſt. Simili modo in Concilio I. Arauſicano tempore Leonis I. *can.* 18. ſtatutum eſt, ut Evangelia quæ ſolis fidelibus antea legebantur, deinceps etiam Catechumenis legerentur. Idem decrevit Concilium Valentinum in Hiſpania c. 1. *ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermones Sacerdotis non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni, ac Pœnitentes, & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Ut nimirum Evangelium, quod excluſis Catechumenis, & cæteris qui myſteriis intereſſe non poterant, antea legi conſueverat, mox illis præſen-

tibus, & audientibus legeretur (3). Neque etiam obſtat, quod Gregorius Magnus aſſerit in Epiſtola ſæpius citata ad Joannem Syracuſanum, morem Apoſtolorum fuiſſe, recitata dumtaxat Oratione Dominica oblationis hoſtiam conſecrare, ex quo infert Morinus *parte* 3. *exercit.* 9. *cap.* 1. *num.* 12. multorum annorum decurſu Evangelium in Miſſæ celebratione lectum non eſſe (4). Id enim omnino de illis annis intelligi debet, cum Evangelium nondum erat ſcriptum: alioquin mendacii arguerentur Clemens, & Papias Apoſtolorum ſeculo proximi, qui ut vidimus referente Euſebio, teſtati ſunt Evangelium Marci a Principe Apoſtolorum approbatum publice in Eccleſia lectum fuiſſe: quod de aliis quoque a Matthæo, Luca, & Joanne ſcriptis contigiſſe non dubito. Nam cum Scripturæ ex priſco Synagogæ uſu in conventibus legerentur, fidelium pietas, & amor erga Dominum, & Salvatorem nos credere compellit ejus geſta a viris tantæ auctoritatis Deo inſpirante conſcripta publice perlegi ſtatim cœpiſſe: cui lectioni tamquam ſacræ functioni deſtinatus ab initio fuit ordo Lectorum, ad quos ſpectabat tam Evangelium, quam reliquas Scripturas in Eccleſia recitare, ut ſupra demonſtravimus, donec ſucceſſu temporis munus legendi Epiſtolam Subdiaconis, Evangelium Diaconis tributum eſt. Certum vero eſt multo ante Diaconum Evangelium legere cœpiſſe, quam Subdiaconum Epiſtolam: nam de lectione Epiſtolæ per Subdiaconum nullum reperio teſtimonium, niſi circa finem ſeculi octavi (5): at lectionem Evangelii tribuunt Diacono antiquiſſimi Scriptores. Lib. 2. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 57. Hieronymus epiſt. ad Sabinianum, *Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas*. Concilium Vaſenſe an. 529. celebratum, quod a nonnullis II. ab aliis III. dicitur, can. 2. *Si Presbyter aliqua infirmitate probibente per ſe ipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Evangelio locutus eſt, legere, quare indigni judicentur Sanctorum Patrum Expoſitiones publice recitare?* Iſidorus *lib.* 2. *de div. offic. cap.* 8. inter Diaconi officia recenſet evangelizare. Sozomenus *lib.* 7. *Hiſt. Eccl. cap.* 19. ſacrum Codicem Evangeliorum Alexandriæ a ſolo Archidiacono, apud alios a Diaconis, & in multis Eccleſiis a ſolis Sacerdotibus, atque diebus ſolemnibus ab Epiſcopis legi teſtatur (6). Obſervant tamen viri eruditi (Menardus in notis ad Sacramentorum librum Gregorii pag. 287., & Morinus de ſacris Ordinationibus parte 3. Exercit. 9. cap. 1.) hanc ſolemnem Evangelii lectionem non fuiſſe olim tributam Diacono ex vi ordinationis, licet enim antiqui Codices Sacramentorum mentionem faciant Evangelii a Diacono lecti, in eorum nihilominus ordinatione nuſquam apparet traditum eis librum Evangeliorum, nec ea verba prolata, quæ hodie in uſu ſunt, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*. Imo hæc forma quamvis habeatur in Ordine Romano, a multis tamen antiquis Codicibus abeſt, & Durandus 4. *ſent. diſt.* 24. *qu.* 3. non extitiſſe ait in antiquo Rituali Eccleſiæ Anicienſis, cui præfuit, & additam in margine manu ſua, ne ab aliis Eccleſiis diſcreparet (7). Neque dicendum eſt cum quibuſdam ſcholaſticis illam Eccleſiam in hoc erraſſe, nam multæ cum illa in eodem ritu tunc conſentiebant. Ratio igitur propter quam Diacono evangelica lectio ab antiquis Patribus demandata eſt, ab ipſa potius Evangelii ſanctitate, & majeſtate petenda videtur, quæ cum maximam exigat reverentiam, & venerationem, & ſemper cum ingenti pompa, atque apparatu legi conſueverit, Eccleſiaſticæ gravitati congruum

fuit

fuit, tantum munus non lectoribus committere, qui ut plurimum in puerili ætate eligebantur; ſed Diaconis, qui ad ſacerdotalem dignitatem proxime accedunt.

(1) *Laus eſt in Evangelio*) Id quidem in interpolata Ignatii Epiſtola legitur, ſed abeſt a genuina, quam Voſſius edidit. Ignatii teſtimonio ſubſtituimus Origenem, ne uno avulſo deficiat alter, qui Homilia I. in Lucam hæc ſcribit: *Lucas . . . . ab Apoſtolo merito collaudatur, dicente, cujus laus in Evangelio*. Non juvat hic Lingfootii confutare ſententiam, qui in Chronico Temporum p. 43. Marcum a Paulo deſignari contendit. A vero etiam aliena nobis videtur opinio Baſnagii Ann. Polit. Eccl. ann. 60. num. 32. exiſtimantis fratrem illum, cujus laus erat propter Evangelium per omnes Eccleſias, fuiſſe Silam Apoſtoli Pauli, & aliorum diſcipulum; neutra enim opinio ullo veterum teſtimonio fulcitur, quorum auctoritati potius, quam conjecturis noſtris, hiſce in rebus aſſentiri conſentaneum eſt.

Refelluntur Sectarii negantes jam ab Apoſtolico ævo lectum fuiſſe Evangelium.

(2) *Paginas implere in re clariſſima ſuperfluum foret*) His tamen non obſtantibus nonnulli ex Heterodoxis Scriptores, inter quos Gaſpar Calvor in ſuo Rituali Eccleſiaſtico Jenæ impreſſo anno 1705. parte 2. lib. 2. ſect. 2. cap. 16. §. 4. pag. 488. huic tam probatæ, & a Catholicis omnibus acceptæ ſententiæ refragantur. Atque hæc in contrarium iſte Pſeudo-Liturgus ſcribit: *Argumenta porro, quæ Cardinalis Bona ad demonſtrandum lectionem Evangelicam Apoſtolico jam tum ævo factam, producit, rem non omnino demonſtrant*. Et poſt pauca, & ſi hæc ſubdat: *non moroſe tamen refragantur piis Bonæ cogitationibus*, & refert pene integrum, ut infra habetur, Eminentiſſimi textum; nihilominus poſtea nimio critices fervore, ita concludit: *aſt quid de teſtimoniis his poſtremis Eruditi ſentiant, patet*; videlicet Clemente Romano, & Papia Hieropolitano. At gratis dicitur ab hoc Scriptore Cardinalis argumenta rem non omnino demonſtrare, cum ipſe nihil, quam ſuam negationem in contrarium afferat. Ipſius intereſt, ut Eminentiſſimi Auctoris ſententiam evellat, antiquiores illis teſtes adducere pro ſui negativa tuenda, quod profecto non valebit conficere; malignantis eſt animi negare tantum, & non probare. Noſtram ſane firmant ſententiam, Euſebii auctoritas, de qua Eminen. hoc loco, Juſtinus Mart. in Apologia 2. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 61. & lib. 8. cap. 4., ubi expreſſe Evangelicæ lectionis mentio habetur, Origenes apud dictum Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 25. ubi & de Evangelio Lucæ, quod illud idem eſſe a Paulo commendatum, ac per omnes Eccleſias lectum aſſerit, quibus addimus Hieronymum adv. Vigilantium cap. 4., ubi jam multo ante ſui ætatem Evangelicæ lectionis in Miſſa peractæ meminit. Denique antiquiores Liturgiæ omnes, tum Latinæ, tum Græcæ, in quarum ſingulis Evangelicæ lectionis mentio expreſſe facienda præſcribitur; vide Morinum parte 3. exercit. 9. cap. 1. n. 12., quare nihil eſt, quod contra hujus venerandæ antiquitatis teſtimonia opponant Sectarii.

(3) *Et audientibus legeretur*) Vide quæ ſupra dicta ſunt ad lib. 1. cap. 16. n. 1. pag. 323. tom. 1.

Priſci Fideles erant in longa oratione perſeverantes.

(4) *In Miſſæ celebratione lectum non eſſe*) Actorum cap. 2. legitur, quod fideles perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, & in communione fractionis panis, & in oratione &c. hoc autem: *Perſeverantes in oratione* certe non intelligitur procul dubio de ſola Dominica Oratione, ſed de longa precum ſerie, quæ vel in præparatione, vel in conſecratione, vel in communione fundebantur, S. Joann. Chryſoſt. hom. 27. in I. ad Corinth. *Conſidera* (inquit) *cum ſacras illas cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? nonne in preces convertebantur, & hymnos? nonne in ſanctas vigilias, nonne in longam illam doctrinam, & multæ philoſophiæ plenam?* Sanctus Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. præter verba conſecrationis ab Evangeliſtis relata, nos docet ordinem quemdam fuiſſe orationum ſanctam hanc actionem conſequentium, quæ a nemine ſcriptæ, ab Apoſtolis compoſitæ, Presbyteris, & Epiſcopis ab ipſis verbo traditæ fuerant: *Invocationis verba in productione, ſeu renunciatione panis Euchariſtici, & poculi benedictionis, quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit? Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, & Evangeliſta mentionem fecit: ſed ante, & poſt dicimus alia velut magnum robur, & pondus ad myſterium habentia, quæ ex doctrina ſcripto non tradita nos accepimus*. Iſtæ autem preces etiamſi de eſſentia Sacrificii non eſſent, ſicut conſecrationis verba, *magnum* tamen *pondus, & robur habebant ad myſterium*, totque, tamque prolixæ erant, ut tepeſcente fidelium pietate, opus fuerit illas truncari, primum quidem, quod ſciamus a S. Baſilio, ut teſtatur Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ann. 435., deinde a S. Joanne Chryſoſtomo, ut idem pariter exprimit Orat. de Tradit. div. Miſſæ. Hinc patet, quam falſum ſit (ut alias dictum eſt ad lib. 1. cap. 5. §. 3. ſeu tom. 1. pag. 75.) Apoſtolos ad ſolam *orationem Dominicam conſecraſſe*. Quæ S. Gregorii verba, non de ſola Dominicæ Orationis recitatione intelligenda cenſeo, ſed de nunquam prætermiſſa hac oratione ab Apoſtolis in confectione ſacrorum myſteriorum eo quidem modo, quo loco indicato explicavimus; de iis etiam Sacerdotibus queritur laudatus Sanctus Doctor, qui recitato Canone, hanc Orationem omittebant. Hic proinde apponenda ſunt verba Apoſtoli ad Epheſios 5. 19. 1. ad Corinth. 14. 16. item 1. ad Timoth. 2. 1. & 2. quæ procul dubio dictam Orationem Dominicam recitandam eſſe in Sacrificio ſatis exprimunt.

Quæ poſtea tepeſcente poſteriorum credentium pietate ac devotione reſtrictæ fuerunt.

(5) *Circa finem ſeculi octavi*) Id tamen longe ante decreverat pro Eccleſia Romana Gregorius Magnus in Synodo anno 595. celebrata: *Qua in re præſenti decreto conſtituo, ut in hac ſede ſacri Altaris Miniſtri cantare non debeant, ſolumque Evangelicæ lectionis offi-*

cium

cium inter Miſſarum ſolemnia exſolvant. Pſalmos vero, ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores Ordines exhiberi: extat Decretum hoc in Appendice ad Epiſtolas D. Gregorii col. 1289. &c.

(6) *Ab Epiſcopis legi teſtatur*) Vide tom. 2. ſeu lib. 1. parte 2. cap. xxv. §. 17. ubi de Lectoris officio: Menardum in notis ad librum Sacramentorum pag. 287., & Morinum de ſacris Ordinationibus par. 3. Exerc. 9. c. 1.

(7) *Ne ab aliis Eccleſiis diſcreparet*) Deeſt etiam in laudato ſæpius Codice Caſanatenſis Bibliothecæ, ubi Diaconorum, ac Preſbyterorum ordinatio ſola manus impoſitione conficitur. Immo cum in eodem Codice recentiori manu addita ſit in conſecratione Preſbyterorum traditio Inſtrumentorum cum forma conſueta; in ordinatione tamen Diaconi addita non eſt traditio Evangelii, nec forma, quod argumentum eſt eo tempore, quo facta eſt additio illa, traditionem Evangelii non fuiſſe communiter uſurpatam in Diaconorum ordinatione. Porro Lectores olim habuerunt aliquando ex vi Ordinationis jus legendi Evangelium; at ſtatutum fuit poſtea in omnibus Eccleſiis, ut ad ſolum Diaconum pertineret illud ſolemniter legere, utque firmius hoc ſervaretur, additum ut Diacono in ejus ordinatione traderetur Liber Evangeliorum his verbis: *Accipe poteſtatem* &c., quæ verba libro Pontificali a quingentis, vel ſexcentis annis inſerta fuere.

§. II.

De priſco more legendi Evangelium, & varii ritus legentium, & audientium.

PRiſcum morem legendi Evangelium ſic deſcribit Ordo Romanus: *Diaconus oſculans pedes Pontificis, petitaque benedictione, venit ante Altare, & oſculans Evangelium, levat in manus ſuas codicem, in quo lecturus eſt, & partem ejus in dextero humero ponens, vadit ad ambonem: & procedunt ante ipſum duo Subdiaconi cum duobus thuribulis, ſive uno, levantes thymiamaterium de manu Subdiaconi ſequentis, mittentes incenſum. Et duo Acolythi portantes duo cereoſtata, venientes ante ambonem dividuntur a ſe, & tranſeunt Subdiaconi, & Diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Evangelium in ambonem ex una parte aſcendentes, & ex altera parte ſtatim deſcendentes, redeunt ſtare ante gradum deſcenſionis ambonis. Ille autem abſque thymiamaterio vertens ſe ad Diaconum porrigit ei brachium ſuum ſiniſtrum, in quo ponit Evangelium, ut manu Subdiaconi aperiatur ei locus, in quo ſignum lectionis poſitum fuerit. Inventoque loco lectionis aſcendit in ambonem in ſuperiorem gradum, & dicit* Dominus vobiſcum: *Quo audito vertit ſe Pontifex, omnis Sacerdotalis gradus, ſicut & omnis populus fidelis ad Orientem, & poſtquam dixerit* Sequentia ſancti Evangelii, *facit crucis ſignum in fronte ſua idem Diaconus, & in pectore, ſimiliterque Epiſcopus, & omnis populus, & revertuntur ad Evangelium. Sed & baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipſa hora neque corona, neque aliud operimentum ſuper capita eorum habetur. Ipſe vero Diaconus ſtat verſus ad meridiem, ad quam partem viri ſolent confluere, alias autem ad ſeptentrionem. Sed & candelæ in pavimento, prædicante eo Evangelium, de manibus Acolythorum juxta ambonem deponuntur uſque ad finitum tempus Evangelii. Perlecto Evangelio iterum ſe ſigno S. Crucis populus munire feſtinat, & deſcendente Diacono de ambone, Subdiaconus, qui in filo ſtat recipit Evangelium, quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam, porrigit oſculandum primum Epiſcopo, aut Preſbytero, deinde omnibus per ordinem graduum qui ſteterint, & univerſo clero, necnon & populo, deinde conditur in loco ſuo*. Hæc fuſius ex Ordine Romano tranſcribere libuit, quo plura antiqui ritus monumenta uno aſpectu conſpicerentur. Occurrunt autem hic multa notatu digna, nam primo Diaconus priuſquam legat, petit a Celebrante benedictionem, licentiam videlicet legendi, quia ut

Sacræ benedictionis ritus antequam quid publice legatur, in Eccleſia antiquiſſimus.

ut dicit Rupertus Abbas *lib.* 1. *cap.* 12. Nemo niſi miſſus aut permiſ-
ſus officium prædicandi uſurpare debet : quomodo enim prædicabunt, ni-
ſi mittantur ? Porro hic ritus benedictionis antequam publice quidpiam
legatur, antiquiſſimus eſt, in homiliis ſiquidem MSS. hæc verba veteri
more petendi benedictionem præfixa reperiuntur, *Benedic Pater*. Vul-
gata vero benedictio, *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis* (1), (1)
extat in tertia Miſſæ deſcriptione ipſius Ordinis Romani. Hodie ante omnia
librum Evangeliorum defert Diaconus ad Altare, tum genuflexus in in-
feriori ipſius gradu, dicit orationem *Munda cor meum*. Poſtea accipiens
librum de Altari (2), petit a Celebrante benedictionem, & oſculata il- (2)
lius manu, pergit ad legendum. Oratio *Munda cor meum* ſimilibus fere
verbis habetur in Liturgia S. Jacobi ante thurificationem. Etherius, &
Beatus *lib.* 1. adverſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum de ritu Sa-
crificii differentes ajunt : *Cum Evangelium a Levita ſuper Altare leva-
tur, a Levita primum dicitur : laus tibi, & ab omnibus reſpondetur :
laus tibi Domine Jeſu Chriſte rex æternæ gloriæ*. Accepto libro de Al-
tari inſtituitur proceſſio ad ambonem (3), præcedente cereorum lumine (3)
in ſignum gaudii & lætitiæ, quem ritum adverſus Vigilantium S. Hie-
ronymus eleganter defendit. Thus quoque præfertur more conſueto, ut
ex antiquiſſimis Liturgiis liquet : & in quibuſdam Eccleſiis præcedit etiam
Crux, ut ſcribit Durandus *lib.* 4. *Ration. cap.* 24. (4). Præcedunt & (4)
Subdiaconi, aliique miniſtri, modo in Ritualibus expreſſo. Apud Græ-
cos ſolemnior eſt hujuſmodi proceſſio, quæ Introitus S. Evangelii dici-
tur; Sacerdos enim tollens de Altari librum Evangelii, tradit illum Dia-
cono, & ambo exeuntes de ſacrario per portam ſeptentrionalem, ve-
niunt ad locum conſuetum, ubi Sacerdos dicit orationem ingreſſus. Qua
finita dicit Diaconus Sacerdoti, ut benedicat ſanctum Introitum. Dein-
de accedit ad Epiſcopum, ſive ad Sacerdotem, eique porrigit librum
oſculandum. Tum perſoluto quodam modulo levat, & oſtendit ſanctum
Evangelium, dicens: *Sapientia, Recti* : ipſumque Evangelium deponit in
altari, & interjectis orationibus ac benedictionibus, quinquies per inter-
valla clamat Diaconus ante oſtium ſacrarii, *Attendamus*. Mox altari, at-
que ſacrario thus adolet, ſuſceptoque Evangelio, & accepta benedi-
ctione præeuntibus cereis, & thuribulis, factaque Evangelio reverentia
accedit ad ambonem, & Sacerdos alta voce ait : *Sapientia, Recti : Audia-
mus ſanctum Evangelium*. Cum vero Diaconus dixit : *Lectio ſancti Evangelii*,
chorus reſpondet, *Gloria tibi Domine*, & rurſum ait Sacerdos, *Atten-
damus*. Lecto autem Evangelio, Diaconus revertitur ad fores ſacrarii,
librumque reddit Sacerdoti, qui ei pacem precatur dicens, *Pax tibi*
(5). In Miſſa Æthiopum Diaconus ſimiliter circuit Eccleſiam, elata vo- (5)
ce dicens : *Surgite, audite Evangelium, & bonam annunciationem Domi-
ni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Sacerdos autem accepto Evange-
lio ter illud incenſat, & facta ſolemni benedictione introitus in Eccleſiam,
ipſe cantat Evangelium accenſis luminaribus, & reliquo apparatu ex mo-
re adhibito. Cum ſummus Pontifex Miſſam ſolemniter cantat, tam Epi-
ſtola, quam Evangelium græce, & latine leguntur (6). Diacono latino, (6)
qui Cardinalis eſt, præcedunt ſeptem Acolythi cum ſeptem candelabris,
& cereis accenſis, eidemque legenti aſſiſtunt, & poſt ipſum idem Evan-
gelium græce legit Diaconus Græcus. Eumdem morem cantandi græce,
& latine Epiſtolam, & Evangelium ſervatum in monaſterio Caſinenſi,
narrat in Chronico *lib.* 1. *cap.* 32. Leo Hoſtienſis, & hunc ipſum ad-
huc vigere diebus ſolemnioribus in monaſterio S. Dionyſii in Francia,

retulit

retulit mihi vir fide dignus (7). De aſcenſu in ambonem egimus ſupra (7)
(8). Præmittit Diaconus titulum Evangelii, ſignans primo librum, deinde ſeipſum ſigno Crucis in fronte, ore, & pectore, quod etiam aſtantes faciunt veteri more: in fronte quidem ſede pudoris, ut profiteatur ſe non erubeſcere Evangelium, *uſque adeo*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 141. *de cruce non erubeſco*, *ut non in occulto loco habeam crucem Chriſti*, *ſed in fronte portem*. In ore autem, & in pectore, quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Reſpondet populus: *Gloria tibi Domine*, quæ reſponſio Græcis, & Latinis communis eſt. Reſpondemus, inquit Rupertus Abbas lib. 1. de Div. Offic. cap. 36. *Gloria tibi Domine*, glorificantes Dominum, quia miſit nobis verbum ſalutis. (8)

(1) *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & competenter annunties Evangelium ſuum*) Juxta Ordinarium Carthuſianorum, Miſſale Carmel. 1514. FF. Prædicatorum; antiqua Miſſalia Tullenſia, Antiſſiodorenſia, & Pariſienſia uſque ad 1615. clauditur benedictio Celebrantis: *ut digne & competenter annunties Evangelium pacis*. In novo Miſſali Pariſienſi legitur: *Annunties Evangelium* abſque particula ſuum, & dicebatur *Evangelium Chriſti*. Diaconus itaque priuſquam legat, petit a Celebrante benedictionem, licentiam ſcilicet legendi, quia nemo, niſi miſſus, prædicationis munus uſurpare debet: *quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?* (ad Rom. cap. 10. 15.)

(2) *Poſtea accipiens librum de Altari*) Mos accipiendi Miſſale de Altari ex eo derivat, quod antiquitus Evangeliorum Codex magno apparatu ad Altare deferebatur ante Miſſæ exordium, ut deſcribit Amalar. de Eccl. Offic. lib. 3. cap. 5. *Epiſcopus, & ſibi conjuncti Evangelium ſequuntur . . . . remanet Evangelium in Altari ab initio officii uſquedum a Miniſtro aſſumatur ad legendum*. Qui mos tum demum ceſſavit, quum Miſſali libro, qui nunc ante Miſſam, Altari imponitur, inſerta fuerunt Evangelia.

Olim factr Evangeliorū Codex magno apparatu ad altare delatus.

(3) *Proceſſio ad Ambonem*) In Narbonenſi Eccleſia in feſtis ſolemnioribus ſex Diaconi, totidemque Subdiaconi, ſacris veſtibus induti præcedunt Diaconum, qui Evangelium lecturus eſt, poſt quod recedunt; dum autem textus Evangelii per chorum defertur, omnes reverenter exurgunt. Stat. 3. Eccl. Pictavienſis ex MSS. ejuſdem Eccleſiæ, apud Martene Theſauri Anecdot. tom. 4. col. 1072.

(4) *Durandus lib. 4. Ration. cap. 24.*) In antiquo Rituali MS. Sancti Martini Turonenſis legitur: *Quando vadunt ad Evangelium, primo vadunt duo clericuli portantes candelabra, & in medio major eorum portans Crucem*; num mos ille adhuc perſeveret in eadem Eccleſia Sancti Martini Turonenſis, ignoro. Perſeverat tamen adhuc in Eccleſia Cathedrali S. Martini Andegavenſis, uti teſtatur Du-Moleon in ſuo Itinere Liturgico pag. 89. & in Eccleſia Pariſienſi, ut ſcribit Le-Brun tom. 1. pag. 225., & a Patribus Prædicatoribus uſurpatur.

(5) *Pacem precatur, dicens: Pax tibi*) Hanc prodeuntem proceſſionem Simeon Theſſalonicenſis libro de Templo, ſic deſcribit: Præferuntur faces, & Diaconi bini, iterumque bini cum ſacro Evangelio præcedunt: & alii Græcanici ritus Expoſitores, myſtico ſenſu eleganter exponunt.

(6) *Iam Epiſtola, quam Evangelium græce, & latine leguntur*) Antiquiſſimus eſt hic ritus in Eccleſia Romana, cujus meminere Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Bened. PP. III. Amalarius lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 1. Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus lib. 3. Dialog. cap. 16., qui rationem etiam hujus cæremoniæ reddit. Eumdem morem olim in Conſtantinopolitana Eccleſia viguiſſe, ut ſcilicet Epiſtola, ac Evangelium latine primum, deinde græce recitaretur, teſtatur Nicolaus PP. I. in Epiſtola VIII. ad Michaelem Imperatorem, qui objicienti Principi, quod barbaram, & Scythicam linguam in Miſſa uſurparet, reſpondit: *Ecce quotidie, immo vero in præcipuis feſtivitatibus inter græcam linguam veluti quiddam pretioſum, hanc quam barbaram, & Scythicam linguam appellatis, miſcentes, quaſi minus decori veſtro factis, iſtius enim dictione linguæ Conſtantinopolitana Eccleſia lectionem Apoſtolicam, & Evangelicam in ſtationibus fertur primitus recitaſſe, ſicque demum græco ſermone propter Græcos utique ipſas lectiones pronunciaſſe*. Amalarius, qui eodem ſeculo vixit, ac Nicolaus, idem affirmat loco ante laudato; *lectiones*, inquit, *ab antiquis Romanis græce, ac latine legebantur, qui mos apud Conſtantinopolim hodieque ſervatur*. Ritum hunc adhuc undecimo ſeculo in dicta Eccleſia Conſtantinopolitana viguiſſe nos docet epiſtola I. Leonis PP. IX. ad Michaelem Cærularium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ubi Pontifex ait: *quod ſi contradicitis, ad quid veſtro Imperatori latinæ laudes, & in Eccleſia Græcis recitantur latinæ lectiones?* Nicolaus I. ep. 247. Moldavis conceſſit, ut in eorum Eccleſiis Evangelium prius latine, tum Sclavonice legeretur, ut alibi dictum eſt. Acta Concilii Piſani a Luca Dacherio edita tom. 6. Spicilegii pag. 334. teſtantur in ſolemni Alexandri Papæ V. inauguratione, quæ ejuſdem Concilii ſeſſione 18. celebrata eſt, Epiſtolam, ac Evangelium græce, hebraice, & latine pronunciata fuiſſe; in quibuſdam Orientis Eccleſiis Evangelium græce primum, deinde arabice recitari affirmat Du-Moleon pag. 455. teſtimonio fretus cujuſdam Philippi Grai-

Olim Epiſtola, & Evangelium variis linguis publice ad Miſſam recitata.

lan.

lan. Presbyteri Syri, & Antiochenæ Eccleſiæ Archidiaconi.

(7) *Retulit mihi vir fide dignus*) Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccleſ. ritibus cap. 4. art. 5. num. 4. affirmat id obſervari in dicto S. Dionyſii Monaſterio in quinque præcipuis anni ſolemnitatibus, immo clariſs. Du-Moleon in ſuo Itinere Liturgico pag. 263. teſtatur integram quandoque Miſſam in eodem Monaſterio, græco idiomate celebrari, quod mirum a dicto Martene non fuiſſe obſervatum. Quin etiam dictus Auctor cap. 3. art. 2. num. 11. pag. 279. meminit ſe legiſſe in veteri quodam Rituali myſtico Eccleſiæ Sueſſionenſis, ut in feſto Sancti Stephani Protomart. Epiſtola Miſſæ latine, & gallice cantaretur, quod & in antiquo Miſſali Sancti Gratiani Turonenſis ab annis circiter ſexcentis exarato ſe reperiſſe ait. Horum autem fides ſit penes dictum Auctorem; non enim iſta ſic contra ritus, & praxim Eccleſiæ univerſalis obſervata crediderim.

Quare a Diacono præmittatur ſalutatio populi antequã legat Evangelium.

(8) *De aſcenſu in ambonem egimus ſupra*) Qui ritus etiam tempore Innocentii III. Romæ in uſu erat, nam lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap. 42. & 43. ejuſdem aſcenſus myſticas rationes adfert, & de eo agit tamquam de re tunc communiter uſitata; poſtquam vero aſcendit in pulpitum, ſalutat populum, dicens: *Dominus vobiſcum*, quæ ſalutatio ideo præmittitur, quia Evangelium cum Deo populum conciliat, & qui ipſum promulgat, pacem fidelibus annunciat. Soli itaque Diacono hæc ſalutatio permittitur, cum lecturus eſt Evangelium (*lectoribus autem vetita eſt Concilii III. Carthaginenſis decreto can.* 4.) Pacem itaque Diaconus Evangelium lecturus annunciat, illud obſervans, quod Dominus juſſerat: *in quamcumque domum intraveritis, primum dicite: pax huic domui*. Quocirca idem corde purum, ore mundum, opere caſtum ſe ſtudeat exhibere, ut ſanctum Evangelium digne valeat annunciare. Hoc eſt verbum Verbi, ſermo Sermonis, ſapientia Sapientiæ; verbum Verbi, quod erat in principio apud Deum, quod caro factum eſt, & habitavit in nobis; ſermo Sermonis omnipotentis, qui de cælo a regalibus ſedibus venit, vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; ſapientia Sapientiæ, quæ attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Hic jam non loquitur Moyſes, non Iſaias, non Hieremias, ſed loquitur Pater *in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Hæc de Evangelii dignitate Innocentius III. lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap. 49.

§. III.

Ad Evangelium baculi depoſiti, & alia quædam in ejuſdem lectione, & auditione obſervatu digna.

Cur etiam ad Evangelium baculi depoſiti & ſtantes omnes illud audiant.

ITem antiquo ritu ſtatim ac Diaconus incipiebat Evangelium, omnes baculos deponebant: cujus rei plures cauſas, ſed ſymbolicas afferunt Amalarius *lib.* 3. *cap.* 18. Honorius *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 24. Durandus *lib.* 4. *Rationalis cap.* 24. & alii recentiores. Veram autem, & literalem eam eſſe arbitror, quam inſinuat Amalarius his verbis: *Uſque ad iſtud officium baculis ſuſtentabamur, modo ut oportet ſervos ante Dominum ſtare, humiliter ſtamus deponentes baculos e manibus* (1). Conſonat Hu- (1)
go in ſpeculo Eccleſiæ cap. 7. dicens: *Nunc conſidera quod plebs hic baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, ſtans audit*. Quæ omnia uno verſiculo comprehendit Hildebertus lib. de Myſteriis Miſſæ: *Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput* (2). Qua igitur ratione a (2)
Sanctis Patribus ſancitum fuit, ut ad Evangelium omnes adſtantes ſurgerent, & recti ſtarent; eadem introductum fuit, ut baculos deponerent, quibus ad ſuſtentandum corpus homines uti ſolent. Baculos item depoſitos eamdem ob cauſam a pœnitentibus, cum ad confeſſionem accedebant, antiquus Ordo Romanus docet apud Morinum *lib.* 4. *de Pœniten. cap.* 18. Omnes autem aſſurgere, & ſtare, dum legitur Evangelium, ritus antiquiſſimus eſt, ut tamquam ſervi ante Dominum ſe promptos, & paratos oſtendant ad exequenda mandata Dei, quæ in Evangelio promulgantur (3). Cumque in aliquibus Eccleſiis irrepſiſſet abu- (3)
ſus ſedendi, Anaſtaſius Papa, teſte Anaſtaſio in ejus vita, conſtituit, ut quotieſcunque ſancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non ſederent (4), ſed curvi ſtarent in ſignum reverentiæ. Damnat Nicephorus Calli- (4)
ſtus *lib.* 12. *hiſt. cap.* 34. morem Eccleſiæ Alexandrinæ, in qua Epiſcopus

copus non aſſurgebat, cum Evangelium legeretur. *Id vero*, inquit, *in nulla plane Eccleſia antiquitus factum eſſe nemo vel vidit, vel audivit*. Et ſupra *lib.* 9. *cap.* 18. a Theophilo, qui cognominatus eſt Indus, multa refert apud Indos correcta fuiſſe, quæ non rite agebantur, præſertim quod ſedendo Evangelium audirent contra placitum Eccleſiæ. Hoc de Theophilo narrat Philoſtorgius *lib.* 3. *Hiſt. Eccl. cap.* 5. ipſum ſummis laudibus efferens, utpote ejuſdem cum illo Sectæ Arianæ, quod non ſatis advertit Nicephorus, qui tacito ipſius nomine hiſtoriam ejus exſcripſit, & ſuæ inſeruit. Optime de hoc ritu Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 136. *Cum verus Paſtor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipſum paſtoralis artis ducem, ac Deum & herum adeſſe ſignificans*. Apud Græcos enim non ſolum ſurgit Epiſcopus ad Evangelium, ſed etiam Omophorium deponit, ſervitutem, & ſubjectionem ſuam erga Dominum demonſtrans, ut explicat Simeon Theſſalonicenſis. Ritus autem deponendi baculos diu manſit in Eccleſia, nam Nicolaus de Plove Presbyter Poſnonienſis, qui claruit an. 1434. in Expoſitione Miſſæ, ait: *Cum legitur Evangelium, arma, vel baculi deponuntur, in ſignum, quod juxta doctrinam Evangelicam parati ſunt fideles, non armis, ſed patientia ſe defendere*.

Milites religioſi, & equeſtris ordinis viri enſi manum admovent, vel de vagina educunt, cum recitatur Evangelium

Nunc milites Religioſi, & equeſtris Ordinis viri enſi manum admovent, vel educunt de vagina, cum recitatur Evangelium, ut eo geſtu teſtentur ſe paratos eſſe pro Evangelii defenſione viriliter pugnare, & ſanguinem effundere. Commendant in Polonis hanc conſuetudinem Matthias de Michovia Chronicorum Polonic. *lib.* 2. *cap.* 1. Alex. Guaguinus in Mieciſlao Rege, qui fidem Chriſti primus ſuſcepit anno 965. & eum morem introduxit, (Martinus Cromerus lib. 3. Hiſt. Polonicæ) & alii qui gentis illius hiſtoriam ſcripſerunt. Antiquitus cum Evangelium in ambone legebatur, erantque in templo pro viris, & mulieribus loca diſtincta, Diaconus vertebat ſe verſus meridiem ad partem ſcilicet virorum (5), at nunc vertitur ad Aquilonem, cujus mutationis (5)
cauſam, & originem ex Miſſis privatis proceſſiſſe, in quibus Sacerdos non in ambone, ſed in altari verſus Septentrionem legit Evangelium, ſic Micrologus explicat lib. de Eccl. obſervat. cap. 9. *Quod Presbyteri ad legendum Evangelium, non ſe ad meridiem vertunt, hoc ideo inolcviſſe credimus, quia nec ordo illi injunxit, ut in ambonem ad legendum ſicut Diacones aſcenderent, ubi neceſſario ad maſculos potius quam ad fœminas ſe vertere deberent. Nam juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diverſitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem, quam in aliam converti exigat. Nuſquam ibi fœminæ, ſed ſoli Religioſi ad dexteram, & ad ſiniſtram permittuntur ſtare. Ad ſiniſtrum vero cornu altaris habent librum cum legunt Evangelium, vel cum ſacrificant, ut in dextera parte ſint expeditiores ad ſuſcipiendas oblationes, ſive ad conficienda altaris ſacramenta. Unde ad aquilonem magis quam ad meridiem verſi videntur, cum annunciant Evangelium. Hinc itaque illa uſurpatio emerſiſſe videtur, ut etiam Diacones in ambone contra Romanum Ordinem ſe vertant ad aquilonem, potiuſque ſe ad partem fœminarum, quam maſculorum vertere non vereantur. Quæ uſurpatio jam adeo inolevit, ut apud pleroſque quaſi pro ordine teneatur. Sed quia certiſſime contra ordinem eſt, & inhoneſta, a diligentioribus Ordinis ſervatoribus merito refutatur* (6). Hinc apparet quam verum ſit, quod a no- (6)
bis in hoc tractatu ſæpius inculcatur, multa hodie pro lege haberi in his, quæ pertinent ad Eccleſiaſticas obſervationes, quæ ſenſim ex abuſu

irrepſe-

irrepſerunt; quorum originem cum recentiores ignorent, varias conantur congruentias, & myſticas rationes invenire, ut ea ſapienter inſtituta vulgo perſuadeant. Porro iſti ut ſcite Hieronymus de Origene dixit, ingenii ſui adinventiones faciunt Eccleſiæ Sacramenta (7). (7)

Epiſcopi etiā & Abbates baculos depoſuit dum Evangelium legitur.

(1) *Deponentes Baculos e manibus*) Cui ſubſcribit Joannes Abrincenſis Epiſcopus, poſtea Rothomagenſis in quadam Epiſtola, qui undecimo ſeculo ſcripſit: *In eadem hora* (inquit) *oportet Epiſcopos, & Abbates baculos de manibus deponere, in auditu verbi Domini, & ante Dominum devotos humiliter ſtare*. Baculi Evangelii tempore deponendi introducti fuere circa annum 800. eorumque uſus ſæculis 9. 10. 11. & 12. perduravit; quo tempore propter officiorum prolixitatem, quum fideles ſemper ſtare non poſſent, iis innitebantur. Eorum autem uſus in Occidente deſiit, quum introducta ſunt in Eccleſia ſcamna, ſedes, & ſedilia; hujuſmodi baculis utuntur etiamnum Romæ in Eccleſia Sanctorum Petri, & Marcellini Monachi Maronitæ. S. Joannes Chryſoſt. Homil. 63. aſſerit, quod Imperator Evangelii tempore diadema deponebat.

Item Imperator diadema.

(2) *Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput*) Vivebat Hildebertus ſæculo duodecimo, ex quo conjicitur hanc conſuetudinem baculos deponendi uſque ad ſua tempora viguiſſe.

(3) *Quæ in Evangelio promulgantur*) Id ex Cypriano perſpicitur Epiſt. 34. alias 39. ubi Lectores non tantum ſurrexiſſe lecturos, ſed omnem etiam Populum illos legentes circumſtetiſſe: dignoſcitur, item ex Auguſtini hom. 26. Oper. tom. 10. p. 174., ubi infirmioribus quibuſdam ſedendi indulget facultatem. Statutum hoc fuit lib. 2. Conſtit. Apoſtolic. cap. 61. *Cum legitur Evangelium, omnes Preſbyteri, Diaconi, & Laici aſſurgant cum magno ſilentio*.

(4) *Sacerdotes non ſederent*) Veram Anaſtaſiani decreti cauſam reddidiſſe mihi videntur Binius, atque Labbeus in notis ad Anaſtaſii vitam „Occaſio, inquiunt, hujus decreti ſanciendi hinc fluxiſſe videtur. Tempore Anaſtaſii Romæ inter Presbyteros, & Diaconos gravis contentio oborta fuit. Hi enim adminiſtrantes res Eccleſiæ, ſupercilio elati Presbyteros ſpernebant; Preſbyteri autem in eoſdem inſurrexere, atque ex conſuetudinis Romanæ Eccleſiæ præſcripto ipſis ſedentibus eos ſtare debere contendebant. Sed eo uſque contentio pertinax progreſſa eſt, ut etiam cum ſtantes Diaconi coram populo legerent Evangelium, Presbyteri tamen minime ſeſſione exſurgerent; Anaſtaſius itaque hoc factum merito deteſtatus hujuſmodi decreto emendandum eſſe putavit „ hactenus illi. Revera Anaſtaſii temporibus lites Presbyteros inter, & Diaconos Eccleſiæ Romanæ exortas fuiſſe colligitur ex Epiſtola 101. Hieronymi ad Evangelum, & ex Auctore Quæſtionum ad utrumque Teſtamentum in Appendice tom. 3. Op. S. Auguſtini, quorum uterque inſolentum Diaconorum audaciam ſe ſe ſupra Presbyteros extollentium gravi animadverſione perſtringit. Porro Evangelii lectionem ex veteri inſtituto ſtantes audiviſſe fideles pluribus probant Henricus Valeſius ad Philoſtorgii lib. 3. cap. 5. pag. 208. & Petrus Couſtantius tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. col. 738. Item Edm. Martene Comm. in Regulam S. P. Benedicti ad cap. 11. & nuper clar. Joſeph Catalanus Congr. Oratorii Preſb. in ſuo Tract. de Codice S. Evangelii. Narrat tamen Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 19. ſed tanquam novum, & inſolens, apud Alexandrinos Epiſcopum non aſſurgere, dum leguntur Evangelia: *Quod tamen*, inquit, *alibi nuſquam fieri, neque vidi, neque audivi*. De Armenis ſcribit Petrus Bellonius Obſerv. lib. 3. cap. 12. quod dum Presbyter legit Evangelium, *Aſſiſtentes invicem ſe dextra, ſiniſtraque deoſculantur*. Plura denique, & ſcitu digna circa Evangelicæ lectionis veterem, novumque ritum tam apud Orientales, quam Occidentales ſcribunt Fratres Macri in Hierolexico verbo *Evangelium*, quæ apud ipſos legi poſſunt, & eadem nos afferre non vacat.

Juſſum item Sacerdotibus ab Anaſtaſio Papa, ut nec ipſi ad Evangelii lectionem ſederent, ſed cum cæteris erecti ſtarent.

(5) *Ad partem ſcilicet virorum*) Hanc Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem commendat Auctor Dialogi inter Cluniacenſem, & Ciſtercienſem Monachos apud Edmundum Martene tom. V. Anecdotorum col. 1587., qui Cluniacenſibus vitio vertit, quod eorum Diaconus ad Orientem verſus legeret Evangelium contra Eccleſiæ Romanæ morem, & ipſorum Cluniacenſium conſuetudinem, qui in privatis Miſſis Evangelium ad Aquilonem verſi legebant. Idem Auctor Dialogi refert Auguſtini Epiſtolam, in qua ſtatuitur, *ut ad Aquilonem verſus legat Evangeliſta Evangelium, quia Prophetæ dictum eſt a Domino, prædica ad Aquilonem*. Aliam profert auctoritatem ex quodam libro Sacramentorum, in quo legitur: *Diaconus dum legit, ſiſtat verſus ad Aquilonem, quia frigidis in fide prædicatur Evangelium*: quæ ſi vera ſunt, antiquiſſimus erit mos legendi Evangelium ad Aquilonem, nec illius origo a privatis Miſſis repetenda erit, quod ſtatuit cum Micrologo Eminentiſſimus noſter. Verum probabile admodum eſt ſuppoſititiam eſſe illam Auguſtini Epiſtolam, cujus adjecto teſtimonio utitur Auctor illius Dialogi. Certe in editis Auguſtini Epiſtolis nihil ſimile reperitur. Fatendum tamen conſuetudinem legendi Evangelium ad Aquilonem ducentis, & amplius ante Micrologum annis in Gallia viguiſſe; etenim Remigius Antiſſiodorenſis, qui floruit anno 882. hujus ritus diſerte meminit in Expoſitione Miſſæ, ut infra dicetur Nota ſequenti. Cæterum res tanti momenti non eſt, & poterat Micrologus mitiori eos cenſura perſtringere, qui Evangelium ad ſeptentrionem converſi legebant, præſertim cum ipſius ævo non

Diaconus dum legit Evangelium vertit ſe ad Aquilonē.

omnes Eccleſiæ reſpicerent ad Orientem.

(6) *A diligentioribus ordinis ſervatoribus merito refutatur*) In Galliis poſt medium ſæculum 9. mos invaluit, ut Diaconus Evangelium lecturus, ſeptentrionem verſus reſpiceret, cujus rei rationem myſticam affert mox dictus Remigius Antiſſiodor. in Explic. Miſſæ his verbis: *Evangelium Levita pronunciaturus contra ſeptentrionem faciem vertit, ut oſtendat verbum Dei, & annunciationem Spiritus Sancti contra eum dirigi, qui ſemper Spiritui Sancto contrarius extitit*. Hoc autem ipſum addit doceri in Scriptura, quum Iſaias Propheta cap. 14. 13., ſic Dæmonem alloquitur: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer . . . . qui dicebas in corde tuo . . . . . ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis*? Pii igitur viri poſt annos circiter nongentos voluere, quod Diaconus Evangelium lecturus, ad ſiniſtram Eccleſiæ partem, quæ fere ſemper ſeptentrionalis eſt, ſe converteret, ut nempe oſtendatur per verbum Dei diſſipandas malas impreſſiones, Aquilonis flatus, ideſt Dæmonis, Jerem. 1. 14. *ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*. Viſitur in Eccleſia Aquiſgranenſi magnifica Cathedra ab Imperatore Sancto Henrico donata anno 1011., ex qua Diaconus legit Evangelium, eaque ſita eſt in dextera parte introitus Eccleſiæ; quæ antiquiſſimum eſt monumentum moris legendi Evangelium ſeptentrionem verſus.

Idque etiam ex antiquo more

(7) *Ingenii ſui adinventiones faciunt Eccleſiæ Sacramenta*) Lecto Evangelio extinguebantur lumina. Amalar. lib. 3. cap. 18. *Evangelio repoſito, poſt lectionem in loco ſuo Cerei extinguuntur, quia finita prædicatione Evangelii lex, & Prophetia ceſſabunt*. Joannes Abrincenſis Epiſc. *lecto Evangelio candelabra extinguuntur*. Rituale Montis Caſſini: *Finito Evangelio extinguendæ ſunt ipſæ duæ candelæ ab Acolythis*. Ratoldus: *Evangelio lecto candelabra extinguantur*. Immolatione enim veri Agni typici ceſſavit immolatio, & cætera, quæ per candelabra deſignantur; in Miſſis pro Defunctis ad Evangelii lectionem non afferuntur lumina, neque oſculamur librum, quia in illis omnia ſolemnitatis, & lætitiæ ſigna omittuntur.

§. IV.

Lecto Evangelio ab omnibus reſponſum Amen, etiam in Miſſa Mozarabum, & idem oſculandum traditum. Libro Evangeliorum habitus honor in Eccleſia, in Synodis, publice, & privatim.

Lecto Evangelio fideles olim dixiſſe *Amen* Beleth in Explicatione divinorum officiorum *cap.* 39. & Durandus *lib.* 4. *cap.* 24. teſtes ſunt, quod etiam in Miſſa Mozarabum, & in Regula S. Benedicti *cap.* 11. præſcribitur. Alenſis item 4. P. Summæ in tract. de offic. Miſſæ, *perlecto*, inquit, *Evangelio dicunt aſſiſtentes* Amen, *quaſi dicant: Faciat nos Deus perſeverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt*: Deo gratias, *in gratiarum actionem pro beneficio tantæ doctrinæ & tam ſalutaris*. Nunc dicimus: *Laus tibi Chriſte*. Addit Alcuinus ex Ordine Romano populum ſe ſigno Crucis munire tunc conſueviſſe, ut quod ex divinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo Crucis, atque munitum permaneat. Tandem ipſum Evangelium tam Celebrans, quam Diaconus oſculantur
[1], quod olim univerſo Clero, omnique populo ad oſculandum circumferri, & porrigi a Subdiacono ſolebat (2) in ſignum venerationis, & communionis cum Domino Jeſu Chriſto, & doctrina ejus, ut Jonas Aurelianenſis egregie docet in Præf. lib. 2. de cultu Imaginum adverſus Claudium Taurinenſem: *Sacræ*, inquit, *religionis uſus in ſancta Eccleſia adhuc ſervatur, ſi tamen apud te, ut perlecta S. Evangelii lectione, ab Epiſcopo, vel Presbytero, cæteriſque ſacri ordinis religioſis codex, in quo Evangelii lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. Sed hoc cujus cauſa, niſi illius cujus eſſe verba creduntur, agimus*? Liber enim Evangeliorum typum gerit Chriſti in eo loquentis, qua de cauſa idem liber in Conciliis honorifico apparatu in throno collocatur. Cyrillus Alexandrinus in Apologia ad Theodoſium, id ſervatum ſcribit in Synodo Epheſina: *ſancta Synodus*, ait, *in ſancta Eccleſia, quæ Maria dicitur, congregata, Chriſtum veluti caput conſtituit. Venerandum enim Evangelium in ſancto throno collocatum erat, illud tantum non ſanctorum Sacerdotum au-*

(1) (2)

Olim lecto Evangelio, ipſum univerſo Clero, & populo deoſculandum porrigebatur.

ribus

ribus inſinuans, juſtum judicium judicate. Idem in actis aliorum Conciliorum apparet. Hinc etiam mos receptus tactis Evangeliis jurandi, ac ſi Deus in iis præſens agnoſcatur. Hinc Evangelia collo item appenſa legimus tamquam (phylacteria, &) amuleta (3), quod de parte aliqua Evan- (3) gelii intelligendum eſt; & in Synodo octava c. 3. idem honor ſacris imaginibus decernitur, qui ſanctis Evangeliis exhibetur: *Sacram*, ait, *imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti æquo honore cum libro ſanctorum Evangeliorum adorari decernimus*. Id vero ſancitum fuit adverſus quorumdam Galliæ Epiſcoporum errorem, qui ſacrum quidem Evangeliorum Codicem, & ſignum S. Crucis honorari debere docebant, imagines non item. (4). (4)

In oſculo Evangelii nonnullæ olim orationes dictæ.

(1) *Tam Celebrans, quam Diaconus oſculantur*) In Miſſa Tilliana Sacerdos oſculans Evangeliorum librum, dicit: *Per iſtos ſermones ſancti Evangelii filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti indulgeat Dominus peccata noſtra*. Pariſiis, & in pluribus aliis antiquis Eccleſiis Subdiaconus præcedente Thuriferario Evangeliorum Codicem oſculandum defert ad Clerum, dicens unicuique: *Hæc ſunt verba ſancta*, & reſpondet quoque *Credo, & Confiteor*. Qui ritus vetuſtiſſimus refertur in primo Ordine Romano. Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis Evangeliorum librum oſculandum ſcribit apertum Celebranti, Clero autem clauſum eſſe præbendum: *Hæc Eccleſiæ conſuetudo, ut textus Pontifici apertus, cæteris autem clauſus, ad oſculandum offeratur*.

Ordo Romanus præfatus, & vetus Expoſitio Miſſæ ex antiquo Codice apud Hittorpium Evangelii publicæ deoſculationis ritum deſcribit his verbis: *Deſcendente Diacono de ambone, Subdiaconus, qui in filo ſtat, recipit Evangelium, quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam, porrigit oſculandum primum Epiſcopo, aut Presbytero, deinde omnibus per ordinem graduum, qui ſteterint, & univerſo Clero, necnon populo.* Idem teſtantur Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 2. de Officiis cap. 1. & Honorius in Gemma Animæ cap. 19. Verum quamvis cum Clero & Populus olim ad Evangelii oſculum admitteretur, tamen Honorius III. Papa literis ad Matthæum Patriarcham Conſtantinopolitanum lib. 5. Epiſt. 439. relatis ab Odorico Raynaldo ad ann. 1221. num. 28. ſub pœna excommunicationis vetuit unicuique ſæculari Principi Evangelium oſculandum in Miſſa præberi. Hinc cum quidam Poloniæ Epiſcopi Reginam, nondum ſacro ritu regia corona donatam, ad Evangelii oſculum admittere recuſarent, Paulus III. Pontifex Maximus ad Regis preces indulſit, ut eidem Reginæ ejus Conjugi inter Miſſarum ſolemnia Evangelii liber, & patena deoſculanda porrigerentur, quamvis ipſa Regina nondum eſſet regio diademate coronata. Ita Odoricus præfatus ad an. 1549. num. 6. Cæremoniale Epiſcoporum juxta dicti Honorii III. Papæ decretum præſcribit, quod *Liber Evangelii celebrante Epiſcopo nulli etiam magno Principi, aut Prælato Miſſæ præſenti, poſt lectum Evangelium oſculandus detur*: nihilominus expoſt ſacræ Congregationis Rituum decreto anni 1611. ſtatuitur: *Quod Evangeliorum liber non niſi Clero, Principibus, & Magnatibus ad oſculandum, offerendus eſt, idque præſtandum ab alio, quam qui Celebranti miniſtrat*: de quo vide Meratum a nobis toties laudatum parte 11. tit. 6. num. 10. p. 445. edit. Venetæ.

Evangelii oſculum, etſi olim populo conceſſum, poſtea tamen ademptum, & viris tantum Principibus, ac Magiſtratibus indultũ.

(2) *Et porrigi a Subdiacono ſolebat*) Obſervat tamen Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis Epiſt. 15. ad Honorium Papam, quæ extat tom. 4. Spicilegii Dacheriani pag. 257., quod ſoli Celebranti textus Evangelii apertus, reliquis vero clauſus porrigeretur. Et ex eo quoque traxit hanc Eccleſia conſuetudinem, ut *textus quidem Pontifici apertus, cæteris autem clauſus ad oſculandum deferatur*. Ordinarium MSS. inſignis Eccleſiæ Bajocenſis ejuſdem conſuetudinis meminit: *nota quod* (Evangelii volumen) *datur ad oſculandum Sacerdotibus apertum, cæteris vero clauſum*; antiquum Rituale MSS. Eccleſiæ Sveſſionenſis ita præſcribit „ referat Subdiaconus Evange„ lium uſque ad Sacerdotem cum lumine, „ & incenſo, qui de libro aperto oſculum „ pacis accipiens, dicat: *Ave ſanctum Evan„ gelium, ſalus, & conſolatio animarum no„ ſtrarum*; & exinde cum incenſo ferat Sub„ diaconus Evangelium clauſum in choro, „ Succentori, & cæteris in ordine cum oſ„ culo pacis ad oſculandum „. Hunc ritum adhuc religioſe ſervari a Turonenſi, aliiſque Gallicanis Eccleſiis tradit Martene de antiq. Eccl. Rit. cap. 4. art. 5. num. 6. Antiquitus etiam communis non erat hic uſus apud omnes Eccleſias: etenim Rupertus Abbas lib. 2. de div. offic. cap. 1. ait Evangelii librum omnibus apertum ad oſculandum exhibitum fuiſſe his verbis de Subdiacono loquens: *apertum circumfert Evangelii librum, & omnibus religioſo oſculo ſalutandum, quem ad introitum portaverat clauſum*. Id etiam ſtatuitur in MSS. Ordinario Montis Caſſini XI. ſeculi, ubi ſic legitur: *Ipſe* (Subdiaconus) *ante pectus ferens Evangelium, præbeat illud oſculandum Sacerdoti apertum, deinde clauſum cæteris in choro juxta conſuetudinem*.

Evangelii codex Celebranti apertus, cæteris vero clauſus ad oſculandum datus.

(3) *Hinc Evangelia collo item appenſa legimus tamquam ..... amuleta.*) Chryſoſtomus Homil. 19. ad Populum Antiochenum: *Non cernis, ut mulieres, & parvi pueri pro magna cuſtodia Evangelia collo ſuſpendunt?* Idem Homil. 73. in Matth. *Sicut multæ mulierum modo faciunt, Evangelia collo appendentes*. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 150. *Phylacteria .... perexigui quidam libelli erant legem continentes, quos quidem Judæorum*

Amuleta, ſeu Phylacteria quid.

rum Magiſtri geſtabant, quemadmodum etiam nunc fœminæ parva Evangelia. Hac etiam voce *Phylaſterium* uſus eſt Gregorius Magnus ad Evangelia ſignificanda, quæ geſtabantur in pectore, collo appenſa tamquam Legis Divinæ, & Chriſti Paſſionis memoriæ conſervatoria. Ita Sanctus Pontifex ſcribit lib. 12. Epiſt. 7. *Excellentiſſimo filio noſtro Adulovvaldo Regi tranſmittere Phylaſteria curavimus, ideſt Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & Lectionem S. Evangelii theca Perſica incluſam*. Loquitur de quinto Longobardorum Rege, qui a plerisque Adaloaldus dicitur, Reginæ Theodolindæ filio. Sed & nonnulli apud Syros Epiſcopi loco Crucis Evangelium in pectore e collo ſuſpenſum geſtabant; Sic de Abrahamo cognomento Magno Neſtorianis dicto, eorumque Patriarcha tradit Thomas Margenſis in ſua Hiſtoria Monaſtica apud Aſſemanum Biblioth. Orient. Tom. 3. Par. 1. pag. 493. *De eo mihi* (ſcilicet de antiquo Crucis pectoralis deferendæ more) *Beatus Mar-Abrahamus Catholicus referebat quod vice Crucis, quam e collo pendentem geſtare mos eſt, integrum Evangeliorum textum exiguo Codice deſcriptum ad pectus ſuſpenſum gerebat*. Ita & apud Hæreticos ſeculo vertente ſeptimo uſitatum. Ut quid autem circa poſteriora tempora verſamur? Et a primis Eccleſiæ ſeculis hanc piam, religioſamque conſuetudinem a Chriſtifidelibus adoptatam fuiſſe conſpicimus, quam ex Apoſtolica traditione manare ſcribit S. Hieronymus in Matth. lib. 4. legimus quippe Sanctam Virginem, & Martyrem Cæciliam Evangelicum codicem ſemper in ſinu abſconditum geſtaſſe: In Actis quoque S. Barnabæ Apoſtoli ab Alexandro Monacho conſcriptis apud Metaphraſtem, & Surium Tom. 3. ad diem 11. Junii, ejus corpus cum Evangelio S. Matthæi manu ſua ſcripto ſupra pectus impoſito, detecto ipſius monumento repertum fuiſſe narratur, quod vivens, ſi vera tradit Sigebertus in Chron. ad ann. 489. ſecum ferre ſemper ſolebat. Porro de hujuſmodi antiquo, ac laudabili more olim pie obſervato videndi Macri fratres in Hierolex. verbo *Evangelium*, & Ant. Boſius in Notis ad Acta S. Cæciliæ apud Laderchium Tom. 1. pag. 45. aliique.

(4) *Imagines non item*.) Laz. Andreas Bocquillotius lib. 1. cap. 10. Tract. Hiſtor. Liturg., & Miſſ. quanto in honore eſſet Evangeliorum liber arguit ex ornamentis, quibus ille includebatur. Ambroſius Epiſtola 4. primæ claſſis. *Ibi Arca Teſtamenti undique auro tecta, ideſt, Doctrina Chriſti*. Inter divitias, quas ex Hiſpanicis in Gallicas Eccleſias tranſtulit Rex Childebertus, Greg. Turonenſis Hiſt. Franc. *viginti Evangeliorum capſas* (enumerat) *ex auro puro, ac gemmis pretioſis ornatas*: Et Leo Oſtienſis de Papa Victore III. loquens, Lib. 3. Chron. Caſſin. cap. 20., & 74. hunc Pontificem aſſerit Eccleſiæ Montis Caſſini, cujus Abbas fuerat, plura ornamenta dediſſe, inter quæ Libros Evangeliorum, *cum Tabulis aureis, & argenteis*, &c. Has autem Capſas in aliquibus Galliæ Eccleſiis Cathedralibus etiamnum in uſu eſſe teſtatur idem Bocquillot. Porro de Proceſſione, quæ antiquitus ad Evangelium cantandum fiebat, & de uſu Crucis, ac pulvinaris, Cereorum, thuris, & cæterorum ad prædictam ſolemnem Evangelii lectionem adhibitorum, fuſe, atque erudite diſſerunt Antonius Bellotte in ſuis Obſerv. ad Ritus Eccl. Laudun. pag. 421. Jacobus Eveillon. de Proceſſ. Eccl. cap. 6. & recenter Joſeph Catalanus de Codice S. Evangelii lib. 2. cap. 13. qui a piæ hujus curioſitatis ſtudioſis evolvi poterunt.

Evangeliorum Codices olim pretioſiſſime ornati.

Sacer Evangeliorum Codex olim in publicis Proceſſionibus delatus.

Cæterum quidem mos erat olim ſacrum Evangeliorum Librum in publicis Proceſſionibus deferre, & præſertim in ea, quæ fit in Dominica Palmarum; Tunc enim ſuper humeros bajulabant Diacones ornatam machinam, in qua deferebatur Evangelicus Codex, qui Chriſtum triumphantem denotabat, uti tradit vulgatus Alcuinus de Divinis Offic. cap. 24. Romæ ad præſens Papa Pontificaliter, & cum omni ſolemnitate celebrans, dum ex Throno proceſſionaliter ad Altare pro incipienda Miſſa dirigitur; Subdiaconus Latinus Evangelium argento contectum ante pectus defert, quod etiam fit dum celebrat Epiſcopus, juxta Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 10. Græci porro nedum dictum librum ferunt quando Sacerdos ad Altare accedit, ſed in quacunque Proceſſione, & qui illum deferre ſolebat *Præfectus Evangelii* appellabatur, atque in ſolemnitatibus præcipuis hoc ad Archidiaconum Patriarchalem ſpectabat, qui etiam *Evangelii Doctor* dicebatur. Vide Codinum de Off. Magnæ Eccl. cap. 10. & Gretzeri ad ipſum Obſerv., itemque Goarium in Notis ad Euchol. Græc. In aliis pariter Eccleſiis Occidentalibus nonnullis, ex quibus in Eccleſia Andegavenſi ſemper quando fit ſolemnis Proceſſio, defertur cum Cruce Evangeliorum Liber, illa nempe uti ductrix, & hic tanquam lumen. Hinc etiam laudabilis viguit conſuetudo dum Synodi haberentur Eccleſiaſticæ, in primario, ac venerabiliori conſeſſus loco thronum erigendi, quo dictus Sacer Codex reponeretur, pro cujus obſequio inquit Chryſoſtomus Hom. 7. ad Populum Antioch. *Evangelium dum capere oporteat, manibus lotis, & cum multa reverentia, ac Religione tremens, timenſque ſumis*. Reliqua de ſumma veneratione ſacro Evangelii Codici debita vide apud ſupra mox laudatos Scriptores.

§. V.

§. V.

Ritus, quo Maronitæ legunt Evangelium.

NOn eſt omittendus hoc loco ritus, quo Maronitæ legunt Evangelium. Ante ipſius lectionem ponitur incenſum in thuribulo, cum quibuſdam orationibus: tum dicit Sacerdos, *Pax omnibus vobis*: Reſpondet populus. *Et cum ſpiritu tuo*, Miniſter ait, *Eſtote in attentione*. Subdit Sacerdos, *In tempore gubernationis Domini noſtri & Dei noſtri, ac Salvatoris Jeſu Chriſti, dixit Diſcipulis ſuis & turbis*. Populus, *Pater noſter benedic.* Sacerdos vertens ſe ad populum ſignat eum ſigno Crucis & dicit: *Dextera Domini noſtri Jeſu Chriſti & brachium excelſum fortitudinis ejus, ac virtus abſcondita majeſtatis ejus, illa quæ continet omnes benedictiones ac omnia dona vitæ, illa quæ requievit ſuper Apoſtolos ſanctos in Cœnaculo ſancto Sion & ſanctificavit eos; & in monte Olivarum, ac benedixit eos; ipſa veniat, habitet, & requieſcat ſuper fratres meos lectores atque auditores, & cuſtodiat eos; & cuſtodiat locum hunc & habitatores ejus fideles in omni tempore & in omni momento in ſecula*. Populus, *Amen.* Sacerdos, *in tempore itaque gubernationis Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri Verbi Dei, quod Incarnatum eſt pro nobis, hæc ſic facta ſunt*. Populus, *Domine noſter miſerere noſtri*. Poſt hæc Sacerdos legit Evangelium, & in fine oſculatur librum dicens: *Et pax, ſive ſecuritas omnibus nobis*. Populus, *Amen*. Tandem Sacerdos ait: *Ipſi Jeſu Chriſto ſint laudes, & gratiarum actiones, & benedictiones propter verba ſua viva, quæ ſunt erga nos, & Patri ejus, qui miſit eum propter ſalutem noſtram, & ſpiritui ejus vivo & ſancto nunc, & in ſecula. Amen*.

§. VI.

Vetus quidam Monachorum mos.

NOtat Rupertus *lib.* 1. *de Div. Offic. cap. ult.* Evangelium eſſe principale omnium, quæ dicuntur in Miſſa, cui cætera omni intellectuali ratione conſentiunt. Idem aſſerit Petrus Cirvelus in proœmio Expoſitionis libri Miſſalis, ubi ait Evangelium inter cæteras partes Miſſalis Officii eſſe veluti baſim & fundamentum veræ & rectæ intelligentiæ omnium aliarum auctoritatum tam novi, quam veteris Teſtamenti, quæ in eodem Officio adducuntur; ad quas talem habet Analogiam, qualem ſubjectum ad totam ſcientiam, & centrum ad lineas. Difficile tamen eſt hanc convenientiam in ſingulis reperire, niſi violentæ quædam & myſticæ explicationes adhibeantur, quæ ut plurimum voluntariæ ſunt, adeo ut ex illis ſolida ratio haberi non poſſit, aſſerente Dionyſio Theologiam ſymbolicam non eſſe argumentativam. Accedit quod firmo manente reliquo officio ſæpe in aliquot Miſſis Evangelia mutata ſunt: neque una eſt cauſa propter quam hoc potius Evangelium, quam illud in tali Miſſa recitetur. Ut enim obſervat Beleth *cap.* 39. aliquando legitur ſecundum hiſtoriam, ut in die Reſurrectionis: aliquando ſecundum allegoriam, ut in feſto Aſſumptionis B. Mariæ: aliquando propter aliquam partem, ut in feſto S. Crucis ponitur Evangelium de Nicodemo ob extremam particulam, *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis*: aliquando ſecundum totum, ut in die Circumciſionis.

Cur tantum potius, quam aliud Evangelium in Miſſa legatur.

Ritu

Ritu monaſtico immediate poſt Evangelium fiunt ſolemnes Monachorum Profeſſiones modo in eorum Ritualibus expreſſo. Verum hic mos non ubique viget, nam in aliquot Congregationibus fieri ſolent poſt Offertorium. Olim quoque poſt Evangelium pueri a parentibus Monaſterio offerebantur involuta manu pueri in palla Altaris, ut S. Benedictus decernit in Regula *cap.* 66. Puer autem panem & vinum pro uſu Sacrificii offerebat, quem ritum erudite & diffuſe explicat Menardus ad idem *cap.* 66. Concordiæ Regularum, ubi etiam oſtendit, quod pueri ſic oblati, tametſi ad intelligibilem ætatem nondum perveniſſent, tenebantur in Monaſterio permanere, vota ſervare, nec poterant poſt annos pubertatis parentum promiſſionem irritare, & ad ſeculum redire. Aequali enim vinculo Monaſterio obſtricti cenſebantur tam qui proprio arbitrio & voluntate profitebantur, quam qui parentum devotione offerebantur: idque ſancitum fuit Can. 48. Concilii 4. Toletani his verbis. *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit: quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſeculum interdicimus regreſſus.* Scio multa his opponi a recentioribus, qui ex moribus hodie uſitatis veterem diſciplinam æſtimant: at mihi propoſitum eſt a Scholaſticis concertationibus abſtinere (& quid olim fieret, ſimpliciter enarrare); neque ad hunc locum hujus rei explicatio pertinet. Certum eſt pueros etiam quinquennes & ſeptennes olim hoc modo Deo in Religione dicatos, qui mos adhuc vigebat tempore S. Bernardi, ſed paulo poſt a Celeſtino III. ſublatus fuit, cujus de hac re Decretum refertur *cap. Cum ſimus*, de Regularibus (1). Diffuſe de hac puerorum oblatione agit Lupus 3. parte Syno- (1)
dorum in notis ad ſecundum Decretum Leonis IX.

(1) *Diffuſe de hac puerorum oblatione &c.*) Poſt Menardum, Haeftenum, & Lupum doctiſſimos viros, de memorata puerorum oblatione, ſive propria, ſive ex parentum devotione facta, item luculenter agit Clar. Mabillonius Præf. in ſec. IV. Bened. num. 53. & ſeqq. ubi Cardinalis noſtri ſententiam ubertim confirmat, atque nonnullis antiquorum documentis probat tam petitionem ac profeſſionem Monaſticam adultorum, quam parvulorum oblationem, ut ſupra peractam, ita firmam, ac ſtabilem deinceps & olim fuiſſe, ut ab ea umquam recedere non licuiſſet. Et ſane veterrima hujuſce oblationis exempla bene multa ſuppetunt in ſcriptis, atque editis libris, quæ recenſere hoc loci ſupervacaneum eſt, cum id eximie oſtenderint Rabanus Maurus libello ſingulari adverſus quoſdam huic Monachalis regulæ præſcripto contradicentes compoſito, quem laudatus Mabillonius edidit Annal. Crd. S. Ben. tom. 2. pag. 726. ac S. Petrus Damiani Opuſc. 15. qua de re itidem Mabillonius egit tom. 2. Analect. pag. 530. Atque ut ex his oblationum exemplis nonnulla indicem, unum extat in præclara Capitularium Regum Franc. editione, quam poſt Sirmondum vir de republica litteraria optime meritus Steph. Baluzius mirifice locupletatam exornavit. Aliud habemus in Chronico Novalicienſi inter Scriptores Francicos Ducheſnii tom. 2. pag. 223., & tom. 3. pag. 635., ubi Amblulfi pueri oblatio conceptis promiſſionis verbis exprimitur; alia item in notis Lucæ Dacherii ad Lanfrancum, quæ oblationum, ſeu profeſſionum Monaſticarum formulæ paſſim uſitatæ erant ſeculo nono. In his porro, quæ iiſdem omnino verbis ubique conſtant, parentes filii oblati nomine ſancte jurant ſe ita filium ſuum Deo tradere., *ut ab hac die non liceat illi collum de ſub jugo Regulæ excutere*. Quod & ſponte ſua confirmabant, approbabantque filii, cum ad intelligibilem ætatem perveniſſent, ex Synodi Aquiſgranenſis decreto Can. 36. Sed amplius in re perſpicua divagari non vacat. Legantur antiqui Regulæ Benedictinæ Commentatores Hildemarus, & Smaragdus, qui prædicta abunde demonſtrant.

§. VII.

Sermones, Homiliæ, & Monitiones ad Populum poſt Evangelium. Quædam de ſolemni Pœnitentium abſolutione.

Munus concionandi in Eccleſia poſt Evangelium Epiſcoporum proprium, & ab initio ad noſtra uſque tempora obſervatum.

HOnorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 25.: *Deinde*, inquit, nimirum poſt Evangelium, de quo egit capite antecedenti, *Epiſcopus ſermonem ad Populum facit* (1). Hic mos nunquam interrupta ſerie ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtra tempora ſervatus eſt, ut proxime poſt (1)
Evangelium ſermo, ſive Homilia, vel Tractatus ad Populum haberetur. Huc reſpexit proculdubio Tertullianus jam in hæreſim lapſus *lib. de Anima cap.* 9. ubi Priſcillæ Montani ſociæ revelationes commendans, quas in Eccleſia inter Dominica ſolemnia diabolico ſpiritu decepta per ecſtaſim habebat: *Jam vero*, ait, *pro ut ſcripturæ leguntur, aut pſalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ viſionibus ſubminiſtrantur, (forte quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet)*. Hæc ille Miſſam Cathecumenorum accurate deſcribens, cantum ſcilicet Pſalmorum, orationes, lectiones, & adlocutiones, ſive homilias. Idem confirmat Juſtinus martyr *Apolog.* 2. conventum Chriſtianorum die ſolis enarrans, in quo commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum legebantur. *Deinde*, inquit, *Lectore quieſcente Præſidens* (orationem, ſive) *ſermonem habet, quo Populum inſtruit, & ad imitationem tam pulcbrarum rerum cohortatur*. Auctor item Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib.* 8. *cap.* 4. præcipit Epiſcopo, ut poſt lectionem Legis, & Prophetarum, atque Evangelii Populum alloquatur ſermonibus exhortatoriis. Ejuſdem ritus teſtimonia frequentiſſima ſunt apud Origenem, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gaudentium, Cryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, Chryſologum, Leonem (2), Gregorium Magnum, & alios, quorum ſermones habemus. (2)
Extant etiam in Conciliis ſanctiones multæ huc ſpectantes, & Caſſianus idem aſtruit jucunda narratione *lib.* 11. *Inſtit. cap.* 15. Quicquid autem pertinet ad hoc argumentum, ſumma eruditione tractavit Ambroſiani Collegii Doctor Ferrarius libris duobus de ritu ſacrarum concionum. Hebræos, e quorum fontibus non pauci e noſtris ritibus emanarunt, poſt Legis & Prophetarum lectionem loqui ad Populum in Synagogis conſueviſſe, Lucas teſtatur tum Evangelii *cap.* 4. narrans Jeſum ſecundum conſuetudinem intraſſe die Sabbati in Synagogam & legiſſe Iſaiam Prophetam, & cum plicuiſſet librum ſermonem habuiſſe: tum Actuum *cap.* 13. de Paulo & Barnaba referens, poſt lectionem a principibus Synogogæ invitatos fuiſſe, ut ſermonem exhortationis ad plebem facerent. Conſonat Philo lib. *Quod omnis probus ſit liber*, dicens: *Quoties ſacras ædes, quas Synagogas vocant, adeunt pro ætatis ordine, juniores ad ſeniorum pedes conſidunt, & ad audiendum ſe componunt. Ibi alius ex libro prælegit, alius quiſpiam e peritioribus accedens, quæ obſcura ſunt, explicat*. Porro munus prædicandi proprie & præcipue ad Epiſcopos pertinere tum uſus veteris Eccleſiæ, & omnium Sanctorum Epiſcoporum exemplum; tum ipſa docet Epiſcopalis conſecratio, in qua dicitur, *Accipe Evangelium, vade, prædica Populo tibi commiſſo*. Ideo Paulus ad Timotheum ſcribens (Epiſt. 1. cap. 4.), ipſum terribili adjuratione obteſtatur per Deum, & Jeſum Chriſtum, ejuſque Adventum & Regnum, ut inſtanter prædicet, moneat, increpet in omni patientia & doctrina. Et de ſeipſo ad Corinthios *Epiſt.* 1. *cap.* 9. ait, *ſi evangelizavero,*

zavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit; væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. Teneri autem per ſeipſos hoc officium exercere Synodus Tridentina edixit antiquos Canones ſecuta, niſi fuerint legitime impediti. Quam obligationem ab omnibus Epiſcopis, qui doctrina & ſanctitate floruerunt, agnitam fuiſſe evidens eſt; ſemper enim lecto Evangelio in ſuggeſtum ipſi aſcendentes verbum ſalutis populo prædicarunt [3]. Multa in hanc rem congerit Chriſtianus Lupus (3)
in notis ad Canonem XIX. Concilii Trullani: mihi ſatis eſt hoc obiter tetigiſſe. Concilium Aurelianenſe apud Ivonem P. 2. Decreti cap. 120. decrevit, *ut in diebus Dominicis, vel feſtis poſt ſermonem intra Miſſarum ſolemnia habitum, plebem Sacerdos commoneat, ut juxta Apoſtolicam inſtitutionem omnes in commune pro diverſis neceſſitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege, & Epiſcopis, & Rectoribus Eccleſiarum, pro pace, pro peſte, pro infirmis, qui in ipſa Parochia lecto decumbunt, pro nuper Defunctis, in quibus ſingulatim precibus plebs orationem Dominicam ſub ſilentio dicat. Sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per ſingulas admonitiones ſolemniter expleat. Poſt hæc ſacra celebretur Oblatio*.

Ad hoc autem officium Epiſcopos teneri per ſe ipſos, niſi fuerint legitime impediti, demonſtratur.

Proprium etiam Parochorum onus in ſuis reſpectivæ Eccleſiis eſſe colligitur.

Idem generaliter præcipitur in Capitulari Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 165. & 166. Hanc vero functionem Galli *Pronum*, ſive Præconium vocant, cujus quatuor ſunt munia. Nam primo verſi ad populum Sacerdotes animarum curæ præpoſiti indicunt preces: ſecundo docent ipſum populum rudimenta fidei, Deique præcepta & Eccleſiæ, ſicut conſtituit Catechiſmus Romanus: tertio admonent quæ feſta, quæ vigiliæ, quæ proceſſiones ea hebdomada occurrant: quarto promulgant edicta, excommunicationes: futura matrimonia, & quicquid demum ad populi notitiam pervenire oportet [4]. Olim hæc omnia fieri ſolebant ante communionem, (4)
poſtquam Sacerdos dixerat, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ut ſuo loco indicabimus. Hincmarus Remenſis *Epiſt.* 7. *tom.* 2. mandat Presbyteris ſuis, ut excommunicationem adverſus quoſdam deprædatores non poſt Evangelium, ſicut mos erat, populo denuntiarent, ſed ſtatim poſt Epiſtolam; quia nonnulli ejus criminis rei lecto Evangelio protinus ab Eccleſia recedebant. Item poſt Evangelium in pleriſque Eccleſiis publici Pœnitentes abſolvi & reconciliari ſolebant, ut oſtendit Morinus *lib* 8. *de Pœnit. cap.* 14. At vero in aliis hanc abſolutionem impendebant Sacerdotes poſt conſecrationem, antequam Oratio Dominica recitaretur, cujus rei teſtis eſt lib. 2. Optatus Milevitanus dicens; *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad Altare converſi Dominicam Orationem prætermittere non poteſtis*. Alia quædam *de Pœnitentium* abſolutione Lib. I. in fine Capitis XVII. allata ſunt. (5). (5)

(1) *Epiſcopus Sermonem ad Populum facit.*) Concionandi munus jam inde a naſcentis Eccleſiæ temporibus, poſt Apoſtolos, qui, ut habetur pleriſque locis in Evangelio, ad id potiſſimum vocati fuere, & electi, ut *euntes in mundum univerſum prædicarent Evangelium omni creaturæ*, Epiſcoporum, qui illorum Succeſſores ſunt, præcipuum, & proprium eſſe nemo antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus ignorare poteſt. Nihil hic neceſſe, ubi res pene ex toto manifeſta tractatur, cur ſingulos hujus veritatis teſtes proferam. Quare ſufficiat digitos ad fontes, ut fieri ſolet, intendere. Id Concilia bene multa vetera, ac nova definiunt, inter quæ Arelatenſe I. Can. 10. Carthaginenſe IV. Can. 2. & 20. Turonenſe III. Can. 4. Toletanum II. Can. 2. Cabilonenſe II. Can. 1. 2. & 14. Trullanum Can. 19. Nicænum II. Can. 2. Rhemenſe Can. 14. Moguntinum I. Can. 25. Lateranenſe ſub Innocentio III. Can. 10. & ſub Leone X. Seſſ. 1. ac denique Tridentinum Seſſ. 5. Can. 2. & Seſſ. 24. Can. 4. Comprobant idem quamplura SS. PP. teſtimonia, ex quibus hæc ſelecta tantum, & illuſtriora indicabo; Ambroſii lib. Offic. cap. 1. Hieronymi Epiſt. ad Fabiolam num. 128. Chryſoſtomi Hom. 7. 15. & in 1. ad Timoth. Auguſtini lib. ad Paſtores, Hom. 28. libri 50. Homil. de Temp. & in Serm. de Sanctis pleriſque locis; Fulgentii lib. 2. de Veritate Prædeſtinationis, Cæſarii Arelatenſis Hom.

Hom. 27. ac demum Gregorii Magni in Præfat. Lib. 3. Paſtoralis, aliiſque locis bene multis; Quibus omnibus, ut reliquos taceam, Mellifluum Eccleſiæ Doctorem, & Patrem noſtrum Claræ vallenſem Abbatem Bernardum adjungam, qui Epiſt. 341. ad Malachiam Archiepiſcopum, ſeu Hiberniæ Primatem, alias 315. ſic effatur: *Sanctitatem veſtram rogamus, ut verbum Domini prædicetis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. Duplex enim vobis incumbit neceſſitas, & ex officio legationis, & Epiſcopali negotio*, &c. Quare ex his quidem concionandi munus Epiſcoporum maxime proprium eſſe planiſſime conſtat; quin & eiſdem Eccleſiarum Prælatis magnum imminere periculum, ſi dictum prædicandi officium exercere neglexerint late probat Bernardinus Ferrarius ſupra a Cardinali noſtro laudatus lib. 2. cap. 2. de Ritu Sac. Eccl. vet. concionum; quod tamen vel per ſe ipſos, vel per alios fieri debere intelligendum eſt. Porro de hoc eodem argumento præclare ſcripſit poſt Ferrarium, alioſque nuperus illuſtris Author Joannes Bapt. Braſchius Sarſinæ Epiſcopus peculiari Opere, quod, ni fallor, inſcripſit *Epiſcopus prædicans* &c. Sed de hac re iterum infra.

Non autem exprimi omittendus eſt Ritus ille, cujus meminit Pontificale Romanum ſub Leone X. editum Indulgentias concedendi, & ſolemnem Populo Benedictionem impertiendi finita concione. Præſcribit itaque Pontificale ſub dicto Papa vulgatum, ut qui ſermonem facturus eſt, antequam conſcendat Pulpitum, a Pontifice, petat *quantum indulgentiarum debeat Populo annunciare*; tum addit: *finita prædicatione expectat in Pulpito, prædicatur, & Pontifex cum Mitra, & omnes alii ſurgunt*. Diaconus vero ſtans inclinato capite ante Pontificem cum Mitra ſtantem, dicit: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* tum Prædicator ſtans in Pulpito prædicto annunciat Indulgentiam Populo dicens: *Rmus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus N. dat, & concedit omnibus hic præſentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta, orate Deum pro felici ſtatu ſanctæ Matris Eccleſiæ*. Deinde redit ad locum ſuum, & ſi Pontifex Archiepiſcopus, vel alius, Cruce uti poſſit, Cappellanus, cujus eſt officium, portat crucem, & ſpatio congruenti ante, & verſus Pontificem genuflexus, crucem ipſam tenet, & Pontifex depoſita ſibi Mitra, etiam ſi cruce non utatur, ſtans verſus ad Populum, dicit in tono orationis: *Precibus, & meritis B. Mariæ ſemper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat ad vitam æternam.* ℟. *Amen. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Deus.* ℟. *Amen.* Deinde benedicens Populo more conſueto dicit: *Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.* Et Cappellanus Crucem ad ſuum locum reportat, & Pontifex converſus ad Altare dicit: *Credo*. Hucuſque memoratum Leonis Papæ Pontificale. Cur autem hunc ritum deſcribere omiſerit Card. noſter, qui dictum utique Pontificale videre potuit, ignoro. Fortaſſe id ex brevitate præteriit, aut quemadmodum plura ſcribenti doctiſſimo etiam viro nonnulla excidunt, ita & ipſi eveniſſe mirum non erit. Utcumque ſit, eumdem morem refert in ſuo MSS. Pontificali Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus: Prædicatione finita (inquit) fit Confeſſio Generalis, vel per Diaconum, vel per Sacerdotem Miniſtrum, Populo devote genua flectente, & eadem tacite dicente; Confeſſione facta concedit Indulgentiam, & demum, Mitra ſibi per Diaconum depoſita, facit abſolutionem dicendo clara voce elevatis, & ſuper Populum extenſis manibus: *Præcibus, & meritis Beatæ Mariæ* &c. *Indulgentiam* &c., & ſi velit mox benedicit Populo ſimpliciter, dicens; *& benedictio Dei Omnipotentis Patris* &c. Hujus etiam benedictionis ordinem refert Pontificale Cabilonenſe, & alia alibi, quæ hoc loci indicare non vacat.

Deſcribitur Ritus, quo poſt concionem Indulgentiæ conceduntur.

In MSS. Ordinario Eccleſiæ Laudunenſis nulla fit ſermonis, & indulgentiarum mentio; Præſcribitur tamen benedictio ſolemnis in die Nativitatis Domini, aliiſque Feſtivitatibus: *Lecto Evangelio, Diaconus alta voce clamat*: Humiliate vos ad benedictionem, *Chorus reſpondet*: Deo gratias; *Epiſcopus dat benedictionem ſuper Clerum, & Populum. Data benedictione revertitur Epiſcopus ad Altare, & dicit Credo in unum Deum*. Servat adhuc antiquum morem Laudunenſis Eccleſias teſte Dumoleon in ſupplemento pag. 429. Animadvertendum porro eſt ex Pontificali Leonis X., & alio anni 1542. ommiſſam tunc fuiſſe ſolemnem benedictionem in fine Miſſæ, licet Pontificale Durandi Mimatenſis præſcribit etiam in fine Miſſæ dandam eſſe benedictionem. Obſervandam item occurrit quod hæc ſolemnis Indulgentiarum conceſſio, ſive benedictio impertita poſt Evangelium, & concionem ſuffecta fuiſſe videtur ſolemni antiquæ Catechumenorum, Energumeoorum, ac Pœnitentium ejectioni, precibuſque olim cum impoſitione manuum ſuper eos poſt ſermonem fieri ſolitis, ut videre eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis; ſed & item de hac re infra diſſerentur.

(a) *Ejuſdem ritus teſtimonia frequentiſſima ſunt apud Origenem &c. Leonem &c.* Ante Sanctum Leonem Magnum neminem Romanorum Pontificum, nec alium quemquam in Romanis Baſilicis ſermonem ad populum habuiſſe ſcribit Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 19., etſi id in aliis Eccleſiis perpetuo ſervatum fuerit, ut Epiſcopi homilias, & ſermones frequenter habuerint, vel legi mandaverint; atque ad hunc Sozomeni locum ſubdit in notis Valeſius: nec eſt, quod quis ſuſpicetur hic Sozomenum falli, nam Caſſiodorus, qui Romæ vixerat, & Romanam Eccleſiam frequentaverat, hunc morem ipſius retulit in Hiſtoria ſua tripartita; quod procul dubio facturus non erat, ſi id falſum

Romæ ante S. Leonem multos habitos fuiſſ. ſermones ſcribunt Sozomenus & Caſſiodorus, quibus adhæret Valeſius.

eſſe comperiſſet. Objiciet fortaſſe aliquis ſermonem Liberii Papæ, quem habuit Romæ in Eccleſia B. Petri die Natalis Dominici præſente Bononienſi Epiſcopo ad Marcellinam ſororem Ambroſii, & alias virgines, quæ tunc virginitatem in Eccleſia profitebantur, quem tractatum Ambroſius totum deſcripſit in lib. 3. de velandis virginibus. At reſponderi poteſt hunc Liberii ſermonem non fuiſſe ad Populum, ſed exhortationem dumtaxat, & allocutionem ad Marcellinam virginem; at qui Sozomenus hoc loco de ſermonibus loquitur inter Miſſarum ſolemnia, quos Græci homilias vocant; præterea etſi concedamus ſermonem tunc a Liberio habitum eſſe, nihil hoc facit adverſus Sozomenum, id enim extra ordinem factum eſt in gratiam Marcellinæ; Sozomenus vero intelligit de more recepto, & uſitato tunc in Eccleſia Romana: hæc Valeſius, quem tamen & Sozomenum, cui ipſe tam facile adhæſit, plurimum erraſſe non nihil oſtendunt, Pagius in Critica Baronii ad an. juxta Baronium 57. num. 9., & Queſnellus differt. 6. de jejunio Sabbati, atque differt. 1. de vita S. Leonis Magni, ac proinde Sozomenum, utpote Græcum, relationem hanc ex falſo rumore accepiſſe exiſtimant.

At ſicut illi ex mala auditione ſcripſerunt, ita ex nimia in eis confidentia hallucinatus Valeſius, quod clare oſtenditur.

Et quidem Leo ipſe, cujus ætate vixit Sozomenus, ne dum publice ad populum concionatus eſt, ſed id egiſſe ex antiqua conſuetudine, & ex officii ſui munere pleriſque locis ſatis declarat; & quidem inter cætera ſerm. 3. de Epiphania tom. 7. Biblioth. max. vet. PP. edit. Lugd. col. 1001. *Quamvis*, inquit, *ſciam, quod ſanctitatem veſtram hodiernæ feſtivitatis cauſa non lateat, eamque ſecundum conſuetudinem Evangelicus vobis ſermo reſeraverit, tamen ut noſtri nihil deſit officii, loqui de eadem, quod Dominus donaverit, audebo*, & ſerm. 11. de Paſſione Domini: *Quia etſi difficile eſt*, inquit, *de eadem ſolemnitate ſæpius digne, apteque diſſerere, non eſt tamen liberum Sacerdoti in tanto divinæ miſericordiæ Sacramento fidelibus populis ſubtrahere ſermonis officium cum ipſa materia* &c. Hanc autem fuiſſe veterum Romanorum Pontificum conſuetudinem ex S. Juſtino Mart. luculenter comprobatur; is enim Apologia 2., quam Antonino Pio, & Romano Senatui obtulit, Chriſtianorum conventuum die Dominico actorum rationem deſcribens expreſſe dicit, quod poſt lectionem Apoſtolorum, & Prophetarum præſidens, ideſt Epiſcopus, orationem habet, qua populum inſtruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum, quas legi audiſſent, cohortatur; ubi certe, & Romæ & ad Romanum Senatum ſcribens de uſitata Eccleſiæ Romanæ conſuetudine ac praxi loqui ſe indicat, quam quidem, utpote Romanæ Eccleſiæ Presbyter, optime noverat.

Præterea quidquid dicat Valeſius, Liberii ſermo ſupra laudatus non fuit ſimplex exhortatio, & allocutio ad Marcellinam virginem, ut ipſe autumat, ſed vere etiam homilia ad populum, tum ratione feſtivitatis diei Natalis Domini, tum loci, in Baſilica ſcilicet B. Petri, in quibus ſummi Pontifices ſolemniter celebrantes verbum divinum populi adſtante multitudine prædicabant, tum ex ipſo Ambroſii textu ibidem lib. 3. cap. 1. ubi recitans Liberii verba, hæc inter cætera ait: *Vides quantus ad Natalem Sponſi tui populus convenerit, & nemo impaſtus recedit*? Quibus verbis clariſſime exprimit ſe nedum ad Marcellinam, ſed & ad populum ſermonem habuiſſe, ex quo Ambroſius ea tantum, quæ ad eamdem ſororem ſuam ſpectabant, ſecrevit. Extat alius Liberii ſermo publice in ſolemnitate Paſchali ab eodem coram toto Clero, & plurimo promiſcui ſexus populo habitus, quem referunt ejus Acta apud Oldoinum, ſeu Ciacconium Vit. Pontif. tom. 1. col. 344., neque urget Caſſiodori auctoritas a Valeſio pro Sozomeni fide allegata, nam præterquamquod Caſſiodorus initio ſexti ſeculi, & centum circiter annis Leone poſterior floruit, ipſe in ſua Hiſtoria tripartita non alia exſcripſit, niſi quæ a Socrate, Sozomeno, & Theodorito dicta fuerant, quæ & in compendium redegit; at quis neſcit (inquit Pagius loco mox citato) hoc eis plerumque contingere, qui compendiis ſcriptitandis ſtudent, aut centonibus conſuendis ex plurium Scriptorum lucubrationibus, ut non minori cura errata exſcribant, quam quæ ſunt veritati conſentanea; quia videlicet non ſuam, ſed aliorum ſententiam repræſentare ſatagunt, nec alia corrigere curant, ſed referre? Sicque Sozomeno Auctori Græco nimis credulus Italus Scriptor ab eodem decipi potuit. Et ſi ætate Caſſiodori non nihil fortaſſe immutata fuerit hæc conſuetudo in Eccleſia Romana, ut ſummi Pontifices, vel ex infirmitate, aut ſenectute, aut alia de cauſa Dei verbum per ſe amplius non prædicarent, per alium tamen, ſive Presbyterum, ſive Diaconum Eccleſiæ Romanæ id fieri non neglexerunt, cujus rei pleraque ſuppetunt documenta, ſive etiam quod loco ſermonis, vel Pontificum ipſorum, aut aliorum Epiſcoporum Homiliæ, Tractatus, & Epiſtolæ, itemque SS. Martyrum Paſſiones legerentur. Hæc omnia perſequi non moror, cum & eruditis nota, & de iis nonnulla ſuperius indicata ſint.

Quod autem ſummi Pontifices Romani ad populum prædicarent chronologice demonſtratur.

Verum ne haud ſatis hujuſmodi apud veteres Pontifices verbi Dei populo prædicandi obſervatam praxim comprobare videamur, præmiſſis Juſtini, Liberii, ac Leonis auctoritatibus, ſequentia etiam adjicimus argumenta: & primo Clemens Romanus, ſi legitima eſt ejus Epiſtola ad Jacobum, ibidem de ſe ſcribit ſibi a Petro docendi cathedram traditam, item in ejus Actis apud Cotelerium inter SS. Patres Apoſtolicos circa finem, & in Hiſtoria Chriſtiana vet. PP. Laur. de la Barre pag. 47., ac denique in Libro Pontificali ſcribitur, quod cum Evangelicæ prædicationi totus intentus eſſet, eapropter jubente Trajano Imp. in exilium pulſus eſt. De S. Evariſto ſcribit item libri Pontificalis Auctor ſeptem Diaconos ordinaſſe, qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent: dicendumne, quod id ipſe in aliorum exemplum non obſervaverit? De Sancto Alexandro Papa legitur in ejus Actis, tum in Adonis Vienenſis Martyrologio integer Sermo, quo in

Et quidem initium ducto a Clemente I. Romano, quoad alios ſummos Pontifices oſtenditur.

carcere

carcere detentus concaptivos inſtruxit, antequam eos ad baptiſmum admiſiſſet, de quo legendus Emmanuel Scheleſtratius in antiq. Eccl. illuſtr. Tom. 1. Diſſertat. 2. cap. 3. num. 4. De Sotere ſcribit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 43., quod *fratres peregre advenientes, tamquam liberos ſuos, Pater amantiſſimus beatis ſermonibus conſolabatur*. De Zephyrino teſtem habemus Tertullianum, ex quo id ſaltem certum eſt, veteres Romanos Pontifices in reconciliatione Pœnitentium concionem ad Populum habuiſſe. Etenim in libro de Pudicitia, quem jam ab Eccleſia Catholica alienus, & ad Montaniſtas delapſus conſcripſit, Zephyrinum Papam inducit fideles in gratiam Pœnitentium ad miſericordiam commoventem; ita cap. 13., *& tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem inducens . . . . . . in eum hominis exitum, quantis potes miſericordiæ illecebris bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, & in parabola ovis capras tuas quæris, &c.*

De Sancto Cornelio Papa teſtatur S. Cyprianus Epiſtola ad ipſum data, Edit. Pamel. num. 57. Oxon. 60. publice Clerum, & Populum docuiſſe; De Sancto Stephano I. legitur in ejus Actis genuinis apud dictum Scheleſtratium, loco mox indicato cap. 7. num. 2. quod cum in crypta Nepotiana coram multo populo promiſcui ſexus ordinaſſet Presbyteros tres, Diaconos ſeptem, Clericos ſexdecim, *ſedens docebat omnes de Regno Dei, & vita æterna*; De Sancto Marcello Papa pariter in ejus Actis legitur, quod in ædibus Lucinæ Matronæ Eccleſiam dedicaverit, in qua & Chriſtiani orabant, & ipſe Beatus Marcellus prædicabat, uti etiam habetur in Breviario Romano. De Felice II. item in ejus actis ſcribitur apud Panvinium in Chronico Eccleſiaſtico ad an. 355. quod cum ejus ordinatio Populo Rom., qui Liberii amore flagrabat, ita diſplicuerit, ut ab ejus communione ſe ſeparaverit, eo intra ſacram ædem docente, vel ſacra myſteria celebrante, nemo civis Romanus illuc adeſſe umquam voluerit; denique poſtremus occurrit Sixtus III. Leonis Magni Prædeceſſor, de quo ipſe Leo Serm. 82. habito in Natali ſeptem Fratrum Machabæorum, ita ait: *Magnificus ſtructor parietum, ſed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi ſui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus inſtitutionum ejus, etiam in ipſo frueretur devota poſteritas, & habitando, quod condidit, & faciendo quod docuit*. De publicis autem, & ſolemnibus ſermonibus ad Populum habitis, hæc intelligenda eſſe, nemo non videt, hæc enim verba: *Ædificator animarum, inſtitutionum ejus utilitas docuit*, id plane indicant, ſiquidem publice populum non moviſſet, ut revocaret in memoriam tradita ſibi a Paſtore ſuo documenta, ſi hæc paucis tantummodo, & intra privatæ domus ſecreta effudiſſet: *Omnia ergo*, inquit, *dilectiſſimi, quæ oculis cernitis, & mente meminiſtis, ad profectum veſtræ ædificationis aſſumite*.

Huc uſque expoſita dicta ſint ad obſtruendam Sozomeni falſitatem & inſcitiam, atque Valeſii, cæteroquin doctiſſimi, ſimplicitatem redarguendam, qui græcæ fidei Scriptori tam facilem aſſenſum præbuit, cum alias eruditiſſimus vir noſſe debuerat, quid de Sozomeno ſcripſerit olim S. Gregorius Magnus Reg. Epiſt. lib. 6. Ind. XV. Epiſt. 31. ad Eulogium Alexandr. *Sozomeni Hiſtoriam*, ait, *Sedes Apoſtolica ſuſcipere recuſat, quoniam multa mentitur*, &c. Licet autem nonnulli Eruditorum inſignes viri Gregorium hac in parte exceſſiſſe autument, alii tamen ex eodem Senatu non inferioris ſubſellii judices eidem Pontifici ſubſcribentes ſuo calculo firmant, inter quos, ut reliquos ſileam, Card. noſter, ſic de Sozomeno ſcribit in notitia Authorum ſuæ Div. Pſalmodiæ præfixa his verbis: *Sozomenus . . . . Hiſtoricus ab Eccleſia alienus, & parum verax*. Et quidem præ Sozomeno audiendus hac in re Prudentius eodem antiquior, qui Hymno XI. Periſtephanon, ſive de Coronis, ubi Romanam S. Hippolyti Baſilicam deſcribens Summos Pontifices in Tribunali, ſeu Cathedra ad Populum verba facere ſolitos fuiſſe teſtatur.

> *Fronte ſub adverſa gradibus ſublime Tribunal*
> *Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum*.

Sed ad ulterius vindicandam Romanis Pontificibus hanc concionandi conſuetudinem, quam poſt Sozomenum, & eo longe poſterior eis adimit Græcus alter ejuſdem ſuſpectæ fidei Scriptor Nicephorus Caliſtus, probroſo item mendacio eadem ac ſupra cum Sozomeno ſcribens lib. 12. cap. 34. Romæ nec Epiſcopum, nec alium quemquam prædicare ſolitum, ſequiora poſt Leonem, & Gregorium Magnum tempora percurramus. Et primum de ipſo Gregorio hanc conſuetudinem alloquendi Populum in Eccleſia a Romanis Pontificibus uſurpatam fuiſſe oſtendunt Homiliæ ipſius Gregorii in Ezechielem, & Evangelia: Quin etiam in Epiſtola ad Secundinum Epiſcopum Homiliis in Evangelia præfixa S. Pontifex innuere videtur id fuiſſe ex veteri conſuetudine; ita enim Epiſtolam exorditur: *Inter ſacra Miſſarum ſolemnia ex his, quæ diebus certis in hac Eccleſia legi ex more ſolent, ſancti Evangelii quadraginta Lectiones expoſui*. Vide etiam Clar. Nicolaum Antonellum de Titulis quos Evariſtus inſtituit, pag. 148. ubi luculenter hac de re diſſerit. De Sabiniano Papa, qui Gregorio Magno immediate ſucceſſit, ex Manlio in Epitaphiis Vaticanis refert Aringhius Romæ ſubterr. lib. 2. cap. 8.

> *Hic hominum vitia blando ſermone removit,*
> *Nec culpis judex, ſed medicina fuit*.

De Sancto Leone II. Anaſtaſius inter cæteras ejus laudes hæc habet: *Lingua quoque Scholaſticus eloquendi majore lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, plebique florentiſſimam ingerens ſcientiam*. De Hadriano I. Carolus Magnus in ejus Epitaphio ſic habet.

 Eccle-

Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.

Et paulo poſt

Doctrinis, opibus, muris erexerat arces.
. . . . inclyta Roma, tuas.

S. Leonem III. concionem habuiſſe, dum eſſet Mechliniæ ad tumulum ſancti Rumoldi, narrat Scriptor vitæ ejuſdem cap. 29. De Sergio II. legitur apud Anaſtaſium: *Erat origine inſignis, fide purus, prædicatione liberior . . . ., plebium cultor*, &c. De Sancto Leone IV. habetur in Lectionibus Breviarii Monaſt. ad diem 17. Julii, *quod ſæpius ſacras conciones habuit ad populum, dignum Summo Pontifice oſtendens, ut ipſemet divini Verbi panem Populo Chriſtiano diſtribueret, ac Apoſtolos non ſolum in regimine, ſed & in prædicatione imitaretur.*

Ejuſdem Sancti Leonis extat apud Labbeum Concil. Tom. 8. pag. 33. Homilia ad Presbyteros, & Diaconos de cura Paſtorali, pia plane, & elegans, ac Sacerdotibus utiliſſima, quam ipſe publice recitavit an. 853. Extat item apud Guillelmum Bibliothecarium Stephani Papæ V. concio, quam publice habuit in maleficos, & eos, qui more gentium dæmones conſulebant, ubi etiam Populum ad reverentiam ſacris Templis habendam adhortatur, & a confabulationibus in Domo Dei deterret, quem etiam ſermonem recitat Baronius ad an. 890. De Joanne Papa VIII. Flodoardus apud Mabillonium ſec. III. Benedict. parte 2. pag. 598. ita ait:

De Chriſti ſegete crebro zizania pellens,
Et rationales per agros pia ſemina ſpargens,
Utpote doctiloquus, prudens, ſenſuque peritus,
Sollicitum qui ſe gregibus præbebat alendis.

Idem pene ait de reliquis Pontificibus, præcipue Formoſo, Theodoro II., & Joanne IX. Porro de Gregorio V. legitur in ejus Epitaphio apud Romanum Canonicum, ſeu Petrum Mallium Vet. Baſilicæ Vatic. Deſcript. quod idem Pontifex

Uſus Franciſca, vulgari, & voce Latina,
Inſtituit Populos eloquio triplici.

Urbanus item Papa II. in Concilio Claromontano egregiam concionem publice habuit Actis illius Concilii inſertam; extant itidem Calixti II. conciones plures, quas nuper vulgavit Joannes Mariana; neque ex eo, quod in Gallæcia habitas præferat titulus, cauſetur quis, eaſdem ante Pontificatum ab eo habitas; perſpicue enim liquet ex ſecunda ſub initium, Authorem in Cathedra D. Petri ſediſſe, e qua ſola prodire poſſunt decreta univerſam Eccleſiam obligantia, quale eſt, quod ibi his verbis fertur: *cujus* (B. Jacobi) *paſſionis ſolemnia ſacroſancta die, octavo Kalendas Auguſti cum Vigilia, & Jejunio, & octavis celebrare omnibus Eccleſiis non ſolum Gallæciæ, verum etiam totius orbis longe, lateque generaliter præcipimus* &c. Sane non eſt alterius concionatoris, quam ejus, qui & Romanus Pontifex ſit, ita præſcribere.

Sub idem tempus, ſeculo ſcilicet XII. S. Bernardus Abbas Claræval. lib. 4. de Conſid. ad Eugenium cap. 3. ſic eumdem urget ad prædicationem, ut rem non novam Pontifici: *Ad ea te potius*, ait, *incito, quorum te ſcio debitorem. Et ſi purpuratus, & ſi deauratus incedens, non eſt tamen, quod horreas operam, curamque paſtoralem: Paſtoris non eſt, quod erubeſcas Evangelium; quamquam ſi volens evangelizes, inter Apoſtolos quidem etiam gloria eſt tibi: evangelizare, paſcere eſt; fac opus Evangeliſtæ, & Paſtoris opus impleſti. Dracones, inquis, me mones paſcere, & ſcorpiones, non oves; propter, hoc inquam aggredere eos, ſed verbo, non ferro.* Hæc mellifluus, & Apoſtolicus Doctor, ex quo aliiſque teſtimoniis ſupra adductis Romanos Pontifices concionari uſos fuiſſe contra Sozomeni, ac Nicephori falſiloquia evidentiſſime conſtat; ſimulque vides quantum ſit Græcia mendax, ſeriori etiam ævo poſt Bernardum. Alexandrum IV. publice concionantem ſe audiſſe teſtatur S. Bonaventura. S. Clemens IV. qui anno 1350. ſedebat, laudatur a frequentibus concionibus, ut in ejus actis legitur, pag. 102. & apud Pagium Brev. Geſt. Rom. Pontif. de quo etiam videndus Baluzius in vitis Paparum Avenion. Tom. I., item Innocentius III. Epiſtola ad Arnulphum Abbatem eidem ſermonum ſuorum collectionem inſcribit, cujus etiam auctoritate confirmatur eſſe Pontificis munus concionari. Hanc denique laudatam conſuetudinem poſt Clementem VI., & alii nonnulli Pontifices obſervarunt. Martinus V. publice ſermonem ad Populum habuit die Dominica Palmarum anno 1430. Romæ in Eccleſia S. Auguſtini, cum ibi ſolemniter translatum fuit ſacrum Corpus S. Monicæ Matris ejuſdem S. Doctoris, qui ſermo in Hiſt. Auguſtiniana Toloſæ edita an. 1641. legitur. S. Pium V. ſæpius ad Clerum concionatum fuiſſe teſtantur Surius Commentar. rer. in Orbe geſt. pag. 484., & 486., item Gabutius in ejus vita pag. 30., & 130.

Denique Clementem XI. noſtris hiſce temporibus immortali dignum laude Pontificem publice concionantem & vidimus, & audivimus, cujus extant ſæpius excuſæ Homiliæ doctiſſimæ ſupra XX., item Benedictum XIII., cujus extant impreſſæ conciones; inſuper de ſermonibus poſt Evangelium habitis hæc etiam habet Mabillonius Comment. in Ord. Rom. 43. „Poſt Evangelium, aut Symbolum nonnumquam Pontifex ſermonem ad „Populum habebat, quod a Leone M. primum fieri cœptum Romæ colligitur, tum „ex eo, quod nullæ Pontificum Romanorum „ante eum Homiliæ extant, tum ex Sozomeno lib. 7. cap. 19. ubi de Roma agens: „*In eadem urbe*, inquit, *nec Epiſcopus, nec* „*alius quiſquam in Eccleſia populum docet;* „*Sed apud Alexandrinos ſolus Civitatis Alexandrinæ Epiſcopus concionatur, quam conſuetudinem, quum antea introducta non eſſet, introductam eſſe ferunt, ex quo Arius Presbyter*

„ *de doctrina fidei differens, nova dogmata in-* „ *vexit* . . . . Certe poſt Gregorium Magnum paucas habemus Romanorum Pontificum Homilias, tametſi nonnulli aliquando concionati ſint, quos inter Innocentius III., & poſt eum Clemens VI. aliique: nihilominus ex dictis ſatis abunde conſtat Romanos Pontifices, etſi non omnes, plurimos tamen publice concionatos fuiſſe.

Epiſcopi olim, ſi per ſe non poterant concionari, ſermones ſuos, vel aliorum legi jubebant.

(3) *Verbum ſalutis populo prædicarunt.*) Notandum tamen eſt Paſtores olim intra Miſſarum ſolemnia non ſemper peroraſſe ad populum, ſed eos, qui tardioris eſſent linguæ, aut infirmæ valetudinis, Homilias Sanctorum Patrum, aut a ſe compoſitas legiſſe, aut ab aliis legi juſſiſſe. Ita S. Cæſarius Arelatenſis, cum propter valetudinem jam concionari per ſe non poſſet, a Sacerdotibus, atque Diaconis ſermones, aut Sanctorum Ambroſii, Auguſtini, ſive aliorum conciones recitari jubebat, ut legitur in ejus Vita.

Ita etiam alii inferiorum Eccleſiarum Paſtores, ſeu Parochi dicti

(4) *Ad Populi notitiam pervenire oportet.*) Non tantum primi Ordinis Sacerdotes, videlicet Epiſcopi, verum & ſecundi, Paſtores ſcilicet inferiorum Eccleſiarum, Parochi dicti, ſive in Urbibus, vel in Oppidis, ac ruribus degentes feſtis diebus, præſertim Dominicis ſermonem ad Populum publice habere ex conſtanti ſeculorum ſucceſſione conſueverunt intra ipſa Miſſarum ſolemnia, proxime poſt Evangelii recitationem, & id quidem ex Altaris gradibus, ubi ſtantes, ut plurimum, adhortatoriis ſermonibus plebis ſibi commiſſæ mores corrigunt, & formant. Id plane colligitur ex Sidonii Apollinaris Euchariſtico Carmine ad Fauſtum Rejenſem Epiſc. ſub finem ita canentis:

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis Aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit.

Quod autem & a primis Eccleſiæ ſeculis Dominico potiſſimum die hujuſmodi publicæ allocutiones habitæ fuerint, pluribus probat laudatus Ferrarius Vet. Concionum lib. 3. cap. 10. de quibus item extat Can. 10. Concilii Trullani, quo ſtatuitur eos, *qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipue Dominicis, omnem Clerum, & Populum docere*. Zonaras, & Balſamon in Notis ad hunc Canonem ita uniformiter eumdem exponunt: „ Apoſtolici decreti authoritatem „ ſecuti Patres hoc edito Canone, cum aliis „ quoque, tum Dominicis diebus Eccleſiarum Prælatos oratione Populum ad pia „ religionis ſtudia informari, ac inſtitui jubent; cum enim per eos dies vacationem „ a laboribus nacti homines ad Eccleſiam „ conveniant, ibique tempora divinarum „ Scripturarum auditione traducant, erit ea „ Populo longe fructuoſior induſtria, quam „ in eo erudiendo, ac inſtituendo iis præcipue diebus Sacerdos eidem præfectus adhibuerit „. Huic Synodali Græcorum Orientalis Eccleſiæ conſtituto reſpondent & Occidentalis Latinæ, tum vetera, tum nova Conciliorum univerſalium Decreta. Vide Concil. Lateran. ſub Innoc. III. cap. 10. Conſtantienſe cap. 6. c. 8. Item Later. ult. ſeſſ. 15. ac denique Trident. ſeſſ. 5. de reform. cap. 2. 23. cap. 1. & alibi pluries, ut in Indice ipſius. Hac de re legendus Franc. Amatus Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. pag. 836. ubi præclare de hujuſmodi Parochorum obligatione exponendi Verbi Dei pluribus differit. Satis hæc dicta ſint de ſermone poſt Evangelium.

Vigebat item pluribus in Eccleſiis uſus aliquas poſt ſermonem concedendi indulgentias, aut publicam Populo impertiendi abſolutionem, ut fit etiamnum in Eccleſia Dominæ noſtræ Pariſiis Fer. 4. majoris hebdom., & in omnibus Parochiis in die Paſchatis, ubi poſtquam dictum eſt *Miſereatur* &c. *Indulgentiam* &c. additur: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos*. Epiſcopi etiamnum in fine ſermonis ſui, ſive ejus, qui coram ipſis habeatur, ſolemnem hanc impertiuntur benedictionem. Hæc autem benedictio, vel oratio cum manuum elevatione ſubſtituta fuit, ut ſupra dictum eſt, precibus, & manuum impoſitioni, quæ poſt ſermonem fiebat ſuper Catechumenos, Pœnitentes, & Energumenos, de qua vide Tom. 1., ſeu lib. 1. cap. XVII. §. 6. pag. 378. & ſeqq.

(5) *Quædam de Pœnitentium abſolutione* . . . . *allata ſunt.*) Antiquitus etiam peracto Epiſcopi ſermone Diaconus ſuper Audientes, & Catechumenos conſtitutas preces effundebat, de quibus ſatis erudite agit Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap. 1. art. 9. & nos loco mox indicato commemoravimus.

CAP.

C A P. VIII.

Incipit Miſſa Fidelium, Symbolum, ejus initium. Traditum ab Apoſtolis ſine ſcripto. Quotuplex ſit, & quando cœperit in Eccleſiis cantari. Offertorium, ejuſque Ritus. Mos panem & vinum offerendi antiquiſſimus. Alia quædam bis addita. De agno a Romanis oblato calumnia Photii. Diſcrimen inter munera, & oblationes. Non omnium dona ab Eccleſia recepta. Communio duplex. Non ſemper qui offerebant, communicabant. Offerentium nomina publice olim recitabantur. Offerendi mos quando deſierit. Oblationum chartæ poſitæ in Altari.

§. I.

Incipit Miſſa Fidelium. Symbolum, ejus initium ab Apoſtolis ſine ſcripto traditum.

Miſſa Fidelium initium a Symbolo.

EJectis extra Eccleſiam Catechumenis, Pœnitentibus, & aliis, quibus peracto ſermone nefas erat in ea permanere, incipit Miſſa
Fidelium (1), quæ cum ſeverior diſciplina vigebat, clauſis januis age- (1)
batur, eaſque cuſtodiebant Miniſtri, ne quis intraret immundus vel indignus; de qua re egimus ex profeſſo Cap. XVII. lib. I. Ejus initium a Symbolo, quod diebus Dominicis, & aliis quibuſdam Feſtivitatibus cantari ſolet. In eo præcipua Chriſtianæ Fidei dogmata continentur, de quo Tertullianus initio libri de Velandis Virginibus ait, *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum Omnipotentem, mundi conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in Cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos per carnis etiam reſurrectio-
nem* (2). Et in præſcriptionibus cap. 37. *In ea regula*, inquit, *incedi-* (2)
mus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit. Loquitur autem de Symbolo, quod ab Apoſtolis compoſitum fuiſſe, priuſquam in varias orbis partes ad prædicandum Chriſti Evangelium diſpergerentur, ut eo veluti ſigno, ſeu teſſera veri fideles a falſis diſcernerentur, communis Patrum ſententia, & vetus Eccleſiæ traditio
eſt (3). Cur vero Symboli nomen impoſitum illi fuerit, diffuſe explico (3)
in Tract. de Divina Pſalmodia cap. 16. §. 3. Sicut enim Symbolum apud profanos Scriptores idem eſt ac ſignum, teſſera, collatio, & indicium: ita regula fidei religionis noſtræ ſignaculum eſt, brevis credendorum col-
lectio, & mutua ac certa credentium conteſſeratio (4). Extat ejus ex (4)
poſitio inter opera Cypriani, quæ conſenſu omnium Eruditorum eſt Rufini Presbyteri Aquilejenſis, ubi teſtatur non fuiſſe ab Apoſtolis ſcripto traditum, ſed ſola voce & traditione, ne forte ad infideles perveniret, aut a falſis Chriſtianis depravaretur: Cui conſonans Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium cap. 9. ait, *In Symbolo fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis & Unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur*. Sola igitur

voce

voce fidelibus tradi conſuevit, ut tuto poſſent eos dumtaxat ad communionem admittere, qui hoc ſignaculum Chriſtianæ profeſſionis tamquam arcanam ſoliſque fidelibus notam teſſeram memoriter proferrent: idque tanta ſecreti fide inviolabiliter ſervatum eſt primis Eccleſiæ ſeculis, ut nec quidem a Catechumenis memoriæ juvandæ cauſa deſcribi permitteretur. Sed nec ullus ſcriptor ante Conſtantinum Magnum ipſum libris ſuis inſerere auſus eſt, niſi ſolus Tertullianus loco ſupracitato, compendio tamen uſus, & quibuſdam articulis prætermiſſis (5). Hermias item (5)
Sozomenus, ut alibi ſcripſi, Symbolum Nicænum in ſua Hiſtoria referre veritus eſt, quod eum librum ab his, qui initiati non eſſent, lectum iri timeret. Verum Athanaſius, Baſilius, Leo, aliique Patres illud ſcriptis ſuis inſerere non dubitarunt, quia tunc pacata Eccleſia nullas a Gentilibus, & Judæis inſidias metuebant. Trecentis, & amplius annis ſolo Apoſtolico Symbolo uſa eſt Eccleſia (6), donec Arius deteſtandæ hæ- (6)
reſis impiiſſimus Auctor emerſit, pro cujus damnatione coacta Nicæna Synodus novam fidei teſſeram tradidit Orthodoxis, qua ab Arianis diſcernerentur. Quare Athanaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos Nicænam Synodum trophæum, & columnam eſſe dixit, in qua omnes hæreſes oſtentui inſcriptæ ſunt & triumphantur. Et Gregorius Nazianzenus in encomio Heronis Philoſophi Alexandrini eandem ait Divinitatis doctrinam certis finibus, ac verbis circumſcripſiſſe. Hoc vero Symbolo in eadem Synodo recitato omnes Epiſcopos exclamaſſe legimus, *Hæc eſt Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hanc baptizati ſumus, in hac baptizamus*. Poſtquam enim publicatum fuit, omnes Eccleſiæ Orientales illud ſtatim receperunt, & Catechumenis ac Fidelibus ediſcendum tradiderunt, adeo ut Arianus cenſeretur, quicunque ipſum non profitebatur. In partibus vero Occidentalibus a quibuſdam Eccleſiis citius, ab aliis ſerius receptum fuit, pro ut ſerius vel citius Ariana hæreſi contaminari cœperunt. Novis poſtea exortis hæreſibus ſecunda Synodus Oecumenica Conſtantinopoli coacta eſt, in cujus primo congreſſu aliud Symbolum editum fuit, quod Marcus Epheſinus in Synodo Florentina tamquam ex communi Græcorum Patrum ſententia a Gregorio Nazianzeno compoſitum fuiſſe aſſeruit. Utrumque autem tam Nicænum, quam Conſtantinopolitanum pro uno, & eodem ſemper habitum fuit: & quod nunc cantamus in Miſſarum ſolemniis, quamvis ſit Conſtantinopolitanum, a Magiſtro ſententiarum *lib.* 1. *diſt.* 11. & ab aliis Scholaſticis Nicænum nuncupatur (7). Utrumque etiam confundunt Patres, quia quicquid additum (7)
eſt a Conſtantinopolitano, jam virtute in Nicæno continebatur: & cum fides una ſit, unum etiam Symbolum eſt, quamvis Nicænum Apoſtolico, Nicæno autem Conſtantinopolitanum quædam majoris explicationis gratia adjunxerint. Hoc vero ultimum in Miſſa cantari potius quam Nicænum antiqui Patres inſtituerunt, non quia modulis muſicis aptius ſit, ut parum recte autumat Vualfridus Strabo *cap.* 22. ſed quia in eo dogmata orthodoxa clarius exprimuntur, & omnes hæreſes eo uſque exortæ plenius confutantur (8). (8)

Miſſa Fidelium dicta etiam Miſſa Sacramentorum.

(1) *Incipit Miſſa Fidelium.*) Hæc Miſſa a nonnullis Scriptoribus appellatur Miſſa Sacramentorum, ſic eam vocat Ivo Carnotenſis Epiſt. 219. ipſam Miſſæ Catechumenorum opponens, quia ſcilicet in eadem ſacra peraguntur myſteria a quibus arcebantur Cathecumeni, ut optime advertit Card. noſter. Ejuſdem etiam mentio habetur ſub hac nuncupatione in Vita S. Gregorii Papæ VII. ſeculo ſexto Benedictino apud Acherium, & Mabill. Parte 2. pag. 455. *Itaque ventum eſt ad Miſſam Sacramentorum, & tunc neceſſario expergefactus celebrandi cauſa myſterii*. Catechumeni porro ii tantum expellebantur poſt Evangelium & ſermonem, ſimpliciter dicti, *Audientes* ſcilicet, *ſubſtrati*, ſeu *genua flectentes*, qui

qui nempe ab infidelitate ad fidem converti deſiderabant; Competentes vero dimittebantur poſt Symbolum, & ante conſecrationem, uti Macrius in Hierolexico V. *Catechumenus*, & deducitur ex Concilio Agathenſi Can. 13. his verbis: *Symbolum etiam placuit publice in Eccleſia Competentibus prædicari*. De hac autem expulſione eorum, qui in Eccleſia, dum ſacra inciperent peragi myſteria, intereſſe non poterant, vide ſupra allata ad Cap. XVI. Lib. 1. ſeu Tom. 1. pag. 323. & ſeqq. Videri pariter poſſunt Emm. Scheleſtratius de Diſciplina Arcani cap. 6. Antonius Bellotte Obſerv. ad Ritus Eccl. Laudunenſis pag. 366. Jo. Grancolaſius in 2. parte antiqui Eccleſiæ Sacram. Denique Miſſa Fidelium dicta complectebatur Offertorium, Præfationem, Hymnum Cherubicum, Canonem, Orationem Dominicam, Communionem, & Poſtcommunionem, de quibus nobis deinceps agendum erit; ſed in anteceſſum de Symbolo diſſerendum, ac propterea obſervandum, quod proprie Miſſa Catechumenorum cum ſermone finem accipiebat, unde Auguſtinus ſerm. 49. novæ edit. *Ecce*, inquit, *poſt ſermonem ſit Miſſa Catechumenis, manebunt fideles* &c. Miſſa ergo fidelium ſtricte ſumpta ab Oblatione incipiebat, nam Symbolum, quod præmittitur, olim non dicebatur, nec poſtea quam dici incepit, quotidie cantabatur, quemadmodum & nunc obſervatur; idem vero Symbolum nonniſi quinto circiter ſeculo ad Miſſam publice recitari cæptum fuit, uti infra §. ſequenti dicetur.

(2) *Per carnis etiam reſurrectionem.*) Idem Tertullianus lib. de Trinitate adv. Praxeam cap. 2. Symboli Apoſtolici articulos per ſumma capita recenſens in Spiritu Sancto deſinit, adjecta ſubobſcure Eccleſiæ mentione: *Unicum quidem*, inquit, *Deum credimus, ſub hac tamen diſpenſatione, œconomiam dicimus, ut unici Dei ſit, & Filius ſermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Hunc miſſum a Patre in Virginem, & ex ea natum hominem, & Deum, Filium hominis, & Filium Dei, & cognominatum Jeſum Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum, ac ſepultum ſecundum Scripturas, & reſuſcitatum a Patre, & in Cælos reſumptum, ſedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos; Qui exinde miſerit ſecundum promiſſionem ſuam a Patre Spiritum Sanctum Paracletum ſanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum*. Articulum vero de carnis reſurrectione, quem hic reticet Tertullianus, expreſſe indicat tum lib. de Velandis Virginibus jam in Card. textu citato, tum preſſius de Præſcript. cap. 13., ubi diverſis licet verbis eadem fidei capita eodem ſenſu, & ordine refert, ibique inſuper quoad vitam æternam hæc habet: *Venturum cum claritate ad ſumendos Sanctos in vitæ æternæ, & promiſſorum cæleſtium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo, facta utriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione*. Alibi etiam nonnullis in locis idem argumentum proſequitur, de quo item infra.

(3) *Communis Patrum ſententia, & vetus Eccleſiæ traditio eſt.*) Quamquam ex ſacris novi Teſtamenti Scripturis non explicite conſtet Apoſtolos illius Symboli, quod eorum nomine donatur, & Apoſtolicum vulgo dicitur, Authores extitiſſe, cum ex alias dictis, atque dicendis, oretenus, & non ſcripto, ipſi illud fidelibus memoriæ conſignandum tradidiſſent; nihilominus certiſſimum apud Eccleſiæ Patres habetur eoſdem proprio fuiſſe ipſius Symboli compoſitores, patronoſque, ac vindices, non minus quoad eſſentiam doctrinæ, quæ eadem in eorum Canonicis ſcriptis comprobatur, & uniformis dignoſcitur ad traditionem, quam Eccleſiis eorum Evangelica prædicatione plantatis, & proprio ſanguine irrigatis tenendam propoſuerunt, & alibi, ubi idem Chriſti Domini Evangelium annunciavere, ſed etiam quoad omnes ejus articulos, eodem ordine, numero, ac diſpoſitione, quemadmodum a nobis in ſinu ſanctæ Eccleſiæ Romanæ firmiter creditur, & recitatur, quidquid ex adverſo maligni proclament Hæreſiarcha Calvinus lib. 2. cap. 16. §. 18. ubi primus omnium Apoſtolos Symboli Authores fuiſſe in dubium vertit his verbis: *Apoſtolicum autem Symbolum nuncupo, de Authore minime ſollicitus* &c. & poſt pauca: *de Authore vel anxie laborare, vel cum aliquo digladiari nihil attinet*: Audacius Duce ſuo Chamierus lib. 9. de Canone cap. 10. *eſſe* (ait) *ab Apoſtolis Symbolum ſic compoſitum, ſi non eſt falſum, certe, quod proximum falſo eſſe nemo negat, incertum eſt*. His adſtipulantur Eraſmus in Præfatione ad Lectorem Paraphraſis Evangelii ſecundum Matthæum; Laur. Valla lib. 4. Invect. contra Poggium Baſnagium Annal. Politico-Eccl. Tom. 1. ad an. Chr. 48. num. 18. & ſeqq. aliiſque his ſimiles intemperatiores critices eruditi, quos recenſere non vacat.

Symbolum Apoſtolicum ita dictum vere ab ipſis Apoſtolis conditum fuiſſe demonſtratur.

Quantum autem iſti contaminatæ fidei homines toto cælo a veritate aberrent, licet habeamus innumera ex univerſa antiquitate petita priorum maxime ſeculorum teſtimonia, quibus illi confundantur, & eoſdem in hoc pariter deliquiſſe luculenter oſtendant, pauca tamen ſequentia eorum oculis objicienda ſufficiant. Jam Tertullianum ſecundi ſeculi teſtem pro hoc Apoſtolico Symbolo declamantem audivimus, qui etiam ad confundendos quoſcumque malignantes adverſarios hæc ſubdit dicens cap. 14. ipſius initio, quod *Hæc regula a Chriſto, ut probabitur, inſtituta nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas Hæreſes inferunt, & quæ Hæreticos faciunt*. Tertulliano coævus ſuccinit S. Irenæus M., & Lugdun. Epiſc. lib. 1. adv. Hæreſes cap. 10. *Eccleſia*, inquit, *per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem* &c. ac proſequitur per omnes ferme articulos, quos in Symbolo Apoſtolico habemus. Accedunt primo Lucifer Calaritanus, qui quarto ineunte vivebat ſeculo; is lib. 2. contra Conſtantium Imp. hoc Symbolum appellat *formam diſciplinæ, & regulam fidei per Apoſtolos traditam*. Sic etiam uno ore, uniformi ſenſu,

atque

atque eadem fidei traditione loquuntur reliqui veteres illius temporis Eccleſiæ Patres. Ex his ſeligam, quos & ipſi Novatores commendant. S. Ambroſius Serm. de Eliæ jejunio: *Clavis*, inquit, *Petri fides, quam duodecim Apoſtoli, velut periti artifices in unum convenientes ſuo conſilio conflaverunt, Symbolum componentes*; quod & repetit Serm. 38. Item Epiſt. 81. ad Siricium Papam: *Si doctrinis*, ait, *non creditur Sacerdotum, credatur oraculis Chriſti . . . . . credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat*. Inde factum eſt ut Symbolum ipſum Apoſtolorum *Symbolum Eccleſiæ Romanæ* dici conſueverit, uti ex Vigilio Tapſenſi lib. 4. adverſus Eutychem iſtud obſervat Card. noſter de Div. Pſalm. cap. 16. §. 5. S. Auguſtinus, ſive ſub ipſius nomine Auctor illi coævus lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos: *Noveritis*, inquit, *hoc eſſe fidei catholicæ fundamentum, ſuper quod ædificium ſurrexit Eccleſiæ conſtructum manibus Apoſtolorum*. S. Maximus noſter Taurinenſis Epiſc. initio Hom. in Tradit. Symboli: *Beati Apoſtoli myſterium Symboli tradiderunt, ut quia ſub uno Chriſti nomine credentium erat futura diverſitas, ſignaculum Symboli inter fideles, perfidoſque ſecerneret* &c. Denique S. Leo Papa I. Epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam: *Siquidem ipſius catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit in munitione cæleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari*. Reliquos prætereo, Hieronymum ſcilicet, ac Rufinum ipſius adverſarium, qui idem ſentiunt. An non erit ab Apoſtolis conditum hoc Symbolum, quod ipſorum nomine antiquiſſima inſignitur traditione? Abeant ergo qui contrarium ſentiunt, & vetus Eccleſiæ traditio inconcuſſa permaneat. Vide de hoc Symbolo, quæ nuperus, atque præclarus Auctor diſertiſſime ſcripſit in ſua Theologia Poſitivo-Polemica tom. 1. tract. 2. artic. 2. pag. 134. Reverendiſs. Abbas D. Placidus Troyli noſtri Ord. Ciſtercienſis.

(4) *Et mutua, ac certa credentium conteſſeratio*) Ita S. Maximus Taurinenſis initio Homiliæ in Tradit. Symboli, quem mox laudatum liceat repetere: *Beati Apoſtoli*, inquit, *myſterium ſymboli tradiderunt, ut quia ſub uno Chriſti nomine credentium erat futura diverſitas, ſignaculum ſymboli inter fideles, perfidoſque diſcerneret, & alienus a fide, atque hoſtis appareret Eccleſiæ*. In eumdem ſenſum Rufinus Aquilejenſis in Symbolo: *Symbolum*, ait, *græce indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt quod plures in unum conferunt; id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in unum conferendo, quod unuſquiſque ſentit*. Hanc etiam amplectuntur etymologiam S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccl. off. cap. 22. Rabanus Maurus lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 56. aliique bene multi; Eſt ergo Symbolum, ut optime Purpuratus noſter obſervat, ſignum, teſſera, indicium, collatio, ſeu res in commune collata, quemadmodum & plerique firmant recentiores; ex hac item ratione antiquis dictum eſt, & nunc dicitur Apoſtolorum Symbolum, ſive ſinguli ſuum articulum ediderint, ſive iidem ſinguli ad omnes unanimi ſenſu confluxerint, ſive varii diverſos protulerint articulos, qui deinde ab omnibus approbati, in numerum duodenarium, Apoſtolis duodecim reſpondentem, ab ipſis apte ſint diviſi; per duodecim cæleſtis urbis Hieruſalem fundamenta, quibus tota Eccleſiæ tum militantis, tum etiam triumphantis fabrica innititur, effigurati. Hoc item eſt Symbolum, uti communis fidei teſſera, eodem pariformiter modo, quo antiquitus militares teſſeræ Symbola dicebantur. Illud autem ab Apoſtolis compoſitum fuiſſe anno a Chriſti morte circiter duodecimo, & ante necem Jacobi, teſtantur Beda, Genebrardus, Salmeron, Card. Baronius ad an. Chr. 44. num. 15. & ſeqq. aliique plures, qui id ex veterum teſtimonio probant, ſcilicet paullo ante quam ad prædicandum Gentibus Evangelium diſpergerentur, & in omnem terram exiret ſonus eorum. Quia vero fidei profeſſione Deus laudatur, mens ad cæleſtia elevatur, ac ſublimia myſteria pro nobis patefacta, aut peracta recolendo, tacite gratiarum actio exhibetur, ideo tale Symbolum a Dionyſio Areopagita Hymnologiæ Catholicæ, Hierarchicæ, & Euchariſticæ nominibus decoratur. Porro hoc Symbolum Apoſtolicum, Facetus nomine, antiquus quidam Poeta incertæ ætatis, qui tamen poſt Carolum Magnum vixit, teſte Lilio Greg. Gyraldo Hiſt. Poet. Dial. 5 pag. 224., ex quo Voſſius de Poetis Lat. cap. ult. hexametro carmine apud Car. Ducangium in Gloſſar. verbo *Symbolum*:

Antiquitus, & nunc Symbolum Apoſtolicum dictum, ſive ſinguli ſuum articulum condiderint, ſive omnes unanimiter confluxerint.

Articuli fidei ſunt bis ſex corde tenendi,
Quos Chriſti ſocii docuerunt pneumate pleni.
Credo Deum, Petrus inquit, cuncta creantem;
Andreas dixit, ego credo Jeſum fore Chriſtum,
Conceptum, natum, Jacobus, paſſumque, Joannes;
Infera, Philippus, fregit, Thomaſque, revixit:
Scandit, Bartholomæus, veniet, cenſere Matthæus.
Pneuma, minor Jacobus, Simon, peccata remittit,
Reſtituet, Judas, carnem, vitamque, Mathias.

(5) *Et quibuſdam articulis prætermiſſis*) Quinto videlicet de Chriſti ad inferos deſcenſione, nono de ſancta Eccleſia, communioneque Sanctorum, ac decimo de remiſſione peccatorum. In iſto tamen Tertulliani Symbolo additur Chriſti prædicatio una cum virtutibus ab ipſo peractis; ait enim citato lib. de Præſcript. cap. 13. *Inde prædicaſſe novam legem, & novam promiſſionem regni cælorum: Virtutes feciſſe*. Quæ in Symbolo Romano Apoſtolico deſiderantur. Cæterum quoad articulum Chriſti deſcenſus ad inferos, licet apud eumdem Tertullianum locis citatis, Origenem, Auguſtinum, & ante hos Clementem, Irenæum, Juſtinum Mart. alioſque nonnullos antiquos Scriptores nulla mentio in eorum Symbolis habeatur; nihilominus inter Latina, quæ extant fidei Symbola, articulus iſte invenitur, non tanquam de novo additus, ſed ut jamdudum in Eccleſia receptus, uti late convincunt Henricus Vicus Oſthovii Toparcha

Quamvis Tertullianus aliquos in Symbolo articulos prætermiſerit, eos tamen Africana tenuit Eccleſia uti de fide credendos.

cha in Opuſculo de Jeſu Chriſti deſcenſu ad inferos, quo oſtendit dictum articulum jam tum ab Apoſtolico ævo in Symbolo extitiſſe: item laudatus Abbas D. Placidus Troyli loco indicato, atque clar. Joſeph Blanchinus in ſuo Opuſculo de Pſeudo-Athanaſiana in Symbolum Enarratione pag. 51. Quod & ante ipſos etiam fuſe oſtendit cl. Jo. Bernardus Pozzolus Cler. Reg. Congr. Somaſchæ de Papa, & Symbolo, lib. 5. cap. 1. pag. 711. ac ſeqq. Hanc autem revera fuiſſe Eccleſiæ ipſius Africanæ fidem clare teſtantur tum idem Septimius lib. de Anima cap. 54. ubi inter cætera hæc ait: *Siquidem Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum*: & poſt pauca: *nec ante aſcendit in ſublimiora cælorum, quam deſcenderit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret* &c. tum & Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 44. atque in Quæſtionibus Evangelicis quæſt. 7., ac denique Fulgentius Ruſpenſis lib. 3. ad Traſimundum cap. 30. expreſſe tradunt.

Quo vero ad nonum articulum de Eccleſia Catholica, communioneque Sanctorum, Africanam etiam hac in parte cum Romana Eccleſia conteſſeraſſe, fatetur Tertullianus pleriſque locis, ſcilicet in lib. ad Martyres, de Baptiſmo, & de Oratione, ubi ſicut Cyprianus, ſanctam Eccleſiam ſæpiſſime matrem vocat, quod pariter expreſſe firmat Auguſtinus ſerm. 3. in traditione Symboli, *ſanctam quoque Eccleſiam*, dicens, *matrem veſtram tanquam ſupernam Jeruſalem ſanctam civitatem Dei honorate, diligite, prædicate*. Cum autem in iſto ſanctæ Eccleſiæ articulo contineatur & ille, ſaltem implicite, ut ſcholæ loquuntur, de communione Sanctorum, de hoc etiam in Africa fidem expreſſam extitiſſe, non obſcure teſtatur laudatus Auguſtinus pleriſque locis, tum lib. de Unit. Eccl. cap. 4. tum de vera Religione cap. 5. & 6. Item lib. 1. contra Maximinum Arianum cap. 9. ac præcipue lib. 3. de Baptiſmo adv. Donatiſtas cap. 17., ubi hæc ait: *Per orationes Sanctorum ſpiritualium, qui ſunt in Eccleſia, tamquam per columbæ gemitum peccata ſolvi*. Inde etiam vides indicatum decimum articulum de remiſſione peccatorum, quem etiam in Africana Eccleſia de fide creditum fuiſſe apertiſſime demonſtrat, idem Auguſtinus in peculiari opere *De peccatorum meritis, & remiſſione*, atque in Enchiridio cap. 64. & 66. ubi peccata actualia poſt baptiſmum per pœnitentiæ Sacramentum remitti late docet; atque cum ipſo ſupra memoratus Fulgentius pariter in Opere de remiſſione peccatorum cap. 5. & 6.

Quibus omnibus rite perpenſis plane, ac liquido conſtat Africanam Eccleſiam ab antiquo in cunctis fidei articulis Symbolo Apoſtolico contentis cum Eccleſia Romana omnium Principe, ac Matre adamuſſim conveniſſe. Quomodo autem dictum fidei Symbolum recitaretur, diſſerendum erit. Et quidem tribus primis fidei Chriſtianæ ſæculis cum Eccleſia ſub Ethnicis Imperatoribus perſecutionum immanitate vexata in cryptis, abditiſque locis deliteſceret, & quaſi captiva detineretur, Symbolum Apoſtolicum ſubmiſſa voce recitabat; at ſub Conſtantino Magno paci reddita, ac perfecta libertate donata idem Symbolum, & Nicænum alta voce in divinis officiis recitatum fuit, ut quæ prius Catholicam fidem prædicare non permittebatur, eam poſtea publice annunciatam omnibus gentibus libere amplectendam, credendamque ad ſalutem proponeret.

(6) *Solo Apoſtolico Symbolo uſa eſt Eccleſia*) Erudiendis quidem Catechumenis, & Fidelibus confirmandis, non etiam in Miſſa, uti non ſine aliqua excedente libertate, ac nimia fortaſſe confidentia ſcribunt Gavantus in Rubricas parte 1. tit. XI. & Antonius Bellotte in ſuo Rituali Eccleſiæ Lugdun. pag. 437. ex Dionyſio Areopagita, & S. Petri Liturgia; etenim quantæ, qualiſve auctoritatis ſint hæc duo monumenta, jam ſupra dictum eſt lib. 1. cap. 8. §. 1. & 5., ubi Liturgiam S. Petri, qualis modo edita eſt, recentioris cujuſdam Græci, Dionyſii vero opera, non Areopagitæ Apoſtoli, Pauli diſcipuli, ſed quarti ſæculi Scriptoris fœtum eſſe contendunt Eruditi: Incertum itaque prorſus eſſe videtur, num tribus primis Eccleſiæ ſæculis Apoſtolorum Symbolum in Miſſa recitatum fuerit. Cæterum Apoſtolorum hoc Symbolum vere ipſorum eſſe, quodque Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſceperit, uti ſupra loquitur Tertullianus, contra Brentium, Calvinum, Chamierium, Woſſium, itemque Laurentium Vallam, Polidorum Virgilium, Eraſmum, alioſque hujuſmodi inſanos Scriptores luculenter oſtendit Natalis Alexander Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſec. 1. diſſert. XII. & noviſſime contra eoſdem, ac Samuelem Baſnagium præcipue, qui in ſuis Annalibus ad an. 42. n. 18. & ſeqq. illud Symbolum ab Apoſtolis conditum fuiſſe temere negat, ipſum idem ſtrenue vindicat Eminentiſs. Card. Vincentius Ludovicus Gotti in Veritate Chriſtianæ Relig. demonſtrata Tom. 1. cap. 6. toto §. 3. pag. 378. & ſeqq.

(7) *Nicænum nuncupatur*) Ante hos id ipſum teſtati fuerunt Iſidorus Hiſpalenſis de Div. Offic. lib. 1. cap. 16. Alcuinus pariter de Div. Offic. cap. 56. Aelfricus Monachus Malmesburienſis in Canonibus ad Wlfinum Schiburnenſem Epiſcopum apud Spelmannum Concil. Britanniæ tom. 1. pag. 573.

(8) *Plenius confutantur*) Ita & ipſe Samuel Baſnagius, licet Hæreticus, ſentit tom. 2. Annal. ad an. 325. num. 38. pag. 712. qui tamen hoc de Symbolo Apoſtolico negat loco ſupra citato. Porro id etiam Symbolum, quod nos hodie ad Miſſarum ſolemnia canimus, Nicænum dicimus, cum tamen ſit Conſtantinopolitanum, ut obſervat Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Concilia, eorumque Canones tom. 1. cap. 4. Ex his autem male arguit dictus Samuel Baſnagius loco ſupracitato, Symbolum Apoſtolorum ipſorum non eſſe,,: Si enim, inquit, idem Symbolum
„ ab Apoſtolis inſtitutum fuit, hoccine ve-
„ riſimile, in Miſſis celebrandis Conſtantino-
„ politanum ipſi fuiſſe prælatum, quod in
„ multis factum Eccleſiis legimus, & etiam

ho-

„ hodiernis temporibus factitatur?„ Hæc ille; at a nobis Symbolum Conſtantinopolitanum Apoſtolico non præferri manifeſtum eſt ex eo, quod Apoſtolicum docemus omnes Chriſti fideles, pueros, adultos, viros, fæminas, idiotas, ruſticos, hiſque omnibus tamquam chriſtianæ fidei teſſeram proponimus æque ac Orationem Dominicam: *Symbolum vero, & Orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus, omniſque conditio, maſculi, fæminæ, juvenes, ſenes, ſervi, liberi, conjugati, innuptæque puellæ, quia ſine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno accipere portionem*: Ita Concilium Forojulienſe ſub Carolo Magno an. 791., quod anno 706. in Concilio Trullano ſtatutum fuerat can. 7. Symbolum autem Nicænum, & Conſtantinopolitanum, ſolis Sacerdotibus, ac Eccleſiaſticis perſonis publice in Miſſis recitandum, & decantandum proponitur; Rationem autem cur Symbolum Apoſtolorum privatim, & quaſi ſecreto omnes doceat, & recitet Eccleſia, publice autem Nicænum ſolum, & Conſtantinopolitanum, dedit Concilium Vaurenſe an. 1368. c. 1. inter Labbei Conc. tom. 11. par. 2. col. 1969. Baluzii Conc. Galliæ Narbon. p. 124. item apud Harduinum col. 1086., dicens: *Symbolum Apoſtolorum ſilenter, & ſecrete dicitur quotidie in Completorio, & in Prima; quia fuit editum tempore, quo nondum erat fides catholica propalata. Alia autem duo publice in diebus Dominicis, & feſtivis, quando major in Eccleſiam congregatur populus, decantantur, quia fuere edita tempore fidei propalatæ*: quo etiam teſtimonio magis confirmatur Eminentiſſimi ratio, qua dicit Conſtantinopolitanum potius, quam Nicænum Symbolum in Miſſa cantari præſcriptum, quia in illo Catholica fides clarius exprimitur, & explicatur. Hinc mirum non erit, tum ex mox allata Synodi Vaurenſis ratione, tum ex ſupra dictis Nota 5. ſi apud veteres priorum quatuor ſæculorum Scriptores, uno excepto Tertulliano, nulla Apoſtolici Symboli mentio reperitur; poſteriores etenim Patres, inter quos primi fuerunt qui ejuſdem fidei profeſſionis meminere, SS. Athanaſius, Baſilius, ac Leo Papa, de quibus item ſupra commemoratio facta eſt, ſub Chriſtianis Imperatoribus ſcripſerunt, atque iis temporibus, in quibus Eccleſia non amplius Gentilium, Judæorum, aliorumque ipſius hoſtium inſidias timebat. Juſte igitur, ac pie, quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ut oſtendat Eccleſia quod Evangelii verbum corde recepit, ac Chriſto Dei Verbo, Unigenito a Patre pleno gratiæ, & veritatis credit, lecto Evangelio Fidei Chriſtianæ Symbolum canit, quod incipit Sacerdos, ut omne bonum a Chriſto procedere ſignificetur. Quotuplex autem ſit iſtud fidei Symbolum, & quando cœperit in Miſſa cantari, nunc dicemus.

Confutatur Baſnagius falſo aſſerens nos Catholicos Symbolum Conſtantinopolitanū Apoſtolico præferre.

§. II.

Symbolum quotuplex ſit, & quando cœperit in Eccleſiis cantari.

Quis primus Symbolum Liturgiæ inſeruerit, aut cantari præceperit, incertum.

QUis omnium primus illud Liturgiæ inſeruerit, aut cantari præceperit, incertum eſt. Radulphus Tungrenſis *prop.* 23. a Marco Papa Sylveſtri ſucceſſore ſancitum fuiſſe ait, ut Symbolum Nicænum in Miſsa diceretur. At Innocentius III. *lib.* 2. *de Myſteriis Miſſæ cap.* 49. & alii paſſim ſcribunt S. Damaſum id recitari juſſiſſe ad exemplum Græcorum. In hoc autem conveniunt omnes, quod publice cantari cœperit in Eccleſiis Orientalibus adverſus pravas Hæreticorum opiniones, a quibus poſtea ad Occidentales laudabilis uſus transfuſus eſt. Verum Græci vivente Damaſo hunc ritum nondum admiſerant; ait enim Theodorus Lector *lib.* 2. *Collectaneorum* Timotheum Patriarcham anno 510. Conſtantinopoli inſtituiſſe, ut Symbolum fidei per ſingulas Synaxes diceretur, cum antea ſemel tantum in anno diceretur in magno die Paraſceves, cum Epiſcopus Catechumenos inſtruebat. Eamdem Symboli recitationem in omni conventu Petro Gnapheo tribuit Nicephorus Calliſtus *lib.* 15. *cap.* 28. Sed hic fortaſſis in Antiochena, ille in Conſtantinopolitana Eccleſia hunc morem induxerunt; quem poſtea Hiſpani primi inter Latinos receperunt. (1). Extat de hac re decretum Concilii tertii (1)
Toletani anno 589. c. 2. *Pro reverentia ſanctiſſimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, conſultu piiſſimi & glorioſiſſimi Domini noſtri Reccaredi Regis ſancta conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliciæ ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt CL. Epiſcoporum Symbolum fidei re-*

citetur , & priuſquam Dominica dicatur Oratio , voce clara a populo decantetur , quo & fides vera manifeſtum teſtimonium habeat , & ad Chriſti corpus , & ſanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant . Exprimit hic canon ritum Hiſpanicum , qui adhuc permanet in Miſſali Mozarabico , in quo poſt conſecrationem , & aliquot breviſſimas preces dicit Presbyter, *fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus* . Tum elevat Corpus Chriſti , ut videatur a populo , & dicit chorus Symbolum fidei , videlicet : *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem , factorem cæli & terræ , viſibilium omnium & inviſibilium conditorem . Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum . Et ex Patre natum ante omnia ſecula . Deum ex Deo , lumen ex lumine , Deum verum ex Deo vero . Natum non factum , Omouſion Patri , hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ , per quem omnia facta ſunt , quæ in cælo & quæ in terra . Qui propter nos homines , & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis . Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine , & homo factus eſt . Paſſus ſub Pontio Pilato , ſepultus , tertia die reſurrexit . Aſcendit ad cælos , ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis . Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos , cujus regni non erit finis . Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificatorem , & ex Patre & Filio procedentem . Cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum , qui locutus eſt per Prophetas . Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam . Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum . Expectamus reſurrectionem mortuorum , & vitam venturi ſeculi . Amen* . Sic ibi cantatur Symbolum , poſt quod dicitur Oratio Dominicalis (2). Hiſpanicas Eccleſias Gallicanæ , & Germanicæ poſtmodum imitatæ ſunt , regnante Carolo Magno , poſt Felicis Hæretici damnationem , ut Valfridus teſtatur *cap.* 22. (3). Refert Baronius *tom.* 9. *an.* 809. Dialogum de Symbolo inter Leonem III. & Legatos Caroli Magni : cum enim Franci licentiam a Leone accepiſſent ipſum canendi in Eccleſia , illudque canerent cum additamento *Filioque* , quod verbum adverſus Priſcillianiſtas Epiſcopi Hiſpani adjunxerant , approbante & conſentiente Leone Magno , uti idem narrat Baronius *anno* 447. (4) , dubitatum fuit in Synodo Aquiſgranenſi , non quidem de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre & Filio , ſed utrum illa particula *Filioque* licite addita eſſet . Quam ob cauſam Legatos (5) miſit ad Leonem Carolus Imperator , quorum cum Pontifice colloquium , ſive diſputationem Baronius refert loco citato . Ipſe autem Leo, teſte Anaſtaſio duas tabulas argenteas , penſantes libras XCIV. & uncias VI. in Baſilica S. Petri prope ipſius confeſſionem affigi mandavit , in quarum altera latine , in altera græce Symbolum legebatur abſque illo additamento *Filioque* ; tum ob venerationem antiquitatis , cujus tenaciſſimus fuit ; tum quia minime neceſſarium putabat , ut omnia fidei dogmata Symbolo infererentur . Poſtea tamen Romanorum Pontificum decreto hoc ipſum additamentum receptum fuit , ut oſtendit Baronius *anno* 883. ad retundendam Schiſmaticorum pervicaciam , qui catholicum dogma de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio impugnabant . Quando cœperit Romæ in publica Miſſarum celebratione cantari , narrat teſtis oculatus Berno Augienſis *cap.* 2. libri de rebus ad Miſſam pertinentibus , *Romani* , inquit , *Symbolum poſt Evangelium uſque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt . Sed ab eodem interrogati cur ita agerent , me coram aſſiſtente , audivi eos hujuſmodi reſponſum reddere , videlicet quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta ; ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate*

Symbolum in Hiſpan. apud Mozarabes poſt conſecrationem recitatum.

Seculo v. addita Symbolo particula Filioque.

liditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa. Et ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari. At dominus Imperator non antea deſiit, quam omnium conſenſu id domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent. Contigit hoc anno MXIV. quo illud ſuis Annalibus conſignavit Baronius, hæc verba ex ſolida ſua ſapientia adjiciens: *Placent iſta, ſed nobis gratius, ſi venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuiſſet, quam novitati*. Et juſtam ſane cauſam Romani Preſbyteri attulerunt Imperatori, propter quam Symbolum non canebant in Miſſa: nam Rufinus Aquilejenſis S. Hieronymi celeberrimus antagoniſta initio Expoſitionis in Symbolum Apoſtolorum, in diverſis Eccleſiis ait aliqua ipſi Symbolo adjecta fuiſſe. Tum ſubdit: *In Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum*, & rationem reddit, *quod neque hæreſis ulla illic ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus*. Agit autem de Symboli recitatione, quæ a Catechumenis audiente populo ante baptiſmi ſuſceptionem fieri ſolebat. Ab anno igitur milleſimo decimo quarto jubente Benedicto VIII. cœpit Romæ cantari Symbolum
(6), & ideo nec in Ordine Romano, nec in priſcis Sacramentorum (6)
Codicibus, nec apud Alcuinum, Amalarium (7), Rabanum, Remigium, (7)
& alios, qui ante prædictum annum Romanæ Miſſæ ordinem explanarunt, ulla Symboli mentio reperitur: cum tamen multo ante in Hiſpania, Gal-
lia, & Germania cantaretur (8). Extat in omnibus Liturgiis Græcorum, (8)
Maronitarum, & cæterarum gentium, quæ in Oriente ſunt (9). (9)

In Eccleſia Romana Symbolum non cantatum in Miſſa, niſi poſt annos mille.

Morem cantandi Symbolum in Miſſa primi inter Latinos receperunt Hiſpani.

(1) *Primi inter Latinos receperunt*) Et quidem ante Concilium Toletanum III., de quo Eminentiſſimus Auctor; anno enim 448. tempore Leonis Papæ I. habita fuit in Hiſpania Synodus Gallecienſis, in qua hæc fidei formula omnibus Hiſpaniarum Eccleſiis tradita fuit, quod decretum poſtea confirmavit dictum Concilium Toletanum III. Vide Chriſtianum Lupum in ſcholiis ad Canones Concil. tom. 1. cap. 8. pag. 13. & iterum pag. 195. Hanc porro Eminentiſſimi noſtri opinionem, non ante ſæculum quintum Symbolum Liturgiæ inſertum fuiſſe, confirmant eruditiſſimi viri Schelestratius in Concil. Antioch. cap. 6. pag. 210. Pagius Crit. Baron. ad an. 325. num. 18. & ſeqq. Idem Theodorus, quem paulo ante Cardinalis memorat, citato lib. 2. Collect. addit dictum Gnapheum, ſeu *Petrum Fullonem inſtituiſſe* in Eccleſia Alexandrina, cujus dicebatur Epiſcopus, ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur, & in ſingulis ſymbolum recitaretur. Quod autem dictus Fullo primus fuerit, qui Symbolum in Miſſa recitandum apud Alexandrinos inſtituerit, uti Nicephorus Calliſtus tradit, firmant recentiorum nonnulli, inter quos Euſebius Renaudotius tom. 1. Liturg. Orient. pag. 221. & Fleurius Hiſt. Eccl. tom. 10. pag. 406. qui & inde ex Card. noſtro hunc ritum e Græcis ad Latinos tranſiiſſe autumat.

Varii ejuſdem Symboli recitandi ritus.

(2) *Poſt quod dicitur Oratio Dominicalis*) Chriſtianus Lupus in diſſert. de Symbolo Apoſtolico, & Nicæno cap. 6. tom. 1. pag. 196. falli eos exiſtimat, qui Symbolum non immediate poſt Evangelium apud Hiſpaniarum Eccleſias recitatum fuiſſe contendunt; & movetur Strabonis auctoritate, qui hæc ſcribit cap. 22. de Eccleſ. Offic. *Concilio quoque Toletano ſtatutum eſt, omni Dominica idem Symbolum, ſecundum morem Orientalium Eccleſiarum recitari*, quæ ſic illuſtrat Lupus: *Habemus quod Hiſpana Eccleſia illud recitari juſſerit ſtatim poſt Evangelium, ideoque labi illos, qui exiſtimant fuiſſe cantari juſſum proxime ante communionem, nam & taliter illud decantavit Orientalis Eccleſia*. Hæc viro doctiſſimo excidiſſe miramur. Quid hoc tertiæ Synodi Toletanæ ſtatuto diſertius? conſtituit Synodus, *ut Symbolum fidei recitetur, ut priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara id populo decantetur*: quem ritum obſervante noſtro Card. Bona, Miſſale Mozarabum hodieque præſcribit. Ita & conſimili fere modo Miſſale Ambroſianum juſſu S. Caroli Mediolanenſis editum an. 1560. Symbolum poſt offertorium, ideſt ante orationem *ſuper oblata*, quæ Præfationem præcedit, dici præcipit, apud Martene de ant. Eccl. rit. tom. 1. pag. 475. nec ſi Orientalis Eccleſia Symbolum poſt recitationem Evangelii decantat, vel etiam immediate ante Præfationem, uti ex Græcorum Euchologio pag. 75. conſequens eſt hunc ritum ab Hiſpaniarum Eccleſiis initio fuiſſe ſuſceptum. Id unum indicat Strabo, apud Hiſpaniarum Eccleſias morem Symbolum in Miſſa cantandi ab Orientalibus eſſe deſumtum, quod Lupo concedimus; de Symboli autem recitatione poſt Evangelium nil habet Strabo. Immerito igitur cenſura ab incauto Lupo cum Card. noſtro perſtringimur. Rationem porro, ob quam laudati Toletani Patres Symbolum ante Orationem Dominicam, (cum ſcilicet recitato canone Sacerdos Mozarabico

Chriſt. Lupus notatur quoad ritum Symboli recitandi in Hiſpania.

zarabico ritu hoſtiam conſecratam ſuper calicem tenet) ipſo præcinente decantari, ſubſequente Cleri, & populi concentu decreverit, iidem ipſi aſſignant, *quo*, ſcilicet, *& fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti corpus, & ſanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant*. Hac ſiquidem fidei confeſſione omnes & ſinguli conteſtari videntur ſe eadem fide verum Chriſti corpus, & ſanguinem in Euchariſtia credere, qua omnipotentem Deum unum, & trinum, ac Filium incarnatum credunt, uti & obſervat Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 1. num. 2.

(3) *Ut Valfridus teſtatur cap. 22.*) Atque inde corroborantur, quæ ſuperius dicta ſunt lib. 1. cap. XI. §. 1. videlicet Liturgiam Hiſpanicam ſeculo quinto antiquiorem eſſe, dum hæ Synodi exprimunt ritus, qui adhuc perſeverant in Miſſali Mozarabico. Nono tamen ſeculo nondum univerſaliter obtinuerat ritus Symbolum in Miſſa concinendi; Galterius enim Aurelianenſis Epiſcopus, qui vivebat tempore Adriani Papæ II. præſcribit in ſuis Capitularibus: *ut GLORIA PATRI, & CREDO IN UNUM DEUM apud omnes in Miſſa decantaretur*. Idem porro eſt hoc Symbolum cum deſcripto in Actis Concilii Conſtantinopolitani tom. 1.

(4) *Ut idem narrat Baronius anno 447.*) Et Spondanus ad eumdem annum n. 3. Hinc fallitur eruditiſſimus amicus noſter D. Cajetanus Maria Merati Comment. in Gavantum tom. 1. pag. 218. edit. Rom. & 88. col. 2. edit. Ven. in fol., ubi nullum Synodo Toletana III. (quæ fuit, ut ſupra dictum eſt, anno 589.) antiquius monumentum reperiri ſcribit, in quo legatur Symbolum cum voce illa *Filioque*, cum præterea, quæ animadvertimus nota præcedenti ex Chriſtiano Lupo, antiquiſſimum hujus fidei monumentum circa annum 411. in Synodo Braccarenſi habeatur apud Card. de Aguirre Concil. Hiſp. tom. 2. pag. 190., ubi *Fides in Spiritum Sanctum procedentem a Patre, & Verbo pronunciatur*. Item in Epiſtola S. Leonis Magni ad Turribium Aſturicenſem, ibidem pag. 208., ubi Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procedens dicitur. Quinimmo, & anno Chriſti 400. hunc articulum cum particula *Filioque* a Toletani primi Concilii Patribus ſuo Symbolo inſertum fuiſſe ſcribit idem Card. de Aguirre ibidem tom. 2. Concil. pag. 135. En ipſius Symboli verba: *credimus in unum Deum &c. Spiritum quoque paraclitum eſſe, qui nec Pater ſit, nec Filius, ſed a Patre, Filioque procedens*.

Et quidem ſeculo incunte v. in Concilio Braccarenſi.

(5) *Quam ob cauſam Legatos miſit*) Erant ii Bernharius Wormatienſis Epiſcopus, Jeſſe Ambianenſis, & Adhalardus Abbas Corbejenſis, quos comitatus fuerat Smaragdus Abbas S. Michaelis in Pago Virdunenſi, qui collationem in literas retulit. Dogma hoc de dicto additamento Symboli ſingulari edito libello probavit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, cui Carolus Imperator hanc Provinciam demandaverat; Huic controverſiæ, quæ jampridem anno 767. in Synodo Gentiliacenſi mota fuerat, & denuo in Aquiſgranenſi, occaſionem præbuit Joannes Monachus Hieroſolymitanus, qui dicto anno 809. ad Carolum in Galliam miſſus eam quæſtionem apud ipſum commovit, quæ ad Romani Pontificis judicium delata fuit, uti teſtatur Ado Viennenſis in Chronico, & Regino Prumienſis Abbas. Gallorum ſententiam, ſcilicet Symbolum cum hoc additamento recitari, probavit Leo Papa III. non factum, ratus (utpote antiquitatis tenaciſſimus, quam tueri optabat) nefas eſſe quidquam citra Eccleſiæ definitionem in fidei Symbolum admittere: *Licet*, inquit, *docendo cantare, & cantando docere, ſed illicite in prohibitis, nec ſcribendo, nec cantando licet inſerere*; uti ex collocutione, quam cum Legatis habuit de hac re idem Papa, quamque recitat Baronius Annal. tom. 9. ad an. 809. num. 55. Legatis conſenſit Pontifex, ut iſta vox *Filioque* non penitus quidem expungeretur, ne videlicet id eſſe contra fidem crederetur, ſed tamen conſuluit, ut paullatim in Palatio intermitteretur, quatenus ejus exemplo eam vocem cantare dediſcerent. Verum hæc vox ſemel admiſſa revocari non potuit; immo propagatus eſt ejus uſus ad alias Eccleſias, indeque per totam Eccleſiam latinam ante medium ſeculum nonum, teſtante Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui litem de hac additione Latinis intentavit, ac poſt eum Michael Cerularius tempore Leonis Papæ IX., uti ſuo loco jam dictum eſt lib. 1. ſeu tom. 2. cap. 23. §. 15. pag. 204. Ab hac voce ventum eſt ad ipſum dogma, quod fuit ſeminarium, & præcipua cauſa funeſtæ diſceſſionis Græcorum a Latinis, de qua etiam nunc ingemiſcimus. Vide Natalem Alexandrum Hiſt. Eccleſ. ſec. 4. diſert. 37. art. 3. ac Pagium Brev. Geſt. Pontificum in Leone III. num. 31. & 32. alioſque; ac præcipue toties ſupra laudatum Abbatem D. Placidum Troyli Theol. Poſitivo-Polemicæ &c. tom. 1. tract. 2. art. 4. num. 18. & ſeqq., ubi de hac quæſtione luculenter diſſerit; ſed & iterum infra de memorata diſputatione, & Leonis reſponſo, hujus paragraphi nota poſtrema.

Qui fuerint Legati a Leone Papa miſſi ad Concilium Aquiſgranenſe, & quæ acta de voce Filioque.

(6) *Cœpit Romæ cantari Symbolum*) Non unum Cardinalem noſtrum, Bernonis auctoritas ſecum abrepſit. Præiverant ipſi Baronius, atque Menardus, ille in Annalibus ad ann. 1014., hic in notis ad lib. Sacr. D. Gregorii, quos ſequuti ſunt Chriſtianus Lupus infra citandus, Antonius Bellotte Comment. in Rituale Laudun., Gavantus in Rubricas Miſſalis parte 1. tit. XI. de Symbolo, Claudius Du-Vertius tom. 3. pag. 122. Auctor Tractatus Gallici de Miſſa Parochiali, Pariſiis impreſſi, pag. 298., qui Bona non nominato, verba tranſcripſit: Renaudotius in Commentar. ad Liturgiam Copticam D. Baſilii, recitatis Bonæ verbis, pag. 221. aliique plures exiſtimantes nullum in Miſſa Romæ Symboli uſum fuiſſe ante undecimum ſeculum. Eruditiſſimos hos viros ab ea ſententia revocare debuit Dialogus de Symbolo inter Leonem III., & Aquiſgranenſis Concilii Legatos paulo ante memoratus, in quo cum iſti Pontificem rogarent, ut Symbolum cum additione *Filioque* cantari permitteret, reſ-

Quando cœperit Romæ cantari Symbolum in Miſſa.

reſpondit Leo: Symbolum a Gallicanis Eccleſiis decantandum eſſe, *quomodo in hujuſmodi decantando, & celebrando ſacroſanctis Myſteriis ſancta Romana tenet Eccleſia.*

Id cantari cæptum videtur jam ante ſeculum nonum.

Seculo igitur nono, quo vivebat Leo III. Romani in Miſſarum ſolemniis Symbolum recitabant. Ecce ampliſſimum ejuſdem ſeculi teſtem Joannem VIII. in Epiſt. 247. ad Sſentopulcrum Moraviæ Comitem apud Labbeum Tom. 9. Concil. pag. 170. *Methodium venerabilem Archiepiſcopum veſtrum interrogavimus coram poſitis fratribus noſtris Epiſcopis, ſi Orthodoxæ ſidei Symbolum ita crederet, & inter ſacra Miſſarum ſolemnia caneret*, ſicuti ſanctam Romanam Eccleſiam tenere, & in ſacris, ſeu univerſalibus Synodis a ſanctis Patribus ſecundum Evangelicam Chriſti Dei noſtri auctoritatem promulgatum, atque traditum conſtat. Ille autem profeſſus eſt, ſe juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, ſicut ſancta Romana Eccleſia docet, & a Patribus traditum eſt, tenere, & pſallere. Eodem ſeculo nono floruit Walfridus Strabo, qui conſuetudini Romanæ patrocinatur, poſtquam enim rationes expoſuit, cur Symbolum Conſtantinopolitanum a Græcis in Miſſa canteretur, addit: *Ab ipſis ergo ad Romanos ille uſus creditur perveniſſe*: Rejicit hunc teſtem Menardus Bernonis fretus auctoritate. Menardi cenſuram probant Marcellus de Cavalleriis in Stateta ſacra tit. 14. de Symbolo fidei, & Chriſtianus Lupus Tom. 1. Schol. in Canon. Diſſert. de Symbolo Niceno cap. 6. pag. 146. ſed immerito, cum Strabonis dictum duorum Pontificum teſtimonio firmetur.

Sententiæ noſtræ graviſſimum pondus addunt Romani Ordines a Mabillonio editi undecimo, & nono etiam ſæculo ſuperiores. *Poſt lectum Evangelium candelæ in ſuo loco extinguuntur, & ab Epiſcopo* Credo in unum Deum *cantatur*: Sic Ordo Rom. V. pag. 66. Itaque perlecto Evangelio ...... *alta voce incipiat canere*, Credo in unum Deum, *& ita omnis Chorus incipiens* Patrem Omnipotentem *ad ſinem uſque perducat*. Ordo Rom. VI. pag. 73. Suſpicantur quidam, quæ de Symbolo in Miſſa recitando decernit Ordo Romanus, recentiori manu addita fuiſſe; verum id vetat nos authoritas Amalaril; hic enim in Ecloga, quam poſt Capitularia Regum Francorum edidit doctiſſimus Baluzius, Ordinem Rom. ſecundum a Mabillonio editum exponens, diſertam Symboli in Miſſa decantati mentionem facit. Hæc quidem argumenta clara ſunt, atque perſpicua, & clariſſimorum virorum opinionem labefactare videntur.

Referuntur hac de re diſſidentes recentium Scriptorum ſententiæ.

Quid vero dicemus ad Bernonis oculati ſane teſtis auctoritatem, quo uno præſidio contraria ſententia fulcitur? Mabillonius Bernoni falſidicam ſcribit, atque ipſum inter, & Romanos Ordines pugnam eſſe contendit: Grancolaſio tanquam verum eſt morem recitandi Symbolum Romæ intermiſſum fuiſſe ſeculo 10. ſequenti autem Henrici precibus innovatum. Porro Edm. Martene lib. 1. de antiquis Eccleſ. Rit. cap. 4. art. 5. pag. 377. ſolidiorem huic difficultati ſolutionem dare ſe poſſe confidit; nam, inquit, ſi Bernonis verba attenta mentis conſideratione perſcrutemur, non negat ille abſolute apud Romanos Symbolum in Miſſa dictum fuiſſe, ſed decantatum, quia revera ſolemni modulatione, ut in aliis Eccleſiis, non cantabatur, ſed ſolum recitabatur: Potentiſſimum hujus reſponſionis teſtem profert Leonem III. in citata collatione cum Legatis Concilii Aquiſgranenſis, qui hæc ſcribit: *Quod vero aſſeritis, ideo vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe, quid ad nos? Nos enim idipſum non cantamus, ſed legimus* &c. Martenio item adhæret Cajetanus Meratus in Gavantum Parte I. tit. XI. num. 1. vereor tamen, ne utriuſque viri doctiſſimi conjectura a mente Bernonis aliena ſit.

Quibus reſpondetur, & noſtra ſtabilitur ſententia.

Ad hæc probamus quidem Leonis dictum, & admittimus Symbolum Romæ ſolemni modulatione non fuiſſe cantatum; at negamus Bernonem de ea modulatione loquutum: *Romani*, inquit Berno, *uſque ad hæc tempora Divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt*: Quæ verba omnem a Romana Eccleſia Symboli uſum explodunt, neque vox ea *cecinerunt*, quam adhibet Berno, quidquam Martenio præſidio eſt, cum ea etiam utantur Ordines Romani, quos tamen de ſolemni modulatione interpretari vetat ipſe Martene, ne Leoni III. adverſari videamur. Secundo Romani ab Henrico Imperatore rogati cur Symbolum in Miſſa non canerent, reſpondiſſe feruntur teſte Bernone, quod Eccleſia Romana non fuiſſet aliquando ulla hæreſis fæce infecta: quam cauſam Romani certe non prætериiſſent, ſi de ſolemni tantum Symboli cantu inter ipſos, ac Imperatorem actum fuiſſet. Probabilius ergo cenſemus ineunte ſeculo XI. Romæ ſub Benedicto Papa VIII. deſiiſſe conſuetudinem recitandi Symbolum in Miſſa, ut recte autumat Card. noſter, quo factum eſt, ut Romani, ac Berno, falſo fortaſſe exiſtimarint morem cantandi Symbolum nunquam in urbe viguiſſe, quæ conjectura placuit etiam Stephano Duranto lib. 2. de Rit. Eccl. cap. 24. num. 14. Quod ſi Berno cum Leone III., aliiſque conciliari non poſſit, ſatius erit uni Bernoni, quam duobus Summis Pontificibus, atque Straboni, & Amalario fidem abnuere. Concludendum itaque quod S. Henricus Imp. eidem Benedicto Papæ tantum perſuaſerit, ut Symbolum in Miſſa Romæ cantaretur, quod antea ſolummodo legebatur.

Peculiaris Chartuſianorum, & aliquot Galliæ Eccleſiarum Ritus circa Symboli cantum.

Non omittendus porro videtur particularis hic ritus Carthuſianorum, apud quos Symbolum non alternis Choris, ut apud fere omnes Eccleſias fieri ſolet, ſed ab omnibus ſimul integrum decantatur, ut item infra nota 8. denuo dicetur. Quem ritum etiam vigere in Eccleſia Lugdunenſi, Senonenſi, Matiſconenſi, Meldenſi, Antiſſiodorenſi, aliiſque Gallicanis Eccleſiis ſcribit Demoleon pag. 167., cujus conſuetudinis hanc cauſam aſſignat Petrus Le-Brun Tom. 1. pag. 248. Quia *Credo*, inquit, eſt profeſſio fidei, quæ ab omnibus fieri debet; quam rationem tradit etiam Rituale Senonenſis Eccleſiæ. Porro

longe

A ſeculo nono ad undecimum Symboli recitatio in Sacrificio quandoque Romæ intermiſſa.

longe ante annum 1014. Symbolum in Miſſa Pontificali decantatum fuiſſe fidem facit Libellus 2. de Ordine Rom. Et ne quis interpolationem hoc in loco cauſetur, Amalarius in Ecloga ſuper hoc libello eumdem locum commentatur. Quin etiam in Libellis 5. & 6. de Miſſa Epiſcopali ſecundum Romanos, qualis in uſu erat ante ſeculum nonum, Symbolum poſt Evangelium aſſignatur; ex Amalario eruitur ſeptimo, aut ſaltem octavo ſeculo fuiſſe introductum: *Finito Evangelio ab Epiſcopo* Credo in unum Deum *cantatur*: Itaque per illud intervallum, quod a ſeculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem in Sacrificio intermiſſam a Romanis fuiſſe, dicendum eſt. Certe Walafridus Strabo in cap. 22. ait uſum decantandi Symboli Conſtantinopolitani ex ea Urbe *ad Romanos* credit perveniſſe. Apud Gallos autem, & Germanos idem Symbolum *latius, ac crebrius* in Miſſarum Officiis cœpiſſe recitari, quod præter alios teſtatur Æneas Pariſienſis Epiſcopus in Lib. 1. adverſus Græcos cap. 1., ubi fidem Catholicam vocat, *quam die Dominica decantat ad Miſſas univerſalis Galliarum Eccleſia*; denique Cencius Camerarius in Ordine Romano apud Mabill. Comment. in eumdem Ord. Tom. 2. pag. 167. affirmat ita ſcriptum eſſe in libro Gelaſii: *ad Cœnam Domini non dicant Symbolum*, quod argumento eſt aliis diebus dici potuiſſe Gelaſio primo Pontifice, de quo hunc locum intelligendum exiſtimamus. Sed quia nihil hujuſmodi legitur in Sacramentario Gelaſiano apud Thomaſium vulgato, ſuſpendenda tantiſper ſententia eſt de Symboli recitatione ſub Gelaſii Pontificatu, maxime quum Patres Concilii 3. Toletani Can. XI. uſum recitandi in ſacris Symboli inducant ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum dicturi ſecundum Romanæ Eccleſiæ, ſi hic ritus apud Romanos tum uſitatus fuiſſet, eo tempore, ideſt æra Hiſpanica 627.

(7) *Nec apud Alcuinum, Amalarium &c.*) Symboli mentionem facit Amalarius in Eclogis, & de Eccl. Off. lib. 1. cap. 8. Quare de ejuſdem Symboli publico cantu ad Miſſam, non de ſimplici illius recitatione intelligendus Card. noſter.

Quatuor primis Chriſtianæ fidei ſeculis fere omnes Eccleſiæ non alio, quam Apoſtolico Symbolo uſæ ſunt.

(8) *Cum multo ante in Hiſpania, Gallia, & Germania cantaretur.*) Ideſt Caroli Magni ævo, ut ſupra dictum eſt; antea ſiquidem uſque ad illud tempus, primiſque ſeculis Eccleſiæ Africana, Italica, Gallica, & Germanica, Latinæ omnes Symbolum Apoſtolicum ſine additamento retinuerunt, ut liquet ex Auguſtino, Chryſologo, aliiſque Latinis Epiſcopis, qui iſtud ſolum leguntur Catechumenis tradidiſſe; cum enim Theodoreto, Sozomeno, atque Socrate teſtibus Ariana hæreſis Illyrici fines tranſire uſque ad id tempus nunquam valuerit, apud Europæos nova profeſſionis formula opus non fuit; Poſtea vero Arianis Hiſpaniarum Eccleſias ſub Gothis, Vvandalis, & Svevis pervadentibus, illæ ſicuti trinam baptiſmatis merſionem in unicam, ita Apoſtolicum in Nicænum Symbolum mutaverunt. Hinc optime Emus Card. de Aguirre Theolog. S. Anſelmi Tom. 6. pag. 694. ſcribit Leonem III. in primis non damnaſſe illam additionem, *Filioque* quomodocumque factam; ſed in cantu ſolemni Symboli intra Sacrificium Miſſæ vetare uſum illius, ea enim noviter in Galliis introducta fuerat abſque ſufficienti authoritate, & fortaſſe nondum in Hiſpania Symbolum ita auctum cantabatur, ſicuti nec in Concilio Toletano tertio, (cum hæc ſcripſit erudiciſſimus Card. nondum Hiſpaniæ Concilia in lucem edere propoſuerat, adeoque nondum viderat Concilii Toletani primi Symbolum, in quo, ut ſupra diximus, particula *Filioque* addita reperitur) cantatum legitur, licet omnium Patrum ibidem congregatorum nomine prolatum extet in editione Loayſæ.

Deinde nec Pontifex abſolute damnat additionem illam Symboli in cantu ſolemni, ſed ſolum hortatur ad dimittendam illam, veluti nondum convenientem in Galliis eo tempore, propter controverſiam de ea ortam; cum vero nulla circa id in Hiſpania fuiſſe legatur, potuit forſan in ea eſſe, ac vigere conſuetudo cantandi in Miſſa Symbolum ita auctum citra reprehenſionem aliquam: Hactenus Card. de Aguirre, cujus rationibus, & hanc ſubdi poſſe cenſerem, Leonem nempe additionem hujuſmodi ſuo tempore factam non probaſſe, eo quod maluiſſet Conſtantinopolitanum Symbolum ea puritate ſervatum, qua primum prodierat, cum aliis Symbolis, quæ penes ſingulas Eccleſias privatim aſſervarentur, ſatis conſultum eſſe rectæ Chriſti fidelium fidei in hoc proceſſionis articulo exiſtimaret; unde controverſiam ſuper ejuſdem articuli additionem in Symbolo non omnia Eccleſiarum Symbola reſpexiſſe cenſendum eſt, ſed tantum ad Conſtantinopolitanum ſpectaſſe, quod intemeratum ſervari Leo ut diximus, maluiſſet; proinde ex eo, quod idem Pontifex non probaverit dictum additamentum in Conſtantinopolitano, non recte deducitur, tunc primum in omnibus Symbolis illud innovatum, ſed potius oppoſitum; cum revera ante illud tempus, ut notatum eſt, jam alia Symbola extarent, in quibus jamdiu ante articulus ille inſitus fuerat; Qua propter ipſum addere Conſtantinopolitano Symbolo ſuperfluum, ut advertimus, Leo judicavit; Porro Symbolum aliquando græce aliquibus in locis cantatum fuiſſe oſtendunt MSS. Conſt. Eccleſiæ Neapolitanæ, in quibus hæc leguntur: *In die Reſurrectionis dicto Evangelio Dnus Archiepiſcopus incipit* Credo *in Græco ſermone, ſi placet, & ſupradictus Archiep., Presbyter S. Georgii ad mercatum cum Sociis ſuis, & Archipresbyter S. Mariæ Rotundæ decantant in Græco ſermone in conſpectu D. Archiepiſcopi alta voce, & alii Cantores de Choro repetunt alternatim in Latino cantando etiam alta voce, & deinde Miſſa finitur, ut conſuetum eſt.* In Gallia idem adhuc etiamnum obſervari indicat Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. Lib. 1. cap. 3. art. 2. num. X. ait enim quod in celebri S. Dionyſii Monaſterio, in Octava ejuſdem ſancti Mart. quidquid a Choro in Miſſa præcinitur, totum Græco ſer-

Symbolum aliquibus in locis Occidentis Græce cantatum.

ſermone canitur; ſed hæc ſunt locorum ſingularia ex ſpeciali indulto.

Apud Carthuſianos Symbolum, ſicut & *Gloria in Excelſis* in Miſſa ſolemni ab omnibus una canitur. Item veteribus eorum Conſtitutionibus præſcribitur, ut proſternant ſe, terramque oſculentur ad verba: *Et homo factus eſt*; *quum dicitur*: Et homo factus eſt, *Diaconus flexis genibus ad gradum Altaris petit veniam, & nos proſternimur terram oſculantes, quod numquam fit a Sacerdote, dum ſtat ad Altare, ſed ſtans oſculatur Altare*. Presbyteri in Miſſis privatis genua flectunt ad: *Et homo factus eſt*, quum ut plurimum deſcenſus ab Altari incipiatur ad *deſcendit de Cælis*, & juxta aliqua ordinaria ſurgendum non ſit, ad, *& Reſurrexit*. Radulphus Tungrenſis uſum hunc flectendi genua, utpote tunc introductum improbat, aſſerens Canonibus vetitum genuflectere in diebus Dominicis; Aſt Act. Apoſt. cap. 20., videmus Paulum Paſchali tempore genua flectentem: *Poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis*, & alibi: *Poſitis genibus in litore oravimus*, tempore nimirum, Paſcha inter, & Pentecoſtem intermedio; & Concilium Aptenſe an. 1385., quadraginta dies iis indulget, qui praxim hanc ſervaverint.

Radulphus Tungrenſis notatus.

Concilium porro Toletanum IV. Symbolum ſingulis Dominicis diebus recitari præſcribit; Micrologus refert recitatum fuiſſe in Miſſis Feſti Nativitatis Domini, in Octavis Feſtorum ſolemnium, & in Epiphania Domini propter mentionem, ſeu confeſſionem, quæ in eo fit ſacri Baptiſmatis. Ita pariter fieri Innocentius III. Myſt. Miſſæ lib. 2. cap. 51. tradit feria quinta in Cœna Domini, in ſolemnitate Paſchatis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, quia horum myſteriorum in eo fit mentio. In ſolemnitatibus B. M. V., cujus in eo item fit mentio. In diebus feſtis Apoſtolorum, quia ipſius Symboli fuerunt Authores. In feſtis S. Crucis, quia in iis narratur Paſſio, & mors Domini N. Jeſu Chriſti. Recitatur & in feſtis ſanctorum Angelorum, quia & horum Spirituum Beatorum in Symbolo fit mentio, cum dicitur *Creatorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium*, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quia fuit, ut juxta Innocentium præfatum nonnulli ajunt, Apoſtolorum Apoſtola, *pro eo quod ipſa proprie, vel prima Reſurrectionis Dominicæ gaudium Apoſtolis nuntiavit*. Denique Gregorius XIII. Symboli recitationem præſcripſit in feſtis quatuor Eccleſiæ Latinæ Doctorum, quibus Pius V. addidit quatuor Eccleſiæ Grecæ, & D. Thomam, quibus annumeratus eſt a Sixto V. D. Bonaventura. Lauduni in Gallia omittitur *Credo* in feſtis Ss. Eccleſiæ Doctorum, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & Angelorum; recitatur autem in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ ob ejus memoriam, quæ in ipſo habetur illis verbis: *Qui locutus eſt per Prophetas*. Cauſæ autem cur certis in diebus feſtis præ aliis Symbolum recitetur ad Miſſam, tres ſunt, (uti obſervat Guyetus Heortologiæ lib. 3. cap. 28. quæſt. 3.) videlicet Myſterium, Doctrina, & Celebritas, Ratione Myſterii dicitur in omnibus feſtis Chriſti Domini, & B. Mariæ, quippe quorum myſteria in eo explicite, vel implicite continentur. Ratione doctrinæ fidei, non tam ſuſceptæ, ac propugnatæ, quam verbo, Scriptove traditæ, atque annunciatæ, dicitur in feſtis Apoſtolorum, & Doctorum. Denique ratione celebritatis dicitur in feſtis Patronorum, & aliis locorum propriis, ſeu Eccleſiarum, ad quas, inquit Gavantus, fit Populi concurſus, quamquam, addit, non ex hoc præciſe concurſu petatur ratio recitandi Symboli. Et hæc quidem generatim dicta, etenim quoad feſta propria attinet, ſpeciallus definienda, qui noſſe velit, ipſum Liturgicum Scriptorem adeat, ubi plura in hanc rem erudite diſſerit.

Indicantur dies, quibus in Miſſa Symbolum dicitur.

(9) *Et cæterarum gentium, quæ in Oriente ſunt.*) Græci ex præſcripto ſancti Joannis Chryſoſtomi illud ante Præfationem, & Canonem decantant, ut jam dictum eſt. Maronitæ ſimiliter ipſum habent in ſua Miſſa, ſed morem ſequuntur Latinorum, nam lecto Evangelio Miniſter dicit: *Ite in pace audientes*; tum paucis interjectis, Sacerdos, Miniſter, & Populus dicunt fidem trecentorum decem, & octo Patrum, qui congregati ſunt in Nicæa. Hactenus de Symbolo quoad ejus Hiſtoriam, illiuſque in Miſſa recitandi ritum, quæ opportuna viſa ſunt proponenda contulimus. Supereſt pro hujus Diſſertationis coronide, ut ad myſticam etiam pii Lectoris eruditionem, allegoricas ejuſdem Symboli ſignificationes adferamus, quas laudatus eximius Pontifex Innocentius III. loco ſupra indicato deſcribit. Et quidem cum Symbolum utrumque, tam Apoſtolicum, quam Conſtantinopolitanum duodecim articulos, ſeu partes, vel clauſulas credendæ orthodoxæ fidei contineat: Iſti ſunt, inquit, duodecim panes, qui recentes, & calidi ſuper menſam propoſitionis coram Domino ponebantur. „ (Levit. 24. num. 7.) Hæc ſunt dona, „ quæ Principes Tribuum in conſecratione „ Altaris duodecim obtulere diebus; duode„ narius enim numerus multipliciter eſt con„ ſecratus in duodecim Apoſtolis, in duode„ cim Prophetis, in duodecim Patriarchis, „ in duodecim Exploratoribus, in duodecim „ Principibus, in duodecim Tribubus, in duo„ decim Fontibus, in duodecim Lapidibus, „ in duodecim Sedibus, in duodecim Horis, „ in duodecim Menſibus, in duodecim Annis, „ in duodecim Signis, in duodecim Stellis, „ in duodecim Gemmis, in duodecim Por„ tis, in duodecim Angulis, in duodecim „ Fundamentis &c. multaque alia in hujuſmodi duodenarii numeri ſignificationem congerit; quæ & nuper, cum aliis ex eodem deprompta, ipſius ſuppreſſo nomine, recenſuit Clar. atque Illuſtr. Scriptor Hieronymus Criſpi Ravennæ Archiepiſc. in ſua Myſteriorum Evangelicæ Legis, ac Sacramenti Euchariſtiæ, & Miſſæ Diſſertatione pag. 96. edita Romæ an. 1729. atque iterum 1734. Sed ad Offertorium, proprie Miſſæ fidelium initium, uti jam alias dictum eſt, & conſtat ex Concilio Valentino an. 374. Can. 1. ubi Miſſa Catechumenorum appellatur illud totum Officium, quod oblationem præcedit,

Myſticæ Symboli ſignificationes deſcriptæ.

itemque ex Ambroſio Epiſtola ad Marcellinam, ubi ait ſe poſt traditum Symbolum Catechumenis, Miſſam facere cœpiſſe, deveniamus.

§. III.

Offertorium, ejuſque Ritus.

POſt Symbolum, & quando non dicitur, poſt Evangelium Sacerdos ſalutat Populum & excitat ad orandum. Tum Chorus canit Antiphonam, quæ Offertorium nuncupatur, quia antiquo more Populus interim ſua dona offerebat. Nomine autem Offertorii ſive offerendæ, ut Amalarius & alii veteres loquebantur, ea omnia comprehenduntur, quæ a Sacerdote & Miniſtris fiunt, & recitantur a prædicta ſalutatione uſque ad ſecretæ orationis concluſionem, cum excelſa voce Sacerdos intonat *Per omnia ſecula ſeculorum*. Quis eam Antiphonam cantari inſtituerit, non liquet. Plerique a Gregorio Magno primo inſtitutam aſſerunt, quia in ſuo Antiphonario propriam ſingulis Miſſis aſſignavit. Sed jam vigebat in Africa hæc conſuetudo, ut ſcribit Auguſtinus *lib.* 2.
Retract. cap. 11. (1) Apud Gregorium ſingula Offertoria plures ver- (1)
ſus habent adjunctos, & quandoque integer Pſalmus repetita poſt ſingu-
los verſus Antiphona cantari ſolebat (2), ut toto illo tempore quo Po- (2)
pulus offerebat, Pſallentium Clericorum voces audirentur: Sicut olim in veteri Teſtamento cum Populus offerret holocauſta, in voce, & tubis, & cymbalis Laudes canebant Deo, ut ea nimirum modulatione ſe hilari mente munera Deo offerre indicarent. Hac ipſa de cauſa ſolent Cantores eadem verba ſæpius repetere, ne citius finiat cantus, quam ſacra functio abſolvatur. Ideo non recte quidam Recentiores hanc repetitionem inter muſicæ hodiernæ abuſus enumerant, cum præſertim quædam ejus exempla habeamus in ipſo Gregorii Magni Antiphonario, ut in Offertorio Quinquageſimæ bis dicitur, *Benedictus es Domine doce me juſtificationes tuas*. Et in Offertorio hebdomadæ XXI. poſt Octavam Pentecoſtes in Verſu primo bis dicuntur hæc verba, *utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui:* Verbum autem: *Et calamitas* ter repetitur. Crebræ etiam repetitiones fiunt in ſequentibus verſiculis: In IV. *Quoniam non revertetur oculus meus ut videam bona*, ter dicitur *Quoniam*, & novies *ut videam bona*. Rationem hujus repetitionis, ſed myſticam ut ſolet, affert Amalarius lib. 3. cap. 39. *Officii auctor*, inquit, *ut affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantem Iob, repetivit ſæpius verba more ægrotantium*. Hodie ab Offertorio ſublati ſunt verſus, ſed his reſecatis ipſum Offertorium moroſius decantari debet, ut notavit Radulfus Tungrenſis *prop.* 23. Retinuerunt verſus Offertorii Lugdunenſes in aliquot
Miſſis (3). Romani vero, & alii eos ſuſtulerunt, tum quia populi obla- (3)
tiones ceſſarunt, quæ longam pſallendi moram exigebant: tum quia Organa introducta ſunt, quæ cum pulſantur, nec ipſum quidem Offerto-
rium decantatur (4). (4)

(1) *Auguſtinus Lib.* 2. *Retract. cap.* 11.) Symbolo, ſive decantato in Miſſa ſolemni, ſive recitato in privata, *Ordo conveniens eſt*, (inquit Innocentius III. de Myſt. Miſſæ lib. 2. cap. 54.) *ut poſt prædicationem ſequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere, fides in Symbolo, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio*. Quapropter Offertorium cantatur, quia Sacrificium laudis offertur; unde Pſal. 26. 6. dicitur: *Circuibo, & immolabo in Tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis* (ſeu ut habet alia lectio: *Jubilationis*) *cantabo & Pſalmum dicam Domino*. Sacerdos itaque præſcripto ritu, certaque precum formula panem, & vinum offert; quæ oblatio ſimplex cæremonia eſt mox futuri Sacrificii præparatoria, ut ait Natalis Alexander Theol. Dogm. Mor. lib. 2. de Sacram. Euch. cap. 7. art. 5. nu. 12. Quare Offertorium complectitur laudem Populi in cantu Antiphonæ, quo ſignificatur lætitia

offe-

offerentium, & orationem Sacerdotis, qui petit ut oblatio Populi Deo ſit accepta; unde 1. Paralip. cap. 29. v. 17. ait David: *Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli univerſa hæc, & Populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria:* Tum orat dicens: *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael Patrum noſtrorum cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.* Per omnia fere ſimile quid legitur de Simone Oniæ filio Sacerdote magno lib. Eccleſiaſtici cap. 50. v. 16. ubi dicitur: *Sic circa illum ſteterunt quaſi rami Palmæ, & omnes filii Aaron in gloria ſua. Oblatio autem Domini in manibus ipſorum coram omni Synagoga Iſrael, & conſummatione fungens in ara amplificare oblationem excelſi Regis, porrexit manum ſuam in libatione, & libavit de ſanguine uvæ . . . . . tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus ſonuerunt, & auditam fecerunt vocem in memoriam coram Deo. Tunc omnis Populus ſimul properaverunt . . . . . & amplificaverunt Pſallentes vocibus ſuis* &c. Exinde ad imitationem filiorum Aaron inductus videtur in Eccleſia mos verſiculos ex Pſalmis, ſeu ex aliis ſacræ Scripturæ locis canendi, dum Populus olim (uti tradunt Walafridus Strabo cap. 22., & Micrologus cap. 10.) offerebat, quæ ad Sacrificii materiam neceſſaria erant, & præcipue dum Sacerdos panem & vinum offert. Iſta autem hujuſmodi oblatio antiquitus uſque ad ſeculum IV. facta fuit in ſilentio, & ſine cantu. Auguſtini vero temporibus introductus Carthagine fuit mos canendi Hymnum aliquem ex Pſalmis deſumptum, qui mos inde tranſmiſſus eſt ad univerſam Latinam Eccleſiam. Morem hunc defendit Auguſtinus loco ab Eminentiſſimo citato contra Hilarum quemdam Tribunum. Hilarus morem, *qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, ut Hymni ad Altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive quum diſtribueretur populo, quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione, ubicumque poterat, lacerabat, aſſerens fieri non oportere.* Tunc temporis dicebatur integer Pſalmus, vel Hymnus, aut plures, ut impleretur totum oblationis tempus, uti & poſtea ex Antiphonario Gregorii Magni conſtat, in quo integri inveniuntur Pſalmi ad offerenda dicti. Porro Oblatio, quæ olim in Miſſa fiebat, duplex erat, una a Sacerdote, alia a Circumſtantibus facta, & hæc iterum bipartita, nam alia in uſum Sacrificii, alia in ſacrorum Miniſtrorum commodum offerebantur; quibus cum primis Eccleſiæ ſæculis nulli eſſent fixi reditus, pii fideles omnia illis ad victum neceſſaria abunde ſuppeditabant; ea vero in Eccleſia perinde ac ipſa materia Sacrificii Deo offerebantur, immo poſteris temporibus quæcumque Eccleſiis, earumque Miniſtris, aut Monaſteriis donabantur, hujuſmodi donationes per chartam ad Altare ponebantur, cujus rei innumera propemodum extant apud veteres exempla, quæ paſſim exhibent antiqua Eccleſiarum tabularia, & archiva. Hinc poſtea ſtatutum eſt, ut illa, quæ in cleri eorum commodum cedunt, aut ante Miſſam, aut ſaltem ante Evangelium, quæ vero ad opus Sacrificii aſſumuntur, ad Offertorium proferantur: ac proinde Regino Prumienſis Abbas lib. 1. de Eccl. Diſciplinis, inter ea, quæ ab Epiſcopo viſitante Parochias ſuas præſcribit de Rectore, recenſet num. 72. *Si offerentes inſtruat, ut candelam, vel quidquid aliud ad Altare deferre placuerit, ante Miſſam, vel antequam Evangelium legatur, offerant,* & num. 73. ſubjungit: *Oblationem autem, unam tantummodo oblatam ad Offertorium pro ſe, ſuiſque omnibus unuſquiſque offerat:* Quæ quidem deſumpta videntur ex Hincmari Remenſis Archiepiſcopi Capitulari 1. art. 16. Sed de hujuſmodi oblationibus, & earum ordine iterum infra ſuo loco.

Mos canendi offertorium ſæculo 4. introductus: & tunc oblatio duplex erat.

(2) *Poſt ſingulos verſus Antiphona cantari ſolebat*). Hunc locum non ſatis advertiſſe videtur Ven. Cardinalis Joſeph Maria Thomaſius, dum eruditiſſimo Mabillonio Romæ degenti an. 1699. ajebat mirari ſe ex Amalario neminem obſervaſſe, quod Antiphonæ olim poſt ſingulos cujuſque Pſalmi verſus repetitæ fuerint. Item de Antiphonis, quæ cum verſibus cantari ſolebant. Vide Tom. 1. Theſauri Anecdot. Edmundi Martene pag. 120. ubi habetur Teraldi cujuſdam Epiſtola ad Guidonem, cur antiquitus in feſtivitatibus Sanctorum Pauli Apoſtoli, & Laurentii Martyris verſiculis Antiphonæ, ſeu Antiphonis verſiculi innecterentur, atque inter cætera, circa finem Epiſtolæ, ſic legitur. „ Hæc igitur „ duo, quæ dixi canticum videlicet, & Pſal„ mum, pariterque figuras: Eorum, quos „ præfati ſumus, Sancti Patres divinorum „ Officiorum Ordinatores ſignificare volentes, „ in hujus utriuſque feſtivitate cum Antipho„ nis decantandis ſtatuerunt verſiculos reci„ tandos, quatenus per hæc, & ſinceritas „ fidei eorum in Deo, & miſericordia in „ proximis monſtrarentur, ut Antiphona loco „ Cantici, per quod, ut dictum eſt, devo„ tio mentis exprimitur, reſonaret; Verſi„ culi vero tamquam Pſalmi recitarentur, „ quo æque exterior actio, ac miſericordiæ „ opera, quæ ſtudioſiſſime hi duo Sancti præ „ cæteris exercuerant, inſinuarentur.

Ad ipſam Antiphonæ poſt ſingulos verſus cantatæ.

(3) *Retinuerunt verſus offertorii Laudunenſes in aliquot Miſſis.*) Hos etiam Offertorii verſus retinuit Laudunenſis Eccleſia, ut ſcribit Antonius Bellotte Rit. Eccleſ. Laudun. pag. 466. Eumdem morem etiam ſervat Rothomagenſis Eccleſia, immo notat Dumoleon in ſuo Itinere Liturgico pag. 285. in recentiori Ordinario illius Eccleſiæ vetitum fuiſſe ſub anathematis pœna, ne hujuſmodi verſus omitterentur. *Statutum eſt in Eccleſia Rothomagenſi per totum annum verſus offerendarum ſecundum ſuum ordinem cantare, & ſub anathemate juſſum, ne dimittantur, propter Chori negligentiam, niſi Presbyter fuerit paratus ad* Per omnia &c.

Quod etiam nunc obſervatum in aliquibus Galliarum Eccleſiis.

(4) *Nec ipſum quidem Offertorium decantatur.*) Quando ceſſaverint Populi Oblationes in Miſſa, quas hoc loco olim factas recenſet Card. noſter, & de quibus item infra §. ſequenti, aliiſque, quarum etiam defectu cani deſiere crebræ illæ Antiphonarum

Quando ceſſaverint Populi Oblationes incertum.

& verſuum repetitiones antiquitus ad offertorium decantari ſolitæ, quamvis id præciſe definire non admodum facile ſit, rem tamen paucis exquirere , aut ſaltem delibare juvat. Jam inde a primis Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani ſuam quiſque hoſtiam offerebant, panem ſcilicet, ac vinum, maxime qui in Miſſa communicaturi erant, ut alias indicatum eſt, & item infra dicetur. Notior hæc ipſa res extat, quam ut probatione indigeat. Varia proceſſu temporis de eadem obſervanda poſtmodum ſtatuta confecta ſunt in illos, qui ſecus agerent. Hæc inter a Concilio Matiſconenſi II. an. 585. celebrato reprehenduntur qui ad Sacrificium Altaris perficiendum, panem, & vinum non offerrent: *Cognovimus* (aiunt hujus Synodi Patres can. 4.) *quoſdam Chriſtianos . . . . ita ut nullus eorum legitimo obſecundationis parere velit officio Deitatis, dum ſacris altaribus nullam admovent hoſtiam.* Propterea *decernimus, ut omnibus Dominicis diebus, Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini; ut per has immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, ac cæteris Juſtis offerentibus promereantur eſſe conſortes.* Id tum aliis ſimilibus decretis, tum etiam exemplis comprobare poſſem, ſi res poſtularet, quæ ut dixi, notiſſima eſt. Hanc porro Oblationem quiſque, ut docet Hincmarus Rhemenſis loco ſupra indicato, *aut ante Miſſam, aut inter Miſſam, antequam Evangelium legatur, ad Altare deferat*; & quidem ibi deferebant ſinguli, ſed oblata conſecranda non accipiebat Sacerdos de manu Diaconi, niſi lecto, & cantato Evangelio, quod non obſcure, & multo ante Hincmarum innuerat Auguſtinus in Pſal. 129. num. 7. *Accipit Sacerdos a te* (inquit) *quod pro te offerat quando vis placare Deum pro peccatis tuis*: Non offert autem placationis hoſtiam Sacerdos, niſi ad Offertorium, quod poſt Evangelii lectionem dicitur, cujus oblationis tempore verſus ex Pſalmis, aut Pſalmos ipſos decantatos fuiſſe idem ſupra docuit Hipponenſis Præſul, & magnus Eccleſiæ Doctor. Perduravit hujuſce oblationis obſervantia uſque ad nonum fidei Chriſtianæ ſæculum eo ritu peracta, qui deſcribitur in Ordine Romano, de quo capite ſequenti §. 1.

Probabile quod ceſſaverint circa ſæculum nonum.

Conſtat id ex Eugenii Papæ II. ſtatuto in Concilio Romano an. 837. cap. 17. apud Holſtenium in Collec. Rom. parte 2. pag. 31. ubi decernitur: *quod Presbyteri nullius blandiantur, aut ſuadeantur ſermonibus, ut non omnium ad ſe concurrentium in quibuslibet ſacris locis oblationes ad Miſſarum ſolemnitates recipiant, quia cum mediatores Dei, hominumque exiſtant, in exercendis votis, relaxandiſque peccatis largiſſimam debent orationem peragere. Si quis autem* &c. Idipſum repetit Leo Papa IV. in alia Synodo Romana apud dictum Holſtenium ibidem pag. 71. Eodem pariter tempore Walafridus Strabo naſcentem circa hujuſmodi oblationes a Sacerdotibus recipiendas, quorumdam eorum conſuetudinem erroris arguit lib. de Rebus Eccl. cap. 22. ubi plura in id argumentum profert, quorum aliqua recitat Card. noſter infra §. 7.

Quia vero Panis in ſacrificio offerendus, & in Chriſti Domini corpus tranſubſtantiandus juxta Sacramenti exigentiam, ac veterum plurium Conciliorum decreta, integer, mundus, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, eſſe debet, ut ita inter cæteros, Synodi Toletanæ ſextædecimæ Patres anno 693. can. 6. definiunt, itemque ex allatis antiquorum teſtimoniis conſtat, ſupra lib. 1. cap. 23. ſeu tom. 2. pag. 158. & ſeqq., cumque hunc ſic præparatum ſimul in unum dives, & pauper æqualiter omnes, ac commode offerendum pro Euchariſtiæ confectione habere non poſſent,

Quo tempore ex piarum largitionum incremento Sacerdotes ipſi facilius ſibi panes ad ſacrificium præparabant.

idcirco Sacerdotes ipſi, vel per ſe, vel per Diaconos, ad majorem munditiem, ac nitorem panes præparare, quos offerrent, adſtricti fuiſſent, uti præ cæteris Theodulphus Aurelianenſis anno circiter 794. ſuis Presbyteris & Clericis panes pro ſacrificio adhibendos ab ipſis ſtudioſe fieri demandavit in ſuis Capitular. art. 5. indeque pro eorum commutatione, & expenſis panes quoſcumque a Populo oblatos, vel in Eulogias, de quibus ſuo loco, vel in ſui, aut pauperum ſuſtentationem convertendos, nihilominus ſuſciperenr, proinde ut id commodius Sacerdotes exequerentur, factum eſt ante octavum etiam Chriſti ſæculum, ut pia Principum munificentia, ac devotis populorum largitionibus dotarentur, & ditarentur Eccleſiæ, earum poſtmodum Rectoribus cura relicta eſt ſubminiſtrandi quælibet ad ſacrificium perficiendum, altarium ornatum, domus Dei ſtructuram, miniſtrorum inibi inſervientium proviſionem, & victum, aliaque ad majorem divini cultus religionem neceſſaria.

Quod & pluribus argumentis demonſtratur.

In id argumenti quamplura ſuppeditant veteres Nationalium Eccleſiarum Hiſtoriæ ab earum propriis Scriptoribus collectæ, atque a recentioribus recenſitæ; & quidem hujuſmodi donationum ſpecimina bene multa exhibent in Monaſtico-Anglicano Rogerus Dodsvvorth, & Guillelmus Dungale, Aubertus Miræus in notitia Eccleſiarum Belgii, Carolus Cointius in Annal. Eccl. Fran. Ferdinandus Ughellius in Italia ſacra, aliique plures, ſed & præ omnibus ad idem comprobandum ſufficiat antiquiſſima, ac celeberrima charta Cornutiana dicta, quam publici juris primum fecit Joſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in Provincia ab Archivo Tiburtino exſcriptam, quam etiam poſt Mabillonium, qui eam rurſus edidit, nuper eximius vir Franciſcus Blanchinius in Prolegomenis tomi tertii de Vitis ſummorum Pontificum ab Anaſtaſio, delineatis illam fideliter, & integre exhibuit, in qua plura leguntur prædia Eccleſiæ Cornutianæ donata, & ſupellectiles pretioſæ pro ſuorum Miniſtrorum ſubſidio, pro altaribus exornandis, & Miſſis decore debito peragendis. Ibi inter cætera dicitur: *ut divino miniſterio ſubjecti competentem poſſint, & de loco cui ſerviunt, habere ſubſtantiam, ad ornatum ejuſdem Eccleſiæ, vel celebritatem Myſterii ſacroſancti.* Alia item plura poſterioris ævi, a ſæculo ſcilicet ſeptimo, teſtimonia profert clar. Pater Franciſcus de Berlendis diſſert. de Oblationibus peculiaribus §. 1. num. 3. & ſeqq. Ex quibus plane manifeſtum conſpicitur jam & ante ſæculum nonum ejuſmodi donationes pro comparan-

da

da ſacrificii materia factas in more fuiſſe.

Hiſce proventibus, ſeu eleemoſynariis ſubſidiis cum auctos ſacros Altaris Miniſtros noverint populi, priſcæ eorum oblationes non parum minui cœperunt, ac paullatim in deſuetudinem abire, proindeque ſupradicti cantus, ac verſuum, & antiphonarum repetitiones ceſſare. Id eveniſſe crediderim tum quando, ut diximus, panem in uſum ſacrificii a Clericis formari ſtatutum fuit, ex eo etiam cum omnis populi, qui obtulerat, communio refrigeſcente charitate deſiiſſet, atque ad uſum Celebrantis modica panis particula ſufficeret, vel cum idem populus, (ut ait Honorius Auguſtodunenſis in Gemma Animæ lib. 1. cap. 66.) pro oblatione panis, ſeu farinæ ac vini denarios offerre cæpit; tum etiam cum ſæculo circiter octavo, aut nono plures una, quæ publica, ſeu conventualis pro Populo, vel Congregatione dicebatur, ad quam omnes, qui poterant intereſſe, & offerre juberentur, aliæ item Miſſæ ſolemnes in eadem Eccleſia cantari, & pro ſingularibus perſonis, ſive Fundatoribus, aut Benefactoribus applicari debuerint, ad quas non omnis populus conveniebat, ſed ii tantum, qui ex devotione moti aſſiſtere volebant, adeoque in his Miſſis, quia particulares, & non omnibus communes, oblationes propterea ſolitæ non fiebant. Qualiſcumque autem fuerit cauſa hujus veteris, circa offerendi rationem, intermiſſæ diſciplinæ, de qua iterum infra ad §. 8. certum eſt eamdem uſque ad nonum, vel etiam decimum Eccleſiæ ſæculum, ſi non in omnibus ubique, ſaltem in pluribus locis eo ritu, quo antea, in ſingulis pene Eccleſiis obſervatam fuiſſe. Et quidem eam non omnino obſoletam eſſe adhuc conſtat; in pleriſque enim ſacris populorum cœtibus, præſertim in Pagis, & Oppidulis Ruſticorum ad Miſſam Parochialem hujuſmodi antiquæ oblationis conſuetudinem aliquo modo vigere perſpicuum eſt, uti notat Card. noſter, infra §. 8., ex quo Meratus in Gavantum parte 1. tit. 11. de Offertorio num. 1., quamvis hujuſmodi oblationes non in uſum Sacrificii cedant, ſed Parocho, vel pauperibus diſtribuantur. Ejuſdem etiam antiquæ oblationis veſtigia, viſuntur in Miſſa ſolemni Papali, cum ſcilicet ſummus Pontifex celebrat omnibus inſervientibus Miniſtris tam ordinariis, quam peculiaribus, Cardinalibus inſuper, & Epiſcopis aſſiſtentibus, præſertim in canonizatione Sanctorum. Item in Miſſa Pontificali Conſecrationis Epiſcopi, ac denique in Metropolitana Eccleſia Mediolanenſi, cum illius Archiepiſcopus ſolemniter ritu Ambroſiano Miſſam celebrat, de qua vide ſupra tom. 1. ſeu lib. 1. cap. x. §. 3., in quibus omnibus panis, & vinum ad Altare a propriis Miniſtris ad hoc munus deputatis, & oblationariis dictis, offeruntur.

Aliæ item cauſæ ceſſationis dictarum oblationum aſſignantur.

Quarum tamen veſtigia adhuc pleriſq; in locis viſuntur.

Atque hæ quidem factæ oblationes tantum in Miſſa ſolemni, & publica.

Singulæ autem memoratæ oblationes, nonniſi in Miſſa ſolemni, ſeu publica ab Epiſcopo in Eccleſia Cathedrali, ſeu aliis principalibus locorum ſuæ Diœceſis, aut in Titularibus præcipuis a Parocho, vel Presbytero decantata, in quibus populus univerſus cujuſcumque ſexus, & gradus iis ſubjectus convocabatur, ad altare deferebantur juxta Rectoris Eccleſiæ diſpoſitionem diſtribuendæ. In aliis vero minoribus Eccleſiis, quæ primariæ non exiſtentes, neque idcirco propriam plebem haberent, quæ ſimiles oblationes præſentaret, & aliunde in iſtis, utpote quæ non ſecus, ac Oratoria privata eſſent, in quibus Miſſæ publicæ vetitæ forent, ut alias dictum eſt, & habetur in Libro Diurno Romanorum Pontificum, quem edidit Johannes Garnerius cap. 5. art. 4. pag. 93. dictæ oblationes non fiebant; in quibus tamen Eccleſiis, ſeu Oratoriis, ſi celebrandi imminebat occaſio, ne materia pro Sacrificio neceſſaria deeſſet, aliunde providebatur, uti conſtat ex decretis Joannis Papæ III., & Gregorii pariter III. deſuper editis, tum anno circ. 561. & anno 732., de quibus Anaſtaſius in eorum Vitis. Cum itaque, ut ſignificatum hucuſque eſt, ipſarum oblationum delationes ad altare jam a ſæculo decimo in Eccleſia Latina communiter, ſeu fere in omnibus Eccleſiis obſoletæ fuerint, de conſequenti ipſa quoque verſuum, & antiphonarum repetitio ceſſavit, & Offertorium nunc ad unam antiphonam, & verſum, aut etiam eorum unam tantum repetitionem redactum eſt, quæ antiphona olim pro initio inſerviebat, & ad quemlibet Pſalmi verſum repetebatur; quis autem hujus offertorii ritum inſtituerit, incertum eſt; quidam enim Pontifici Eutychiano, alii Cæleſtino primo, & plerique Gregorio Magno, ac denique nonnulli Hadriano I. id inſtitutum tribuunt. Quidquid ſit de illius origine, hoc item additum eſt, videlicet ne in canendo longiori offertorio nimium fatigarentur Cantores, atque interim uſque ad Præfationem, dum Sacerdos ſecretas orationes diceret, melodia non ceſſaret, juxta quod legitur Paralip. lib. 2. cap. 29. v. 27. *Cumque offerrentur holocauſta cœperunt laudes canere Domino*, & quidem *in ſono tubæ, in pſalterio, & cythara, in tympano, & choro, in chordis, & organo, in cymbalis beneſonantibus*, quemadmodum ad laudandum Dominum ſic omnes Rex David invitat Pſal. 148. ne cantus, inquam, uſque ad Præfationem ceſſaret, organa in Eccleſiis introducta fuere, de quibus ſupra tom. 2. pag. 379. nonnulla attulimus ad cap. 25. §. 19. nota 3., atque etiam alia inſtrumenta muſicalia invecta, pleriſque in locis ſunt, quibus ſonantibus nec ipſum quidem Offertorium decantatur, ut candidus noſter Purpuratus obſervat.

At ne quis parum muſices amicus hujuſmodi cantum, & ſonum in Eccleſiis, præſertim Offertorii tempore ad Miſſam ſolemnem uſitatum quaſi abuſum traducat, illum legere moneo clariſs. Patris D. Anacleti Sicci Cler. Reg. Paulini de Eccl. Hymnodia lib. 2. cap. xi. ubi quod cantus muſicus Hymnodiam non dedeceat, luculenter oſtendit, atque inter cætera de eodem ſic habet p. 338. ſacræ melodiæ miros effectus in mortalium animis conceptos deſcribens „ Adeſt etiam „ (inquit) utilitas audientium, qui cantu „ illo, quaſi quadam ſancta illecebra, alliciuntur ad Templa, ut horas diei ſancte „ expendant. Multi ad Templa non accederent

Cantus Pſalmorum audientes allicit.

„ derent, niſi hanc piam modulationem eſſent audituri; & dum muſicis concentibus attendunt, quot tunc mala devitant? quoties multi ad meliorem frugem converſi ſunt? quoties multi pii ad majores virtutis progreſſus excitati ſunt? Non male ſcripſit quidam, quod hujuſmodi pius concentus motus divinos, & admirabiles animis hominum incutiat, eoſdemque ad ſtudium pietatis, ac devotionis accendat, curis rerum mortalium, & caducarum omnino liberet, in oblivionem mundi pellat, ad contemplationem denique cœli rapiat. Hinc alius muſicam modulationem, non ſine fundamento, ſic de ſe loquente introduxit:

Melodiæ miri effectus in animis mortalium.

Vinco, flecto, rogo, cantu, dulcedine, plectro,
Dira, cruenta, feros, tartara, monſtra, viros;
Languentes relevo, morituros excito, mæſtos
Erigo, pſallentes munio, vinco Deos.

„ Et quotquot umquam aut ficti, aut veri deſcripti ſunt effectus, ad animi mores componendos, viſi inter mortales, poſſunt ſimplici veritate transferri ad pium concentum in noſtris Templis expletum; quia ſimiles, immo etiam majores effectus ex Pſalmorum cantu in animis mortalium aliquando derivati ſunt. Hæc Anacletus Siccus, cui & alii in hanc rem bene multi veteres, recenteſque reſpondent. Legendus item Thomas Hurtadus Cler. Reg. M. Reſol. Orthodoxo-Mor. &c. Digreſſ. 4. ſect. 24. ubi quod liceant in choro Eccleſ. muſica organa diſerte probat. Jam vero quod organa etiam in Monachorum Eccleſiis, non ſolum in Italia, ſed & in Gallia, Germania, Anglia, alibique in uſu fuerint ſæculo decimo, pluribus oſtendit Mabillonius Præf. in Sec. III. Bened. num. 105. Et quidem de Fiſcamnenſi Monaſterio ſæculo duodecimo affirmat Baldricus ex Monacho Dolenſis Archiepiſcopus S. Bernardo noſtro Abbati Clarevall. coævus in Epiſtola ad eoſdem Monachos, quam cum aliis edidit Arturus de Monſtrieur in Neuſtria pia pag. 227. *Illa in Eccleſia*, inquit, *unum erat* (organum) *quod mihi non mediocriter complacuit, quod ad Deum laudandum, & excitandum David, canticis ſuis inſeruit: Laudate*, ait, *Dominum in chordis, & organo*, &c. Licet autem in eadem Epiſtola addat organa in Eccleſiis non ab omnibus probari, nihilominus hæc poſtea ſubdit: *Non tamen ignoro quia ſunt multi, qui tale quid in ſuis non habentes Eccleſiis, eos qui habent murmurando dilapidant, quos nos obloquentes & detrahentes audemus nuncupare, qui quod organa nobis innuant, neſciant exponere*: ſic multa ille in hunc modum. Sed ad reliqua quoad Offertorium diſquirenda pergamus.

§. IV.

Mos Panem, & Vinum offerendi antiquiſſimus; alia quædam his addita.

MOs fuit in veteri Eccleſia, ut qui ad ſacram ſynaxim conveniebant Panem, & Vinum portarent, & offerrent (1), ſicut ſupra oſtendi lib. 1. (1)
cap. 23. edit. Rom. §. 3. edit. Billean. Pariſ. §. 13. ex Conciliis, & Patribus. Addo Optatum Milevitanum, qui initio libri VI. reprehendit Donatiſtas, quod Altaria frangerent, in quibus vota populi portabantur, *in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita*. Loquitur autem de oblationibus, quæ in Altari conſecrabantur, nam ſubdit, *Quid eſt enim Altare, niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti?* Ideo Tertullianus *lib. de exhort. Caſtitatis cap.* 7. omnes Sacerdotes eſſe dixit, non quod omnes poteſtatem conſecrandi habeant, ut Anonymus quidam perperam explicavit, egregie a Petavio confutatus in Diatriba de poteſtate conſecrandi, ſed quia omnes Panem, & Vinum ad Altare Dei offerebant. Ritus autem priſcus fuit ea dumtaxat offerre, quæ ſacrificio uſui
erant, Panem ſcilicet, & Vinum (2), reliqua ſuper Altare offerri pro- (2)
hibet *can.* 3. Apoſtolorum. Permittit autem offerri, & benedici oleum ad luminaria, & incenſum, novaſque ſpicas, & uvas, ex quibus fiunt Panis, & Vinum, quæ ſunt propria hujus Sacrificii elementa. Reliquos fructus domum mitti jubet Epiſcopo (*lib.* 6. *Capit. c.* 191.) & Presbyteris, qui Diaconis, & Clericis diſtribuant. Hunc Canonem explicans Zonaras: *Fructus*, inquit, *legumina, & alia hujuſmodi offeruntur Altari, non*
ut Sacrificium, ſed tamquam primitiæ (3). *Oleum permittitur offerri, ut* (3)
per hoc lumen vero lumini accendatur, & incenſum tempore oblationis.

Priſco ritu ea tantum offerebantur, quæ ſacrificio uſui erant.

Poſtea

Poſtea Concilium Trullanum. uvam vetuit offerri *can.* 28. propter abuſum, qui in diverſis Eccleſiis irrepſerat, ut eam miniſtri incruento ſacrificio conjungentes ſimul cum Euchariſtia populo diſtribuerent. Ideo decrevit ut Sacerdos ſolam oblationem populo porrigeret, & uvam tamquam primitias ſeorſim benediceret, & petentibus tribueret ad fructuum datoris gratiarum actionem. Idem ſancivit *can.* 57. quod ad Altare mel, & lac offerre non oportet. Concilium vero Carthaginenſe celebratum anno 397. ut habetur in Codice Eccleſiæ Africanæ hæc omnia clarius ediſſerit *can.* 37. his verbis: *Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, ſeu lac, & mel, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in Altari offerantur; ſuam tamen habeant* propriam benedictionem (4), *ut a Sacramento Dominici corporis,* (4) *& ſanguinis diſtinguantur: nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis & frumentis*. Primitiarum igitur oblationem abſque ulla temporis limitatione concedit: mel autem, & lac offerri præcipit, ſive ſupponit ſemel tantum in anno, in die Paſchalis feſtivitatis, quo ſolemne baptiſma celebrari, & Neophytis e ſacro fonte egreſſis, (quos vetus Eccleſia myſtica nomenclatura infantes vocitabat) mel, & lac dari conſueverat, de quo ritu egimus lib. I. cap. XVI. Solebat etiam populus in die Cœnæ Domini oleum offerri in ampullis ipſa die ab Epiſcopo conſecrandum, ut ex libro Sacramentorum S. Gregorii apud Pamelium, & ex Ordine Romano conſtat. Mos enim veteris Eccleſiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinens benedicere, niſi ex oblatis.

(1) *Panem. & Vinum portarent, & offerent*) Juſtinus Apol. 2. S. Irenæus lib. 4. c. 34. S. Cyprianus lib. de Opere, & Eleemoſyna nos docent perſuaſum ſemper fuiſſe fidelibus offerenda eſſe in Eccleſia, quæ ſacrificio erant neceſſaria, præſertim vero panem, & vinum, quæ ſunt materia ſacrificii in Evangelio præſcripta. Vide citatum ab Eminentiſſimo lib. 1. cap. XXIII. §. XIII. edit. Pariſien. Billaineanæ tom. 2. pag. 198. Vide item Sirmondi diſſert. de azymo, & ferm. apud Ciampinum conject. de eadem re cap. 4. §. 3. & Mabillonii Præf. in ſæc. 3. Bened. n. 60. & ſeqq. atque ejuſd. diſſert. de Pane Euchar. cap. 10.

Qualis olim ordo ſervatus fuerit in oblationibus.

(2) *Panem ſcilicet, & Vinum*) Notandum primo, quod Populus offerebat Panem, & Vinum; ſecundo Clerus Panem tantum; tertio Vinum colis expurgabatur, ne quid fæcis in illo eſſet, quod argumento eſt Vinum oblatum adhibitum fuiſſe ad ſacrificium; quarto pro ſacrificio præferebatur Panis a Clero oblatus; quinto quod deinde fideles farinam offerebant. Honor. Gemma Animæ lib. 1. c. 66. *Fertur quod olim Sacerdotes, e ſingulis domibus, vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci ſervant*. Maldonat. Tract. MS. de Grem. Eccl. 1569. nos docet, quod etiam tum id ſervabatur in Hiſpania. Veteris hujuſce moris veſtigium viget nunc adhuc Lugduni in Eccleſia Primatiali, ubi in feriis Quadrageſimalibus a feria 2. poſt Dominicam primam, primi duo Presbyteri Panem & Vinum offerunt pro Sacrificio. Et in celebri Monaſterio Sancti Vedaſti Attrebatenſis; ſuperior nomine conventus ſingulis diebus ad offertorium Miſſæ conventualis Panem, & Vinum affert conſecrandum: Le-Brun 3. p. art. 3.

Joannes Burchardus Ord. Miſſæ lib. 19. cap. 4. Concilium quoddam Moguntinum can. 6. refert, in quo interdicitur fæminis offerre menſtruo tempore: *mulieres menſtruo tempore non offerant, nec ſanctimoniales; ſi præſumpſerint, tres hebdomadas pæniteant*. Cæterum mulieres abſque exceptione ad Altare olim oblationes ſuas præſentaſſe teſtatur S. Auguſtinus Confeſſ. lib. 5. cap. 9. num. 2. ubi loquens de S. Monica matre ſua ait: *nullum diem prætermiſiſſe abſque oblatione ad Altare tuum*: item colligitur ex Concilio Matiſconenſi II. an. 585., de quo ſupra, ubi mandat omnibus Dominicis diebus oblationes fieri ad Altare *ab omnibus viris, & mulieribus*, id vero abſque ullo diſcrimine, aut infirmitatis diſtinctione, non enim qualitatem perſonarum utriuſque ſexus exprimit, dummodo ex fidelibus ſint. Liquet etiam ex Ordine Romano primo apud Mabillonium tom. 2. pag. 11. num. 13. & pag. 57. num. 12., in quo narratur Pontificem, poſt ſuſceptas a viris oblationes, ſe transferre ad locum fæminarum, ut ab illis oblationes accipiat, quod & legitur item in Ordine tertio. Quando autem poſtea acceſſus ad Altare populo fuit interdictus, aut quia hujuſmodi appropinquatio laicis velut indecens judicaretur, aut quia magnus offerentium numerus non parum ſacris ejuſdem altaris Miniſtris devotionem perturbaret, tunc juxta quarumcumque Eccleſiarum diverſitatem, varia etiam diſciplina fuit introducta, de qua videndi erunt peculiares earumdem mores in ſingulis cujuſque Ritualibus libris expreſſi.

Cu-

Qualis olim fuerit, & nunc eſſe debeat vini color, an albus, vel rubeus.

Cujus autem coloris Vinum in Sacrificio adhibendum olim eſſe deberet, ſive album, aut nigrum, ſive rubeum, id pro certo affirmare non auderem, cum alterutrum æque apta materia pro ſacrificio fuerit, & ſit; neque enim apud ſanctos Patres, aut alicujus antiquæ Synodi Acta hoc perſpicue definitum invenio; nihiloſecius ex S. Irenæo, qui ſæculo ſecundo ſcripſit, virtutibus, ac proprio ſanguine Eccleſiam univerſam illuſtravit, mihi videtur non levi momento colligi poſſe Vini conſecrandi colorem tunc album potius, quam rubeum fuiſſe. Narrat ille lib. 1. adv. hæreſes cap. 13. de quodam Mago nomine Marco Valentini hæreſiarchæ diſcipulo, qui æmulari catholicam Eccleſiam doloſe affectans, & imitari quod Chriſtus Dominus fecerat in ultima Cœna, cupiens quod ad literam viſibiliter comprobarentur verba de ſui vera ſanguinis potatione Apoſtolis dicta, impoſtura quadam per diabolicam artem exhibita populum dementans, præſtigiorum vi, ac magicis ſermonibus, qui preces, & gratiarum actiones, quæ conſecrationem præcedunt, præſeferre videbantur, efficiebat, ut in vitreo calice tunc Vinum rubeum, & purpureum appareret, adeout Vinum converſum in ſanguinem fuiſſe conſpiceretur: *Pro ſanguine* (inquit ſanctus Martyr) *Vino mixto, fingens gratias agere, & in multum extendens ſermonem invocationis, purpureum, & rubicundum apparere facit, ut putetur ex gratia ab iis, quæ ſunt ſuper omnia, ſuum ſanguinem ſtillare in illius calicem per invocationem ejus.* Hæc & alia de dicto Impoſtore Irenæus. Narratio iſta, præterquamquod plane veteris Eccleſiæ, & ab initio fidem circa Vini ad Altare conſecrati tranſubſtantiationem in Chriſti verum ſanguinem probat: quoniam ſi hæc veluti ſecretum miraculum tunc a fidelibus credita non fuiſſet, ille vaferrimus deceptor ſuis incantationibus tam anxie non curaſſet, ut ad fidem ſibi comparandam, captandamque, illam etiam ſenſibus manifeſtam redderet; hæc narratio, inquam, præter iſtiuſmodi probationem, quæ ad dogma pertinet, pariter quoad ritum oſtendit, nimirum, ſi Vinum magicis artibus conſecrationis tempore in rubeum commutabatur ad imitandum ſanguinem, neceſſarium occurrit dicere, tale antea non fuiſſe, ſed alterius coloris albi ſcilicet, quod & affirmare non dubitat Card. Baronius in notis ad Martyrologium Rom. die ſeptima Auguſti, ubi hoc idem nequiſſimi præſtigiatoris doloſum facinus referens, ait: *Vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam præſtigiis mutabatur in rubeum.*

Pro fidelium libito vinum alterutrius coloris, utpote materia apta, oblatum.

Ex adverſo tamen, ſæculo quinto Vinum pro Sacrificio rubeum adhibitum fuiſſe aſſeri poteſt, cum S. Ambroſius in Pſal. 118. octonario 14. ad hunc Vini Euchariſtici colorem alludens, dicat: *Cernis roſam, hoc eſt Dominici Corporis ſanguinem*: in quam ſententiam pariter inclinare videtur Card. Jacobus a Vitriaco, qui ſæculo XIII. floruit, ita ſcribens Hiſtoriæ Occidentalis cap. 38. *Sed & Vinum, in quantum ex diverſis acinis conſtuit, unitatem Eccleſiaſticam repræſentat, in quantum autem calet, aut rubet, charitatem Eccleſiæ deſignat.* Quare in hac controverſia cujuſnam coloris eſſet Vinum olim pro conſecratione ad Miſſam oblatum, rem indiremptam relinquere arbitror, & dicendum pro fidelium libito fuiſſe, tamquam materiam æque aptam, alterutrum offerre, ſubdens tantum Orientalem Eccleſiam in Liturgia Vino rubro ſemper uti; ſic illius ritus, aut conſuetudo præſcribit apud Goarium in Euchologio Græco. Ita pariter in aliquibus Occidentis Latini ritus Eccleſiis; & quidem in Concilio Provinciali Beneventano IV., ſeu VI. ut aliis placet, an. 1374. celebrato, quod exſtat in Synodico Codice illius Eccleſiæ, quem edidit Card. Vincentius Maria Urſinus tunc ibi Archiepiſcopus, & exinde ſummus Pontifex Benedictus XIII. ſub tit. 7. cap. 4. ſic ſtatuitur: *Nullus cum Vino multum albo celebret, ſi poſſit in loco rubeum reperiri, & commode inveniri, cum magis Vinum rubeum, quam album ſanguini conformetur.* Conſonat hic canon ſtatutis ſynodalibus Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis in Gallia ſec. 13. nuper editis ab Edm. Martene to. 4. Theſauri Anecd. pag. 706. quibus & adde Synodum Meldenſem, in qua apud eumdem Martene ibidem ſic legitur: *Vinum potius rubrum miniſtretur in calice propter ſimilitudinem Vini albi cum aqua*: hinc fortaſſe motus Jo. Mabillonius de Liturg. Gallicana lib. 1. cap. 5. n. 9. „ Rubeum, ait, Vinum offerri ſæpius præ„ ceptum fuiſſe, tum ob periculum, tum ob myſterium; nam rubeum expreſſius Chriſti „ ſanguinem ſignat, quam album „. Verum in Concilio Provinciali primo Eccleſiæ Mediolanenſis, quod habetur in Actis ejuſdem Eccleſiæ a S. Carolo Borromæo conditis, præſcribitur inter cætera quod *Vino albo, ubi poſſint tantummodo ad Miſſæ Sacrificium Sacerdotes utantur.* Quod & in Synodo Amerinæ ſtatutum anno 1595., in qua cap. 524. de officio Sacriſtæ præceptum legitur: *ut pro ſacrificio Miſſæ ſit Vinum album potius, quam rubens.* Hæc pariter diſpoſitio reperitur in Synodo Majoricenſi an. 1659. quam conſtitutionem refert clar. Steph. Baluzius in notis ad epiſt. 63. S. Cypriani his verbis conceptam: *Cum ſacroſanctum Altaris ſacrificium, in quo fons omnis ſanctitatis, & nitoris retinetur, minus decenter peragatur, dum Vinum rubeum conſecratur, cum ſic munditiès Altaris vix conſervari poſſit; ideo hortamur omnes hujus Diœceſis Presbyteros ut poſthac Vino albo in celebratione Miſſarum utantur.* Conſimile etiam in pleriſque aliis Diœceſanis regionum Occidentalis Latinæ Eccleſiæ Synodis præſcribitur, quas commemorare ſuperfluum eſt. Atque hæc quoad Vini colorem, qualis in Miſſa adhibendus videatur, dicta ſufficiant.

(3) *Non ut Sacrificium, ſed tamquam primitiæ*) Vel tamquam munera in pios uſus Eccleſiæ, quæ quidem non erant conſecranda verbis Chriſti Domini, ſed propria, ſingulari, & ſimplici Sacerdotis benedictione ſanctificanda, de qua paullo infra.

(4) *Suam tamen habeant propriam benedictionem.*) Quam videbis infra cap. 14. §. 5.

§. V.

§. V.

De Agno 'a Romanis oblato, calumnia Photii. Diſcrimen inter munera, & oblationes. Non omnium dona ab Eccleſia recepta.

INter calumnias adverſus Eccleſiam Romanam, quas Photius Bulgariæ Regi, hic Romano Pontifici Nicolao miſit, una hæc fuit, quod in Paſchate more Judaico Agnum ſuper Altare ſimul cum Dominico Corpore offerret, & benediceret. Sed hoc putidum mendacium eſt: quamvis enim Romana Eccleſia Agni carnibus ſacerdotalem benedictionem impertiri ſoleret; non eas tamen aut ſuper altare collocabat, aut ſimul cum Chriſti corpore offerebat, ſeu benedicebat. Extat Agni benedictio pro die Reſurrectionis in Ordine Romano, ipſa enim die Agni carnes ſacerdotali benedictione ſanctificatas Fideles comedebant ob reverentiam Chriſti Agni immaculati pro nobis occiſi: idque olim in ejus figuram Domino præcipiente conſtituit Moyſes tamquam præcipuam Judaici Paſchatis cœremoniam. Nimio zelo hunc ritum tamquam ſuperſtitioſum, & erroneum Valafridus Strabo reprehendit *cap.* 18. nec video cur adeo acerbe morem antiquiſſimum ab Eccleſia approbatum, & hodie adhuc vigentem inſectetur: cum præſertim fateatur quod neque in altari, ſed ſub ipſo, vel juxta ipſum poneretur, neque ſimul cum Dominico corpore, ut nequiter Latinis impoſuit Photius, ſed propria benedictione & a conſecratione corporis Chriſti multum diverſa benediceretur. Aliquem ſortaſſis abuſum improbat, quem non indicat: aut reſpexit ad præcitatum canonem Africanum, quo inter ea, quæ offerri permittuntur, Agnus non recenſetur (1). At omiſſo Strabone illud inſuper obſervandum eſt, quod ſicut omnia indiſcriminatim offerre illicitum erat: ita Sacerdotes non omnium paſſim oblationes recipiebant. Nam primo omnia dona in locum deputatum ante Miſſam deferre mos erat, qui Gazophylacium ſive Secretarium vocabatur, in quo, & oblationum, & offerentium diligens inquiſitio a Diacono præmittebatur, habitoque delectu, qui digni reperti erant ad offerendum, admittebantur. Deinde ejectis, ſive ſegregatis qui offerre non poterant, ipſa dona conſuetis ritibus, de quibus infra, fideles offerebant per manus Diaconorum altari inferenda. Mos autem antiquus erat, ut qui communicandi jus non habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex Concilii Illiberitani can. 28. manifeſtum eſt (2). *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Omnes enim, qui Miſſæ intererant, & comunicabant, Panem quoque & Vinum offerebant, ex quibus Euchariſtia conficeretur (3), atque ideo cum jure communicandi annexum erat jus offerendi. Lites ſerunt ſuper hujus Canonis intelligentia Viri eruditi, ſed facile componi poſſunt duplicis communionis, munerumque, & oblationum adhibita, & bene perpenſa diſtinctione. Quod enim attinet ad munera, Baronius *to.* 7. *anno* 523. hoc inter ea, & oblationes ponit diſcrimen, quod munera ea dicerentur, quæ nulla habita ratione donantis in Eccleſiam tamquam in Gazophylacium inferebantur: oblationes autem eſſent, quæ a ſolis fidelibus orthodoxis ſolemni ritu offerri, & recipi conſueverunt, de quibus ait Irenæus lib. 4. cap. 34. *Is qui offert glorificatur ipſe in eo, quod offert, ſi acceptetur munus ejus.* Et munera quidem etiam ab in-

Munera, & oblationes inter ſe invicem diſtinguuntur.

fidelibus acceptata fuiſſe, ex eo probat Baronius, quod Anaſtaſius refert in vita Hormiſdæ, Theodoricum Italiæ Regem Arianum obtuliſſe B. Petro Apoſtolo cereoſtrata argentea duo, penſantia libras LXX. Non ſemper tamen hoc obſervatum fuit ob varias rerum, & perſonarum circumſtantias. Cum enim Euſebius Conſtantii Imp. Ariani eunuchus multa B. Petro munera obtuliſſet, Liberius Papa cuſtodem Eccleſiæ acriter increpavit, quod illa inferri in Eccleſiam paſſus eſſet, ipſaque tamquam illicita, & execranda ab Eccleſia projici mandavit. Rem narrat Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Imo aliquando ſi quid Hæretici Eccleſiæ intulerant, antequam in hæreſim laberentur, id eis poſt lapſum reſtitutum fuit: idque Tertullianus de Marcione refert lib. de Præſcript. cap. 30. dicens: *Ubi tunc Marcion? ubi Valentinus? Nam conſtat illos in Catholicæ primo doctrinam crediḋiſſe apud Eccleſiam Romanenſem ſub epiſcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, quam fratres quoque vitabant, ſemel & iterum ejecti; Marcion quidem cum ducentis ſeſterciis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſime in perpetuum diſſidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt.* Adeo munera illius hæreſiarchæ Eccleſia deteſtata eſt, ut CC. ſeſtertia, quæ ut ſupputat Budæus quinque aureorum millia valebant, illi cum e cœtu fidelium expelleretur, ultro reſtituerit, nihil ipſius volens retinere. Hoc vero diſcrimen munerum, & oblationum paſſim negligunt probati Scriptores, nam quæcunque res Deo offeruntur ſive teſtamento, ſive alia quavis donatione; ſive res ſoli, ſive mobiles ſint, ſive pertineant ad ſacrificium, ſive pauperum, vel eccleſiaſticorum ſuſtentationi deſtinatæ fuerint, oblationes dicuntur, qua voce uſus eſt Ulpianus in Pandectis *lib.* 24. *tit.* 1. *de donationibus inter virum & uxorem l.* 5. §. 12. ubi ait locum ſacrum fieri, ſi maritus ad oblationem Dei uxori donaverit. Veteres teſte Feſto, offerumenta vocabant. Unde colligimus oblationis nomen æquivocum eſſe: nam primo ea munera ſignificat, quæ non altari, ſed Eccleſiæ extra Miſſam offerebantur: ſecundo, arctatur idem vocabulum ad ea, quæ intra Miſſarum ſolemnia altari inferuntur, ſive ad ſacrificium pertineant (4), ſive ab eo aliena ſint. Eſt & alia magis preſſa ſignificatio, qua oblationis nomine ipſum ſacrificium a Sacerdote Deo oblatum intelligimus, de qua aliquid diximus, cum de nominibus Miſſæ ageremus. (4)

Photii calumnia in Romanos de Agno Paſchali diluitur.

(1) *Inter ea, quæ offerri permittuntur, agnus non recenſetur*) Quod Eccleſia Latina Paſchali tempore una cum Dominico corpore agnum offerat, neſcio unde hoc mendacium Photius deſumpſerit; cum univerſis ſpectantibus fidelibus falſa edicere convincatur. Quis unquam vidit Latinum Sacerdotem die Paſchatis celebrantem unacum Dominico corpore agnum offerre? Qui enim eo die in univerſo orbe, ubi catholica, apoſtolica, atque Romana diffunditur, Eccleſia ſacris myſteriis adſiſtunt, ſacroſancto Miſſæ interſunt ſacrificio, de tam patente mendacio teſtes ſunt. Benedicitur eo die caro agni, Sacerdoti benedicenda a fidelibus offertur, non Sacerdos Deo Patri cum Dominico corpore offert. Benedicit illam Sacerdos, quemadmodum, & ova benedicit, & panem, & aquam, & ſalem, & cineres, & palmas temporibus ſuis, & terræ fructus; ait namque Paulus in priori ad Timotheum epiſt. cap. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum; quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et Dominus Jeſus Joannis cap. 6. benedixit panem multiplicandum, atque Turbis diſtribuendum: *Accepit ergo Jeſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus*: primo gratias egit, hoc eſt benedixit, indeque diſtribuit; item poſt reſurrectionem ſuam Lucæ cap. 24. recumbens cum duobus diſcipulis, ut cum eis in caſtello Emmaus cœnaret: *accepit panem, & benedixit, & porrigebat illis*: Ex Apoſtolica traditione conſuetudo emanavit benedicendi cum multis aliis creaturis ad humanum uſum neceſſariis cibos ad veſcendum ordinatos, non quod immundi natura ſint, ut Manichæi contendebant, *quoniam omnis creatura Dei bona eſt*, ut Paulum audivimus, *& vidit Deus cuncta, quæ fecerat,*

& erant valde bona, ut ſcribit Moyſes, ſed ut benedictione illa ſanctificentur, quemadmodum Dæmonum invocatione maculari poſſunt, ut admonet S. Cyrillus Catecheſ. 3. inquiens : *ut illa, quæ in aris offeruntur, cum natura ſint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur : ſic contra, aqua ſimplex per Sancti Spiritus, Chriſti, & Patris invocationem accepta virtute ſanctitatem conſequitur*. Et eadem ratione cætera quoque ad humanæ naturæ uſum creata, benedictione, & aquæ ſanctificatæ aſperſione ſanctificantur.

Et quidem plures aſſeruntur rationes, quibus Paſchali tempore Agnus comedendus benedicitur.

Itaque die Paſchatis poſt jejunium quadraginta dierum, quibus fideles a carnibus ſe abſtinere, & lacticiniis, caro agni eo die comedenda, ova quoque de lacticiniorum genere Sacerdoti benedicenda offeruntur : redituri namque ad carnis, & lacticiniorum eſum, optant pie novum illum cibum, quaſi de manu Domini accipere, & ſacerdotali benedictioné juvari, ut eo ſobrie, & ſalubriter uti poſſint, atque corpori, & animæ ita proſit. Caro agni comeditur eo die ad Chriſti Domini imitationem, qui ante paſſionem ſuam facta cæna cum diſcipulis ſuis Paſcha, ideſt agnum, manducavit. Agnus porro mactatus in exitu filiorum Iſrael de Ægypto, cujus ſanguinis virtute, poſtibus domorum Iſraelitarum aſperſis, immunes ab Angelo exterminatore effecti ſunt, figura fuit Chriſti agni immaculati, de quo Iſaias : *tamquam ovis ad occiſionem ductus non aperuit os ſuum*; in Ara Crucis immolati, atque occiſi, cujus effuſi ſanguinis virtute, genus humanum a captivitate dæmonum ſolvi meruit : unde, & in laudem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti in tanti beneficii memoriam fideles populi die Paſchatis, ſanctificatum ſacerdotali benedictione, agnum comedere feſtinant. Hinc ſancta Eccleſia agnum præfatum benedicens, ſic orat „ Deus, qui per famulum tuum „ Moyſen in liberatione populi tui de Ægy„ pto agnum occidi juſſiſti in ſimilitudinem „ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & utroſque „ poſtes domorum de ſanguine ejuſdem agni „ perungi præcepiſti, bene✠dicere, & ita „ ſancti✠ficare digneris hanc creaturam car„ nis, quam nos famuli tui ad laudem tuam „ ſumere deſideramus per Reſurrectionem „ ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Hæc in Agni Paſchalis benedictione*.

Eodem etiam Paſchatis die alia item comeſtibilia benedicuntur pariter a Græcis, nec de illis Latinos reprehendit Photius, quia & a ſuis idem fit.

Eodem certe Paſchatis die ſecundum Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, ne dum agnus, verum & panis, & ova benedicenda Sacerdoti offeruntur : cur ergo Photius non dixit & ova, & panes die ſancto Paſchatis unacum Dominico corpore ſuper altare offerri ſicut dixit de agno? Eo modo defertur agnus, & benedicitur, quo panes, quo ova, ſi ex hoc, quod deferatur agnus ad benedicendum, dicit eumdem a latinis cum Dominico corpore offerri, idem fateri debuerat de panibus, & de ovis, quæ ſimili modo, ut benedicantur, eadem die ſacerdotibus ad Eccleſiam deferuntur; ſed quoniam, & Græci panes benedicunt, ova quoque die Paſchatis, devotionis gratia comedunt, noluit in probrum vertere, quod commune habet Eccleſia Græca cum Latina. Apparet ergo & malitia, & mendacium.

(2) *Ut ex Concilii Illiberitani can. 28. manifeſtum eſt, &c.*) Idcirco quoties apud antiquos Scriptores legitur : *Ejus oblatio non recipiatur*, vel aliquid ſimile, intelligi debet, ut optime clar. Chriſt. Lupus tom. 1. in can. Concilii Nicæni pag. 257. interpretatur, nempe quod ille *Sacrificio quidem adeſſe poſſit cum fidelibus, verum de illo non percipere, & hoc eſt communicare ſolis orationibus*. Cui enim vetitum erat Chriſti corpus cum aliis ſumere, neque ad hunc effectum ejus oblatio ad altare admittebatur, quia poteſtas offerendi cum communicandi poteſtate unita cenſebatur, mutuamque inter ſe connexionem, ac relationem invicem habebant. Hinc quiſquis ille ſit Author ſermonis 25. inter S. Ambroſio adſcriptos ex priſca priorum fidelium conſuetudine, ait : *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare*. Eapropter ex eadem tunc obſervata diſciplina ſtatuere judicarunt laudati Illiberitani Patres : *ut Epiſcopus non debeat munera* (ſeu oblationes) *illius accipere, qui non communicat*. Quamvis autem oblatio, & communio iis temporibus ita conjungerentur, poſterioribus tamen hæc veterum fidelium praxis, non ſemper in uſu viguiſſe comprobatur ex S. Gregorio Turonenſi, qui ſæculo ſexto floruit, lib. de Gloria Confeſſ. cap. 65., ubi narrat de quadam Vidua Lugduni degente, quæ non quoties ad ſacrificium offerebat, de eodem participabat: *Muliere*, inquit, *non ſemper ad communicandi gratiam accedente* : ab his igitur voluntarie a ſacra menſa abſtinentibus, quorum numerus ſæculo quinto, ſexto, & inſequentibus magis, magiſque increbuit, qui ſine communione ſacrificio adſtabant, oblationes nihilominus recipiebantur, quemadmodum in præſens eleemoſynam pro Miſſa etiam illorum admittimus, qui ad eam non communicant, idque olim dicebatur *Miſſas ſpectare*, ſicut & nunc *Miſſas audire* dicimus, uti ex pleriſque dicti Gregorii, aliorumque locis, id luculenter oſtendit Mabillonius Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 6. num. 5., de qua etiam utraque re ſparſim in hoc opere loquitur Card. noſter, & mox §. ſequenti.

Poteſtas offerendi olim unita cum poteſtate communicandi poſtea ſenſim inductum ut qui non communicarent, ſi tamen voluerint eorum oblationes reciperentur.

(3) *Panem, & Vinum offerebant, ex quibus Euchariſtia conficeretur.*) Hinc viventium, non aliorum nomina reperiuntur commemorata in prioribus illis Eccleſiæ ſæculis, niſi offerentium, eorum nimirum, qui pro Eccleſiæ tunc invaleſcente more, dona illa obtuliſſent, quæ eſſent poſtea in myſticum Euchariſtiæ Sacrificium Sacerdotis benedictione conſecranda; cum enim ex conſuetudine ſacrificiorum jam recepta, tam a Gentilibus, quam a Judæis, præter ſacrificia publica, quæ publicis impenſis oblata ſunt, eſſent, & alia pro offerentium devotione privata; & cum privata illa propriam quamdam, peculiaremque vim habere crederentur, qua Numen eſſet ipſis offerentibus conciliandum; propterea nec ſuis illud negandum crediderunt Chriſtiani, quo proprium ſibi Numinis favorem conciliarent. Eratque adeo certa quædam communionis honorificæ ſpecies illa poſt oblationem commemoratio, ut conſtat ex Canonibus pœnitentialibus; nec enim ad illam admiſſi

Offerentium nomina olim publice in Eccleſia recitata, de quibus item infra.

miſſi pœnitentes ſunt, cum communis illa plebei, illis conceſſa eſt. Non equidem de aliis loquitur Innocentius I. Epiſtola ad Decentium Eugubinum cap. 3. Verba ejus conſideranda ſunt, quia hanc rem totam mirifice illuſtrant: *de nominibus vero recitandis, antequam preces Sacerdos faciat* &c. ut in textu, quem infra §. 7. refert Eminentiſſimus Scriptor, ubi plane conſtat nominum hanc recitationem in oblatione fuiſſe fundatam, nec proinde aliorum, quam offerentium, factam eſſe commemorationem. Et quidem antequam ſolemnem Præfationem Sacerdos exordiretur, publice Diaconus offerentium nomina olim recitabat. Quoniam vero multi ſuperbiebant, cum ſe tunc nominari a Diacono audirent, in eos propterea ſubiraſcens invehitur S. Hieronymus Hom. in Ezech. cap. 6. & 18. atque Innocentius hanc hominum vanitatem deteſtans opportunius exiſtimavit, poſt peractas preces, nomina offerentium edici, ut intelligerent fideles nomina eorum recitari, & quia oblationem attulerunt, & quia precibus Sacerdotis in ſuorum peccatorum expiationem fuerant Deo commendati, idcirco ſic, ut ſupra, Decentium allocutus eſt. Nomina igitur offerentium recitabantur, non ad liberalitatis oſtentationem, ſed ut cum oblatio munda pro omnibus offereretur, pro illis ſpeciatim a Sacerdote, iiſque qui aderant, orationes fierent. De hac porro nominum offerentium recitatione latius infra dicetur loco mox indicato.

(4) *Ad ea, quæ intra Miſſarum ſolemnia altari inferuntur &c.*) Et ſane munus eſſe, quod intra Miſſarum ſolemnia altari infertur, patet ex illo, quod legitur Matth. cap. 5. v. 23. 24. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris . . . . & tunc veniens offeres munus tuum.* Deinde ex canone Miſſæ initio, ubi oblata panis, & vini dicuntur: *hæc dona, hæc munera*: ad quæ verba Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 2. de offic. cap. 6., & Stephanus Eduenſis lib. de Sacram. Altaris cap. 13. obſervant binas Sacrificii Miſſæ oblationes, panis ſcilicet, ac vini, dici *dona* quatenus a Deo dantur; *munera* autem vocari, quatenus a nobis eidem offeruntur. Recole quæ jam ſuperius dicta ſunt ad lib. 1. cap. 3. §. 2., nota 10. ſeu tom. 1. pag. 26. Hinc ſub muneris nomine dictæ oblationes memorantur ab Eccleſia in pleriſque Miſſarum ſecretis orationibus, veluti in vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ubi ſic habetur: *Munus populi tui, quæſumus Domine &c.* feria 6. 4. Temp. Adventus: *Muneribus noſtris, quæſumus Domine, precibuſque ſuſceptis &c.* Ad ſecundam Miſſam Nativitatis Domini, ſecreta incipit: *Munera noſtra,* & pro S. Anaſtaſia: *Accipe, quæſumus Domine, munera dignanter oblata.* Ad tertiam Miſſam: *Oblata, Domine, munera &c.* In feſto S. Stephani Protomart. & S. Joannis Ap. & Evangeliſtæ: *Suſcipe, Domine, munera &c.* Item in feſto S. Thomæ Epiſc. & Mart. *Munera tibi, Domine, dicata ſanctifica.* Denique ne alias omnes ſecretas Miſſalis orationes percurram, hanc notam claudam Hildeberti Cenomanenſis verſibus Carm. de myſt. Miſſæ:

De donis, propriiſque datis, tibi munera pura,
Munera ſancta, ſed & immaculata damus.
Dona quidem nobis Domino data; nam quod in eſcam
Donat, nos ipſi ſacrificando damus.

§. VI.

Communio duplex, una ſcilicet participatio cum fidelibus in communi conſortio, & orationibus, altera in jure ſumendæ Euchariſtiæ. Non ſemper qui offerebant communicabant.

Sicuti oblationis nomen æquivocum, ita & communionis, cujus ſpecies duæ deſcribuntur.

EAdem æquivocatio in nomine communionis reperitur, quæ neceſſario explicanda eſt, ut palam fiat, de qua communione loquamur, cum dicimus illorum oblationes non fuiſſe receptas, qui ad communionem jus non habebant. Quod ergo attinet ad præſentem Diſſertationem, duæ erant communionis ſpecies. Una erat participatio cum fidelibus in communi converſatione, & conſortio, atque etiam in oratione, qua qui donati erant, poterant in omnibus cum fidelibus convenire, ſed non in perceptione Euchariſtiæ. Altera, quæ maxima dicebatur, jus præbebat ſumendæ Euchariſtiæ. Qui utraque privabantur, hi ab Eccleſia omnino præciſi erant, quales ſunt hodie excommunicati, de quibus nullum eſt dubium, quod nihil poterant altari offerre, cum ab ipſo Eccleſiæ ingreſſu, ſicut & Pœnitentes primi gradus, arcerentur. Idem dicendum eſt de Cathecumenis, & Pœnitentibus ſecundi, & tertii ordinis, & de reliquis, qui peracto ſermone ab Eccleſia egrediebantur, & januis clauſis adeſſe myſteriis non poterant. Pœnitentes autem, qui ad quartum gradum pervenerant, illi etiam, qui ob aliquod minus grave peccatum ſola

la

la Euchariſtiæ communione privabantur (1), licet ſacris intereſſent, & orationum participes fierent, atque pauperibus eleemoſynas erogare poſſent, nihil tamen poterant offerre ad altare; cum enim non liceret eis Chriſti corpore refici, conſequens erat, ut eorum oblationes rejicerentur, quia poteſtatem offerendi, & jus ſumendi corpus Chriſti, ſibi invicem connecti tunc Eccleſia arbitrabatur; nec putabat gratas fore & acceptabiles Deo illius hoſtias, & oblationes, qui a perceptione divinorum munerum abſtentus erat. Confirmat hunc morem epiſtola Auguſtini nomine ſcripta ad Bonifacium virum illuſtrem, qui tempore Auguſtini vivebat, & Romani Imperii perduellis erat. Hæc eſt 6. *in appendice tom.* 2. eamque Baronius *an.* 427. eſſe putat alicujus Epiſcopi Africani: *Oblatio*, inquit, *domus tuæ a clericis ne ſuſcipiatur indixi, communionemque tibi interdico, donec peracta pro auſibus vel errore a me definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito, & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo*. De utraque communione loquitur Concilium Ancyranum, ut optime explicat Baronius *tom.* 3. *an.* 314., nam quibus dumtaxat permiſſum erat cum fidelibus orare, illos ait communicaſſe ſine oblatione: qui vero ad Euchariſtiæ perceptionem admittebantur, ii dicebantur communicare cum oblatione. De communione laica, & peregrina ſuo loco commodius agam. De Energumenis ſtatuit Concilium Illiberitanum *can.* 29. ne ipſorum nomen cum oblatione ad altare recitaretur. De Pœnitentibus autem ſubito mortuis Concilium Vaſenſe 1. c. 2. decrevit, ut eorum oblationes reciperentur, & nomina recitarentur. Decreti cauſam reddidit Concilium Arelatenſe II. c. 12. quia pœnitentiam honoraverunt. Idem ſancivit Concilium Toletanum XI. can. 12. Atque inde originem accepit quorumdam in Africa ſuperſtitio, qui ori mortuorum Euchariſtiam infundebant, ut communioni Eccleſiæ reſtituti crederentur, quæ damnata eſt in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ c. 18. Cum autem in Eccleſia primævus rigor vigeret, ita fideles cum mortuis communicabant, quemadmodum communicaverant cum viventibus: atque ita qui vivens inter *Flentes* erat, ſive inter *Audientes*, aut *Subſtratos*, vel *Conſiſtentes*, etiam defunctus ſimilem gradum habebat, ejuſque corpus in eodem Eccleſiæ loco collocabatur, in quo vivens ſtare conſueverat; atque inde ad ſepeliendum efferebatur. De his vero, qui animo jam deficientes pœnitentiam poſtulabant, & ante reconciliationem, ſive abſolutionem moriebantur, Leo Magnus *epiſt.* 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ſic ſcripſit: *Horum cauſa Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus*. Porro communio in his verbis pro abſolutione, & venia accipitur, quo ſenſu antiqui canones graviorum quorumdam criminum reis hanc pœnam impoſuerunt, ut nec quidem in fine communionem acciperent, quod de reconciliatione, & reſtitutione conſortii cum fidelibus omnino accipiendum eſt. Mitigata deinde fuit hæc ſeveritas, nec ulli ſerio pœnitenti venia denegata eſt, adeo ut ſecunda ſynodus Aurelianenſis c. 14. (in edit. Pariſ. c. 15.) illorum etiam oblationes recipi conceſſerit, qui in aliquo crimine fuerant interempti, iis tantum exceptis, qui propriis ſibi manibus necem intuliſſent.

Aliæ vero communionis Eccleſiaſticæ diverſitates ſuo loco explicabuntur.

(1)

(1)

(1) *Sola Euchariſtiæ communione privabantur.*) Et illi quoque, qui ſine literis communicatoriis vagabantur, necnon & Clerici ad communionem peregrinam redacti. Quare, cum, ut ſupra dictum eſt, duæ eſſent ad altare oblationes, altera pro ſacrificio, altera pro Eccleſia, ſeu ejus Miniſtris, aut pauperibus, pariter duæ erant communiones, altera in orationibus, altera in ſacrificio, quarum non omnes fideles participes ſemper fiebant, ſed nonnulli interdum ad unam recepti ab alia repellebantur. Ita de pœnitentibus quarti gradus loquens Concilium Nicænum can. 11. *Duobus annis abſque oblatione* (ideſt pro ſacrificio) *erunt orationum cum populo participes*; quod & conſonat canoni quinto Ancyrano, ubi de iiſdem ſtatuitur: *duobus annis ſine oblatione communicent*. Duo itaque antiquitus erant veluti genera Chriſtianæ communionis, communio nempe commercii, ſive mutuæ cum cæteris fidelibus ſocietatis, & communio Euchariſtiæ, quæ prioris perfectio, finis, & centrum eſt. Illa relationem habet ad corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, hæc habitudinem ad verum ejuſdem Chriſti Domini corpus, quod ſumitur in Euchariſtiæ Sacramento. Illa propterea dicebatur communio ſine oblatione, ſeu abſque participatione corporis, & ſanguinis Domini; hæc autem communio perfecta, ideſt cum oblatione, & perceptione Euchariſtiæ. Quoniam vero Eccleſia conſtat ex Clero, & populo, ac proinde duo ſint fidelium Chriſtianorum ordines, Eccleſiaſticorum ſcilicet, & laicorum; eapropter Chriſtiana communio dividebatur in Eccleſiaſticam, & laicam; ac inter utramque media erat communio peregrina. Eccleſiaſtica dicebatur illa, qua quis communicabat Eccleſiæ, ſeu erat cum aliis fidelibus in Eccleſia, & de Eccleſia, ut de Cleri gremio, ſive Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, aut ex inferioribus miniſtris, in aliquo ordine conſtitutus; quare tot hujus communionis ſpecies, aut diviſiones cenſebantur, quot ſunt Ordinis gradus; nam v. g. Epiſcopus longe alia ratione communicabat, ſeu hujuſce communionis Eccleſiaſticæ particeps erat, quam Presbyter, & hic alia, quam Diaconus, & cæteri; proinde cum aliquis iſtorum in pœnam cujuſpiam delicti, ordinis ſui munia exercere non poterat, is communione Eccleſiaſtica quoad gradum ſuum privari dicebatur, uti nunc dicimus ab ordine ſuſpendi, aut interdici, quia cum cæteris in iis, quæ ſui ordinis ſunt, communicare non poſſet, de qua communione loquuntur plures antiqui Canones dum ſtatuunt delinquentes clericos communione privari. Si vero quis ob capitale crimen aliquod perpetua depoſitione ab officio mulctaretur, adeout nedum ſui gradus honore privatus, ſed etiam ab omni functione removeretur, tunc ille cenſebatur integro communionis Eccleſiaſticæ jure privatus, & inter laicos, ſeu ad laicam communionem relegatus, & ejectus.

Cum duæ fuerint olim ad altare oblationes, duæ etiam erant præcipuæ communiones chriſtianæ.

Chriſtiana communio in Eccleſiaſticam, & laicam diviſa.

Laica porro communio, (quidquid de hac qualis fuerit, diſputent Eruditi, de qua controverſia fuſius ſuo loco quid opinari congruentius videatur, dicemus) ea erat jus ſocietatis, & communicationis cum cæteris fidelibus in rebus tam ſacris, quam civilibus more laicorum, ſeu erat, qua quis communicabat Eccleſiæ, ideſt cum populo in Eccleſia, & de Eccleſia, ut Laicus, qualis illa, de qua S. Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum data, loquens de Trophimo quodam Epiſcopo lapſo, qui idolis ſacrificaverat, & incenſum obtulerat, quem ut Epiſcopum reſtitutum fuiſſe priſtinæ dignitati ſuæ conquerebatur Antonianus, cui reſpondet Cyprianus, eum quidem pœnitentem, & ſatisfacientem fuiſſe admiſſum, non uti prius, Epiſcopum, ſed ut laicum, dum ait: *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus ut laicus communicet, non ſecundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet*: Clericum itaque reduci ad communionem laicam erat eumdem relegari de gradu, & ordine clericali, ſeu Eccleſiaſtico ad ſtatum laicalem, & fieri quaſi de clerico laicum. Sic autem laica communione punitus clericus communicare debebat cum plebe extra ſepta altaris ſub una, vel ſub duplici ſpecie juxta Eccleſiarum conſuetudinem, uti inter cæteros tradit Antonius Bellotte Obſerv. ad Ritus Eccl. Laudunenſis pag. 639., cui & Card. noſter infra ſuo loco ac plerique non pauci conſentiunt Eruditi. De reliquis autem minoribus chriſtianæ communionis ſpeciebus, veluti Peregrina, Eulogica, &c. non eſt cur immoremur, cum de his alibi diſſerendum ſit, iſthic præcipuas tantum memoraſſe contenti.

Erat inſuper communio, quæ per epiſtolas Antiſtitum, ſeu Eccleſiarum Rectorum quibuslibet Chriſtianis peregrinantibus (exceptis hæreticis, & pœnitentibus) dabatur, quas ſuſcipientes Prælati, ad quos deferebantur, ex illarum lectione agnoſcebant quemadmodum cum his peregrinis agendum, & qua eos communione donari oporteret; unde Concilium Chalcedonenſe can. 11. ſic de iſtis habet: *Omnes pauperes, & indigentes Eccleſiaſticis auxiliis, cum proficiſcuntur ſub probatione Epiſtolii, ſive pacificis, quæ dicuntur Eccleſiaſticæ, tantummodo commendari ſtatuimus, & non commendatitiis epiſtolis, quia commendatitias epiſtolas, quas dicimus, eos tantum accipere convenit, qui in opere ſunt clariores*. Erat itaque hæc per epiſtolas communio duplex, altera ad ſacrificii perfectam, & plenam participationem cum jure ſcilicet offerendi, & Euchariſtiam ſumendi in ordine ſuo, quæ per commendatitias nonniſi probatis hominibus tribuebatur, altera per litteras ſimplices communicatorias, Eccleſiaſticas dictas, qua venientes cum hiſce epiſtolis, ad orationes communes tantummodo admittebantur, non vero ad ſacrorum myſteriorum præſentiam, atque participationem; quapropter erant hæ diſtinctæ communiones, nempe ad ſacram menſam ſimul, & ad publicas orationes, & ad has dumtaxat; de quibus luculenter diſſerit clariſs. Ab. Franc. Dominicus Bencinius diſſert. 1. de Litteris Encyclicis §. xx. n. 13. Sed ad reliqua circa oblationes, quæ hoc loco diſquirenda ſuperſunt, procedendum eſt.

Communio item per epiſtolas data, duplex.

Et primo quidem jam ſupra oſtendimus pro conficiendo ſacrificio panem, & vinum

offerri

De reliquis ad priſcæ oblationis ritum ſpectantibus, videlicet de aqua pariter cum vino oblata.

offerri conſueviſſe, quin & aquam pariter oblatam ſignificant Juſtini Mart. verba Apologiæ 2. *Ei*, inquit, *qui præeſt fratribus, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*: Aquam memorat Amalarius lib. 3. de Eccl. off. cap. 9. ubi de iis, qui offerre debent, ac præſertim de Cantoribus loquens: *ſtatutum eis*, ait, *ne penitus ſint extorres* (ab offerendo ſcilicet, nam ob cantum impediti) *cuſtodire aquam, & hanc unam offerre pro cæteris. Populus offert vinum, Cantores aquam &c.* Conſonant Walafridus Strabo Rerum Eccleſ. cap. 22. & Ordo Romanus I. in Hittorpii Collectione tit. de Ord. Proceſſ. ad Eccleſiam, ſeu Miſſam, ubi dignoſcitur clericos potiſſimum digniores panes offerre, cantores aquam, vinum populum. Eximebantur porro ab hoc onere offerendi, quo tenebantur fideles omnes viri, ac mulieres juxta Matiſconenſis Concilii ſupradicti can. 2. & tradunt orationes, quæ leguntur in antiquis Sacramentariis, dictæ *ſuper oblata* apud Thomaſium Codd. Sacram. Eccl. Rom., & Mabillonium in Liturgia Gallic., ubi inter cæteras conſideranda illa ex Miſſali Franc. num. XIX. his verbis concepta, quæ, & alibi legitur: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus adſume, ut quod ſinguli obtulerunt &c.*

Qui ab oblationis onere eximebantur.

Eximebantur, inquam, quotquot vel nimium pauperes eſſent, vel adulti non communicantes, aut pueri nondum Euchariſticæ communionis capaces, mulieres ſanguinis fluxu laborantes, ut ſupra adnotatum eſt, & ſanctimoniales recluſæ; multo magis per ſacros Canones eo cenſebantur honore dejecti, qui publice ab Eccleſia reputabantur indigni. Concilium Ilerdenſe can. 13. munera illorum reſpuit, *qui filios ſuos in hæreſi baptizandos obtulerint*. Carthaginenſe IV. can. 93. vult *oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipi*.

De tempore, die, ac loco, quibus fiebat oblatio.

Porro circa tempus offerendi, etſi aliquid jam dictum ſit, nonnulli tamen veteres haud plane inter ſe conſentiunt. Rhegino Prumienſis Abbas lib. 1. de Eccl. Diſcipl. tradit *ante Miſſam, vel antequam Evangelium legatur, ad altare oblationes deferri debere*. Ordo Romanus, ut item infra videbitur, poſt lectionem Evangelii illud deſignat, alia antiqua monumenta poſt ſymbolum ſtatuunt, quod habendum veluti ad Evangelium conſectarium; hinc qui ſequitur cantus *Offertorium*, ſive *Offerenda* appellatus eſt, de quo ſic alias laudatus Hildebertus Cenomanenſis Carm. de Myſteriis Miſſæ, inquit:

Ordo decens Evangelium præcedere cernis,
Pone fidem pandi, dona deinde dari.

De die, quo oblatio publica ab omnibus fieri deberet, plures extant ſanctiones. In Capitularibus Caroli Magni lib. 5. cap. 219. conſtitutum legitur: *per omnes dies Dominicos offerendum*, quod etiam confirmatur lib. 6. c. 170. apud Baluzium tom. 1. Capitul. Reg. Franc. pag. 951. *Placuit ut fideles oblationes Sacerdotibus quotidie offerant . . . ſaltem die Dominico*: quod pariter in aliis ſolemnibus feſtis, ſive in Dedicationibus Eccleſiarum, aut Martyrum celebritatibus a cunctis factum fuiſſe, ſive Clericis, ſive laicis, viris ac mulieribus, obſervat Hugo Menardus in Sacrament. Gregorii pag. 371. Locus autem, ubi offerebatur, is erat; Ad altare ſoli ejus adminiſtri offerre conſueverant, populus oblaturus accedebat ad Sacerdotes, extra tamen cancellos, ſive altaris ſepta, ut in dicto Capitulari Caroli Magni, ubi dicitur: *& ut ipſa oblatio foris ſepta altaris recipiatur*: quod & legitur in Heraldi Turonenſis Epiſ. Capitul. lib. 3. *ut populi oblatio extra cancellos recipiatur*. Quo vero ad hujuſce veteris oblationum diſciplinæ obſervantiam, quam pene obſoletam & vix in aliquibus oppidis, pagis, aut villis apud ruſticos adhuc vigere innuimus, atque item firmat Card. noſter infra §. 8. nonnulla nihilominus exempla ejuſdem inſignium aliquot Civitatum Galliæ producit Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccl. Rit. cap. 4. art. 6. num. 6. quibus & alia addit recens clar. Scriptor Petrus Moretus de Presbyterio parte 2. ſect. 9. num. 3. ac ſeqq. Atque hæc de oblationibus antiquis ad altare intra Miſſam dicta ſufficiant. De reliquis poſt uſum ſacrificii, ſeu extra Miſſam ſuo loco dicetur, cum de Eulogiis ſermo erit.

§. VII.

Offerentium nomina publice olim recitata.

SEd regredior ad oblationes, & quia ſupra indicavimus ſimul cum oblationibus offerentium quoque nomina oblata, ſeu recitata fuiſſe, ideo inquirendum quid ſit hujuſmodi nominum oblatio, ſeu recitatio. Quidam putant hoc nihil aliud fuiſſe, quam pro illis orare, illorumque meminiſſe in orationibus ſeu publicis, ſeu privatis. Vere tamen alicujus nomen offerre idem erat, ac ipſum in ſancto ſacrificio recitare, & enunciare; qui ritus manifeſte colligitur ex Epiſtola decima Cypriani adverſus Presbyteros, qui lapſos, nondum peracta pœnitentia, ad conſortium fidelium, & ad oblationem, ac perceptionem Euchariſtiæ admittebant: *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur*, *& offertur nomen eorum*, *& nondum pœnitentia acta*, *nondum exomologeſi facta*, *nondum manu eis ab Epiſcopo*, *& Clero impoſita Euchariſtia illis datur*. Eidem adſtipulatur Innocentius

nocentius I. Epiſt. qua reſpondet Decentii Epiſcopi Eugubini conſultationibus, ubi ait: *De nominibus recitandis antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, & ipſe pro tua prudentia recognoſcis, ut cujus hoſtiam nec dum Deo offeras, ejus ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus*. Rurſum Cyprianus *epiſt.* 60. de redemptione captivorum ad Epiſcopos Numidiæ, eorum nomina ſe miſiſſe ſcribit, qui aliquid in opus illud contulerant (1): non fruſtra, ut ad eam notat Rigaltius, nec ſupervacue, nam in ſacrificiis ipſorum nomina offerebantur. Hæc autem recitatio ad Diaconum ſpectabat (2), teſte Iſidoro, qui epiſt. ad Ludifredum Epiſcopum Cordubenſem de Diacono agens, ait: *Ad ipſum pertinet officium, precum, & recitatio nominum*. Idem Hieronymus docet in cap. 18. Ezechielis, dicens: *Multos conſpicimus qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in ſuis ſceleribus glorientur, publiceque Diaconus in Eccleſia recitat offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus eſt: placentque ſibi ad plauſum populi, torquente eos conſcientia*. Ex quo diſcimus vitio reproborum in ambitionem degeneraſſe, quod pro Numinis cultu inſtitutum fuerat. Quare idem Hieronymus lib. 2. in Hieremiam cap. 11. ait: *Nunc publice recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem*. Meminit quoque recitationis nominum ad Altare Auguſtinus lib. 3. contra epiſt. Parmeniani cap. 6. Græci nomina recitant, cum ſcindunt panes, & pro ſingulis tam vivis, quam defunctis particulam ſeponunt, & offerunt, ſicque eos ſacrificii participes faciunt. Latini in canone diſtinctis locis vivorum, & mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri ſolebat recenſitis nominibus. Ex verbis enim S. Innocentii modo citatis conſtat recitata fuiſſe nomina inter ſacra myſteria, ideſt in Canone, poſt munerum commendationem: idque confirmatur ex Concilio Emeritenſi ſub Vitaliano Papa c. 19. quo ſtatuitur: *Ut in ſingulis Eccleſiis, in quibus Presbyter juſſus fuerit præeſſe, ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, a quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſiis videntur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viventes in corpore ſunt, ante altare recitentur tempore Miſſæ: quod ſi ab hac deceſſerunt, aut diſceſſerint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur in ſuo ordine*. Nomina vero legebantur ex Diptychis, de quibus, & de aliis ad hanc nominum recitationem ſpectantibus commodior agendi locus erit, cum verba illa Canonis explicabimus: *Memento Domine*. Occurrunt autem hoc loco duo quædam ex Valafrido Strabone, quæ pertinent ad oblationem, nec mihi omittenda videntur. Nam primo ſic loquitur cap. 22. *Sciendum quoſdam inordinate offerre, qui attendentes numerum oblationum potius, quam virtutem ſacramentorum, ſæpe in illis tranſeunter offerunt Miſſis, ad quas perſiſtere nolunt. Rationabilius ſiquidem eſt ibi offerre, ubi velis perſiſtere, ut qui munus Domino obtuliſti, offeras pariter pro eodem munere ſuſcipiendo poſtulationem devotam. Non enim fruſtra in actione dicitur*. Qui tibi offerunt: *non dicit*, qui obtulerunt, *ut intelligamus eos perſiſtere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant ad quod oblata ſunt*. Ex quibus verbis diſcimus ſeculo nono, quo Valafridus claruit, eos qui offerebant non ſemper communicaſſe, imo aliquando facta oblatione ſtatim ab Eccleſia diſceſ-

diſceſſiſſe, quem abuſum acriter reprehendit. Deinde aliam perſtringit conſuetudinem, dicens: *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam ſe non poſſe aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant; vel pro vivis, & defunctis non ſimul æſtimant immolandum, cum vere ſciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem eſſe, & ſanguinem, quem univerſalis Eccleſia offert. Quod ſi cui placet pro ſingulis ſingulatim offerre, pro ſolius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro ſtulta opinione, qua putet unum Dei ſacramentum non eſſe generale medicamentum. Quodammodo enim in fide imperfectus eſt, qui putat Dominum non diſcernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cui ſit neceſſe: vel faſtidire eum æſtimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur.* Hactenus ille, cujuſque Sacerdotis arbitrio, ſeu devotioni relinquens unum pro multis offerentibus ſacrificium, aut ſingula pro ſingulis celebrare. Noſtrorum vero temporum alia conditio eſt, alii mores: nec ullus ignorat quid de hac re ab Apoſtolica Sede ſtatutum ſit.

(1) *Qui aliquid in opus illud contulerant*) Pro Captivis adjuvandis collectam indici per Epiſcopum eſt traditio Apoſtolica, inquit Chriſtianus Lupus Schol. in Canones tom. 2. pag. 35. In quavis olim Eccleſia fuit arcæ genus, de quo Tertullianus in libro Apologet. cap. 39. *modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel quum velit, ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit; nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita ſunt pietatis: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſantur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis dumtaxat ex cauſa Dei ſectæ alumni confeſſionis ſuæ fiunt.* Quam largam redimendis Numidiæ Captivis collectam fecerit Eccleſia Carthaginenſis audire libet a ſancto Cypriano in literis ad Januarium ejuſdem Provinciæ Primatem epiſtola 60. *Miſimus* (inquit) *ſeſtertium centum millia nummum, quæ iſthic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri, & Plebis apud nos conſiſtentis collationi collecta ſunt; quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis, & optamus quidem nihil tale de cætero, & fratres noſtros Domini majeſtate protectos ab ejuſmodi periculis incolumes reſervari; ſi tamen ad explorandam animi noſtri charitatem, & examinandam pectoris noſtri fidem tale quid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis literis veſtris, pro certo habentes Eccleſiam noſtram, & fraternitatem univerſam, ne hæc ultra fiant, exorare, ſi facta fuerint, libenter, & largiter ſubſidia præſtare.* Etiam Gentiles, & hoſtes Perſas ex juſta Romanorum captivitate redemit Acacius Amidenus in Meſopotamia Archiepiſcopus, additque Socrates lib. 7. c. 21. pietatem adeo Regi ipſorum placuiſſe, ut a Theodoſio Auguſto poſtularit ſibi tranſmitti Acacium videndum, & honorandum. Clodovæo Francorum Regi, ut redimendis Captivis, etiam paternas opes profunderet, ſuaſit S. Remigius Epiſtola 2.

Recitata etiam illorum nomina, qui ſublevandis fratribus in anguſtiis poſitis aliquid contulerunt.

Quam largam item ex fidelium oblationibus collectam fecerit Eccleſia Antiochena ut in carcere detentis, aliiſque indigentibus ſuccurreret, teſtatur S. Jo. Chryſoſtomus hom. 57. in cap. 21. Matthæi: *Cogita tecum*, inquit, *quot viduis, quot virginibus quotidie ſuccurrat, jam enim numerus eorum in catalogo adſcriptus ad tria millia pervenit, & præterea multis qui carceres habitant, auxiliatur, multis in hoſpitali laborantibus, multis advenis, multis leproſis &c.* Sed præ cæteris commemoranda Romanæ Eccleſiæ omnium Principis profuſa in pauperes, & egenos ſublevandos munificentia, qua nedum ſuis in urbe degentibus copioſa ſubſidia, verum & aliis inſuper Chriſtiani orbis Eccleſiis largam opem præſtabat, uti patet ex Cornelii Papæ epiſtola ad Fabium Antiochenum penes Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 43. & alia apud eumdem lib. 4. c. 23. Dionyſii Corinth. Epiſc. ad Romanos ſcripta Sotere ſummo Pontifice tunc ex Petri Cathedra Eccleſiam univerſam regente, non ita pridem, quam illam Imperator Conſtantinus ditaret, ubi inter cætera hæc habet: *Hæc vobis conſuetudo eſt jam ab ipſo religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Eccleſiis quamplurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ tranſmittatis, & hac ratione tum egentium inopiam ſublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis.* Horum itaque Benefactorum, licet abſentium, aliorumque offerentium nomina recitabantur, ut diſerte mox pluribus probat Card. noſter; non autem crediderim omnium, & ſingulorum nomina recitata ſemper fuiſſe, præſertim in urbibus incolis frequentioribus, atque in ſolemnioribus feſtis; magna enim fidelium offerentium multitudo tunc nimias pro ſingulis deſcribendis, & recitandis moras injeciſſet, poſt auctum maxime Chriſtianorum numerum; quare non abſque fundamento arbitrarer illorum dumtaxat offerentium nomina iis in locis, ac diebus expreſſa, & recitata fuiſſe, qui genere digni-

Non tamen omnium ubiq; ſed præcipuorum in urbibus.

dignitate, aut munificentia ſingulari inter Benefactores Eccleſiæ, præ cæteris ſpectabiles erant, quemadmodum ex antiquis quibuſdam Liturgiis apud doctiſſimum Goarium in Euchologio Græc. pag. 105. deduci videtur. Et ſane id non obſcure indicari a S. Joanne Chryſoſtomo exiſtimarem, dum Homilia 18. in Act. Apoſt. 7. quemdam divitem objurgat dicens: *Parum ne tibi eſt in ſanctis oblationibus nomen tuum ſemper proferri?* Ex quo textu cæterorum offerentium nomina non ſemper prolata fuiſſe, haud ſine ratione argui poteſt; illius quippe divitis nomen ſemper recitari, non eſſet quid ejuſdem præcipuum, ac ſpeciale privilegium, ſi & aliorum omnium nomina ſemper etiam recitata fuiſſent.

(2) *Ad Diaconum ſpectabat*) Aliquando etiam ad Subdiaconum; vide Fulcuinum de Geſtis Abbatum Laubienſium cap. 7. tom. 6. Spicilegii Dacherii, & Martene de antiquis Eccl. Rit. cap. 4. art. 8. num. 13. & ſeqq. ſed de hac nominum recitatione iterum ſuo loco agetur.

§. VIII.

Offerendi mos quando deſierit. Oblationum Chartæ poſitæ in Altari.

ADhuc viget mos offerendi in multis Eccleſiis, præſertim in pagis, & oppidulis Ruſticorum, qui cum priſcarum conſuetudinum tenaciores eſſe ſoleant, ſupervenientibus mutationibus haud facile acquieſcunt. Verum hujuſmodi oblationes non in uſum ſacrificii cedunt, ſed Parocho,
vel pauperibus tribuuntur, imo plerumque pecunia offertur (1), nam (1)
cum populi communio, refrigeſcente charitate ceſſaſſet, & ad uſum Celebrantis modica panis particula ſufficeret; panis vero pro uſu ſacrificii a Clericis formaretur, cœpit populus, ut ait Honorius *in Gemma Animæ lib. 1. cap. 66.* pro oblatione panis, ſive farinæ denarios offerre. Erat hoc in uſu tempore Petri Damiani, ipſe enim ſcribit *lib. 5. epiſt.* 13. quod ſibi Miſſarum myſteria celebranti uxores Principum Bizanteos obtulerunt: erant autem Bizantei nummi aurei. Porro uſum offerendi eo tempore apud Latinos deſiiſſe exiſtimo, quo Panis azymus a miniſtris altaris pro Miſſæ ſacrificio confici cœpit: nam ſi quid poſtea oblatum legimus, id nequaquam ad ſacrificium, ſed ad clericorum, vel pauperum ſuſtentationem, vel ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum conſtructio-
nem pertinebat (2), & ſic omnino intelligendæ ſunt Conciliorum ſanctio- (2)
nes, quæ poſt annum milleſimum aliquid offerri præcipiunt. Synodus Romana V. ſub Gregorio VII. can. ult. *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre*: aliquid, inquit, non panem aut vinum; *& duci ad memoriam quod Deus per Moyſen dixit*, non apparebis in conſpectu meo vacuus: *Etenim in collectis ſanctorum Patrum liquido apparet, quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu ſanctorum Patrum debeant*. Quem Canonem explicans in ſcholiis Chriſt. Lupus p. 5. multa congerit de oblationibus, & de more offerendi. Synodus Eboracenſis ſub Cæleſtino III. prohibet Sacerdotem aliquid accipere pro Miſſarum celebratione, niſi hoc duntaxat, quod oblatum fuerit. Sunt & alia ſtatuta, quibus decernitur, ne quis laicorum de oblationibus participet, quæ offeruntur ad altare, quæ procul dubio non de his, quæ ad ſacrificium ſpectabant, ſed de aliis rebus loquuntur ad uſum Eccleſiæ, vel pauperum oblatis: quæ quidem oblationes diu apud fideles permanſerunt. Agit de his Baronius *an.* 44. *n.* 68. ubi de indicta a Paulo collecta ſermonem habet, pluraque congerit ad comprobandum earum uſum ex Tertulliano, Cypriano, Juſtino, & aliis Patribus, quibus nonnulla addit infra *an.* 57. *num.* 72. & 167. Eaſdem oblationes reſpiciunt decreta Concilii Gangrenſis *c.* 7. & 8. Vaſenſis I. apud Sirmondum *c.* 4. Arelatenſis II. *c.* 28. Aurelianenſis primi *c.* 14. Matiſconenſis I. c. 4. Engilenheimenſis *c.* 8. Tempore Goffridi Vindocinenſis in uſu erant oblationes in Eccleſiis Monaſterio ſubjectis,

Probabile admodum offerendi uſum ceſſaſſe apud Latinos cum panis azymus pro Miſſæ ſacrificio a miniſtris altaris confici cœpit.

quæ

quæ in utilitatem Monachorum cedebant, uti conſtat ex epiſt. 40. libri 3. Vivebat autem Goffridus anno 1130. Oblationum in Eccleſia Græca priſca formula hæc fuit : *Tua de tuis offerimus tibi Domine*. Similiter Latini, *Offerimus* (3), inquiunt, *præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis, ac datis.* (3)
Nam quicquid homo habet, Dei donum eſt, & ideo in his quæ offert, reddit Deo, quod ſuum non eſt, illo recipiente quod ſuum eſt. In Capitulari Caroli Magni *lib.* 6. *cap.* 285. alia formula oblationum recenſetur his verbis : *Quiſquis noſtrum ſuas res Eccleſiæ tradit, Domino Deo illas offert, atque dedicat, ſuiſque ſanctis, & non altari, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim ſcripturam de ipſis rebus, quas Deo dare deſiderat, & ipſam ſcripturam coram altari, aut ſupra tenet in manu, dicens ejuſdem loci Sacerdotibus, atque Cuſtodibus : offero Deo, atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur inſertæ pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit ad ſerviendum ex his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſolemniis, orationibus, luminariis, pauperum, ac clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius Eccleſiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abſtulerit, ſub pœna ſacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes.*
Hoc antiquis ſolemne fuit ut chartas donationum ponerent ſuper altare
(4), ut patet ex Marculfo Monacho, qui vivebat an. 660. lib. 1. For- (4)
mularum cap. 1. *Nec de hoc, quod a Dominum timentibus hominibus tranſmiſſum, aut in altario oblatum fuerit, auferre præſumat*. Anaſtaſius quoque in Adriano donationem factam Romanæ Eccleſiæ a Carolo Magno poſitam ab eo fuiſſe, refert ſuper altare S. Petri. Idem confirmat Gregorius Turonenſis *lib.* 1. *de Gloria Martyrum cap.* 61., ubi narrat baltheum ex auro puriſſimo cum omni apparatu ſtudioſſime fabricatum ab homine devoto oblatum ſuper altare Baſilicæ S. Nazarii. Alia quædam teſtimonia affert Bignonius in notis ad locum citatum Marculfi; quibus plura addi poſſent ex breviculis, ſive inſtrumentis donationum, quas Eccleſiis, & locis religioſis Reges, Principes, & alii paſſim fecerunt. Adhuc vigebat hæc conſuetudo tempore Innocentii III., qui *cap. ex literis, de conſuetudine*, reſcribens Archiepiſcopo Lundenſi in Dania, non Lugdunenſi, ut perperam ſcribitur in Decretalibus, perfectæ donationis ſignum eſſe ait, cum quis modicum terræ illius poſſeſſionis, quam offert Eccleſiæ, ponit ſuper altari. Eodem modo Monachi, cum per ſolemnem profeſſionem ſeipſos offerunt Deo, ipſius profeſſionis chartam [legunt ante altare], deinde ponunt in ipſo altari, ut S. Benedictus præcipit in Regula *cap.* 58. Et Regula Tarnatenſis, ſive Agaunenſis Monaſterii *cap.* 1. agens de his, qui ſæculo renuntiantes ſe, & ſua donabant Monaſterio, *oblationem ejus*, inquit, *ad integrum devotio ſincera commendet, & ſuper altare ſtatuat*. Conſonat Regula Magiſtri *cap.* 89. dicens : *Si quis cum rebus ſuis introierit, tunc ille brevis, & donatio rerum ſuarum Deo, vel monaſterio facta ipſius donatoris manu ſuper altare ponatur, dicente ipſo fratre : Ecce Domine cum anima mea, & paupertate mea quicquid mihi donaſti tibi reconſigno, & offero, & ibi volo ut ſint res meæ, ubi fuerit cor meum, & anima, ſub poteſtate tamen monaſterii, & Abbatis, quem mihi Domine in vice tua timendum præponis.* Ad hunc morem alludere videtur Gregorius Magnus *lib.* 4. *Expoſit. in* 1. *Regum cap.* 4. cum de Novitiis aſſerens, ait : *Quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipſe jam de manibus noſtris teneat, quod exquirat. Cum ergo ea, quæ Novitii promittunt, Deo offerimus,*

Chartæ donationum, & oblationum olim ab antiquis ſuper altare poſitæ.

 quaſi

quaſi chirographum, quod nobis faciunt illi damus. Quia nimirum chartam profeſſionis poſitam a Novitio ſuper altari Abbas Miſſam celebrans accipit, & loco Dei acceptat, & ipſi offert. Idem olim ſervabant Abbates, cum benedictionis munere accepto ab Epiſcopo diœceſano, obedientiam illi & reverentiam pollicebantur, nam chartam ejus ſponſionis, ſeu profeſſionis altari imponebant: quem ritum commemorat Innocentius III. *lib.* 1. *epiſt.* 58. ſic ſcribens Epiſcopo Burgenſi: *Cum autem ab eo* (Epiſcopo) *fuerit benedictus, reverentiam ei ſuper his tantummodo, quæ præſcripta ſunt repromittat, profeſſione hujuſmodi ſuper altare in ſcriptis oblata*. Ad quæ verba quædam erudite obſervat Franciſcus Boſquetus in notis. Ejus autem profeſſionis formulam exhibet Honorius III. *cap.* 43. ne Dei Eccleſiam; de Simonia.

(r) *Imò plerumque pecunia offertur*) Quamquam hi denarii pro farina oblati, ut tradit Honorius, qui vicem ipſarum de more oblationum tenebant, alterutro impendi uſu deberent, nempe aut pro ſublevandis pauperibus, aut pro comparandis ad ſacrificium neceſſariis rebus, ut idem ſubdit Scriptor his verbis: *Qui tamen denarii in uſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid, quod ad Sacrificium pertinet*. Nihilominus, ut ſcite obſervat mox citandus Chriſt. Lupus, praxis hæc, laudabilis cæteroquin & ſancta, ad breve tempus duraſſe conſpicitur; quoniam ſicuti panis, & vini, ac poſtea farinæ oblationes in ſubſidium, & commodum Sacerdotum cedebant, præſertim in illis Eccleſiis, quæ proventus communes pro ſuis Presbyteris alendis non habebant, ita hi denarii tunc temporis illis oblationibus ſuffecti, ſenſim poſthabitis pauperum indigentiis in Celebrantium utilitatem liberi evaſerunt, ſic laudatus Lupus in diſſert. 4. Proemiali de Simoniæ crim. cap. 11., ſeu Schol. in can. tom. 4. pag. 86. uſum primum commendans, & rationem ſubſequentis introductæ conſuetudinis perpendens, tali pacto ſenſum ſuum aperit: *Illa puritas*, inquit, *quod non eſſet Apoſtolicæ legis, & quod priorum oblationum emolumentis, aut non poſſent, aut nollent privari Sacerdotes, non diu permanſit. Ut antea panis, & vinum, & farina, ita & hi denarii illis pedetentim appropriari cœperunt*. Quare pecunia, cui juxta Eccl. cap. 10. v. 19. *obediunt omnia* extitit etiam præpotens ad inclinandam Sacerdotum voluntatem, ut in ſuorum ſacrificiorum applicatione ſecundum vota Offerentium, & intentionem illa dirigerent.

Loco priſcarum oblationum ſuffecta pecuniæ oblatio. Hinc factum eſt, quod antiqua Oblationum communium diſciplina paullatim in deſuetudinem abeunte, nova poſtmodum pecuniæ oblatæ praxis de Provincia in Provinciam, *de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*, ut verbis Pſalmi 104, 13. venerabundus loquar, pertranſiens, exinde per totam Eccleſiam dilatata, & extenſa, ſicuti nunc eſt, evaſerit; & quemadmodum priſcis oblationibus penuariis, panis ſcilicet, vini, aut farinæ ſtipendii numen inditum erat, ita iſtis pecuniariis idem vetus ſtipendii vocabulum remanſit, uti ex Pauli Apoſt. epiſt. 1. ad Corinth. cap. 9. v. 7. & 13. colligitur, ubi magnus Gentium Doctor, ut oſtendat quam ſit debitum Eccleſiæ Miniſtris congruum ſubſidium, deſumpta a ſtipendio militari metaphora, illud, & hoc nomine indigitat: *Quis* ait, *militat ſuis ſtipendiis unquam? Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere*: ideſt ex ipſa Evangelii opera victum accipere ex juſtitia, (ut in hunc locum ſcite Ambroſius Catharinus) quia, inquit, æquum eſt ſeminantes ſpiritualia ſtipendiis non deſtitui temporalibus, ut in ſpe coronæ alacrius etiam laborent. Id quod multo ante firmarunt inter cæteros Patres S. Gregorius hom. 18. in Evang. *Illa*, ait, *in ſtipendium noſtrum ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt*. Et expreſſe ad rem S. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad 2. Item in 4. Sent. diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 4. *Sacerdos*, inquit, *non accipit pecuniam quaſi pretium conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ, hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis*. At nobis non eſt hoc loci tandiu immorari in eo diſquirendo, de quo plura diffuſe diſſerunt Theologi Morales, & Canoniſtæ; item hiſtoriæ præſertim, ac criticæ, Lud. Thomaſſinus in vet. ac nova Eccl. diſcipl. tom. 3. lib. 1. cap. 71. num. 18. Mabillonius Præf. ad partem 1. ſec. 3. Bened. num. 62., & noviſſime Franc. de Berlendis diſſert. de Oblat. Pecul. §. 2. aliique.

Diſtributa pecunia iis, qui Miſſæ ſolemni inſerviebant. Occaſione tamen nummorum, qui a fidelibus offerebantur, alienum ab inſtituto noſtro non erit obſervare morem, qui apud quaſdam Eccleſias viguit, diſpenſandi nummos iis, qui Miſſæ ſolemni inſerviebant. Meminit hujus ritus MSS. Ordinarium B. Mariæ Rhemenſis apud Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. tom. 1. p. 378. *Lecta Epiſtola*, inquit, *accedit Subdiaconus ad manum Archiepiſcopi, ſimiliter accipit duos ſolidos. Similiter & duo Subdiaconi, qui graduale canunt; & duo Diaconi, qui cantant Alleluja, Diaconus, qui legit Evangelium, & Cappellanus Archiepiſcopi, & Cantor, & Succentor, qui cantum ſervant, hi omnes ſinguli accipiunt duos ſolidos de manu Archiepiſcopi*; Ordinarium Laudunenſis Eccleſiæ apud eundem Martene ibidem p. 573. præſcribit hanc pecuniæ diſtributionem, dum Symbolum in Choro recitatur: *Interim Dia-*

conus, Cantor, & Succentor, & alii Miniſtrales nummos ab Epiſcopo recipiunt. Quam conſuetudinem obſervari adhuc ab ejuſdem Eccleſiæ Laudunenſis Epiſcopo in die Nativitatis, & Reſurrectionis Chriſti, necnon in feſtis Pentecoſtes tradit Antonius Bellotte Obſerv. in Rit. Laud. rediv. pag. 106. Epiſcopus enim his diebus in priori Miſſæ parte nummos largitur ſacris miniſtris ad eum accedentibus Faldiſtorio inſidens, ubi genuflexi donaria Pontificalia cum manuum oſculo recipiunt, globulis ceræ viridis coloris incluſa. Illuſtrem hujus cæremoniæ originem comminiſcitur idem eruditiſſimus Scriptor: *hujus diſtributionis cauſam*, inquit, *eamdem arbitrarer, qua Imperatores olim Epicombia in die Coronationis ſuæ largiri conſueverant, ut hujuſmodi donativum de ſuo ſumptu facientes feſtum diem omnes celebrarent unaque ſecum lætarentur. Quem ritum deſcribit Codinus Curopalata de coronatione Imperatoris his verbis: antequam ergo Imperator ſe conſpiciendum præbeat, per aliquem de Senatu, cui dictus Imperator præceperit, jaciuntur in populum ea, quæ nominantur Epicombia, quæ talia ſunt. Fruſtilla ex pannis reſecant, & in quolibet ſegmento tria aurea, argentea totidem numiſmata, & tria ex obellis illigantes projiciunt in multitudinem: projiciunt autem talium faſciculorum tot millia, quot Imperator præceperit.* Erudite; non audemus tamen Epiſcopos Cæſareæ Majeſtatis imitatores efficere. Genuinam cæremoniæ cauſam aperit nobis antiquum Rituale MSS. Turonenſis Eccleſiæ a dicto Edmundo Martene vulgatum cit. lib. 1. de antiquis Eccl. Rit. pag. 569. in eo iſta leguntur: *Subdiaconus defert Præcentori in pelvim nummos Miſſæ oblatos, quos mittit per clericulos clericis, qui alleluja, & reſponſorium cantaverunt*: itaque non Epiſcopi ſumptibus, sed ex fidelium oblationibus fiebat hæc diſtributio pecuniæ. Singulare eſt quod legitur in Ordine Romano III. a Mabillonio edito pag. 223., olim Pontificem monetam in os ſibi prænunciantis antiphonam immiſiſſe: *Et Canonici Sancti Petri quintam, quæ eſt juſte, prænunciant Papæ, & idem Dominus Papa poſt talem prænuntiationem accipit monetam auream de manu Camerarii, & ponit in ore ipſius prænunciantis, eodem prænunciatore tenente os apertum*, &c. Vide etiam quæ leguntur apud Chriſt. Lupum Schol. in can. tom. 2. pag. 34. col. 2. in fine edit. Ven.

Non ex Epiſcopi ſumptibus, ſed ex fidelium oblationibus.

(2) *Ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum conſtructionem pertinebat*) Ab annis amplius quadringentis deſita eſt offerri a Laicis materia Sacrificii, quum Sacerdotes (ut ſupra dictum eſt nota 4. ad §. 3.) duxerint conſecrandos eſſe panes majori diligentia paratos, quam qui a fidelibus offerebantur; eo vel maxime quod a fidelibus large copioſis muneribus donatæ fuerant Eccleſiæ, ut nimirum deinceps Clericis oneri eſſet quidquid neceſſarium erat ad Sacrificium providere. Tunc autem variatum eſt in Miſſa tempus, quo facienda erat oblatio. Miſſale Romanum oblationem populi ante illam Sacerdotis ſemper ſtatuerat. At poſt ſanctum Pium V. nulla fit amplius oblationis mentio. Nihilominus Sacerdotale Venetiis impreſſum anno 1603., docet, quod ſi quis offerre velit, id fiat ante oblationem Sacerdotis. Et Gavant. parte 2. tit. I. num. 5., quod oblatio populi ante oblationem hoſtiæ fieri debet, & affert Acta Eccl. Mediolan. ſub S. Carolo Archiepiſcopo.

In Eccleſiis Gallicanis juxta Capitularia Hincmari a Reginone relata lib. 1. de Eccl. Diſcipl. p. 27. candelæ, & quidquid populo placuiſſet offerre, ad altare deferenda erant ante Miſſam, vel ſaltem ante Evangelium. Poſt ſæculum autem XI. oblatio populi poſita fuit poſt illam Celebrantis, antequam nempe hic manus lavaret. Conſtat id ex Hildeberto, qui circa annum 1090. ſcribebat, ex Steph. Edvenſi, ex variis Miſſalibus plurium Eccleſiarum, & ex omnibus Pariſienſ. tum MSS. tum editis uſque ad ſæc. XVII. Viget & nunc mos iſte in dicta Eccleſia Dominæ noſtræ, & in univerſa pene Diœceſi, etiamſi Miſſalia anni 1654. ante oblationem hoſtiæ, & calicis eam collocent. Vide quæ ſuper dicta ſunt ad §. VI. circa finem notæ.

(3) *Similiter Latini offerimus*) Hujus verbi *offerimus*, meminit Auguſtinus lib. 20. adv. Fauſtum Manichæum cap. 21. Vide infra cap. 9. §. 5.

(4) *Ut chartas donationum ponerent ſuper Altare*) Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfi formulas varia circa hujuſmodi donationum ritum exempla refert, & ex ipſo fortaſſe ſua hauſit Card. noſter, quibus alia plura addi poſſunt, inter quæ illud primo ex MSS. Fiſcanenſis Monaſterii his verbis conceptum: *Hanc igitur donationem poſui ſuper altare ſancti Salvatoris pro anima Patris mei, omniumque parentum meorum, necnon & pro anima mea* &c. Facta fuit hæc donatio circa an. 1047. tum illa formula relata a Jo. Friderico Schannat in Vindem. Liter. §. 22. pag. 63. facta an. 1107. Cænobio S. Stephani Herbipolis, in qua offerentes aiunt: *Ego Egiſpertus, & uxor mea Methildis modicam pridem oblationem de donis Domini ad altare S. Petri retulimus*. Illa item Comitis Bertrandi, qua confirmat an. 1168. donationem quamdam Hoſpitali Hieroſolymitano præſtitam, ut ita conſignatur in Cod. Diplom. Ord. Milit. Hieroſol. tom. 1. pag. 303. num. 24. *Hanc ſiquidem donationem facio, & offero ſuper altare S. Petri*, tum denique illa ſub idem tempus Conſtantiæ Ludovici VI. Galliarum Regis filiæ, quæ legitur in quadam charta apud Ducheſnium in Hiſtoria Genealog. Regiæ Domus de Dreux pag. 230. ubi ipſa ſic teſtatur: *Ego autem prædictam terram Eccleſiæ S. Victoris in eleemoſynam habendam donavi, & donum meum ſuper altare S. Victoris poſui in præſentia Abbatis Erneſti, & multorum aliorum.* Hæ porro donationum chartulæ altaris linteo, & palla, qua Oblationes ipſæ, obvolvebantur, uti indicat Mabillonius Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 5. num. 10. & lib. 3. num. 14. ac fuſe Ducangius in Gloſſario verbo *Oblati*; idque propterea fiebat, ut ſic omnino ratæ haberentur, & offerentem omne jus amiſiſſe ad eas repetendas manifeſtum fieret; atque idcirco hujus cæremoniæ omiſſione quidam Pater profeſſionem filii ſui irritam declarare

Exempla donationum aliquot, quarum chartæ ponebantur ſuper altare.

Digitized by Google

clarare conatus eſt, ut habetur cap. *Præſen.* cauſa 20. q. 3. *Neque ego Pater ejus pallio altaris involutum illum obtuli*. Sic peracta legitur celebris donatio Tertulli Patris S. Placidi Mart. in Monaſterii Caſinenſis beneficium: *Per pallam altaris S. Joannis Bapt. eidem Patri obtuli*: Sancto ſcilicet Benedicto Abbati, qui, & in Regulæ ſuæ cap. 59. agens de Puerorum oblatione jubet pueri offerendi manum involvi palla altaris, ideſt, ſubdit laudatus Mabillonius loco prius citato, *cum oblatione panis, & vini, ut ex utriuſque una Deo fieret oblatio*. Quem etiam morem a Canonicis obſervatum fuiſſe notant Ducangius præfatus, & poſt ipſum noviſſime vir eximius Ludovicus Ant. Muratorius diſſert. 62. tom. 5. Antiq. Ital. medii ævi. Sunt & aliæ circa hujuſmodi oblatarum donationum ritum alicubi ſervatæ conſuetudines, quas heic memorare non vacat. Porro de iſtis, ac reliquis priſcis populorum, tum communibus, tum perſonarum ſingularibus offerendi modis, variaque hujus rei diſciplina, docte, & erudite ſcribunt præter dictos clariſſimos viros, Joannes Bapt. Scortia de ſacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. 4. Antonius Baldaſſarrius in ſua Liturgia dilucidata parte 1. cap. 36. Ant. Bellotte obſervat. ad Rit. Laudun. pag. 479. & ſeq. Iterum Mabillonius Commentar. ad Ord. Rom., dein Claudius de-Vert Explic. Liturg. tom. 2. cap. 2. num. 38. & ſeqq., ac recentiſſime Petrus Moretus de Presbyterio parte 1. ſect. 1. §. 2. & ſeqq. Item ſect. 3. ac parte 2. ſect. 9. num. 3. & ſeqq. atque præ cæteris Franc. Berlendi in peculiari opere edit. Lat. poſt Italicas duas de oblationibus ad altare Ven. 1743.

C A P. I X.

Ritus Oblationum deſcribitur. An omnes offerentes accederent ad Altare. Orationes, quibus munera offeruntur, diverſas eſſe in diverſis Eccleſiis. Vinum aqua miſceri ex Chriſti inſtitutione. Græci bis aquam miſcent. Quo apparatu dona ſacranda deferant e protheſi ad Altare. Quo ſitu olim collocaretur hoſtia ſuper Altare. Thurificatio, & lotio manuum. Sacerdotis pro ſe ad populum deprecatio. Orationes ſecretæ.

§. I.

Ritus Oblationum deſcribitur. An omnes Offerentes accederent ad Altare.

RItum olim in oblatione adhibitum ſic deſcribit Ordo Romanus. *Cantores cantant offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum Fanonibus candidis, primo maſculi, deinde fœminæ*. Erant autem fanones ſindones, ut notat ipſius ordinis expoſitio apud Caſſandrum (1): *Noviſſime vero Sacerdotes*, (1)
& Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, & hoc ante Altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum, & Pontifice oblationes populorum ſuſcipiente Archidiaconus ſuſcipit poſt eum amulas, & refundit in calicem majorem. Amula hic accipitur pro vaſculo, quo vinum continebatur: antiquis vero amula erat vaſculum, quo religionis gratia aqua portabatur, qua voce uſus eſt Columella de cultu hortorum,

Aut habilem lymphis amulam, Bacchove lagenam.

Oblationes autem a Pontifice ſuſcipit Subdiaconus, & ponit in ſindonem, quæ eum ſequitur, quam tenent duo Acolythi. Tunc Epiſcopus redit in ſedem, & lavat manus (2), quibus lotis *accedit ad Altare. Tunc Sub-* (2)
diaconi levantes oblatas de manu Subdiaconi ſequentis porrigunt Archidiacono, & ille componit Altare. Ornato vero Altari, Archidiaconus ſumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit ſuper colum, ideſt ſuper colatorium, *in calicem. Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens in ſcholam*

lam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit faciens crucem in calicem. Porro Subdiaconus ideo ad ſcholam Cantorum accedit, ut ab eis aquam accipiat vino miſcendam, quia cantores, ut docet Amalarius *lib.* 3. *cap.* 19. propter inſtantem cantandi neceſſitatem non habent licentiam huc, illuc diſcurrendi, & ne penitus extorres eſſent a ſacrificio, aquam pro cæteris offerebant. *Mox Pontifex ſalutat Altare*, ipſum videlicet oſculando, *& ſuſcipit oblatas de manibus Presbyterorum, & Diaconorum, quibus licitum eſt accedere ad Altare. Deinde Archidiaconus ſuſcipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici: quas dum poſuerit Pontifex in Altari, levat calicem Archidiaconus de manibus Subdiaconi, & ponit eum ſuper Altare juxta oblationes Pontificis a dextris, involutis anſis cum offertorio ſuo*, ideſt cum velo, quod nunc quoque offertorium dicitur, quia eo utimur, cum dona offeruntur, *quod etiam ponit in dextro cornu Altaris. Poſt oblationem ponitur incenſum ſuper Altare, & Pontifex inclinans ſe paululum ad Altare reſpicit ſcholam, & annuit ut ſileant, & convertit ſe ad populum, dicens: Orate.* Hæc Ordo Romanus in prima Miſſæ deſcriptione; idemque fere repetitur in tertia, & quarta. An vero populus ſua dona oblaturus cancellos ingredi, & ad Altare accedere permitteretur, non poteſt facile explicari, niſi tempora diſtinguamus, & regiones. Apud Græcos omnes laicos a ſacrario ſemper excluſos, excepto Imperatore cum dona ſua Creatori offerre volebat, Canon Trullanus LXIX. oſtendit, multique comprobant Græci Scriptores, quos Leo Allatius citat in diſſertatione de Templis recentiorum Græcorum (3). Eumdem morem (3) diu apud latinos viguiſſe ex Ordine Romano liquet in ſecunda Miſſæ deſcriptione, quæ eſt Patrum Occidentalium: *Pontifex*, inquit, *dum cantatur offertorium a Presbytero, & Archidiacono ad locum ubi oblationes a fidelibus laicis, ſive viris, ſive fœminis offeruntur, eaſdem accepturus ducatur*. Et in tertia, quæ propria Romanæ Eccleſiæ eſt: Pontifex deſcendit ad *Senatorium*, *& ſuſcipit oblationes Principum*. Et infra *Pontifex antequam tranſeat in partem mulierum, deſcendit ante Confeſſionem, & ſuſcipit oblatas Primicerii defenſorum*. Idem repetitur in 4. *Pontifex deſcendit in Senatorium, quod eſt locus Principum, ut ſuſcipiat oblationes eorum*. Et paullo poſt: *ſimiliter tranſiens Pontifex in partem Matronarum explet omnia ut ſupra*) Idem confirmat Capitulare Caroli Magni lib. 5. cap. 219. *Ut per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipſa oblatio foris ſepta Altaris recipiatur* (4). Heraldus etiam Turonenſis (4) Archiepiſcopus *cap.* 7. ſui Capitularis diſertis verbis conſtituit, *Ut populus extra cancellos ſtet, ejus oblatio extra cancellos recipiatur*. At Teodulphus Aurelianenſis in ſuo item Capitulari cap. 6. ſolas fœminas excludit, quas in locis ſuis ſtare jubet, atque ibi ſacerdotem earum oblationes accipere. De viris nihil ſtatuit, ex quo licet inferre quod illi ad Altare accederent, & ibi offerrent. Sic paullatim everſa Eccleſiaſtica diſciplina omnes indiſcriminatim cujuſcumque ſexus, & conditionis ad ſacrum Altare ſibi aditum uſurparunt.

An populus ſua dona oblaturus ad altare accederet.

(1) *Ut notat ipſius Ordinis expoſitio apud Caſſandrum &c.*) Ita etiam intelligitur in vita S. Wiboradæ Virginis, & Martyris apud Mabillonium ſæc. v. Bened. pag. 51. anno 925. iis verbis: *Calicem, & patenam, vel corporale, ſed & fanonem, cum quo ſolita es offerre, omnia pura, & munda aqua lavare præcipias*. Hinc triplex fanonis ſignificatio a Mabillonio ſtatuitur in notis ad eamdem Vitam, nimirum pro quavis mappula, ſecundo pro parte illa ſacræ veſtis, quæ manipulus vocatur, tertio pro corporali, de quibus omnibus jam ſupra dictum eſt ad cap. xxiv. §. v. tom. 2. p. 224. & ſeq. De fanone autem, ſeu linteo oblatitio, ita in eadem Vita nuncupato, vide etiam v. c. Juſtum Fontaninum Archie-

Fanon quid? triplex ejus ſignificatio.

chiepiſcopum Ancyranum in Diſco Chriſtiano votivo Commentario Hiſtorico illuſtrato cap. 21. pag. 65. Hariulphus item in Chronico Centulenſi lib. 3. cap. 3. apud Dacherium Spicil. tom. IV. pag. 481. recenſens ſacrum theſaurum Eccleſiarum illius Monaſterii, prout an. 831. deſcriptus fuerat, inter cætera hæc exprimit : *Fanones ad efferendum auro parati* XIV. *ex brandeo* (ideſt ex velo) *tres ex pallio* (ideſt ex ſerico, ſeu alia materia pretioſa) *quindecim*. Hinc diſcimus quid ſint in Ordine Romano : *Fanones offertorii*, quidve ſignificent apud Amalarium in Eclogis de offic. Miſſæ verba illa : *cum fanonibus offerunt*.

Poſt ſuſceptas oblationes Epiſcopus manus lavat, & lotionis tempore cantatus olim Pſalmi Lavabo verſiculus.

(2) *Tunc Epiſcopus redit in ſedem, & lavat manus*) Celebrans manus lavat, *ut exterſæ ſint a contactu communium rerum, atque terreno pane*, inquit Amalarius lib. de officiis c. 19. Lotionis autem tempore recitabatur olim unius Pſalmi *Lavabo* verſiculus. Id reperitur adhuc in Miſſali Lugdun. anni 1620. Quando manus lavat Pſalm. *Lavabo* cum uno verſu : *Ut audiam vocem laudis*, & apud Chartuſianos poteſt Celebrans ſilere ad verba : *& enarrem mirabilia tua* : quum quod ſupereſt, ex ſola devotione recitetur. In antiquo Miſſali Turonenſi S. Martini, Celebrans dicit *Lavabo*, lavatque manus in ſacrario, antequam ad Altare accedat. Et in alio Antiſſiodorenſi dicit : *Amplius lava me*; & reliquum hujus Pſalmi. Diaconi olim inter munera, erat Celebranti, aliiſque Sacerdotibus, eum comitantibus ad Altare aquam miniſtrare; ita Cyrillus Hieroſol. Catecheſ. Myſtag. 4., & Dionyſius Areopagità, ſeu quiſquis ſit Auctor lib. de Hierarch. Eccl. c. 3. At jamdiu translatum eſt hoc munus ad Subdiaconum, ut videre eſt in vita ſancti Marcelli Pariſienſis Epiſcopi, per Fortunatum ſcripta. De hac porro manuum lotione, vide infra §. 6. nota 1.

(3) *De Templis recentiorum Græcorum*) Theodoſium Imperatorem redarguit Ambroſius, quod chorum ingreſſus eſſet ad oblationem. Theodoſius autem purgavit ſe ſe aſſerens hanc eſſe Conſtantinopolis conſuetudinem. Et ſane quamquam nulli hominum licitum, qui quidem ſit in Laicorum numero, intra ſepta ſacri Altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita poteſtas, & auctoritas Imperialis, quoties quidem voluerit Creatori dona offerre; idque ex antiquiſſima traditione, uti ex Concilio Trullano c. 69. apud Chriſtianum Lupum. Narratur item de Imperatore Valente, quod ad ipſum Altare, a ſancto Baſilio invitatus, ſua dona offerret : *Valens recta ad Templum ſanctum ſe confert, & conſueta dona altari offert : Baſilius autem eum intra ſacra Aulæa venire jubet* : ita Theodoretus Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 17. & lib. 5. cap. item 17. ubi etiam de magno Theodoſio hoc ſcribit : *ſtatim ut dona ſacræ menſæ obtulerat, exivit* : quoniam noverat laicis non licere intra cancellos Sanctuarii conſiſtere, idcirco in edicto de aſilo Eccleſiaſtico, quod refertur ſub finem Oecumenici Concilii Epheſini, alter Theodoſius junior proteſtatus eſt: *Ad ſacra Altaria munerum tantummodo offerendorum cauſa accedimus*.

(4) *Foris ſepta Altaris recipiatur*) Licet autem id univerſum quoad Laicos omnes provide ſtatutum fuerit; Monachos tamen, & ſolitarios ſua munera ad altare obtuliſſe teſtatur S. Hieronymus inter eos inſignis, ſcribens ad Heliodorum, ubi ait : *Securis ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non deſero*. Idem etiam de ſacris Virginibus apud Barbaros captivis ſcribit S. Auguſtinus epiſt. nunc 111. alias 122. ad Victorianum Presbyterum his verbis : *nec iſtæ poſſunt, vel deferre oblationem ad Altare Dei, vel invenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo*. Omnes itaque fideles maſculi, & fœminæ, ut ſæpe dictum eſt, olim offerre tenebantur, & quidem ad ipſum altare ſacri ejus miniſtri, & ad idem vel per ſe, vel per Sacerdotem, Dei ſervitio addicti, ut Monachi, & ſacræ Virgines præfatæ; laici vero ſimplices extra cancellos, aut ſepta altaris, exceptis iis, de quibus ſupra cap. antecedenti §. 6. nota ultima, ac inſuper catechumenis, energumenis, arreptitiis, amentibus, & in aliquo ex primis pœnitentiæ gradibus conſtitutis, ut dicto §. obſervat Card. noſter. Hactenus de ipſis veterum oblationibus dicta ſint, nunc de variis orationibus, quibus munera proferebantur, pauca dicamus.

§. II.

Orationes, quibus Munera offeruntur, diverſas eſſe in diverſis Eccleſiis.

IN Ordine Romano nulla fit mentio orationum, quæ dici ſolent a Sacerdote, dum oblationes, & reliqua (ſupra deſcripta) peraguntur, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Miſſæ Expoſitores commemorant, quia ut obſervat Micrologus *cap.* 11. Romanus Ordo nullam orationem inſtituit poſt offerendam ante ſecretam; & ideo omnis iſta actio ſub ſilentio complebatur (1). Ex hac autem conſuetudine Romanæ Eccleſiæ quorumdam Scholaſticorum opinio convellitur aſſerentium oblationem iſtam (1)

cum

Oblatio, quod vocalis ſit, ac certis orationibus prolata ad ſacrificii integritatem non pertinet.

cum orationibus eidem aſſignatis ad ſacrificii integritatem pertinere (2). (2)
Fatentur quidem, & agnoſcunt omnes Theologi oblationem eſſe intrinſecam ſacrificio, ſed in qua ejus parte conſiſtat, an cum Sacerdos præſcripto ritu panem, & vinum offert: an cum peracta conſecratione ea verba profert: *Unde, & memores nos Domine ſervi tui offerimus præclaræ majeſtati tuæ hoſtiam puram*, & quæ ſequuntur: quæſtio inutilis eſt. Oblatio enim, cum ſit inſeparabilis a ſacrificio, a certa precum, ſive rituum formula non dependet; alioquin ſacrificium Apoſtolorum, & cæterorum, qui nondum inſtitutis hujuſmodi orationibus vixerunt, oblatione caruiſſet. Quicquid igitur offertorii nomine comprehenditur, ſimplex cæremonia, ac mere accidentalis eſt mox futuri ſacrificii præparatoria. Hinc etiam diſcimus qua de cauſa orationes, quæ in offertorio dicuntur in diverſis Eccleſiis, diverſæ ſint, quia cum diu Romana Eccleſia illis uſa non fuerit, unaquæque Eccleſia ſibi peculiares inſtituit. Micrologus cap. citato, duas tantum profert ex Ordine Gallicano, nempe *Veni ſanctificator*, & *ſuſcipe S. Trinitas*. Ordo Romanus in ſecunda deſcriptione Miſſæ hanc ſolam commemorat, *Veni ſanctificator*, quæ non eſt Romanæ Eccleſiæ, ſed partium occidentalium. In antiquis Miſſalibus Monaſticis hac unica oratione panis, & vinum offeruntur.

Suſcipe ſancta Trinitas unus Deus hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam beatæ Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in honorem B. Mariæ ſemper Virginis genitricis ejuſdem Domini noſtri, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, cæleſtium virtutum, & vivificæ crucis: ut eam acceptare digneris pro nobis peccatoribus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Qui vivis. Ita olim Ciſtercienſes.

Ritu Eccleſiæ Lugdunenſis (3) cum Sacerdos calicem diſcooperit, ait: (3)
Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Tum accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem quæſumus omnipotens Deus, ut placatus accipias, & omnium offerentium, & eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deinde elevat calicem, dicens: *In ſpiritu humilitatis* &c. Et poſt incenſatum altare, & lotas manus, ait: *Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende*. Tum inclinat ſe ante altare, & dicit: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in honore Virginis Mariæ, & in honore omnium ſanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, ſeu eorum, quorum hodie feſtivitas celebratur, & quorum nomina, & reliquiæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem; ut illi omnes Sancti pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Dominum noſtrum.*

Ritu Eccleſiæ Sariſburienſis panis & vinum ſimul offeruntur hac oratione: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus peccator offero in honore tuo, B. Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum, pro peccatis, & offenſionibus meis; & pro ſalute vivorum, & requie omnium fidelium defunctorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti acceptum ſit omnipotenti Deo hoc ſacrificium novum.*

In Miſſali Hiſpalenſi ad hoſtiam offerendam, dicitur hæc Oratio: *Acceptabilis ſit majeſtati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus, & facinoribus noſtris, & pro ſtabilitate ſanctæ Dei Eccleſiæ catholicæ*. Ad calicem: *Offerimus tibi Domine calicem Chriſti filii*

tui humiliter deprecantes clementiam tuam, ut ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat.

In antiquo Miſſali MS. Bibliothecæ Vaticanæ cod. 4772. quod alicujus Monaſterii fuiſſe conſtat, ſic fit oblatio. Quando Diaconus offert calicem Presbytero, calicem ſcilicet cum patena, & hoſtia ſuperpoſita, dicit: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Et Sacerdos accipiens oblationem, dicit: *calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero*, & conſequenter dicit hanc Orationem: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & noſtræ congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris, & pro omni populo chriſtiano, & pro omnibus eleemoſynas nobis facientibus, & pro his etiam, qui ſe commendaverunt in noſtras orationes, & qui noſtri memoriam in ſuis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia conſequamur æterna.* Cum ſuperpoſita fuerit oblatio in altari, dicat: *Acceptum ſit Domino Deo omnipotenti iſtud ſacrificium altari ſuo ſuperimpoſitum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Sit ſignatum, & conſecratum, & benedictum ſacrificium.* Super oblata: *ſanctifica Domine hanc oblationem, ut nobis Unigeniti tui corpus fiat.* Super calicem: *ſanctifica quæſumus, Domine, hunc calicem, ut nobis Unigeniti tui ſanguis fiat.*

In Miſſa Codicis Tiliani apud Menardum, & in ea, quam edidit Illyricus, diverſæ habentur formulæ oblationum generales, & particulares. Sunt & aliæ in aliis Miſſalibus, quæ fere cum ſupraſcriptis coincidunt. Omnium breviſſima eſt ſequens oratio, qua panem, & vinum ſimul offerunt Fratres Prædicatores: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & præſta ut in conſpectu tuo tibi placens aſcendat, & meam, & omnium fidelium ſalutem operetur æternam.*

Ritu Ambroſiano Sacerdos offerens hoſtiam, dicit: *Suſcipe clementiſſime Pater hunc panem ſanctum, ut fiat Unigeniti tui corpus, in nomine Patris* &c. Et dum offert calicem, ait: *Suſcipe clementiſſime Pater hunc calicem, ut fiat Unigeniti tui ſanguis, in nomine Patris* &c. Deinde junctis manibus, & inclinatus, dicit: *Omnipotens ſempiterne Deus, placabilis, & acceptabilis ſit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me miſero peccatore, & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, ut veniam, & remiſſionem omnium peccatorum meorum mihi concedas, & iniquitates meas ne reſpexeris, ſed ſola tua miſericordia mihi proſit indigno.* Tum ſtans manibus extenſis proſequitur: *& ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine, & cuſtodia, atque unitate catholicæ fidei, & pro veneratione quoque B. Dei Genitricis Mariæ, omniumque ſimul Sanctorum tuorum, & pro ſalute, & incolumitate famulorum, famularumque tuarum, & omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti ſumus, & quorum, quarumque eleemoſynas ſuſcepimus, & omnium fidelium Chriſtianorum tam vivorum, quam defunctorum; ut te miſerante remiſſionem omnium peccatorum, & æternæ beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perſeverando percipere mereantur, ad gloriam, & honorem nominis tui Deus miſericordiſſime rerum conditor. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Diebus Dominicis, & in feſtis Sanctorum, dicit orationem incipientem: *Suſcipe ſancta Trinitas*, parum differentem ab ea, quæ ſupra deſcripta eſt in ritu Lugdunenſi. Deinde manus expanſas tenens ſuper oblata, ait: *Et ſuſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem*

nem

nem pro emundatione mea, ut mundes, & purges me ab univerſis peccatorum maculis, quatenus tibi digne miniſtrare merear Deus, & clementiſſime Domine. Poſtea benedicit oblata his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, copioſa de cælis deſcendat ſuper hanc noſtram oblationem, & accepta tibi ſit hæc oblatio Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, miſericordiſſime rerum Conditor. Amen*. Tandem ſi ſolemniter celebrat, incenſat oblata (4). (4)

Mozarabes dicunt duas orationes ex Miſſali Hiſpalenſi ſupra deſcriptas, quibus addunt *in ſpiritu humilitatis*, & *Veni ſanctificator*.

(1) *Sub ſilentio complebatur*) Quatuor primæ orationes *Suſcipe... Offerimus... In ſpiritu humilitatis...* & *Veni ſanctificator* in ſubſtantia, & propriis fere terminis, ſeu verbis ante annos mille leguntur in Miſſali Mozarabum, a quo Eccleſia Romana videtur illas accepiſſe, ſicut accepit ſæculo XII. orationem *Suſcipe ſancta Trinitas*, quæ Mediolani, & in pluribus Galliarum Eccleſiis dicebatur. De iis, uti ab Hiſpanis uſitatis non loquitur Micrologus, quod nos in ſuſpicionem inducit eum ritus hiſpanos ignoraſſe. Memorat quidem ultimam *Veni ſanctificator* ex ordine Gallicano (ut infra optime notat Cardinalis noſter) quæ non eſt Romanæ Eccleſiæ, ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine regionum Occidentalium, cui orationi ſubjungendam aſſerit non ex aliquo Ordine, ſed ex dicta conſuetudine: *Suſcipe ſancta Trinitas*, de qua ſcitu digna profert plura clar. Dominicus Georgi tom. 2. de Liturgia Rom. Pontif. lib. 3. cap. 23. n. 7. & 8. Partem porro harum orationum legimus in Sacramentario Turonenſi 800. circiter annos ſcripto, & in duobus Albienſibus ante annos 600., uti obſervat Petrus Le-Brun Cærem. Miſſæ par. 3. art. 6.

(2) *Ad ſacrificii integritatem pertinere*) Recte quidem: oblatio quippe aliqua panis, & vini conſecrationem præcedens, licet revera ad integritatem, ſeu adæquatam plenitudinem ſacrificii pertinere oſtendat unanimis Liturgiarum omnium conſenſus, in quibus illa præſcribitur, & pars ſacræ actionis inter præcipuas ſit rerum conſecrandarum oblatio; ex eo tamen non evincitur, quod hæc vocalis eſſe debeat, certo precum ritu formata, cumque orationibus eidem aſſignatis adjuncta; etenim hujuſmodi verbalis oblatio ſic determinatis obſecrationum formulis alligata, non eſt ita ad ſacrificium neceſſaria, ut ſine ipſa tali ordine conſtituta idem ſubſiſtere non poſſit; ſatis namque ſe aliquid Deo offerre demonſtrat, qui re ipſa offert, & actu extrinſeca oblatio ab offerente cum recta intentione fit, uti cum Bellarmino Contr. tom. 3. lib. 5. de Miſſa cap. 27. Natali Alexandro Theol. Dogm. Mor. lib. 2. de Sacr. Euch. cap. 6. art. 1. prop. 2., inſignes alii Theologi docent. Quare oblatio iſta utriuſque ſpeciei hoc loco peracta nonniſi nuda, ac mera ad futurum ſacrificium præparatio erit, quemadmodum expreſſe tradit eruditiſſimus Scriptor noſter paullo infra, quod & confirmatur, nam in latinis Liturgiis eamdem hæc oratio ſubſequitur: *Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum*: de qua oratione dicetur infra ſuo loco, adeoque per hanc verbalem, ac ſimplicem oblationem cum nihil intrinſecus innovetur in re oblata, ſed nuda panis, & vini conſecrandorum ſubſtantia offeratur illa prece, quæ incipit: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem* &c. Sicque extrinſecus tantum circa ipſam ſacrum aliquod fiat, orationum ſcilicet prolatione ſtatuti, quibus panis, & vinum e profanis ſacra fiunt, dum diſcernuntur ad conſecrationem; conſequenter illorum ſeparata elevatio, conſignatio crucis ſuper ipſam materiam conſecrandam, & aliæ ſimiles in offerendo actiones, quæ a Sacerdote fiunt, præparatoriæ ad ſacrificium, & cæremoniales procul dubio eſſe videntur.

Oblatio quid, & in quo conſiſtat.

Quamvis, inquam, oblatio aliqua ad ipſum ſacrificium intrinſece pertineat, haud tamen neceſſe eſt ut ante immolationem fiat, cum ipſa immolatio oblatio eſſe poſſit, & licet ſacrificium ſit in genere oblationis, nihilominus non exigit, ut hæc verbis fiat, ſed rebus ipſis, ut innuimus, cum nec in veteribus antiquæ legis ſacrificiis, verba adhiberentur, & abſolute mactaretur victima in honorem Dei, in qua mactatione conſiſtebat oblatio. Præterea cum ſacrificium euchariſticum ſit a Chriſto inſtitutum, circa ea, quæ ad ipſum pertinent, attendi debet factum ipſius Chriſti Domini; non legitur autem eumdem in hujus auguſtiſſimi ſacrificii inſtitutione ulla verba oblationis protuliſſe, licet aliquo modo obtulerit, ut aperte docet Cyprianus lib. 2. epiſt. 3., ac colligitur ex illa cæremonia elevandi oculos in cælum ad Deum Patrem, quam ſuæ conſecrationi euchariſticæ præmiſit, ſed ſolum gratiarum actionis, benedictionis, fractionis &c. hinc ſequitur oblationem etſi actu inſeparabilem a ſacrificio, a verbis tamen, vel certa precum, aut rituum formula neceſſario obſervanda non dependere, ut ſcribit Purpuratus noſter.

Quod & ulterius evincitur, ſi enim in pane, aut vino jam verbaliter oblatis deprehendatur defectus aliquis ſubſtantialis, vel immediate ante, aut etiam poſt conſecrationem, juxta rubricas, & Eccleſiæ praxim uſitatam debet nova materia afferri, & conſecrari non repetitis ſuper ipſam verbis illis *Suſcipe ſancte Pater*, aut *offerimus tibi Domine calicem*, aliiſve offertorii orationibus. Quæ omnia abunde ſatis convellunt illorum Scholaſticorum ſententiam, de quibus Cardinalis loqui-

tur, aſſerentium oblationem iſtam cum orationibus eidem aſſignatis ad ſacrificii integritatem pertinere.

(3) *Ritu Eccleſiæ Lugdunenſis &c.*) Eumdem ritum præſcribunt Miſſale Rhemenſis Eccleſiæ anno 1555. juſſu Cardin. Lotharingi editum, ac Miſſale inſignis Eccleſiæ Noviomenſis an. 1541. Plures alias oblationum orationes conſimiles, atque etiam diſcrepantes nonnullas exhibet Miſſa Latina vetus a Mathia Flacco Illyrico edita, circa finem hujus tomi relata, inter Appendices, & Supplem. pag. xix. & ſeqq., quas item refert Edm. Martene de antiq. Eccl. rit. tom. 1. p. 503. & ſeqq. Pro coronide tandem hujus diſquiſitionis de antiquis oblationibus, earumque ritu ſupereſt obſervandum, quod inadvertenter omiſimus, nimirum olim in Miſſis defunctorum, quia privatæ omnino erant, & ſine communione populi, ſed ſolius dumtaxat Celebrantis, uti infra Eminentiſſimus Author cap. 16. §. 7. ac Chriſt. Lupus in Acta S. Leonis IX. Schol. ad can. tom. 4. p. 381. & ante ipſos Gabriel Albaſpinæus Obſerv. Eccl. lib. 1. cap. 17. in ipſis ideo communes fidelium oblationes præſentatas minime fuiſſe, quæ tantum ad Miſſas ſolemnes, ſeu publicas ſic a conventu populi circumſtantis, offerentis, & communicantis dictas, ut ait idem Card. noſter lib. 1. cap. 13. §. 3. exhibebantur; & licet in Codice Sacram. Eccl. Rom. a ven. Card. Thomaſio edito, quem validis argumentis eumdem ac Gelaſianum, & quinti ſeculi eſſe probat, hujuſmodi oblationum tanquam factarum, aperta fiat mentio lib. 3. pag. 251. & 254. in una etenim collecta, ſeu oratione ſecreta, ſic Sacerdos orat: *Suſcipe, quæſumus Domine, pro anima famuli tui Ill. quas offerimus hoſtias* &c. in altera vero: *Oblationes noſtras, quæſumus Domine, propitiatus intende, quas tibi offerimus pro anima famuli tui* &c. hiſque item aliæ ſimiles ibidem legantur; nihilominus cum in Miſſis Defunctorum, ut dictum eſt, non fieret populi communio, neque etiam ipſius oblatio fiebat; quod uberius confirmatur ex Concilio Vaſenſi II. an. 529. celebrato, ubi fit diſcrimen inter Miſſas publicas, & Miſſas defunctorum, pro cujus intelligentia præſtat integrum adferre laudati Albaſpinæi Aurelianenſis Epiſcopi textum ex ipſius obſervationum loco citato: *Ideo* (ait ille) *in mortuorum ſacris oſculum non perſolutum eſſe, quod olim privata eſſent illa ſacra, non autem ſolemnia, hoc eſt non eſſent inſtituta, ut eis publice fideles omnes communicarent, perinde atque in Dominicis, feſtiſque diebus fieret. Id autem apparet ex can.* 4. *Concilii II. Vaſenſis, ubi diſcrimen ponitur inter ſolemnia, mortuorumque ſacra. Itaque cum in his ſacris non communicaretur, nullum etiam oſculum dabatur, quod quidem ſymbolum quoddam, & argumentum erat communionis fidelium* &c. ac proinde in iis oblatio non deferebatur.

Olim in Defunctorum Miſſis, quia privatæ erant & ſine populi communione, oblationes non fiebant.

Nec propterea quod in Miſſis privatis, aut defunctorum ſacris, eædem, conſimiles olim pariter fuerint utrobique orationes ſecretæ in quibus memorantur oblationes, has idcirco revera eſſe factas quiſpiam arbitretur, *Ordinem* enim *precum* (inquit Vigilius Papa, qui poſt Vaſenſe Concilium memoratum ſedit anno 540. in epiſt. 2. ad Eutherium, ſeu Profuturum, de qua jam ſupra lib. 1. cap. 7. §. 5.) *in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum: ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare*. Hinc quemadmodum Miſſæ privatæ in antiquis Sacramentariis deſcriptæ alium ordinem non habebant diverſum a publicis, cum in utriſque recitarentur eodem in loco orationes ſecretæ, ſeu ſuper oblata, ſicut nos quoque & nunc facimus, qui privatarum Miſſarum ordinem eumdem ac publicarum in Miſſalibus noſtris habemus, quæ aliud non admittunt diſcrimen, niſi in cantu, cæremoniis, ac Miniſtrorum numero. Similiter illæ veteres Miſſæ privatæ, cum ordinarentur conſuetis precibus ſtatutis etiam pro Miſſis publicis, quamvis populus ad ipſas non offerret; eædem tamen ſecretæ ſuper oblata recitabantur, quæ oblationum veluti jam factarum mentionem continebant. In quo cæteroquin nihil veritas lædebatur, ſicut nec quidem a nobis læditur in recitatione veterum illarum orationum, quæ reſpectum ad oblationes habebant, & quæ ex antiquis Sacramentariis excerptæ, nunc in noſtris Miſſalibus referuntur, licet populus hodie, non amplius, uti retroactis prioribus ſeculis, uſitato tunc more ſuas oblationes exhibeat, quæ nunc tantum a Sacerdote offeruntur. Cumque priſcis temporibus Miſſæ privatæ celebrarentur eodem pariformiter modo, quo in præſens a nobis celebrantur, juxta mentem ſcilicet, ac vota illarum perſonarum, quæ præviis eleemoſynis eas commendaverunt, ſemper comprobatur ipſas quidem perſonas per Sacerdotis manus ad illas Miſſas offerre, ut S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 53. luculenter interpretatur: *Scrupulus*, inquit, *ille de offerentibus ita ſolvi poteſt, quod dum ſacrificamus, illi, pro quibus agitur per manus noſtras offerunt Deo ſacrificium laudis*. Ita plane, & eodem pariformiter modo obſervabatur in Miſſis Defunctorum, intra quas etiam dum privatæ permanſerunt, illæ recitabantur orationes, quæ oblationes indicabant, licet iſtæ ad illas non præſentarentur, quia Eccleſia eamdem ſacrificandi normam in Miſſis omnibus uſurpabat, ut ex antiquis Sacramentariis conſtat, atque infra etiam ſuo loco dicetur. Ex quibus ubertim confirmatur olim non fuiſſe a populo traditas oblationes in Miſſis Defunctorum, ac proinde nec ipſum ad eas communicaſſe. De his demum qui plura velit, adeat clar. viri Franciſci de Berlendis alias laudati eruditiſſimam diſſertationem de oblationibus comm. §. 3. num. 3. & ſeqq.

(3) *Tandem ſi ſolemniter celebrat, incenſat oblata*) Chartuſiani dum ſuper oblationes thus adolent, unicum crucis ſignum cum thuribulo efficiunt ſuper hoſtiam, & calicem: *thurificat ſemel ſuper calicem, & hoſtiam in modum crucis*, ita eorum Rituale. Sed de oblatorum incenſatione diſſeretur infra §. 5.

§. III.

§. III.

Vinum aqua miſceri ex Chriſti inſtitutione.

Diluitur quædam objectio quoad primam oblationis orationem Suſcipe ſancte Pater.

MOre Romano Sacerdos offert primo patenam cum hoſtia, dicens orationem: *Suſcipe ſancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hoſtiam* &c. De qua oratione Joannes Hoffmeiſter ordinis ſancti Auguſtini in expoſitione Miſſæ ſibi cum viro docto magnam fuiſſe diſceptationem ſcribit, objiciente illo ſe mirari, quomodo auderemus panem, & vinum vocare hoſtiam immaculatam, quam Deus ſuſcipiat pro ſalute vivorum, & defunctorum: cui ipſe reſpondit: *Non panem & vinum vocamus immaculatam hoſtiam, ſed corpus, & ſanguinem Domini, quæ ex illis conficiuntur. Igitur non ob hoc quod jam ſunt, ſed quod paulo poſt futura ſunt, tali digna æſtimantur appellatione, locutionis quodam modo a ſacris literis non alieno. Sicut Judas ab initio ſuæ vocationis vocatus eſt proditor, quia talis futurus erat.* Dicimus ergo immaculatam hoſtiam per relationem ad terminum ſubſtantiæ panis, & vini mox ſubrogandum (1): neque enim aliter pertinent panis, & vinum ad rem im- (1)
molatam, niſi quia ex Chriſti inſtitutione in his conficitur ſacrificium, & ſub eorum ſpeciebus per verba conſecrationis Chriſti corpus, & ſanguis vera, & reali tranſubſtantiatione collocantur. Pane autem oblato ponit Sacerdos vinum in calice, & aquam miſcet, idque ex Chriſti inſti-
ſtitutione (2), ut antiquæ Liturgiæ Jacobi, Marci, Baſilii, & Joannis (2)
Chriſoſtomi teſtantur, dicentes Chriſtum poſtquam cœnavit accepiſſe calicem, & vino aquam miſcuiſſe. Idem definitum fuit in Concilio III. Carthaginenſi c. 24. *Ut in ſacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nibil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum.* Et in Concilio IV. Aurelianenſi c. 4. *Ut nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, & hoc aqua mixtum offerre præſumat; quia ſacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis ſacratiſſimis Salvator inſtituit.* At in antiquis editionibus hujus canonis textum corruptum fuiſſe pridem obſervarunt viri eruditi; nam ſic legebatur, *& hoc ſine aqua mixtum*: repugnat autem quod mixtum ſit, & ſine aqua, quare delenda vox *ſine* vel in *niſi* mutanda, quod ſorſitan verius eſt. Concilium quoque Antiſſiodorenſe *c.* 8. Vvormatienſe *c.* 4. Triburienſe *c.* 19. vinum aqua mixtum offerri decre-
verunt, idque antea conſtituiſſe dicitur Alexander I. (3), non quod au- (3)
ctor hujus mixtionis fuerit, ut nonnulli perperam ſcribunt, ſed quia adverſus hæreticorum errores, quod ex Domini, & Apoſtolorum traditione acceperat, ſcripto firmavit. Longam de hoc argumento epiſtolam ſcripſit ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Auguſtinus *lib.* 4. *de doctr. chriſtiana cap.* 21. hoc Domini præceptum eſſe affirmans, cujus tranſgreſſio graviſſimum peccatum ſit, & hujus ineffabilis ſacramenti mutilatio. Juſtinus Martyr Apolog. 2. (loquens de Euchariſtia) panem, vinum, & aquam offerri ait. Irenæus lib. 4. cap. 57. *Dominus*, inquit, *accipiens panem ſuum corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit.* Damaſcenus lib. 4. de Fide orthod. cap. 14. *Conſimili modo*, ait, *acceptum calicem, & vino, & aqua conſtantem impertivit eis*, Gennadius de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap. 75. *In Euchariſtia non debet pura aqua offerri, ut quidam ſobrietatis falluntur imagine, ſed vinum cum aqua mixtum.* Ambroſius *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 1. aquam vino miſceri

Alexander Papa I. non Author mixtionis aquæ in calice, ut nonnulli perperam ſcribunt.

ſceri docet, tum quia Chriſtus petra eſt, quam illa præfiguravit, ex qua
Moyſes aquam eduxit (*tangit ergo*, inquit, *Sacerdos calicem, redundat
aqua in calice, ſalit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gra-
tiam conſecutus eſt*); tum quia ex latere Chriſti ſanguis, & aqua fluxe-
runt (4). Auguſtinus in ſermone ad Neophytos: *Hoc accipite in pane,* (4)
*quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manavit de Chriſti la-
tere* (5). Teodulphus item Aurelianenſis duplicem ejuſdem mixtionis cau- (5)
ſam agnoſcit in libello de Ordine baptiſmi, quem edidit Menardus in no-
tis ad librum Sacramentorum, *cap.* 18. ſive quia de latere Domini aqua
cum ſanguine fluxit: vel quia per vinum Chriſtus, per aquam populus
ſignificatur. Hanc vero ſecundam rationem elegantiſſime pertractat Cypria-
nus in laudata epiſtola ad Cœcilium; *Videmus in aqua populum intelligi,
in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice aqua vino mi-
ſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credi-
dit copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vi-
ni ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem
ſeparari. Unde Eccleſiam, ideſt plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter,
& firmiter in eo, quod credidit perſeverantem, nulla res ſeparare poterit
a Chriſto. Sic autem in ſanctificando calice Domini aqua ſola offerri non
poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum ſolum quis offerat,
ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit
eſſe ſine Chriſto.* Hæc & alia multa Cyprianus, quæ Patres Concilii ter-
tii Bracarenſis *can.* 1. tranſcripſerunt. Hydroparaſtatas ſive Aquarios, &
Encratitas, qui ſola aqua utuntur in myſteriis; itemque Armenos, qui
ſolum vinum adhibent, ſemper damnavit Eccleſia. Aquariorum mentio-
nem faciunt Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum*, Irenæus *lib.* 5.
cap. 1. Chryſoſtomus *hom.* 83. *in Matth.* Auguſtinus *de hæreſibus cap.*
64. Epiphanius *hær.* 46. *adverſus Encratitas*, Theodoretus *lib.* 1. *hære-
tic. fabul. cap.* 20. Aliam Aquariorum ſpeciem Cyprianus impugnat in
prædicta epiſt. 63. eorum nimirum, qui cum veſpere calicem cum vino
& aqua, ſicut Dominus obtulit, offerrent; in matutinis tamen, & an-
telucanis cœtibus ſola aqua utebantur, ne Gentiles ex odore vini eos agno-
ſcerent. Armenos damnavit Concilium Trullanum *can.* 32. eoſque egre-
gie confutat Clemens Galanus *tomo II. ſecundæ partis Conciliationis Ec-
cleſiæ Armenæ cum Romana tract. de nova lege quæſt.* 4. §. 3. *ſect.* 2.
Hi ſtultorum more, dum Aquariorum hæreſim vitant, in contrarium er-
rorem lapſi ſunt ſolum vinum offerentes; ſive per ſolum vinum unam
duntaxat in Chriſto naturam deſignarint a Jacobo Syro Euthychianæ blaſ-
phemiæ propagatore ſeducti, ut Nicephorus indicavit *lib.* 18. *Eccleſiaſt.
hiſt. cap.* 53., ſive aquam detraxerint, ut a Græcis ſepararentur, ut ex
quadam illorum hiſtoria colligitur, quam ſupra commemoravimus *Lib. I.
cap. XXIII.* Refert Bernardus *epiſt.* 69. quorumdam opinionem (6) exi- (6)
ſtimantium aquæ mixtionem neceſſariam eſſe ad ſacramenti integritatem;
ſed certa eſt Theologorum ſententia, omiſſa aqua validam eſſe conſecra-
tionem, quamvis omittens graviter peccet (7). Cum vero aqua myſte- (7)
rii cauſa apponatur, vel minima gutta ſufficiens eſt (8), de qua re An- (8)
tonius Auguſtinus vir doctiſſimus in ſynodalibus Conſtitutionibus Tarra-
conenſibus Pii V. ad illius Civitatis Archiepiſcopum conſtitutionem affert,
in qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, ſicut fieri
debet, calici infundebant, ſed plus aquæ, quam vini (9), aut tantum- (9)
dem aquæ, quam vini, quod omnino corrigi, & emendari præcipit.
Hunc autem exceſſum præcaventes quædam Eccleſiæ, aquam vino mi-
ſcendam

Ejuſd. aquæ vino miſcendæ omiſſio etſi læthalis ſit, non tamen invalidam efficit conſecrationem.

Aqua in modiciſſima quantitate vino miſcenda.

ſcendam parvo cochleari excipere ſolebant (10), & ex eo in Calicem (10)
fundere, qui mos adhuc permanet in Eccleſiis Carthuſianorum. Romano Ritu dum aqua miſcetur vino, dicitur Oratio (11). *Deus, qui hu-* (11)
manæ ſubſtantiæ dignitatem, quæ extat in Miſſa veteri edita ab Illyrico, & in Tilliana apud Menardum. Eccleſiæ omnes Orientales, & plures Latinæ in eadem mixtione Sanguinem & aquam e Chriſti latere fluxiſſe
commemorant (12). Sic enim Ambroſiani dicunt cum aquam infundunt; (12)
De latere Chriſti exivit Sanguis & aqua pariter, in nomine Patris &c. Sic Lugdunenſes; *De latere Domini noſtri Jeſu Chriſti exivit Sanguis & aqua tempore paſſionis: Id eſt myſterium S. Trinitatis. Joannes Evangeliſta vidit, & teſtimonium perhibuit, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus*. Sic Hiſpalenſes; *Ex latere Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguis, & aqua exiiſſe perhibetur, & ideo pariter commiſcemus, ut miſericors Deus utrumque ad medelam animarum noſtrarum ſanctificare dignetur.* Sic Ciſtercienſes priſco Ritu; *Sicut de latere Domini noſtri Jeſu Chriſti exivit Sanguis & aqua, ſic fiat pariter commixtio vini & aquæ in remiſſionem peccatorum noſtrorum.*

Conſimilibus exemplis explicantur verba primæ orationis ad Oblationem.

(1) *Panis, & vini mox ſubrogandum.*) Sicuti explicamus in ſecreta Epiphaniæ his verbis: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus, & myrrha profertur, ſed quod eiſdem muneribus declaratur, immolatur, & ſumitur Jeſus Chriſtus Dominus noſter*. Quæ oratio legitur in antiquis ſacramentariis Gregorii pag. 15. Miſſali Goth. Thomaſii pag. 210. Item in Miſſali Gelaſiano ejuſdem Thomaſii pag. 117. Miſſali Franc. Miſſa num. 22. ibid. pag. 428., & Liturgiæ Gallicanæ Mabillonii pag. 325. ubi hæc legitur oratio ſuper oblata: *Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem tibi, Summe Pater, hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus, quæ miro, ineffabilique, myſterio, & immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur*; ubi *ſpiritalem hoſtiam* (ſubdit Mabillonius Præfat. ad dictam Liturgiam Gallic. num. x.) „ dicit Sacerdos, quod ſpiritaliter „ immoletur vera Chriſti caro; veruſque „ Sanguis. Quid? Quod *adoranda Sacrificia* „ appellantur in fine tertii Miſſalis, ſcilicet Gallicani vet. Miſſa 39. in Rogationibus. Plura hujuſmodi teſtimonia circa fidem realis præſentiæ Chriſti Domini in Euchariſtiæ Sacramento, quam ſemper tenuit Eccleſia idem profert ibid. pag. 3., 4., 95., 96. ex his, aliiſque probe intelligimus majorum noſtrorum ante annos mille perſuaſionem fuiſſe, quod Chriſtus Dominus ſe ipſum Patri in Euchariſtia obtulit, cum illam ſub ſpeciebus panis, & vini conficiendam inſtituit; cui orthodoxæ Patrum traditioni conformis eſt ſanctio Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. *Dominus noſter .... Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tum novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit .... uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.*

Variæ circa apparatum panis ſuper patenam, ac vini & aquæ in Calice nonnullarum Eccleſiarum in Gallia conſuetudines.

(2) *Vinum in calice, & aquam miſcet, idque ex Chriſti inſtitutione.*) Parabatur aliquandiu calix in Sacrario. In antiquo Miſſali Antiſſiodorenſi Sacerdos, antequam ſacras veſtes aſſumeret, panem parabat, & vinum. Ita ibi: *Adminiſtret panem ſuper patenam, & vinum, & aquam in calicem, & dicat de latere*, &c. ac dum aquam infundebat: *Commixtio vini, & aquæ fiat in nomine Patris*, &c. Poſt hæc ſacris ſe ſe induebat veſtibus. Idem legitur in veteri Miſſali Catalaunenſi. In Rituali quodam Sueſſonenſi videtur, quod Diaconus calicem parabat ſuper armarium, & magna pompa ad Altare deferebat tum calicem, tum patenam cum hoſtiis, præcedentibus Acolythis cum cereis. Calix autem & patena velo operiebantur. Turone offertorii tempore ad Altare offeruntur magno apparatu vaſa in Sacrificio adhibenda, calix ſcilicet cum vino, & aqua, & patena, cum pane, quem ritum ſequuntur etiam Græci. Novioduni infunduntur vinum & aqua, in calicem ante *Gloria in excelſis*. Quod autem, vino debeat aqua miſceri; ex Chriſti inſtitutione, ſic Angelicus Doctor infra citandus: *Probabiliter enim* (ait) *creditur, quod Dominus Sacramentum hoc inſtituerit in vino aqua permixto ſecundum morem illius terræ; unde & Proverb. 9. dicitur bibite vinum, quod miſcui vobis. Secundo quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ paſſionis*. S. Thomas 3. parte quæſt. 74. art. 6. in corpore.

Sed præſtat in hujus argumenti confirmationem ſupradictis allatis a Cardinali Patrum authoritatibus integrum addere, indicatum tantum Auguſtini textum, quo Cyprianum laudans magnus, Theologorum Princeps, illius ſententiam referens, eamdem amplectitur, ipſis itaque Cypriani verbis ſic loquitur: *Admonitos autem nos ſcias*, inquit, *ut in calice offerendo Dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur vino mixtus offeratur*: Neque ad clariorem ejuſdem Dominicæ traditionis a Cy-

Indicantur & alii teſtes hujus ſacræ mixtionis aquæ in Calice cum vino.

priano

priano aſſertæ dilucidationem abs re ſit, aut ingratum & Jacobeæ Baſilianæque Liturgiarum, quas in ipſius teſtes Cardinalis aſſumit, earumdem verba referre. In prima de Chriſto Domino conſecrante ſic legitur: *Accipiens calicem, & permiſcens vino, & aqua, & aſpiciens in cælum* &c. in altera vero: *Similiter calicem vini nati ex vite, poſtquam cænaverunt, accepit, miſcuitque aquis, gratias egit &c.* Accedit Concilii Trullani Can. 32. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem ſacit, & aquam vino non miſcens, ſic immaculatum offert ſacrificium, deponatur, ut imperfecte Myſterium enuncians, & quæ tradita ſunt innovans*. Atque hoc loco mihi obſervandum videtur ex nonnullis veterum Judaicorum rituum Peritis mixtionem hanc aquæ cum vino, licet obſervatam non fuiſſe, tamen Judæis in Agni Paſchalis cæna præceptam, ſed cujuſque relictam arbitrio, quo poſſent ea uti; quamobrem dicendum conſequitur Chriſtum Dominum tunc illam adhibuiſſe, non ut alicui legi obediret, ſed ut temperantiam ſervaret: quod etiam animadverſum fuiſſe conſpicio a Joanne Papa XXII. in Epiſtola ad Armeniorum Archiepiſcopum relata ab Olderico Rainaldo ad an. 1310. num. 13. ubi de hac eadem re loquens ſic ſcribit: *Non enim credendus eſt Chriſtus ipſe, qui temperantiæ ſummæ cunctis ſe præbuit exemplum, in die Cœnæ, qua hoc Sacramentum inſtituit, vino puro, ſed limphato potius uſus eſſe.* At de hac materia iterum infra.

(3) *Idque antea conſtituiſſe dicitur Alexander I.*) Proſequitur dictus Eccleſiæ Doctor Aquinas: *Unde dicit Alexander Papa: non debet in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in paſſione ſua profluxiſſe legitur*. Ita apud Sanctum Thomam loco ſupra citato, qui & alias ſubdit rationes, quibus id ex Chriſti Domini inſtitutione fluxiſſe credendum ſuadet.

(4) *Tum quia ex latere Chriſti Sanguis, & aqua fluxerunt.*) Hieronymus item Comment. in cap. 4. Marci, & quæſt. Hebr. in lib. Paralipom. aliique Patres nonnulli.

(5) *Quod manavit de Chriſti latere.*) Idem docet lib. de Eccleſ. dogm. cap. 75. Tract. 120. in Joan. num. 2. & ſerm. 119. de tempore. Inſuper Theophylactus in Joannis cap. 19. Theodoretus Dialogo I., & multo ante Concil. III. Carthaginenſe, cui adfuit S. Auguſtinus Can. 24. id ipſum quoque confirmant, & probant. His addi poſſunt Gregorius Nyſſenus Orat. Catech. cap. 37. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Proclus de Tradit. Div. Liturg. Nicephorus Calliſtus lib. 18. cap. 53. aliique, tum a Noſtratibus, tum a Voſſio Heterodoxo Diſp. 22. ſeu 4. de ſacræ Menſæ Dominicæ Symbolis, Theſi 8. allati.

(6) *Quorumdam opinionem.*) Hanc ſententiam veriſimilem credidit Pamelius in notis ad præcitatam Epiſtolam Sancti Cypriani num. 40. Eidem pariter opinioni favere videtur Alexander Alenſis, quatenus ait aquæ mixtionem eſſe de ſubſtantia Sacramenti, ſed alium eſſe hujus Authoris ſenſum recte obſervat Card. de Laurea in 4. Sent. Diſp. 18. art. 4. num. 73. Quare S. Thomas 3. parte quæſt. 74. art. 7. dictæ ſententiæ contrariam affirmat, cui communiter pene omnes Theologi ſubſcribunt, Scotus in 4. ſent. diſt. 11. qu. 7. Durandus ibid. quæſt. 5. Eſtius diſt. 8. §. 10. aliique inſigniores.

(7) *Quamvis omittens graviter peccet.*) Hinc exiſtimarunt olim nonnulli, non tantum dicta S. Cypriani authoritate moti, quam laudat Auguſtinus mox a Cardinali indicatus, ſed & aliorum veterum Scriptorum, qui eidem adherere ipſis videbantur, ſuffragio, quos non paucos recenſet Edm. Martene de ant. Eccleſ. Rit. cap. 3. art. 7. n. 30. hujuſmodi præceptæ mixtionis aquæ in calice omiſſionem nedum graviſſimum peccatum, verum etiam Sacramenti Euchariſtici diminutionem eſſe, adeout nobilis quidam Scholaſticus (teſte Guill. Alano de Euch. Sacram. lib. 1. cap. 13. pag. 281.) aſſeruerit aquæ adiectionem ita eſſe de neceſſitate Sacramenti, ut ſi vel errore, aut incuria illa foret omiſſa, nulla omnino fieret conſecratio; in quam erroneam theſim idem ſuo tempore multos impegiſſe ſcribit, quos ipſe doctiſſime refellit, & huic oppoſitam, contrariamque ſententiam Eccleſiæ placere, ac rationi magis conſentaneam eſſe luculenter oſtendit. Sed non incongruum erit aliquot ipſius in hanc rem argumentorum verba proferre: „ Quamvis enim, ait, aquæ
„ admiſcendæ ita graves cauſæ ſint, ut eam
„ ſine mortali peccato præterire non liceat,
„ ea tamen ſi deſit, Sacramentum conſtare
„ poteſt. Nam utcumque D. Cyprianus ve-
„ hementius in hac cauſa propter Aquarios,
„ qui tum valde profanarunt inſtitutionem
„ Dominicam, invectus ſit; commune ta-
„ men Theologorum judicium magis ſequen-
„ dum eſt. Itaque interpretanda ſunt ejus
„ verba, cum ait (jam citata Epiſt. ad Cæ-
„ cilium lib. 2. Epiſt. 63.) *non poſſe ſolum*
„ *vinum offerri*, ut dicat rite, juſte, legiti-
„ me, ſine peccato, & aliqua offenſione
„ expreſſæ ſignificationis non poſſe fieri. Et
„ cum porro dicit, *ſic non fieri ſacrificium*
„ *ex ſolo vino, ſicut nec ex ſola aqua, aut ex*
„ *ſola farina ſine aqua*, intelligendum eſt
„ comparationem non eſſe abſolutam per
„ omnia, ſed in hoc conſiſtere, quod ſicut
„ unum non committitur ſine grandi ſcelere,
„ ita nec alterum ſine graviſſimo peccato
„ fieri poſſit. Ratio vero a ſignificatione
„ petita invalida eſt; neque enim quidquid
„ ad expreſſiorem ſignificationem pertinet,
„ ſemper de neceſſitate Sacramenti eſt, ut
„ trina merſio in Baptiſmo, præſertim cum
„ ſignificatio hæc non pertineat niſi ad deno-
„ tandum effectum plane conſequentem Sa-
„ cramenti exiſtentiam, ſine quo effectu Sa-
„ cramentum eſſe poteſt, quæ eſt unio Chri-
„ ſti & plebis, eaque ex participatione con-
„ ſurgens, quanquam & ipſa ſolo vino, quod
„ ex uvarum multarum coagmentatione fit,
„ licet minus expreſſe, repreſentatur. Ra-
„ tio altera a Chriſti exemplo ducta minus
„ etiam convincit; non enim omne quod
„ Chriſtus inter conſecrandum obſervavit,
„ neceſſarium ad conſecrationem eſſe judica-

Explicatur S. Cypriani mens circa aquæ cum vino mixtionem in Calice.

„ tur,

„ tur, aut de eſſentia Sacramenti, immo
„, ne ſi juſſerit quidem; nam & aliqua
„ verba adhibuiſſe creditur ad conſecratio-
„ nem, ſine quibus tamen conſecrare poſ-
„ ſis; & uno genere vini & panis uſus non
„ excluſit cætera „. Hæc Alanus Anglus Presb. inſignis Academiæ Duacenſis Theologus, qui ducentis ferme abhinc annis ſcripſit. Communi autem ſui temporis Theologorum judicio, quod ſequendum, & præferendum Alanus pronunciat, lato calamo, ac ore ſuffragantur & noſtri recentiores. Communis Theologorum ſententia eſt (inquit Card. Laur. Cozza ex Ord. Min. in Commentariis ad lib. S. Auguſtini de Hær. Parte 2. ſeu Tom. 2. cap. 3. num. 151.) vinum in ſacrificio neceſſarium eſſe neceſſitate Sacramenti, mixtionem vero cum aqua neceſſitate præcepti, adeout ſola aqua non habeatur Sacramentum, poſſe tamen haberi ſolo vino abſque aquæ mixtione. Neque Cyprianus vult tantæ neceſſitatis eſſe aquam, quantæ eſt vinum. Nam in ejus ſententia vinum cenſetur neceſſarium ad perfectionem Sacramenti, aqua vero ad perfectionem ſollus ſignificationis, & ideo dicit: quod ſi offeratur ſolum vinum, incipit eſſe Sanguis Chriſti ſine plebe: ergo ex ſolo vino habetur Sanguis Chriſti, qui ſpectat ad ſubſtantiam Sacrificii, & Sacramenti, licet ſine plebe, ex deficientia ſcilicet ſignificati, quia ſine tali mixtione non ſignificat plebem Chriſto unitam. Dum porro ſubjungit, quod ſi offeratur ſola aqua incipiat eſſe plebs ſine Chriſto, indicat nullum eſſe Sacramentum, ſive quod ſola aqua nullo pacto habeatur Sacrificium, vel Sacramentum, quod ſine Chriſto eſſe non poteſt; utrumque ergo neceſſarium dicit, unum ad habendam veritatem Sacramenti, alterum vero propter adæquatam, perfectamque ſignificationem. Sed ſi deſit ſecundum, nimirum aquæ commixtio, adſitque vinum, habetur veritas Sacramenti, ſecus ſi adſit aqua, deficiatque vinum. Non ergo ſunt ad Sacrificium æqualis neceſſitatis. Hactenus Card. Cozza, cui ſuccinit noviſſime præclarus Sacræ Theol. Magiſter Ord. S. Auguſtini Jo. Laurentius Berti Tom. 7. de Theol. Diſcipl. lib. 33. cap. 6. prop. 3. ubi cum cæteris recentioribus noſtræ ætatis ſcriptoribus, aquæ cum vino commixtionem non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed tantum præcepti, & præcepti quidem Eccleſiaſtici, non divini argumentis bene multis, ac rationibus luculenter, invicteque demonſtrat. Reſpondens autem pag. 222. objectioni ſibi in contrarium adductæ ex laudato S. Cypriano, & Concilio Carthaginenſi III. can. 24. quorum authoritate contenditur dictam aquæ mixtionem in calice divini præcepti eſſe, non Eccleſiaſtici tantum, inter cætera ſic ait: Cyprianus & Carthaginenſis Synodus dum commemorant Dominicam traditionem, & inquiunt præcepiſſe Dominum ut conſecretur aqua permixtum, ita debent accipi, ut ſolum vinum ſit de eſſentia Euchariſtiæ; quod e ſcopo, verbiſque eorumdem ſatis conſtat; Cyprianus enim loquitur contra illos, qui in Sacrificiis matutinis ſolam aquam adhibebant, *ne per ſaporem vini redolerent Sanguinem Chriſti*: eoſque reprehendit, quia *cum dicat Chriſtus ego ſum vitis vera, Sanguis Chriſti, non aqua eſt utique, ſed vinum, & vini mentio ideo ponitur, ut Domini Sanguis intelligatur*: Atque id confirmat vetuſtis figuris Noe, qui vinum bibens inebriatus eſt, Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit, & Judæ, quem benedicens Jacob ait: *lavabit in vino Stolam ſuam*. In quibus profecto nulla mentio aquæ relucet. Synodus vero Carthaginenſis laudato in Canone eos damnat, qui ſimul cum vino conſecrabant *mel & lac*, definiens hæc quidem benedicenda eſſe, non conſecranda, *nec amplius in Sacrificiis offerendum, quam de uvis, & frumentis*. Non ergo eadem prorſus ratione referunt Cyprianus, & Patres Carthaginenſes vinum, & aquam ad Domini *traditionem*; Sed unum præſcribunt tanquam abſolute neceſſarium, alterum commendant tanquam retinendum ex Chriſti exemplo, atque ob myſticam rei ſignificationem. Hæc ex Bertio delibaſſe ſufficiat.

Adeoque ex communi Theologorum ſententia vinum in Sacrificio neceſſarium neceſſitate Sacramenti, aquam neceſſitate præcepti eſſe concluditur.

Cæterum ſi nonnullis hypercriticis Miſoliturgis iſta non plenam fidem evincant, procul dubio ii negare haud poterunt, quod ſive miſcenda ſit aqua vino in calice, quia ſic fecerit Dominus, ſive quia de latere ejus in Cruce pendentis exivit ſanguis & aqua, ſive ad ſignificandam adunationem populi cum Chriſto, utcumque ſe habeat cauſa, id profecto conſtantiſſimum eſſe, ex perpetua Eccleſiæ traditione ab ipſis Apoſtolis ad hæc uſque poſtrema tempora, tam apud Græcos, quam Latinos hanc ſemper ab Orthodoxis obſervatam fuiſſe ac religioſe cuſtoditam diſciplinam, in Sacrificio Miſſæ offerri in calice vinum aqua mixtum; atque ubi aliquibus in locis, ex adverſa quorumdam opinione, ab hac non interrupta univerſalis Eccl. Catholicæ conſuetudine vel tantiſper deſcitum eſt, ſtatim hac de re plures in diverſis Synodis, tum Provincialibus, tum Oecumenicis Canones emanatos prodiiſſe, quorum nonnullos citat Card. noſter in hujus paragraphi textu, quibus addendus Synodi Braccarenſis III. anno 675. celebratæ Canon I. & præſtat in hujus veritatis irrefragabile teſtimonium integrum Generalis Concilii Florentini ſub Eugenio IV. habiti Decretum in litteris unionis Armenorum adferre, ubi poſtquam dixerit Euchariſtiæ Sacramenti materiam eſſe panem triticeum, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet: *Cum ergo* (ſubdit) *tam ſancta Romana Eccleſia a Beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ, in quibus ſanctitatis, & Doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam Armeni ſe cum univerſo orbe conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum eſt, admiſceant vino*. Idem etiam ſtatuit Tridentinum Concilium ſeſſ. 22. cap. 7. quamvis de quantitate aquæ miſcendæ nihil definiat, cum ſolum dicat *præceptum eſſe ab Eccleſia*

Idque arguitur, tum ex perpetua Eccleſiæ traditione, tunc ex plurium Conciliorum Decretis.

cleſia

Digitized by Google

cleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent. Et deinde Can. 9. anathema dicit illis, qui negant aquam vino miſcendam: *Si quis dixerit . . . . . aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit*. Porro circa hunc Canonem obſervandum ſcribit laudatus Card. Cozza, ubi ſupra num. 153., quod Concilium non anathematizat eos, qui aſſerunt non ex divino præcepto aquam eſſe miſcendam in Sacrificio, ſed eos, qui aſſerunt præfatam mixtionem repugnare inſtitutioni Chriſti; aliud enim eſt dicere eſſe contra Chriſti inſtitutionem, aliud vero non eſſe præceptum a Chriſto; primum hæreticum eſt, non ſecundum; nam præcepiſſe Chriſtum hanc mixtionem tanquam quid neceſſarium ad Sacramentum, Eccleſia nunquam docuit; exemplum tantum dediſſe credit Eccleſia, quo fundata in exemplo ipſa præceptum dedit.

Gravem igitur, & enormem Eccleſiæ Romanæ calumniam imponit Franciſcus Burmannus in Synopſi Theolog. lib. 7. cap. 10. §. 19., dum hæc ſcribere auſus eſt: *ac præſertim aquam de neceſſitate hujus Sacramenti eſſe, atque in eam religionem, ac cultus partem poni, aut denique Apoſtolicæ traditionis prætextu, a Romana Eccleſia omnibus imponi non ferimus*: Burmanni errorem ſecutus peccavit etiam Samuel Baſnagius in Annalibus Polit. Eccleſ. ad annum Chriſti 33. num. 66. cum

Confutantur Sectarii circa dictam aquæ mixtionem Eccleſiam Romanam calumniantes.

in Latinorum ſententia mixturam aquæ ad Sacramenti neceſſitatem pertinere ſcribit, quem errorem Calviniſtæ iſti animo non imbibiſſent, ſi oculos in Theologorum noſtrorum ſcripta conjeciſſent. Quid hac Synodi Tridentinæ definitione diſertius? *Monet ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis Populi dicantur, ipſius Populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur*. Nec ſi inconſulte quidam in contrariam opinionem deſcendere viſi ſunt, toti Eccleſiæ debuit ipſorum lapſus affigi; ſed antiquum obtinet Baſnagius paucorum placitum, id cum Eccleſiæ doctrina confundens, ut fucum Lectoribus faciat, & incautos in errorem abripiat; quod ſane a viri eruditiſſimi gravitate, & prudentia, ut apud ſuos præſumitur, alienum eſt.

Mixtionem aquæ ab Apoſtolica traditione deſcendere cum Eccleſia Catholica Romana fatemur, ſecuti Patrum, & Conciliorum authoritates, qui ex Chriſti, & Apoſtolorum exemplo vinum aqua miſcendum docuerunt;

Atque inter ipſos Baſnagius.

Ridemus autem Baſnagii cavillationem, qua vim argumenti fulti ex facto Chriſti conatur infringere. „ Concedamus, inquit n. 65. „ vinum aqua dilutum a Chriſto fuiſſe adhi„ bitum. Ex facto ejus nec dum deciditur „ quæſtio, utrum neceſſarium ſit aqua vi„ num miſceri in calice. „ Atqui quæſtionis non eſt, utrum ex facto Chriſti ſequatur neceſſarium neceſſitate Sacramenti, aut præcepti divini eſſe vinum in calice aqua miſceri, quod Eccleſia nunquam definire cenſuit, neque enim omnia, quæ Chriſtus geſſit in inſtitutione hujus admirabilis Sacramenti a nobis facienda præcepit de neceſſitate peragenda, cum aliqua ejuſdem Eccleſiæ arbitrio determinanda, & præcipienda reliquerit, ut ſolemni opportunoque exemplo conſtat in pane azymo, in quo ex eo quod Chriſtus conſecraverit juxta communiorem ſententiam, arguitur quidem ex hoc Chriſti facto, & exemplo major azymi, quam fermentati congruentia, non vero Sacramenti, aut præcepti divini neceſſitas, adeout in ſolo azymo, non in fermentato fieri poſſit, ac debeat conſecratio; alioquin Græci invalide conſecrarent in fermentato, quod eſſet contra Synodi OEcumenicæ Florentinæ Decretum ſeſſ. 17. ubi definitur *in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*.

Tota itaque controverſia eſt, num ex facto Chriſti potuerit Eccleſia mixtionem aquæ in Sacrificio præcipere, quam nos facultatem totius antiquitatis teſtimonio ſuffulti Eccleſiæ libenter adſcribimus, item ex Concilii Tridentini authoritate ſeſſ. 7. can. 13. & ſeſſ. 21. cap. 2. Quod autem Eccleſia, quæ juxta Apoſtolum I. ad Timoth. cap. 3. *eſt columna, & firmamentum veritatis* in ſuis definitionibus, ac præceptis infallibilis, atque indefectibilis ſit, etſi negare velit Baſnagius, illum vel ipſi primarii gregales ſui redarguent, & quidem de ea, cui adverſantur, Eccleſia Romana loquentes. Joannes Naperus Comm. in Apoc. cap. 12. & in Inſtit. Gallic. Genevæ impreſſis an. 1562. *Notum*, ait, *& indubitatum eſt quod ab Apoſtolorum temporibus uſque ad ſupradicta nulla doctrinæ mutatio facta fuerit Romæ*. Ivellus in Replic. ad Hardinghum pag. 346. dicit: *Tam Auguſtinus, quam cæteri Patres Sedi Romanæ reverentiam exhibuerunt ob Religionis puritatem, quæ ibi ſine macula longo tempore conſervata eſt*, iſtud autem longum tempus, omne ævum eſſe affirmat ipſe Calvinus in Comment. ad cap. 43. Iſajæ de eadem loquens: *Veritatem tuetur, & propagat, ut a poſteris in omne ævum colatur*; & Inſtit. lib. 1. cap. 1. §. 10. *Veritatem præconio ſuo celebrat puram, & ſinceram retinet, ac ad poſteros tranſmittit*. Ex ipſis itaque inimicis, & de manu omnium, qui oderunt nos, ſalutem in veritate præceptorum Eccleſiæ comprobamus. Quoniam autem propoſitum nobis eſt in præcipuos Baſnagii lapſus animadvertere, quos in ſacrorum Rituum explanatione commiſit, paucis refellamus, quæ de conſuetudine vinum aqua miſcendi comminiſcitur nu. 66. in fine. „ Quantum animi conjectura poſſu„ mus aſſequi (ait ipſe) mos miſcendi vi„ num aqua manavit ex Agapis; cum enim „ tum temporis celebrarent Euchariſtiam, ge„ neroſiſſimaque vina appoſita aqua, ut plu„ rimum macerarent; ex eodem liquore „ conſecratum fuit Sanguinis Chriſti myſte„ rium „: Baſnagianum hocce figmentum veterum debellat auctoritas, qui originem

vinum

Digitized by Google

vinum aqua in Sacrificio miſcendi a Chriſti exemplo, & ab inſtituto Apoſtolico repetendam eſſe ſtatuerunt, quibus imperitiæ, ac mendacii notam non inurere nequimus, ſi Baſnagii conjecturæ noſtrum præberemus aſſenſum. Equidem non ſatis percipere poſſumus, qua ratione ritus ejuſmodi univerſas orbis Eccleſias oppleverit, non abnuente Baſnagio, niſi ab Apoſtolica traditione manaret. Germanæ traditionis characteres exhibet nobis poſt Auguſtinum, Vincentius Lirinenſis in Commonitorio, *quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus*; quam ſane regulam Baſnagius æquitati conſonam eſſe non diffitetur.

Itaque morem ejuſmodi non ſemper, non ubique, non ab omnibus obſervatum fuiſſe aliquo veterum teſtimonio demonſtret adverſarius, non ſuas nobis invito orbe conjecturas obtrudat: Scimus item a Cypriano violati Dominici præcepti reos poſtulari, qui vinum in Euchariſtico Sacrificio aqua miſcere reſpuebant; Rem profecto non dignam (ſi fas eſt dicere) ſua pietate, ac eruditione feciſſet vir ille ſanctiſſimus, niſi perſuaſum eſſe omnibus noverit, Eccleſiæ morem hunc ab Apoſtolis emanaſſe. Ne Hæreticos, quos in Epiſtola indicata Cyprianus impugnat, tam imperitos, & elingues fuiſſe putabimus, ut ab objecto crimine ſe purgare nequiverint, oſtenſo controverſi Ritus initio? Neque etiam ſi morem vinum aqua diluendi ex Agapis manaſſe Baſnagio concederemus, multum detrimenti cauſæ, quam propugnamus, inferretur; numquid non Apoſtolicis temporibus Agapæ celebrabantur? Numquid non tunc generoſiſſima vina appoſita aqua macerabantur? Ex eodem igitur liquore Apoſtolico ævo conſecrabatur Sanguinis Chriſti myſterium. Habemus itaque, velit, nolit hæreticus Auctor Apoſtolorum exemplum, quod dum ſequimur, immeritas ſane ab Heterodoxis ſcriptoribus illatas calumniæ pœnas ſuſtinemus.

(8) *Vel minima gutta ſufficiens eſt.*) Veriſſime. Concilium tamen Triburienſe anno 895. celebratum Can. 19. præſcripſit, *ut duæ partes ſint vini, tertia vero aquæ, quia major eſt majeſtas Sanguinis Domini, quam fragilitas Populi, qui per aquam deſignatur, juxta illud Populi multi aquæ multæ*. Cæterum in antiquo Ordine Romano apud Mabillonium, ubi de Miſſa a ſummo Pontifice celebrata, habetur: *Poſt aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ*: Communis autem Ritus celebrandi Miſſam §. 7. num. 4. præcipit Sacerdoti, ut *parum aquæ* infundat in calicem, & num. 9. de Subdiacono in Miſſa ſolemni miniſtrante: *infundit* (inquit) *paululum aquæ in calicem*. Ita & Catechiſmus Rom. par. 2. cap. 4. de Sacram. Euch. num. 15. monet *modicam infundendam eſſe*, adeout Sacerdos (ſubdit Clar. Franc. de Berlendis de oblat. comm. §. 2. noviſs. edit. pag. 54.) interdum poſſit errare quidem in multa, minime vero in pauca apponenda, quando etiam guttulam ſolam immitteret. Sic ille. Id quod juxta mentem Concilii Florentini, ſeu Eugenii Papæ IV. in inſtructione Armenorum eſt, qui, ut ſupra adnotavimus, modiciſſimam aquam vino admiſceri debere præſcripſit.

Triburienſi porro Concilio quamproxime accedere videtur Diamperienſis Synodus apud Indos celeberrima ab Alexo Meneſſio Archiepiſc. Goano coacta an. 1599. quam e Luſitano ſermone in latinum translatam nuper edidit Jo. Facundus Raulin Ord. S. Auguſtini, Act. 5. ubi de aquæ quantitate vino miſcenda ſic dicitur: *Cum vino autem parum aquæ ante conſecrationem miſceri debet, cujus quantitas ſit longe minor quam vini, cum quo admiſcetur*, cui conſtitutioni hæc apte ſubdit Raulinus in notis: *ſemper tamen minor aquæ quantitas infundatur, ut ſit vinum uſuale*.

Syrorum, & Moſcovitarum, ſeu Ruthenorum Ritus circa quantitatem aquæ vino in Calice admiſcendæ.

(9) *Sed plus aquæ, quam vini.*) Singularis eſt ea de re Joannis Bar-Abgari Chaldæorum, ſeu Neſtorianorum Patriarchæ, qui vergente nono ſæculo vixit, Conſtitutio relata apud Aſſemanum Tom. 3. Parte I. Biblioth. Orient. pag. 247. *Placuit Spiritui Sancto, & præcepit, ut mixtum libaminis fiat ex partibus æqualibus vini, & aquæ; ſcriptum eſt enim ex Salvatoris latere Sanguinem, & aquam in æquali quantitate fluxiſſe. Quare æquum eſt, ut mixtum libaminis ex partibus æqualibus conſtet vini, & aquæ; quod ſi ob vini raritatem neceſſitas id poſtulet, permittitur, ut vini pars ſit, & duæ partes aquæ. Ad ſummum vero, immo, & ſupra ſummum pars vini ſit, & tres aquæ. Ultra progredi nullatenus, nullo pacto fas eſto; & hæc in verbo Domini*, Quem Canonem hac illuſtrat obſervatione Clar. Aſſemanus. Id autem, ut exiſtimo, Syros induxit, ut vel tantumdem aquæ, quam vini, vel etiam plus aquæ, quam vini in Sacrificio adhiberi permitterent, quia generoſiſſimum vinum in Syria, & Chaldæa fit, quod ex admixtione potioris partis aquæ minime corrumpitur. Quæ ſi vera ſunt ab errore quidem excuſabitur ea conſtitutio, negari tamen non poterit ineptam eſſe rationem, quam Bar-Abgarus aſſignat, nuſquam enim apparet in Evangelio Chriſti ex latere vinum, & aquam in æquali portione fluxiſſe; magis placet Echmimenſis opinio apud Renaudotium in Commentario ad Liturgiam Copticam ſancti Baſilii pag. 195. *Aquæ ad vinum proportio ſit, a tertia parte uſque ad decimam; ita ut ſi vinum generoſius omnino ſit, ita temperetur, ut aquæ tertia pars admiſceatur; ſi imbecillius, minuatur uſque ad decimam; ſi mediam vim habeat, adhibeatur ſecundum eamdem proportionem*; quam aquæ proportionem ab omnibus Orientis Eccleſiis ſervari ſtatuit ibi laudatus Renaudotius.

Moſcovitæ tamen (ſi Joanni Sacrano Cracovienſis Eccleſiæ Canonico fidem præſtamus) in Elucidatorio errorum Ritus Ruthenici tantum aquæ vino immiſcere ſolent, ut hujus natura facile corrumpatur. *In præparatione calicis*, inquit Sacranus, *duas, aut tres guttas vini aquæ immiſcent calidæ, nec vinum ſentitur in aqua abſumptum*: Eundem Moſcovitis objecit abuſum Joannes Laſchus Archiepiſcopus Gneſnenſis in Concilio Lateranenſi quinto; ſed ab eo crimine Ruthenos abſolvit Joannes Faber in Epiſtola ad Ferdinandum Archiducem Auſtriæ de Religione Moſcovitarum ſcripta anno 1525.; in ea ſiquidem Faber teſtatur Moſcovitas calici tantum aquæ,

quantum vini rubei immiſcere: Huic autem ſcriptori potius adhæreo, quam Sacrano, & Laſcho, cum multa ſcriptores illi Ruthenis affingere dicantur a veritate prorſus aliena. Verum quidquid ſit de Orientalium Eccleſiarum conſuetudine, Occidentalis tamen Eccleſia ſemper ſollicite cavit, ne plus aquæ, quam vini ſacro calici infunderetur, atque ubi hic abuſus irrepſerat, ſtatim tollendum eſſe decrevit. Præter Conſtitutionem S. Pii V. ab Emin. Cardinali Bona relatam, extat Honori tertii Papæ Decretum in Collect. Gregorii IX. lib. 3. tit. 41. cap. 13. *Perniciosus*, *extra*. *De celebratione Miſſarum*, in quo ait, *Perniciosus in ſuis partibus inolevit abuſus, videlicet, quod majori quantitate de aqua ponatur in Sacrificio, quam de vino, cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſa ſit de vino, quam de aqua ponendum*: Hinc olim ex eadem cauſa, & ratione ſtatutum fuit in Eccleſia Latina, ut duabus ſaltem partibus vino tertia pars aquæ admiſceretur, quod ita præſcriptum legimus in Concilio Triburienſi jam ante memorato, qui tamen Canon de generoſo præ cæteris vino intelligi debere arbitrarer, ut evellendis plurimorum celebrantium ſcrupulis tute idoneus eſſe poſſit.

Honorii Papæ III. Decretalis non ſatis ad captum expoſita in Gloſſa.

Atque hoc loco, indulgeas benigne Lector, ſi me ab exceſſiva nimium admiratione temperare non valeo, dum hæc lego in Gloſſa ad laudatam Honorii Conſtitutionem edit. Lugdun. apud Hær. Gulielmi Rovilii an. 1606. inter alias ſane non incongruas rationes & hanc additam, quæ non admodum meo videri conveniens, omitti poſſe crediderim, videlicet: „ Vinum delectabilius eſt ad „ bibendum, quam aqua, & ideo ponitur „ plus de vino, quam de aqua; nam ſi plus „ poneretur de aqua, non tranſiret ita ſuaviter, & ne horrorem generaret, unde „ poſſet periculum imminere, quia aqua malum ſtomachum facit: Ita quandoque nugas agunt celebres ſcriptores in rebus etiam maxime ſeriis, ac pariter ſacris. Gloſſatorem ſileo, utpote Juris Canonici conſultis notiſſimum, & in fronte dictæ extravagantium Decretalium Collectionis a S. Raymundo de Pennaforti Ord. Præd. compilatæ deſcriptum, qui licet alias quamplures gloſſas, ut iterum fatemur, eruditiſſimas iiſdem Canonicis Summorum Pontificum Epiſtolis ſapienter adjecerit, in illis utique per omnia laudandus eſt, in hac vero non item. Cæterum excuſandum illum putaverim; ſæculo quippe XIII. exeunte floruit Gloſſator iſte, quo adhuc multa prorſus inſulſa, & ab Eccleſiaſtica gravitate aliena ſacris etiam Ritualibus Eccleſiarum libris inſerta conſpiciebantur, quæ in antiquatis Codicibus hodie legimus, & deteſtamur (inquit Card. noſter lib. 1. cap. 6. §. 3. ſeu Tom. 1. pag. 98.) quæque etiam ſine riſu, vel potius indignatione legi non poſſunt, ut item §. 6. pag. 118. confirmat; quare non mirum ſi hac eadem licentia, tunc nondum obſoleta, quidlibet pro arbitrio audendi, (verbis ejuſdem Card. loquor), quæ poſtea abrogata fuit, uſus dictus Gloſſator, ita ut relatum eſt, inepte exceſſerit, niſi forte velimus hanc ipſius gloſſam ad myſticam interpretationem, & ſenſum deducere, ſed quomodo illuc trahi poſſit, non cognoſco; phraſis etenim ſimplex, & incompta juxta illius ævi fere communem uſum, rationeſque ibi adductæ, quæ materialem potius, ut ita dicam, corporis guſtum redolère videntur, quam ſpiritualem animæ ſenſum, ad hunc nonniſi difficillime referri poſſe ſatis indicant. Optandum proinde admodum foret, ut hæc, aliæque conſimiles, ſi extiterint, gloſſæ ab optima medica manu Pontificiæ legis evolvendæ peritiſſima propriam ſuis locis, aptamque explanationem reciperent; at hæc dicta ſint, non ut Ariſtarchum geram, aut Minervam erudiam, ſed ut ex ſinceritate proferam, quæ aliorum æquiori judicio examinanda ſentirem; dum interim ad reliqua hujus materiæ diſquirenda procedo.

Et quidem de vini colore qualis eſſe debeat, quamvis nonnulla dicta ſint ſupra ad cap. 8. §. 1v. nota a. ubi poſtquam animadvertimus peculiare nihil ea de re ſtatutum legi in antiquioribus Eccleſiæ Conciliis, vel Romanorum Pontificum Epiſtolis, cum vinum, dummodo ſanum, ſincerum, de vite expreſſum, ſive album, ſive rubrum, utcumque inveniatur, æque apta materia pro Calicis conſecratione ſit, ac proinde primis etiam temporibus utroque indiſcriminatim, juxta quod a fidelibus offerebatur, Eccleſia tunc ſemper & nunc uſa fuerit; Nihilominus, ut poſtea compertum eſt, ſic exigentibus Altarium munditie ac nitore, aliarumque rerum, linearum maxime ſupellectilium ad Sacrificii uſum, ornatumque ſpectantium, quæ magis in ſuo candore, & proprietate vino potius albo, quam rubro, ſeu ut vulgo dicitur nigro, conſervari poſſunt; plures emanarunt pleriſque in locis Synodales Diœceſum Conſtitutiones, quibus injungitur Sacerdotibus ut vino potius albo, ſi commode haberi poſſit, quam rubro in celebratione Miſſarum utantur. Primus, quod ſciam, qui id expreſſe ſtatuerit, fuit S. Carolus Borromæus in prima Synodo Provinciali Mediolan. jam memorata, quam plures aliæ Synodi ſecutæ ſunt, non ſolum in Italia, ſed & extra ipſam, uti conſtat ex Diœceſana Majoricenſi an. 1659. Cautio tamen non modica neceſſario adhibenda eſt in hujuſmodi vini albi oblatione; idcirco maxime attendendum ne ita limpido, & perſpicuo quis utatur, ut cum aquæ ampulla facile confundi poſſit, quemadmodum accidiſſe legitur in Vita B. Coletæ Ordinis Monialium S. Claræ Reformatricis apud Bollandum 6. Martii cap. 12. pag. 564. num. 109. & forte aliis in caſibus accidit. Hinc Concilium Colonienſe an. 1280. Sacerdoti præcipit ut odoratu diſtincte cognoſcat, priuſquam in calicem illud refundat, an vere vinum ſit, vel aqua, item ut ampulla vini ab illa aquæ conſpicuo aliquo notabili ſigno diſtinguatur. Proinde Synodus quarta Mediolanenſis ſancit, *ut urceoli ſint plane ex vitro, aut criſtallo*. Ita etiam Avenionenſis an. 1574. *urcei*, ait, *ſint vitrei, non ſtamnei*, ratione ſcilicet memorata, ut omne vitetur periculum aquam cum vino con-

In vino potius albo, quam rubro conſecrandum propter Altaris munditiem; & cautio ad id neceſſaria.

Digitized by Google

confundendi, atque imperfectum reddendi, unicæ ſpeciei conſecratione, Sacrificium.

Cochlearis uſus ad infundendam aquam in Calicem in nonnullis Monachorum Eccleſiis, aliiſque.

(10) *Parvo Cochleari excipere ſolebant.*) Cæremoniale MSS. Caſalinorum Monachorum apud Martene de antiq. Monach. Rit. lib. 2. cap. 4. hæc ſtatuit: *Diaconus tamen illic aſſiſtens, calicem ſiniſtra manu teneat ſine patena; dextera vere urceolum vini in manu Subdiaconi accipiens coram Præsbytero vinum fundat in Calicem: Presbyter vere ſumpto parvo cochleari paululum aquæ ſimiliter infundat*: Ordinarium Monachorum Burſfeldenſium cap. 43. *Fiat mixtura cum parvo cochleari in omni Miſſa*. S. Udalricus in antiquis Cluniacenſis Monaſterii Conſuetud. lib. 2. cap. 30. apud Lucam Acherium Tom. 4. Specileg. pag. 21. *Sacerdos autem prima manus ſuas lavat, ac tergit, mittit hoſtiam cum cochleari ſuper patenam*: Ordo Romanus XV. a Mabillonio editus: *Et poſt aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ*: Ex quo colligas cochlearis uſum etiam Romæ obtinuiſſe. In pluribus etiam Orientalium Eccleſiarum Liturgiis a Renaudotio editis extat benedictio cochlearis ad infundendam aquam in calicem; De hoc item ſacro inſtrumento, vide quæ ſupra dicta ſunt Tom. 2. ſeu lib. 1. ad cap. 25. §. 6. nota 3.

(11) *Romano ritu, dum aqua miſcetur vino dicitur Oratio &c.*) Apud nonullas Eccleſias hæc actio cum ſilentio peragebatur. Obſervatione digniſſima ſunt verba Conſuetudinum Divionenſium Sancti Benigni apud mox laudatum Martene: *Eſt etiam conſuetudo, quatenus dum ponit* (Sacerdos) *hoſtiam ſuper patenam, vel vinum, aut aquam in calicem, & facit hujuſmodi apparatum, vel etiam quilibet tractans hoſtias, quæ ſunt ſacrandæ, non dicat Pſalmos, vel aliquas Orationes movendo labia, niſi meditetur tantum in corde ſuo, ne forte de ſaliva ejus quicquam inſiliat ſuper hoc, quod apparatur, aut offertur*: Ex quo licet inſerre conſecrationis verba a Divionenſibus recitata non fuiſſe immediate ſuper hoſtiam, & calicem iis os, & labia admovendo, ut idem incommodum vitaretur, quod tamen plerique nunc Sacerdotes non ſine magna Sacramenti irreverentia facere non erubeſcunt. Henricus De Haſſia Scriptor ſæculi 15. abuſum hunc rite perſtringit in Opere, quod editum eſt Viennæ in Auſtria, & Lipſiæ per Mich. Lotterium an. 1498. in 4. ſub hoc titulo: *Secreta Sacerdotum, ſeu Magiſtri Henrici de Haſſia, quæ ſibi placent, vel diſplicent in Miſſa per egregium ſacræ Theologiæ, & Juris Canonici Doctorem Magiſtrum Michaelem Lochmayr correcta, & in hanc formam redacta*: Digna ſunt Henrici verba, quæ hic afferantur: *Solent quidam os prope hoſtiam ponere conſecrandam, tamquam ſe non credant conficere, niſi hoſtiam anhelitu afflent. Valde tales errant, ut illum anhelitum fætidum forte putant conficere, quod eſt myſterium divinorum verborum de labiis piiſſimi Jeſu progreſſorum. Dicite, ſi virtutem verbis adſcribitis, ad quod ergo anhelitum hoſtiæ aſpiratis? credo, ut ſaltem in modica capitis inclinatione conſecrationem fieri ſufficiat*. Hæc Henricus de Langeſtain dictus de Haſſia, quem ſcriptoribus ſuis Auguſtinianis accenſet R. P. Dom. Ant. Gandolfus ejuſdem ſacri Ordinis alumnus, licet illum nonnulli, inter quos Bellarminus, & Labbeus de Script. Eccl. Carthuſianum potius affirment. Sed regrediamur unde diſceſſimus.

Reprobatur quorundam Sacerdotum uſus hoſtiam anhelitu afflantium dum illam conſecrant.

Hæc porro memorata Oratio: *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem, &c.* legitur in Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano, in quibus deſignatur Collecta pro feſto Nativitatis Domini. Tranſlata hinc eſt ad commixtionem aquæ, & vini in Miſſa additis verbis: *Per hujus aquæ, & vini myſterium*: In Miſſalibus, quæ aliquam præferant antiquitatem, deſideratur hæc oratio, pro qua dicebatur ſæc. 16. in pluribus Eccleſiis: *Exivit de latere Chriſti &c.* Et in aliis *Commixtio vini pariter, & aquæ fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ambiani Diaconus, Lugduni autem Capellanus aquam infundunt in Calicem, recitantque uterque Orationem: *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ*: Apud Carthuſianos nec celebrans, nec miniſtri aquam infundentes aliquid dicunt. Sacerdos autem ſignum crucis non facit, niſi ad verba: *In nomine Patris, & Filii, &c.* Poſt commixtionem nempe aquæ cum vino, ita ut benedictio non ſuper aquam tantum, ſed ſuper aquam, & vinum in calice mixta cadat. Uſus autem aquam benedicendi hinc fuit, quod alias in Crucis formam aqua infundebatur in Calicem juxta antiquum Ordinem Romanum: *Archidiaconus faciens Crucem in Calice infundit*. Ritu Mozarabico miniſter aquam offert Celebranti benedicendam, dicens: *Jube Domne benedicere*: Reſpondetque Celebrans. *Ab illo benedicatur, cujus Spiritus ſuper aquas ferebatur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Signum Crucis, quod fit nunc ſuper aquam, ſuper vinum, & aquam olim fiebat, quum nempe utrumque una infundebantur in Calicem, vel paulo poſt. Ideoque ſignum Crucis factum, quia ſuper aquam, & vinum, dicebatur *in nomine Patris, &c.* Quibus verbis ſublatis tranſlatum eſt Crucis ſignum ad ea verba: *Per hujus aquæ, & vini myſterium*. Et quemadmodum in Miſſis pro Defunctis omittebantur verba: *In nomine &c.* omiſſum quoque in illis eſt ſignum Crucis.

De benedictione ſuper aquam olim, & nunc uſitata.

(12) *Sanguinem, & aquam e Chriſti latere fluxiſſe commemorant.*) Codex inſignis Eccleſiæ Sancti Gatiani Turonenſis annorum circiter 800. editus a Martene lib. 1. de antiqu. Eccl. Rit. cap. 4. art. 12. pag. 534. *Quando Sacerdos miſcet aquam cum vino: Ex latere Chriſti Sanguis, & aqua exiiſſe perhibetur, & ideo pariter commiſcemus, ut miſericors Deus ad medelam animarum noſtrarum ſanctificare dignetur*: Eadem totidem pene verbis leguntur in Libro Sacramentorum MSS. Moyſacenſis Monaſterii ejuſdem ætatis apud eumdem Martene pag. 539., quæ cum Miſſali Hiſpalenſi a Card. indicato adamuſſim conveniunt. Antiqua Carthuſienſium Statuta parte I. cap. 43. Diacono fundente aquam in Calicem, dicit Sacerdos: *De latere Domini exivit Sanguis, & aqua in remiſſionem peccatorum*. Miſſale Lugdunenſe anno 1620. Quando Sacerdos ponit vinum in Calicem dicat: *De latere D. N. Jeſu Chriſti exivit Sanguis*; ponendo aquam in vinum, dicat: *Et aqua pro redemptione*

Variæ Orationes ad ipſam in pleriſque Eccleſiis dictæ.

Mundi

Mundi, &c. uti in textu Card. Miſſale Remenſis Eccleſiæ anno 1553. infundendo vinum in Calicem, dicat Presbyter: *De latere D. N. Jeſu Chriſti exivit Sanguis, & aqua pro redemptione noſtra*. Et immiſcendo aquam cum vino, dicat: *Fiat hæc commixtio vini, & aquæ pariter in remiſſionem peccatorum noſtrorum. In nomine Patris*, &c. Miſſale Meſſanenſis Eccleſiæ an. 1527. Sacerdos ponens vinum in Calice, eum non benedicat, aquam vero benedicat, & antequam ponat in Calice, effundat pariter de utroque in terram: *Ex latere D. N Jeſu Chriſti exivit Sanguis, & aquam exiſſe perhibetur, & ideo pariter commiſcemus, ut utrumque benedicere, & ſanctificare dignetur in nomine Patris*, &c. Miſſale inſignis Eccleſiæ Noviomenſis an. 1541. *Sacerdos diſcooperto Altari, & præparato adminiſtret panem ſuper patenam, & vinum, & aquam in Calicem, ſi velit, ſaltem ante Evangelium hoc faciat*: Et tunc dicat: *De latere D. N. Jeſu Chriſti exivit Sanguis, & aqua baptiſmatis in remiſſionem peccatorum*. Miſſale ad uſum Hoſpitalis Anglorum Rothomagi editum an. 1511. *Accipiat Subdiaconus panem, & vinum, & aquam cum Calice, & ea præparet ad Euchariſtiæ miniſtrationem, Benedictione prius aquæ a Sacerdote petita hoc modo: Benedicite; ſic reſpondeat Sacerdos: Deus. Ab eo ſit benedicta, de cujus latere exivit Sanguis & aqua, in nomine Patris*, &c. Ex quibus, aliiſque pleniſſime conſtat utramque Eccleſiam Latinam, & Græcam in mixtione aquæ cum vino in Calice Sanguinem, & aquam e Chriſti latere fluxiſſe commemorare; etenim quoad Latinos ſatis dictum eſt, quoad Græcos dicetur,

§. IV.

Græci bis aquam miſcent. Quo apparatu dona ſacranda deferant e protheſi ad Altare.

GRæci bis aquam miſcent, ſemel frigidam, cum in protheſi ſancta
dona præparant, pungente Sacerdote panem ſancta lancea & di-
cente, *unus militum lancea latus ejus. aperuit, ſtatimque exivit ſanguis,
& aqua*: & Diacono infundente vinum, & aquam. Deinde calidam
poſt conſecrationem (1), immediate ante communionem petente Dia- (1)
cono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente
his verbis, *benedictus fervor Sanctorum tuorum jugiter, nunc & ſemper,
& in ſæcula ſæculorum. Amen*. Tum Diaconus infundit in Calicem di-
cens, *fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen*. Rationem reddunt hujus
ſecundæ mixtionis ſcriptores Græci apud Goar in notis ad Miſſam Chry-
ſoſtomi *nu.* 167. & apud Arcudium *Lib.* 3. *ſuæ Concordiæ cap.* 39. tum
quia aqua calida e latere Chriſti exivit (2), tum quia per eam fervo- (2)
rem S. Spiritus intelligi volunt. Addi poteſt Theodorus Antidorum
Epiſcopus apud Allatium in Hottingero convicto cap. 9. *Dictum eſt*,
ait ille in expoſitione Miſſæ, *in principio protheſis, quo præparetur modo
a Diacono tunc infundente partem puſillam aquæ. Et ſic manent quouſque
ſanctificentur, & tranſmutentur Spiritu Sancto, & ad tempus exaltationis
pretioſi Corporis Chriſti, & Dei noſtri. Tum vero adducitur aqua cali-
da in parvo lebete, ex eaque infundunt in ſacræ Menſæ appoſita, ſive cra-
teres ſint, ſive pocula: ut ſicuti ſupra naturæ vires, tamquam ex vivente
utraque tunc proceſſerunt ex latere caliditatis plena; pari modo, & aqua,
per quam maxime calida tempore communionis immixta perfectum typum
abſolvit eorum, qui communicant ex Calice, tamquam qui per illam lateri
vitam exhibenti contigui fiunt*. Hunc autem Græcorum ritum, quidam
e noſtris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ut
Eſtius vir alioquin doctiſſimus *orat. Theologica* 16. vel putant eos aquam
non apponere, ut Guido Carmelita *Lib. de hæreſibus*, vel aquæ calidæ
infuſionem impugnant, ut Humbertus Sylvæ candidæ Epiſcopus in Inve-
ctiva adverſus Nicetam Pectoratum. Sed immerito hac de cauſa Græci
vexantur, hunc enim ritum in ſuis Liturgiis præſcribunt ſancti Patres
Baſilius, & Chryſoſtomus, uſuque perpetuo Orientalis Eccleſiæ Sacerdo-

tes

tes doctrina, & ſanctitate conſpicui comprobarunt. Hunc eumdem Græcorum morem convellit S. Thomas 3. Par. *qu.* 83. *art.* 6. *ad* 4. dicens, *Nullo modo debet aqua vino jam conſecrato miſceri, quia ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte*. Quæ doctrina ex ignoratione approbati ritus procedens occaſionem Latinis præbuit Græcos impugnandi in Concilio Florentino, pro quibus optime reſpondit Epiſcopus Mitylinenſis, & Eugenio Papæ plene ſatisfecit. Solent etiam Græci ingenti pompa, & apparatu e protheſi ad majus Altare ſacra dona conſecranda deferre, quam cæremoniam majorem Ingreſſum vocant. Egreſſi enim tam celebrans, quam miniſtri e porta minoris aræ per Eccleſiam procedunt incipientes a parte virorum. Antecedunt lectores cereas faces præferentes, & Diaconi cum thuribulis thus adolentes. Sequitur Diaconus, ſive Sacerdos, qui panem in diſco poſitum & opertum velamine in capite geſtat: & poſt illum alius, qui Calicem item opertum ante pectus defert. Quod ſi adſint plures Sacerdotes Concelebrantes, hi Proceſſionem comitantur vacuos Calices ornatus gratia, & alia Altaris inſtrumenta, ſive Sanctorum reliquias portantes. Cantores interim gravi cantu Cherubicum Hymnum modulantur, & Epiſcopus omnibus benedicit. Populus vero procumbens ipſa nuda elementa panis, & vini nondum conſecrata, ac ſi jam eſſent in Corpus, & Sanguinem Chriſti tranſmutata venerabundus adorat. Jacobus Goar ad Liturgiam Chryſoſtomi *nu.* 110. hanc adorationem ſuſtineri poſſe tanquam Orthodoxam exiſtimat, utpote exuberans devotionis argumentum, quo conſecratio prævenitur: & cultum exhiberi ait, vel ſigno Crucis in pane impreſſo; vel Chriſto ipſi, qui paulo poſt ſub illis ſpeciebus præſens aderit: fatetur tamen plebem erudiendam, & admonendam, ne forte Chriſtum jam ibi præſentem eſſe opinetur. At vir doctiſſimus natione Græcus Petrus Arcudius *Lib.* 3. *de Euchariſtia a cap.* 19. *ad* 25. hanc adorationem inter Græciæ heterodoxæ errores connumerat, rudemque populum errandi occaſionem hauſiſſe docet ex pompa, qua dona circumferuntur: vel ex eo quod non diſtinguat inter ingreſſum, qui fit in Miſſa Præſanctificatorum in qua verum Chriſti Corpus, & ingreſſum aliarum Miſſarum, in quibus panis nondum conſecratus circumfertur. Scripſit librum pro hac adoratione Gabriel Archiepiſcopus Philadelphiæ, cui docte, & diffuſe reſpondit Arcudius.

Quoad hanc aquæ calidæ cæremoniam, quam apud Coptos, & Jacobitas ignorari ajunt, Edm. Martene, & Renaudotius notati.

(1) *Deinde calidam poſt Conſecrationem.*) Hoc loco obſervare lubet cum Edmundo Martene de antiq. Eccl. tit. lib. 1. cap. 4. art. 8. pag. 323. num. 31. ac Renaudotio in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Baſilii pag. 294. mixtionem aquæ ferventis apud Copticas ignorari, non minus, quam apud reliquos Jacobitas, Syros, Æthiopes, ut etiam Neſtorianos; Ex quo colligunt viri docti antiquiorem Eccleſiarum diviſione non eſſe iſtiuſmodi cæremoniam. Addit uterque Scriptor; *qui illius inter Græcos meminerit vetuſtiſſimus, ut videtur, eſt Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus*. Verum pace tantorum virorum, non ignoratam apud Jacobitas, Armenos præcipue hanc aquæ calidæ cæremoniam, eamdemque longe Germano Patriarcha antiquiorem, & ſaltem paulo ante ipſam Eccleſiarum diviſionem, quæ circa an. 535. accidiſſe tradunt Baronius ad hunc annum num. 81. & Pagius num. 13. Sicuti etiam Petavius lib. 1. Theolog. Dogm. de Incarn. cap. 17. ac ſeqq. ſatis ſuperque colligitur ex Hiſtoria de rebus Armeniæ, ſeu Invectiva contra Armenos, quam imperante Juſtiniano II. ſcripſit Iſaac Baracaſtrius Armenorum Catholicus, ſive Primas, quamque edidit Franc. Combefiſius Ord. Præd. Tom. 2. Auctarii Biblioth. Græcæ, extatque in magna Biblioth. PP. Lugdun. Tom. 20. col. 1237. Ibi itaque narratur Mauritium Imperatorem ſubacta Armenia mitti Conſtantinopolim juſſiſſe Moſen Armenorum tunc temporis Primatem hæreticum, qui Imperatoris præcepto obtemperare renuit, *abſit a me*, inquiens, *ut fluvium Azat tranſeam*, *vel furno coctum comedam, vel calidum bibam*. Quid enim eſt *furno coctum*, niſi panis fermentatus, quem Armeni velut profanum, procul ab Altari arcebant? Quid vero ex ejus mente erat *calidum bibere*, niſi ſacro Calici aqua ferventi delibuto participare? Fatendum igitur morem hunc in Conſtantinopolitana, & adjacentibus Aſiæ Eccleſiis, ſexto ſaltem ſæculo, quo Mauritius imperavit, obſervatum, nedum apud Armenos Jacobitas, ut vidimus,

verum

verum & apud Syros, & Arabes, Neſtorianos quidem aliosque ibidem infectæ fidei homines, quemadmodum ex Joanne Aſiæ Epiſcopo Monophyſita, qui ſub Juſtiniano vixit, eodem ſcilicet ſæculo ſexto, narrat Dionyſius in Chronico, cujus verba recitat Clariſs. Aſſemanus in Bibl. Orient. Tom. 1. pag. 410. Sic de illis ait dictus Joannes: *Calicem vivi Sanguinis aqua ferventi temperare ſolitos fuiſſe*. Ad quod ſubdit in Notis Aſſemanus id perſpicuum eſſe veſtigium uſus aquæ ferventis in Liturgia. Quare ex his emendari poſſunt Martene, ac Renaudotius præfati.

Vindicatur Germanus Patriarcha CP. a cujuſdam in ipſum cenſura, quo ad dictum aquæ calidæ uſum apud Græcos.

(2) *Tum quia aqua calida ex latere Chriſti exivit.*) Ita diſerte laudatus Germanus Patriarcha in Rer. Eccl. Theoria: *Quemadmodum*, inquit, *Sanguis & aqua, calida utraque e Chriſti latere fluxerunt, ita ſane aqua calidiſſima tempore communionis Calici injecta abſolutum myſterii typum explet*: cui ſuffragantur alii. Impugnat hanc rationem, & ipſum virum Author Diſputationis adverſus Græcos, cujus fragmentum edidit Martene Tom. 5. Anecdot. pag. 852. *Arguimus*, inquit Scriptor ille XI. ſæculi, *quod Sanguinem de latere Chriſti calidum fluxiſſe contra naturam, & Evangelium dicitis; dicit enim Scriptura, quod jam obierat, jam expiraverat, jam mortuus erat, cum Corpus ejus vulneratum eſt, cum lancea latus ejus perforatum eſt; Numquid habet natura, ut Corpus ejus mortuum caleat, cum in eo vita non fuerit, cum jam vitalis calor receſſerit? Sed forſitan hoc privilegium habuit Dominicum Corpus? Unde probatis? Ubi legitis? Quæ ſcriptura docet? Quod Evangelium habet? Aut de ſcriptura, quod profertis, probatæ, aut præſumptioni ſolitæ, quod ſcriptura non habet, adſcribite*: Frigida declamatio! Cum enim potentia numinis factum ſit, ut e Chriſti defuncti latere cruor manaret, & aqua, eadem potentia fieri potuit, ut calor Sanguinis, & aquæ conſervaretur. Teſtantur id Scriptores Græci, quos Goarius in Euchologio, ſeu Rituali Græcorum recenſet pag. 148. Præterea clariſſima ſunt verba Theodori Antidorenſis Epiſcopi, quæ ex Allatio profert Eminentiſſimus Card. videlicet *ſupra naturæ vires tanquam ex vivente utraque* (ſanguis, & aqua) *tunc proceſſerunt ex ſacro latere caliditatis plena*. Conſonat Simeon Theſſalonicenſis lib. de Templo, & Sac. Ordin. in Bibl. PP. Lugdun. Tom. 22. *Ferventem aquam*, inquit, *Calici Sacerdos infundit quaſi teſtatus mortuum Domini Corpus, ejus Anima ſeparata, vivificum adhuc manſiſſe, propter divinitatem ab eo nuſquam ſemotam; fervens enim aqua vividam calore virtutem complectitur*. Immerito igitur a dicto Authore Diſputationis adverſus Græcos S. Germanus Patriarcha perſtringitur.

Quod autem hoc ritu ſignificetur illapſus Spiritus Sancti in Eccleſiam, affirmat Nicolaus Cabaſilas lib. de Sacris Myſteriis, ſeu de Expoſit. Sac. Liturgiæ cap. 37. *Hæc enim aqua* (inquit) *cum & aquæ naturam habeat & ignis ſit particeps, ſignificat Spiritum Sanctum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis in Chriſti Diſcipulos illapſus apparuit*. Cæterum quoad hunc ſingularem Græcorum ritum, tametſi a Latinis haudquaquam ſequendus ſit, cum morem alium habeamus, & privato nemini liceat ſuæ Eccleſiæ veterem diſciplinam, & conſuetudines invertere, aut immutare, non propterea Græci culpandi erunt (quod pleriſque ex noſtris viſum eſt) tum quia ab Eccleſia eorum Ritus non reprobantur, tum etiam quia morem hunc apud ipſos ab antiquo a mille ſcilicet, & amplius annis obſervatum legimus; quod vero eam ob rem reprehenſi non fuerint, habemus ex Actis Concilii Florentini, ubi circa finem narratur Latinos a Græcis inter cætera quæſiviſſe quæſt. 3. *cur infunderent in ſacrum Calicem ferventem aquam?* Huicque compellationi a Dorotheo Mitilenenſi Epiſcopo, viro, ut ex iiſdem Actis colligitur, doctiſſimo plene ſatisfactum, quamvis quid præciſæ reſponderit ignoremus; Cum itaque ſine cenſura dimiſſi ſint, valde inconveniens, & ab æquitate prorſus alienum exiſtimamus eos hac de cauſa novitatis, aut hæreſis redarguere, quin eos potius increpandos cenſemus, quibus id omne diſplicet quod fieri & obſervari a ſuis non vident, quibuſque unum & idem eſt æque de fide, ac diſciplina indiſcriminatim ſentire. Jam ſatis ſuperque ſupra oſtenſum eſt ad lib. 1. cap. 6. §. 2. ſeu Tom. 1. pag. 95. & ſeqq. Varios Ritus fidei unitatem non lædere, habemus enim a Sanctis Patribus, ait S. Anſelmus Cantuarienſis ibi relatus, quod ſi unitas ſervatur charitatis in fide Catholica nihil officit conſuetudo diverſa, quare concludit: *exiſtimo eos potius in pace eos concorditer tolerandos, quam diſcorde cum ſcandalo damnandos*: Ita etiam dicendum de hoc ſpeciali Græcorum Ritu mixtionis aquæ calidæ in Calice; eo vel etiam maxime quod eorum antiquiſſimæ Liturgiæ, quæ Sanctos Baſilium, & Chryſoſtomum eximios Eccleſiæ Patres authores habent id expreſſe præſcribunt, uſuque perpetuo a Græcis Sacerdotibus ſanctitate non minus, quam doctrina conſpicuis fideliter, ac religioſe obſervatum fore conſtat. Hanc porro diſquiſitionem claudo præclaris Hildeberti Cenomanenſis verſibus Tom. XXI. Bibl. PP. Lugdun. pag. 164. quibus de eadem mixtione aquæ & vini ſic canit:

Ac proinde Græci non ob hunc ritum culpandi.

Admixtum vino laticem miraris, at ipſum
Grande Sacramentum eſt, nec ratione vacat.
Unda fluens, homo præteriens: ea mixta lyæo,
Eſt Chriſto Chriſti Sanguine junctus homo.
Dividit unitos vel aquam, vel vina miniſtrans,
Et caput a membris ſeparat ipſe ſuis.
Præterea nil fons ſine Sanguine, nil ſine fonte
Sanguis: utrumque ſimul ſalvat, utrumque ſacrat.
Cum rimaretur pendentis viſcera Chriſti
Lancea, manavit Sanguis, & unda ſimul.
Sicut utrumque ſimul fluxit, ſimul offer utrumque:
Unum deme, Crucis non imitaris opus.

§. V.

§. V.

Quo ſitu olim collocaretur Hoſtia ſuper Altare. Thuriſicatio.

SED regredior ad Sacerdotem Latinum, qui Calicem aqua mixtum Deo offert dicens, *offerimus tibi Domine Calicem ſalutaris* &c. cumque in panis oblatione ſingulariter dixerit *Offero*, hic pluraliter ait *Offerimus*, quia nimirum Romano Ritu eandem Orationem ſimul cum Sacerdote in Miſſa ſolemni recitat Diaconus, qui antea vinum Calici infudit, & olim Sanguinem populo miniſtrabat (1). Neque obſtat, quod (1) privatæ Miſſæ ſine Diacono celebrantur, & nihilominus Sacerdos dicit *Offerimus*, quia formulæ pro ſolemni Miſſa inſtitutæ in privata non mutantur (2). Hujus verbi *Offerimus* meminit Auguſtinus *lib.* 20. *adv.* (2) *Fauſtum Manichæum cap.* 21. dicens: *Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit*. Orat item Sacerdos in ipſa Oblatione, ut Calix oblatus *in conſpectu Divinæ Majeſtatis cum odore ſuavitatis aſcendat*: Cum illo ſcilicet myſtico odore, qui ex ipſo Calice, cum conſecratus fuerit, ſuaviſſime expirat. Poſt hanc orationem collocat Sacerdos Calicem in Altari, Hoſtia ante Calicem conſtituta. At in hoc Græci differunt a Latinis, non enim in longum coram ſe, ſed in tranſverſum panem, & vinum ordinant: qui mos etiam a Latinis diu obſervatus eſt (3). Nam in ordine (3) Romano in poſtrema Miſſæ deſcriptione ſic legimus. *Archidiaconus ſuſcipit oblatas Pontificis de oblationario, & dat Pontifici: quas dum poſuerit Pontifex in Altari, levat Calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi regionarii, & ponit eum ſuper Altare juxta oblatam Pontificis a dextris*. Et Micrologus cap. 10. *Ita*, inquit, *juxta Romanum Ordinem in Altari componenda ſunt, ut oblata in corporali poſita, Calix ad dextrum latus Oblatæ ponatur, quaſi Sanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus*. His autem recentior B. Joannes de Parma ſeptimus Ordinis Minorum Miniſter Generalis, qui obiit anno 1289. in Epiſtola ad fratres Provinciæ Thuſciæ, quam Lucas Wadingus refert in Annalibus, præcepit illis, ut juxta Ritum Romanæ Eccleſiæ, a quo fortaſſis aliqui tunc deviare incipiebant, Hoſtiam ad ſiniſtram Sacerdotis, Calicem ad dextram ex tranſverſo Altaris componerent. Poſtea hic ordo mutatus eſt, nam Calix in medio Altaris, & inter Calicem, & Sacerdotem Hoſtia collocatur. Sequitur deprecatio *In ſpiritu humilitatis* ex verbis Azariæ apud Danielem (qua orat Sacerdos, ut Sacrificium, quod ex ipſius inſtituto ſemper Deo placet, etiam illi acceptabile ſit ex fide, & virtute offerentis). Hæc in multis Miſſalibus M.SS. reperitur: itemque alia *Veni Sanctificator*, quæ communior & antiquior eſt, & dirigitur, ut plerique explicant, ad Spiritum Sanctum (4), ut (4) veniat, & præparatum Sacrificium benedicat. Invocare autem Spiritum Sanctum ad Oblationem ſanctificandam mos antiquiſſimus fuit Eccleſiæ Africanæ, ut ex Fulgentio conſtat, qui *lib.* 2. *ad Monimum a cap.* 6. *& deinceps* hanc ſibi propoſitam quæſtionem ſoluit, cur Sancti Spiritus tantum miſſio poſtuletur ad conſecrandum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, cum ipſum Sacrificium omni Trinitati offeratur. Ad eandem poſtulationem alludit Optatus Milevitanus lib. 6. reprehendens Do-

natiſtas, qui Altaria fregerant, *in quibus*, inquit, *vota populi; & membra Chriſti portata ſunt: quo poſtulatus deſcendit Spiritus Sanctus* (5). (5)
His peractis adoletur incenſum (6), quod a Leone I. inſtitutum ex qui- (6)
buſdam Chronicis ſcribit Radulphus prop. 23. Sed illis Chronicis nulla fides adhibenda eſt, nam ſi ſermo ſit de quocunque uſu thuris in Miſſa, jam ſupra oſtendimus ab initio Eccleſiæ Apoſtolorum Decreto thus adhibitum in ſolemni Sacrificio. Si vero loquamur de thurificatione oblatorum in Altari, teſtis eſt Amalarius in præfatione librorum de Eccleſiaſticis Officiis,
Romanos poſt Evangelium incenſum olim ſuper Altare non obtuliſſe (7). (7)
Et Micrologus cap. 9. ait, *Romanus Ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat Evangelium, cum ad Altare, ſive in ambonem portatur: non autem concedit, ut Oblatio in Altari thurificetur*. Et Amalario quidem teſti oculato credendum eſt, licet Ordo Romanus, ut nunc extat in prima deſcriptione Miſſæ poſt Oblationem dicat incenſum poni ſuper Altare: nam hæc deſcriptio recentior eſt, cum Symboli poſt Evangelium mentionem
faciat (8), qui Romæ poſt annum milleſimum cantari cœpit. Tertia (8)
vero & quarta, quæ vere Romanæ ſunt (& antiquiores) cum Amalario & Micrologo conſentiant, tunc tantum incenſi uſum præſcribunt quando legendum eſt Evangelium. Porro fideles fumum incenſi manu ad os trahere & naribus applicare ſolebant, ut Ordo Romanus ait in præcitata prima deſcriptione. Thure etiam utebantur in Monaſteriis, in privatis ædibus tam Religioſi, quam Laici ante privatas orationes. Sed iſtæ, & aliæ Thurificationes ad hunc tractatum non pertinent.

Cur in Oblatione Calicis Oratio dicatur in plurali.

(1) *Olim Sanguinem Populo miniſtrabat.*) Quamvis Sacerdos in panis oblatione ſingulariter dicat *Offero*, non deſunt tamen viri eruditi, qui exiſtiment eam orationem; *Suſcipe Sancte Pater* &c. quam idem celebrans recitat panem offerens Deo, recitatam olim fuiſſe non a Sacerdote, ſed a Populo panem conſecrandum illi offerente. Et id quidem nituntur probare ex veteri quodam libro precationum in uſum Caroli Calvi Imperatoris, & Gallorum Regis collectarum, in quo legitur hæc oratio: *Suſcipe Sancte Pater* a Populo offerente recitanda; adeout ex eorum mente, cum primum Populus deſiit offerre panem conſecrandum, tum Sacerdos ipſe Populi nomine hanc ipſam orationem recitare cœperit. Ita ex Franc. Pouget Oratorii Gallicani Presb. Inſt. Cathol. Tom. 2. pag. 846. At cum id non alio, quod ſciam, quam dicto unico fulciatur teſtimonio, non eſt cur illi admodum inſiſtamus. Porro quoad Calicis oblationem Andreas Gaſtaldus in Praxi cæremoniarum lib. 1. ſect. 7. cap. 5. referens, quod Romano Pontifice celebrante, Diaconus ſimul cum ipſo prænominatam recitat orationem, idemque ſervetur in Baſilica Vaticana, ſubjungit, quod ubique ſervari deberet, ex quo arguitur ſuo tempore non uſitatum fuiſſe, quod Diaconus in Miſſa ſolemni eamdem orationem recitaſſet cum Sacerdote. Ideo autem ſimul dici cæptam exiſtimaverim hanc orationem, quia cum antiquitus Calices fuiſſent magni, ac magni ponderis, in quibus quippe conſecrandus erat Sanguis pro communione Sacerdotis, Cleri, & Populi, ita congruum erat, ut Diaconus Sacerdoti in ejuſdem Calicis ſuſtentatione auxiliaretur; alias item Diaconus habet partem ſpecialem ad Calicem, cujus diſpenſatio olim ipſi ex priſca conſuetudine, & officio commiſſa fuerat, uti præclare Iſidorus de Diaconis ſcribens lib. 2. de Eccl. offic. cap. 8. *ſicut*, inquit, *in Sacerdote conſecratio, ita in Miniſtro diſpenſatio Sacramenti*. Vide, quæ alibi dicta ſunt ad lib. 1. cap. 25. §. 14. & 15. ſive Tom. 2. pag. 306. Hinc formula orationis pluraliter exprimit *Offerimus*, ut per Sacerdotem, & Diaconum recitari poſſit.

(2) *Formulæ pro ſolemni Miſſa inſtitutæ, in privata non mutantur.*) Sicuti retentæ ſunt antiquæ formulæ tunc inſtitutæ, cum præſentes offerebant, & communicabant in teſtimonium priſcæ conſuetudinis, quare adhuc in Canone dicimus, *ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus*. Et quia Catechumeni in feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes baptizari ſolebant, adhuc per octavam utriuſque feſtivitatis etiam nunc pro illis addimus hæc verba: *quæ tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua*, &c. Ad hæc obſervandum ſupereſt, cum Martenio de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 391. Calicem ſcilicet una cum pane ſimul unica oratione oblatum, id quod in pleriſque Miſſalibus, ſpeciatim Antiſſiodorenſi, Catalaunenſi, Lugdunenſi, aliiſque quamplurimis advertimus, ex quibus Narbonenſe utriuſque ſpeciei oblationem expreſſe diſtinguit, quam quia ſingularis eſt, ipſam integre recitat laudatus Martene, apud quem videat, qui velit, aliquantum enim cæteris longior eſt, ea propter Lectorum tædio, & patientiæ parcendum erit. Conſimilem habet, ſed breviorem utri-

utriuſque ſpeciei oblationem ſub unica oratione Miſſale vetus Carmelitanum, ubi hæc habentur: „ Accipiens ambabus manibus Calicem, & patenam, offerens totam oblationem ſimul dicit: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in commemoratione Paſſionis, Reſurrectionis Aſcenſioniſque in Cœlum Domini N. Jeſu Chriſti, & honore Beatæ, & glorioſæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ: & omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & omnibus illis pro nobis intercedentibus in Cœlis, ſit in ſalutem vivorum, & requiem Defunctorum. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Quo ſitu olim Hoſtia collocari conſueviſſet ex antiquis Ritualibus.

(3) *Qui mos etiam a Latinis diu obſervatus eſt.*) Ponebatur olim Calix juxta Hoſtiam; ut exprimeretur nimirum e Chriſti latere Sanguinem, & aquam profluxiſſe. Nunc autem ponitur poſt Hoſtiam cautelæ ergo, ne nimirum effundi periclitetur. Radulphus Tungrenſis propoſ. 23. de duobus hiſce ritibus loquitur; primum Italis, & Germanis; alterum Gallis tribuens: *Oblata in Corporali poſita Calix ad dexteram collocatur, quaſi Sanguinem Domini ſuſcepturus, quem de Dominico latere* &c. *Gallicani vero Calice de plica unjus Corporalis cooperto oblatam ponunt ante.* Amalar. Præfat. 2. in lib. de Offic. *Calix in latere oblatæ componitur, non poſt tergum.* Ordo Rom. 1. p. 22. *Ponit eum* (Calicem) *ſuper Altare juxta oblatam a dextris.*

Hujus ritus diſerte meminit ſæculo undecimo Joannes Abrincenſis Epiſcopus: *Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextera parte Hoſtiæ Calicem conſtituat.* Antiquum Rituale Caſſinenſium: *Ita tamen ordinandum eſt, ut Calix, & oblatæ juxta ponantur; Calix in dextera parte, oblatæ in ſiniſtra:* Cujus cæremoniæ rationem hanc reddit Codex Prioratus Saliſcoſani apud Martene de antiquis Monachorum ritibus lib. 1. cap. 4. pag. 174. *Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextera parte Hoſtiæ Calicem conſtituat; a dextero enim latere Domini Sanguis defluxit, & aqua,* quam rationem aſſignant etiam ſtatuta Synodalia Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis ſæculo XIII. edita, & a Martene vulgata Tom. 4. Anecdotor. pag. 710. *Hoſtia ponitur ab aliquibus ad dexterum latus, in quo dextrum latus Domini protenſum lancea demonſtratur.* Miſſale Fratrum Minorum ſecundum conſuetudinem Curiæ Romanæ ſæculo XIV. ſcriptum, quod a Benedicto XIII. Pontifice Bibliothecæ Caſanatenſi donatum eſt, eumdem ritum præſcribit his verbis; *Collocatur vero Hoſtia ad ſiniſtram, Calix vero ad dexteram:* Nondum Romæ deſierat hæc conſuetudo initio ſæculi XV. Etenim Grunez, qui anno 1410. Tractatum ſcripſit de officio Miſſæ hæc habet: *Aliqui ſecundum conſuetudinem Romanam locant Calicem ad dexterum latus hoſtiæ.* Eodem tamen vergente ſæculo hunc morem fuiſſe mutatum perſpicue docemur a Pontificali Romæ impreſſo an. 1485. in quo præſcribitur, ut hoſtia locetur Sacerdotem inter, & Calicem. Communis tamen non erat omnium Eccleſiarum uſus collocandi hoſtiam ad ſiniſtrum, calicem ad latus dextrum, quod ex facto B. Joannis de Parma opinatur Emin. Auctor, cui tamen contradicere videntur ſtatuta Synodalia Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis mox citata: *Hoſtia*, inquiunt, *ponitur ab aliquibus ante Calicem, ut Chriſti ſtantis ante Crucem memoria habeatur, ab aliquibus vero ad dexterum latus.*

(4) *Ut plerique explicant ad Spiritum Sanctum.*) Non deſunt, qui hæc verba: *Veni Sanctificator* ad Patrem referenda eſſe ſibi perſuadeant, ſed eorum ſententiam evertit Miſſale Mozarabum, in quo illa Oratio his verbis concepta legitur: *Veni Sancte Spiritus ſanctificator.* Efficaciſſima etiam ratio demonſtrat illis verbis non Patrem deſignari, ſed Spiritum Sanctum; nuſquam enim Eccleſia a Scripturis edocta rogat æterni Patris adventum, ſed aut Filii, vel Spiritus Sancti, qui a Patre miſſi leguntur. Et ſane id comprobant (ait Brunus Explic. cærem. Miſſæ Tom. 1. pag. 331.) Liturgiæ omnes tum Græcæ, tum Latinæ, quæ hoc loco Sancti Spiritus invocationem præſcribunt, & conſonant antiqui Patres ab eodem in margine citati. Plura item Miſſalia Galliarum, quæ refert, dici notant: *Veni Sancte Spiritus, reple &c.* aut integrum hymnum *Veni Creator Spiritus*, poſt quem *iterumque dicat manibus junctis:* Veni, veni ineffabilis Sanctificator &c.

(5) *Quo poſtulatus deſcendit Spiritus Sanctus.*) Ita etiam ſentit Jacobus Janſſonius in Expoſit. Canonis.

(6) *His peractis adoletur incenſum.*) De incenſo, ejuſque uſu antiquiſſimo in Miſſa plura jam dicta ſunt ad lib. 1. cap. 25. §. 9. ſeu Tom. 2. pag. 327. Non levis tamen emerſit ſcrupulus (inquit D. Cajetanus Maria Merati in ſuis eruditiſſimis Commentariis ad Gavantum Parte 2. tit. 7. pag. 516. & Tom. 1. pag. 211. edit. Ven.) „ Circa verba illa, quæ habentur in precatione, quam profert Sacerdos ſolemniter celebrans, dum incenſum benedicit, quod immittit in thuribulum, videlicet: *Per interceſſionem Sancti Michaelis Archangeli &c.* Cum enim Angelus, qui Zachariæ apparuit, & ſtetit a dextris Altaris incenſi, Lucæ cap. 1. ſit Gabriel, affirmante ipſo: *Ego ſum Gabriel, &c.* Videtur Michaelis nomen, non ab Auctore hujus precationis eidem inſertum, ſed oſcitantia Librariorum intruſum; & quidem antiquiſſimi Codices Liturgici, non Michaelis, ſed Gabrielis referunt nomen. Illyrici Miſſa ab Emo Bona edita, ut alibi dixi, ad calcem operis rerum Liturgicarum, Miſſa Tilliani Codicis a Menardo vulgata poſt Gregorii Sacramentarium; MSS. Pontificale Saliſburgenſis Eccleſiæ, apud Martene lib. de antiquis Eccl. Rit. cap. 4. art. 12. Pontificale Sagienſis Eccleſiæ undecimo ſæculo exaratum, & allegatum a Petro LeBrun Tom. 1. part. 3. art. 7. ſicut „ & Miſſale plenarium ſatis vetuſtum, quod extat in Bibliotheca Angelica PP. Auguſtinenſium Romæ, legunt *Gabrielis*, non vero *Michaelis* in prædicta pre-

In incenſi benedictione nonnullis videtur expungendum Michaelis nomen, & ejus loco reponendum Gabrielis.

„ precatione. Cum igitur nullus antiquior „ Codex appareat, in quo Michaelis nomen „ ibi legatur, dubitari non poterit germanam loci hujus eſſe lectionem, quam mox „ laudati Codices proferunt. Merito itaque „ piiſſimus, & eruditiſſimus Card. Thomaſius hujus loci emendationem exoptabat. „ Vidit difficultatem Pariſienſis Miſſalis editor, eamque declinavit, prætermittendo „ nomen: utriuſque Archangeli *Michaelis*, „ & *Gabrielis*, ſed dicendo tantum in tali „ precatione: *Per interceſſionem Sancti Archangeli*, nullum aliud nomen exprimendo, teſte eodem Le Brun loco cit. In „ Miſſali vero Meldenſis Eccleſiæ, quod doctiſſimus Antiſtes Jacobus Boſſuet edi curavit, locus iſte fuit correctus, & *Gabrielis* nomen loco *Michaelis* appoſitum.

„ Miramur D.DeUert, qui in nonnulla alia „ minoris etiam momenti, diligenter, & „ ſevere nimis cenſoriam virgam exercuit; „ Orationem hanc nullis obſervationibus illuſtraſſe; cum tamen amplius animadverſioni locus non deeſſet. Denique prætereundum non eſt totam hanc precationem „ a PP. Prædicatoribus, & Carthuſianis omitti in ſuis Miſſalibus, nec adhuc ab Eccleſiis Lugdunenſi, Senonenſi, Tullenſi, ac „ Laudunenſi fuiſſe receptam. Conatur laudatus Petrus LeBrun ſenſum hujuſce precationis tueri, etiamſi legendum eſſet *Michaelis*, quia in Apocalypſi cap. 3. legitur, „ quod *Angelus ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum*; Hic autem Angelus creditur fuiſſe Michael; ſed præterquamquod „ in Apocalypſi nomen Michaelis non refertur, certum etiam eſt, quod Auctor prædictæ præcationis mentem intendit ad Zachariæ factum; quocirca non poterit non „ eſſe contorta quæcumque effingatur explicatio, neque etiam contra manifeſtam veritatem ſtare poteſt aliqua probabilis ratio, ſeu conjectura, qualis eſt illa, quam „ loco citato afferr idem LeBrun de Apparitione Sancti Michaelis in Monte Gargano; in cujus hiſtoria legitur, quod viſus „ fuerit S. Michael in loco, ubi ædificata „ eſt Eccleſia, tenens in manu ſua thuribulum: Unde eſt, quod in prædicti Archangeli officio recitatur illa Antiphona: *Stetit* „ *Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua*; hujuſmodi, inquam, conjecturæ ſatis profecto non ſunt „ ad prædictam difficultatem eliminandam; „ cum nimis manifeſtum ſit authorem precationis, mentem direxiſſe ad exprimendum Angelum illum a Zacharia deſcriptum, „ qui ſtabat a dextris Altaris incenſi, & qui „ eidem Zachariæ dixit: *Exaudita eſt Oratio* „ *tua*. Hæc pro ſuo ſcrupulo ex Ven. Card. „ Thomaſio Meratus.

At retinendum eſſe nomen Michaelis oſtenditur.

Verum his non obſtantibus, cum Michael Archangelorum primus ſit, ſeu Angelicæ Militiæ Coryphæus, Præpoſitus Paradiſi, qui & Eccleſiæ Princeps; eum quippe, ut olim Synagoga Judeorum, ſic nunc cuſtodem & patronum Dei veneratur Eccleſia, ut ipſa in Lectionibus de illius Apparitione ad diem 8. Maii expreſſe fatetur, ac Deus Opt. Max. eidem Cœleſtis exercitus primati totius Eccleſiæ curam demandaverit, illique propterea uti primario ſupernæ Curiæ Miniſtro ſua Decreta manifeſtet, ut aliis exequenda intimet, unde (inquit Gregorius Ferrarius in Apocal. cap. 7. Tom. 2. pag. 138.) „ de Michaele „ hoc dicitur: quia in omni Eccleſiæ ſpirituali nocte, indigentia ſcilicet, aut neceſſitate, ipſe opportune exurgit quaſi Sol, „ adhibens erga illam ſpecialem curam, excitans, adiuvanſque cæteros Angelos, & „ Archangelos curæ hominum præpoſitos ad „ ea, quæ facto opus ſunt „ id quod de Gabriele in Scripturis perſpicue expreſſum non legitur, licet alias Angeli *omnes ſint adminiſtratorii Spiritus in Miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiant ſalutis* Paulo Apoſtolo teſtante ad Hebr. cap. 1. 14. Hinc bonus ipſe ordo poſtulat, dignumque, & juſtum eſt, ut ad Michaelem præ cæteris principaliter, tanquam præcipuum Curatorem ſuum ſibi a Deo Patre, ejuſque Filio unigenito Chriſto Domino Sponſo ſuo traditum in omnibus anguſtiis & afflictionibus recurrat Eccleſia. Confirmantur hæc ex iis, quæ apud Danielem habemus cap. 12. ibi enim ſic dicitur: *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*: quibus verbis clare dignoſcitur prænuntiatum præſens potentiſſimum S. Michaelis Archangeli patrocinium, & adjutorium erga Eccleſiam Dei Catholicam in terris militantem ab ipſo præſtitum. Accedit, ac preſſius urget, quod in Miſſis Defunctorum eadem Sancta Mater Eccleſia ſic pro illis Deum rogat ad Offertorium: *Libera animas omnium Fidelium Defunct. de pœnis inferni...... ſed ſignifer Sanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam &c.* Jure ergo, & ipſa pariter poterit Dominum exorare ut per interceſſionem ejuſdem S. Michaelis dignetur incenſum benedicere, & in odorem ſuavitatis accipere. Neque obſtat, quod illa verba *Archangeli ſtantis a dextris Altaris incenſi*: magis indicent deberi potius intelligi de Gabriele, quam de Michaele, de quo eadem expreſſa non leguntur; uterque enim eſt, uti fatetur ipſe Archangelus Raphael apud Tobiam cap. 12. 15. *ex ſeptem, qui adſtant ante Deum*, ſeu ut legit Græcus Interpres: *de ſeptem Angelis ſanctis, qui offerunt orationes Sanctorum*, quæ in incenſo oblato figurantur, uti ex Apocal. cap. 8. colligitur. Neque item adverſatur, quod in pleriſque Miſſalibus non Michaelis, ſed Gabrielis nomen legatur, non enim omnia id habent, & in Miſſali Colonienſi an. 1133. apud Petrum LeBrun Tom. 1. Explic. cærem. Miſſæ pag. 339. aliiſque nomen Michaelis expreſſum viſitur. Quare his non contemnendis rationibus, ac momentis hodierna hujus orationis lectio utique retinenda, neque expungendum Michaelis nomen, ejuſque loco ſubſtituendum Gabrielis pleniſſime comprobatur, quidquid aliter in contrarium Ven. Card. Thomaſio, ac Merato viris apprime doctis, ac ſumme colendis viſum ſit. Et ſane ſi unumquemque noſtrum hortatur, & incitat ex Eccleſiæ Spiritu Melliſluus Pater, & Doctor Bernardus Serm.

in

in Pſal. *Qui habitat* proprium Cuſtodem Angelum in neceſſitatibus, in tentationibus invocare: *Quoties ergo*, ait, *graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione &c.* Æque profecto poterit, uti quid maxime congruum, ac cæteris convenientius, ſancta Eccleſia Deum ſuppliciter exorare, ut per interceſſionem S. Michaelis Archangeli Tutelaris, Cuſtodis, & Patroni ſui ſibi a Deo ſpecialiter, ut dictum eſt, deſtinati, dignetur idem Dominus orationes ſuas ab ipſo proprio Advocato ſuo eodem, ac Protectore Angelorum Principe una cum incenſo oblatas exaudire, & in odorem ſuavitatis accipere. Hoc enim ipſa clientela exigit, ratio undequaque ſuadet, praxis longæva confirmat, ſublimitas evincit Patrocinii, ac Divinæ voluntatis in antiquiſſima traditione manifeſtatæ debitum præſcribit obſequium.

Etſi apud Romanos olim non incenſarentur Oblata, alibi tamen id pene ubique fiebat.

(7) *Incenſum olim ſuper Altare non obtuliſſe.*) Licet autem id de Romanis Amalarius dicat, offerrebant tamen Galli, aliæque nationes, ut ex ſubjectis teſtimoniis oſtendam; & quidem Micrologus cap. 9. *Romanus Ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat Evangelium, cum ad Altare, ſive in ambonem portatur; non autem concedit, ut oblatio in Altari thuriſicetur. Subdit vero quamvis modo a pluribus, immo pene ab omnibus uſurpetur*, quibus verbis ſatis indicat jam ſuo ævo ſæculo ſcilicet XI. aſſertam ab Amalario conſuetudinem apud Romanos non incenſandi poſt Evangelium obſoleviſſe. Alcuinus de Div. Offic. cap. I. de celebratione Miſſarum. *Poſt oblationem ponitur incenſum ſuper Altare, dicente Sacerdote; dirigatur oratio mea.* Hincmarus Remenſis in Capitularibus anni 852. loquitur de thuribulo ad incenſandum oblata ſuper Altare poſt Evangelium, quod omnes Eccleſiarum Rectores paratum habeant. Ita & Regino Prumienſis Abbas in Collect. Can. lib. I. cap. 200. Joannes Abrincenſis Epiſcopus Lib. de Divinis Officiis pag. 20. *Sicque Corporali cooperta* (oblata) *incenſum deſuper offerat*; Concilium Rothomagenſe ſub Joanne Archiepiſcopo cap. I. *ut tempore, quo Evangelium legitur, finitoque offertorio ſuper oblationem, incenſum, in mortem videlicet, Redemptoris noſtri ponatur, decrevimus.* In Miſſa edita ab Illyrico: (Hæc oratio dicenda eſt, dum incenſo miſſo in Thuribulum, ipſum Thuribulum ſuper panem, & Calicem circumducitur): *Memores ſumus, æterne Deus, Pater omnipotens, glorioſiſſimæ Paſſionis Filii tui, Reſurrectionis etiam ejus, & Aſcenſionis ejus in Cœlum. Petimus ergo majeſtatem tuam, ut aſcendant preces humilitatis noſtræ una cum incenſo iſto in conſpectu tuæ clementiæ, & deſcendat ſuper hunc panem, & ſuper hunc Calicem plenitudo Divinitatis: Deſcendat etiam, Domine, illa Sancti Spiritus incomprehenſibilis, indiviſibiliſque majeſtas, ſicut quondam in Patrum Hoſtias deſcendebat. Per eumdem &c. ejuſdem &c.*

(8) *Cum Symboli poſt Evangelium mentionem faciat.*) Ita habet citatus Ordo Romamanus: *Poſt lectum Evangelium Candelæ in loco ſuo extinguuntur, & ab Epiſcopo Credo in unum Deum cantatur, & Thuribula per Altaria portantur, & poſtea ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad os trahitur.* Quæ cæremonia ad religioſam potius fidelium devotionem, quam ad Liturgicum, Eccleſiæ Ritum pertinet, ac ſenſim in deſuetudinem abiit; idcirco de ea loqui deſiſtimus. Sed & nonnulla adhuc de incenſi adolectione nobis dicenda ſuperſunt, quamvis enim jam ſupra ad lib. I. cap. 25. §. 9. ſeu Tom. 2. pag. 327. plura de thuris uſu in Eccleſia, ac de Thymiamateriis, ſeu Thuribulis attulerimus, abs re tamen non erit, & alia hoc loco ſcitu digna, quæ illic exciderunt, adjicere. Et primo quidem in Lege veteri ad Altare Dei thura dare munus erat Sacerdotum, neque ipſis Levitis id licitum; manum quippe extendere ad Thuribula vetitum pœna mortis fuiſſe legitur Numerorum lib. cap. 16. 40. *Ne quis accedat, alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendum incenſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio ejus.* Item cap. 18. 3. *Excubabuntque Levitæ ..... ita dumtaxat ut ad vaſa Sanctuarii, & ad Altare non accedant, ne & illi moriantur.* Quin & homini cuicumque talem compoſitionem (thuris) ſeu thymiama in profanos uſus adhibenti, vel facienti *ut odore illius perfruatur*, pœna mortis infligenda jubetur Exodi cap. 30. 38. his verbis: *peribit de populis ſuis.* In Lege autem nova Evangelica item ſoli Deo immediate thus offerre Sacerdotum quidem præcipuum munus eſt, at propter ipſum de illo eodem thure per Sacerdotem oblato cæteris Altaris miniſtris, & populo participandum præbere, Diaconi, ſeu Levitæ officium pariter eſt, qui accepto a Celebrante thuribulo ipſum incenſat, deinde Subdiaconum, ac reliquos inferiores modo in Rituali uniuſcujuſque Eccleſiæ præſcripto, & demum ipſe a Thuriferario incenſatur. Porro veterum Hebræorum thuribula plurimum a noſtris differebant, non enim e longis catenis pendebant; ſed genus quoddam referebant parvi clibani, ſeu furnuli cum anſulis, vel etiam ſine illis, quem Sacerdos, vel imponebat Altari Thymiamatis, vel inferebat in Sanctuarium. Agens S. Joannes in Apocalypſi cap. 5. 8. de thuribulis, quæ tenebant quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores, deſignat illa tantum nomine Lancium, vel Scyphorum aureorum ſuffitus continentium: *Phialas aureas plenas odoramentorum.* Variabant itaque plurimum a noſtris. Inſculpta thuribula fumantia in figuram Scyphi, vel Calicis baſi ſuæ impoſiti, exhibent nummi antiqui Hebræorum, & præcipue Simonis Machabæi, de qua re fit mentio Machab. lib. I. cap. 15. 6. Vide Tom. I. Proleg. & Diſſert. in Sacr. Script. clar. Auguſtini Calmet ex verſione Jo. Dominici Manſi edit. Lucenſis Diſqu. de Monetæ ſignatæ vetuſtate pag. 27. Atque hic, quæ de thuriſicatione hactenus dixi claudam, profanis licet Tibulli verſibus, ſed in ſanctiorem uſum adhibitis, & quos ille ſuos geniis, ſeu falſis Diis gentium thure potiſſimum litare invitat, nos uni

Adjiciuntur nonnulla de Thure, ac thuribulis alibi prætermiſſa.

uni tantum, trinoque Domino, ac ſoli Deo, cui laus, honor, & gloria omni jure debetur, thure litandum in ejus auguſtiſſimo Sacrificio toto corde, ac mentis affectu dicamus, atque in illius honorem ipſis dicti Romani Poetæ verbis lib. 2. eleg. 2.

Urantur pia thura focis, urantur odores:
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

§. VI.

Lotio manuum; Sacerdotis pro ſe ad populum deprecatio, & Orationes ſecretæ.

Ritus manuum ablutionis poſt Oblationem omnibus Nationibus communis.

POſtquam Sacerdos thus adolevit, lavat manus in ſignum puritatis
animæ (1), ut ait Clemens *lib.* 8. *Conſtit. cap.* 11. Dionyſius quo- (1)
que *cap.* 3. *Eccleſiaſt. Hierarch.* non ſolum Pontificem ſacris operantem,
ſed omnes etiam Presbyteros manus abluiſſe docet, cujus lotionis pro-
lixa ibidem Theoria legi poteſt. Adſtipulatur Cyrillus Hieroſolymitanus
initio Catecheſis quintæ myſtagogicæ dicens; *Vidiſtis Diaconum aquam
lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum Altare Dei
ſtabant Presbyteris.* Communis eſt omni nationi hic ritus manus abluendi
poſt oblationem, Græcis, Latinis, Maronitis, & aliis Orientalibus. Sed
ſingulare eſt, quod ſcribit in Expoſitione Miſſæ Nicolaus de Plove Preſ-
byter Poſnonienſis, hanc ablutionem in Eccleſia ſua dilatam, uſque ad
finem Præfationis immediate ante Canonem, & alios quidem recitaſſe tunc
Pſalmum *Lavabo inter innocentes manus meas:* ab aliis vero convenien-
tius omiſſum propter ſequentis Canonis continuationem. Poſt lotionem
recitat Sacerdos aliam orationem incipientem *Suſcipe Sancta Trinitas*,
qua rurſum dona ſacranda offert Deo in memoriam Paſſionis Chriſti, &
in honorem B. Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, Sanctorumque Apoſtolo-
rum Petri, & Pauli, & *iſtorum*, quorum videlicet Reliquiæ in eo Al-
tari conditæ ſunt. Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis in Collatio-
nibus de Miſſa *parte* 2. *art.* 3. ait quoſdam pro *iſtorum* legere *juſtorum*,
quam lectionem vulgatæ præfert, ſed perperam, nam illa vox *juſtorum*
non bene cohæret, & ſuperflua foret, cum ſtatim ſequatur, & *omnium
Sanctorum*. Quam antiqua ſit hæc oratio, non liquet (2). Extat paucis (2)
mutatis in Codice Tiliano apud Menardum, & in Miſſa Illyrici quoti-
diana & generalis nuncupatur; fitque in ea expreſſa mentio Sanctorum,
quorum ibi Reliquiæ habentur. Tum memor Sacerdos fragilitatis ſuæ,
cum ſit & ipſe circumdatus infirmitate, orationum ſuffragia ab adſtanti-
bus poſtulat dicens, *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium ac-
ceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* In Codice Tiliano hæc
poſtulatio ſic exprimitur; *Orate pro me miſero peccatore ad Dominum
noſtrum Jeſum Chriſtum, ut meum ac veſtrum Sacrificium ſit acceptabile
in conſpectu Divinæ pietatis.* In Miſſa Illyrici. *Orate pro me peccatore
fratres, & ſorores, ut meum, & veſtrum Sacrificium acceptum fiat Do-
mino Deo omnipotenti ante conſpectum ſuum* (3). Aliæ Eccleſiæ apud (3)
Alenſem P. 4. ſummæ tract. de Offic. Miſſæ dicunt: *Obſecro vos fratres
orate pro me, & ego pro vobis, ut meum, pariterque veſtrum Sacrificium
acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Reſpondent Miniſtri,
vel circumſtantes ex Miſſali Romano, *Suſcipiat Dominus ſacrificium de
manibus tuis ad laudem, & gloriam nominis ſui, ad utilitatem quoque
noſtram, totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ* (4). Ab aliis præſcribitur hæc oratio, (4)
*Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ſuſcipiatque de manibus tuis
Sacrificium iſtud; orationes tuæ aſcendant in memoriam apud Deum pro
noſtra, & totius populi ſalute.* In Codice Tiliano, *orent pro te omnes*

San-

Sancti Dei. Memor ſit Dominus ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua. Eadem oratio additis nonnullis habetur in Miſſa Illyrici. Alii apud Alenſem ſic reſpondent: *Spiritus Sanctus ſuperveniat in te, & virtus Altiſſimi obumbret tibi.* Græci quoque Sacerdotes pro ſe in ſua Liturgia populi orationes poſcunt, ut notat Goar ad Miſſam Chryſoſtomi *num.* 113. Quod vero fideles circum aſtantes a Sacerdote fratres appellentur, id ex veteri con-

Cur Chriſtiani ſe invicem mutuo fratres appellent.

ſuetudine ſimul cum religione exorta ad nos profluxit. Nam Chriſtiani fratres ſe invicem mutuæ charitatis cauſa nuncupabant; ſed quia gentiles ſacris nominibus fratris, & ſororis ad libidines tegendas abutebantur, ut ex Petronio, & Martiali, aliiſque conſtat, ideo Cœcilius apud Minutium Felicem hanc fratris, & ſororis nomenclaturam Chriſtianis exprobrat, inde arguens ſtupra & libidines ab illis perpetrari. Cui reſpondens Octavius ait, *ſic nos quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.* Recte Arnobius in Pſal. 133. *Unde eſtis omnes fratres? De uno Patre Chriſto, de una Matre Eccleſia.* Denique omnia ad offertorium pertinentia ſecretis orationibus concluduntur, quæ ſuper oblata recitantur, ut ea Deus ad gloriam ſuam, & ad ſalutem noſtram acceptare dignetur. Ad earum originem, & antiquitatem ſpectant quæcumque de Collectis dicta
ſunt ſupra (5). His utuntur omnes Eccleſiæ Latini ritus, & in fine (5)
ipſarum extollens vocem Sacerdos intonat (6). *Per omnia ſæcula ſæcu-* (6)
lorum. Græci item aliquot Liturgiæ orationes ſecreto legunt, quarum poſtremam clauſulam voce elata pronuntiant, ut ab omnibus audiatur.

Aliæ lotionis manuum rationes indicantur.

(1) *In ſignum puritatis animæ.*) Accedit alia ratio litteralis, & phyſica; nam cum in hac Miſſæ parte Sacerdos fidelium oblationes acciperet, decens erat peracta ea cæremonia manus abluere, ne forte oblationum contactu inquinatæ Corpus Domini attrectarent, quam rationem aſſignat Ordo Romanus ſextus a Mabillonio editus num. 9. pag. 74., *ut qui cæleſtem panem accepturus eſt, a terreno pane, quem jam a Laicis accepit, manus lavando expurget*; Amalarius lib. 3. de Eccl. officiis cap. 9. *ut exterſæ ſint a tactu communium rerum, atque terreno pane.* Durandus Mimatenſis Rationalis lib. 4. cap. 28. *ut mundæ ſint a terreno pane, jam populi oblatione recepta*, Rabanus Maurus de Inſtit. Cleric. lib. 1. cap. ult. *Hinc*, inquit Claudius Duvert latine redditus Tom. 3. pag. 194. *videtur expreſſe id, quod lotioni manuum occaſionem dedit.*

Duvertius notatus circa originem ablutionis manuum, ejuſque cauſam.

Egregie tamen fallitur; ſiquidem ablutio manuum oblationum receptione vetuſtior eſt, nec aliam, niſi myſticam ablutionis cauſam reddunt antiquiſſimi Patres. *Vidiſtis igitur Diaconum*, (inquit Cyrillus Hieroſolymitanus, qui medio quarto ſæculo vixit, Catech. myſtag. quinta, ex verſione Joannis Grodecii) *aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum Altare Dei ſtabant, Presbyteris. Num ideo prorſus dabat, ut ſordes Corporis ablueventur? Nequaquam, nec enim adeo ſordibus corporis fœdati in Eccleſiam ingredi ſolemus. Sed illa manuum ablutio, ſymbolum eſt, oportere nos a peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus deſignentur actiones, lavare certe eaſdem, munditiem, & puritatem operum ſignificat. Nonne audiſti David myſteria tractantem iſta, & dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine. Itaque manus abluere, eſt ſymbolum; non obnoxium eſſe peccatis.* Hunc autem textum alii ſic brevius vertunt: „ Vidiſtis igitur Diaconum Sacerdoti, & Presbyteris „ Altare Dei circumſtantibus aquam abluendis manibus porrigentem? Nullatenus vero „ propter corporeas ſordes extergendas dabat. Non, inquam propterea: neque „ enim corporis ſordes gerentes initio Eccleſiam ingreſſi eramus &c. Nihil hoc Cyrilli teſtimonio potentius ad refellendam Duvertii, alias doctiſſimi viri, ſententiam.

Non affirmaverim tamen ſolo myſticæ rationis intuitu ablutionem hanc primis Eccleſiæ temporibus inſtitutam, quod placuit Petro LeBrun Tom. 1. Explic. cit. hiſt., & dogmat. pag. 348. Naturalis cauſa non defuiſſe videtur, ad quam fortaſſe non attenderunt Cyrillus, & Dionyſius Auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 53., qui myſticam nobis rationem exponunt. Cum enim tunc temporis Epiſcopus ſuper Catechumenorum, & pœnitentium capita manus impoſuiſſet, antequam illi e templi foribus ejicerentur, facillimum erat ſordes ex capillorum tactu contrahere. Proinde æquum erat ante initium Miſſæ Fidelium manus abluere. Hinc Cyrillo teſte non ſolus Epiſcopus, ſed corona etiam Presbyterorum manus lavare jubebatur, quod iſti etiam Catechumenis, & pœnitentibus manus imponere conſueviſſent.

Hanc

Hanc puto germanam eſſe hujus inſtituti rationem, quam tamen peritioribus diſcutiendam relinquo. Duplicem porro manuum ablutionem olim factam, unam poſt Oblatorum ſuſceptionem, & ante hoſtiæ oblationem, alteram poſt thurificationem memorat idem Durandus loco citato, & in pleriſque Franciæ, & Germaniæ Eccleſiis hunc uſum adhuc obſervari tradit item mox laudatus Petrus LeBrun ibid. pag. 350. Eumdem etiam ritum retinuerunt Carthuſiani juxta eorum ſtatuta antiqua cap. 43. §. 23. Lavat itaque manus Sacerdos non tantum, ut emundet eas a ſordibus, quæ adhærere ipſis potuerunt ex contrectatione thuribuli, & oblationum, verum etiam, quia nonniſi lotis ſumma diligentia manibus, & digitis Sacratiſſimum Chriſti Domini Corpus contrectare debet.

(2) *Quam antiqua ſit hæc oratio non liquet.*) Micrologus anno 1090. hanc orationem nec in Ordine Romano, nec in Gallicano fuiſſe nos docet cap. 11. *Deinde inclinatus ante Altare dicet hanc orationem non ex aliquo Ordine, ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine: Suſcipe Sancta Trinitas.* Hæc in ſubſtantia reperitur in Liturgiis Græcis; & iiſdem fere terminis exprimitur in Miſſali Ambroſiano; Et hac fortaſſe de cauſa in Miſſali Antiſſiodor. ſæc. 13. Ambroſio tribuitur: *Levando Calicem dicat orationem Sancti Ambroſii: Suſcipe Sancta Trinitas*; In pluribus Miſſalibus, & Sacramentariis Micrologo antiquioribus, quæ numerat LeBrun 3. par. art. 9. reperitur; at quemadmodum dicebatur ex ſola devotione, hinc factum, ut in pluribus Eccleſiis dicta nunquam fuerit; Sicuti nec dum dicitur a Carthuſianis; ex quo inferre eſt tempore eorum inſtitutionis, anno ſcilicet 1084. in Eccleſia Gratianopolitana, a qua Miſſale acceperunt, recitatam non fuiſſe. In Eccleſiis, in quibus recitabatur, non ubique recitabatur eodem modo. Recitabatur ab initio in ſolemnitatibus tantum; aliis autem diebus recitabantur peculiares Orationes; Oblatio *communis*; Oblatio *pro Rege, & omni populo Chriſtiano*; Oblatio *pro ſemetipſo*; Oblatio *pro ſalute vivorum*, Oblatio *pro infirmis, pro defunctis &c.* uti ex Sacramentali Trevir. MSS. patet. Hujus porro orationis lectionem corruptam ad illa verba: *Et in honorem*, ubi legendum: *Et in honore* multis probat LeBrun 3. par. pag. 9.

Dominicani, qui veterem adhuc ſequuntur ritum Miſſam celebrandi in Gallia, omiſſis aliis orationibus, hanc tantum recitant, & omiſſa mentione aliorum myſteriorum, Paſſionem tantum memorant Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & præſta, ut in conſpectu tuo tibi placita aſcendat, & meam, & omnium fidelium ſalutem operetur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* Ex hactenus dictis confirmatur, quod ſupra indicatum eſt, videlicet quod plures ſint Eccleſiæ, in quibus Sacerdotes panem, & vinum ſimul offerunt hac Oratione: *Suſcipe Sancta Trinitas*, vel alia conſimili, neque ſeparatim offerunt panem & vinum. Quem ritum, (inquit, alias laudatus Franc. Pouget Inſtit. Cathol. Tom. 2. parte 3. ſect. 2. cap. 7. §. 22. n.12. pag. 845.) tota fere ſervabat non ita pridem Eccleſia Gallicana, & retinent etiamnum Dominicani, Carmelitæ &c. Sed aliæ multæ extant Eccleſiæ, in quibus viget antiquiſſimo ritu mos hodiernus Eccleſiæ Romanæ, panem primum, deinde vinum, poſtea utrumque ſimul offerendi, & id quidem obſervavit ſemper Eccleſia Mediolanenſis ex Ritu Ambroſiano. Suum autem ea de re unaquæque Eccleſia ritum tenere debet, parum quippe intereſt an id prima, an altera ratione fiat. Hæc clar. Oratorii Gallicani Presbyter.

(3) *Deo omnipotenti ante conſpectum ſuum*) Ita etiam reperitur in Miſſali MSS. Ultrajectenſi ſæculi circiter 9. atque in Colonienſi an. 1133. aliiſque Eccleſiis Galliæ, & Germaniæ. Chartuſiani ex eorum Ordine cap. 26. n. 21. etiamnum dicunt: *Orate fratres pro me peccatore ad Dominum Deum noſtrum*. Veteres noſtri Ciſtercienſes, ut in antiquis Uſibus Ordinis legitur cap. 53. hæc tantum verba dicebant: *Orate fratres pro me*. Atque inde ex his, aliiſque locis non obſcure deducitur Sacerdotes olim priſcis temporibus non aliud dixiſſe niſi *Orate*, uti ex Ord. Rom. II. num. 9., vel *Orate pro me*, ut in Ord. VI. num 10., aut *Orate pro me peccatore*, quemadmodum ex Sacramentario Trevirenſi MS. verba autem ſubſequentia: *ut meum ac veſtrum ſacrificium* &c. deſumpta videntur ex Remigio Antiſſiodorenſi, qui circa finem IX. ſæculi floruit, quique in lib. de expoſit. Miſſæ ad illa verba antiqua *Orate fratres* hæc pro eorum explicatione ſubdit: *id eſt, ut meum, & veſtrum pariter ſacrificium acceptum ſit Domino*: quæ cum præcedentium interpretativa ſint, putaverim quod ſub ſilentio dici poſtea præſcriptum fuerit. Animadvertendum porro eſt particulam illam *Sorores*, licet in aliquibus veterum hujuſmodi formulis habeatur, ut vidimus, & item extat apud Albertum Magnum de Sacrif. Miſſæ tract. 3. cap. 2. nihilominus eadem neque apud Belethum, Remigium Antiſſiodorenſem, Alcuinum, aut Innocentium III. reperitur; quod argumento eſt ad libitum Sacerdotis fuiſſe illam exprimere. Obſervandum inſuper eſt ad dicta verba: *Orate fratres ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat* &c. quod circumſtantes fideles Sacerdos quaſi ſecum celebrantes & ſacrificantes interpellat iis formulis antiquiſſimis quas recitat Card. noſter, quibus etiam addi poſſunt conſimiles, ea ſcilicet quæ habetur in pervetuſto Miſſali Mozarabum, & alia, quæ legitur ex Codice inſignis Monaſterii S. Dionyſii circa tempora Caroli Magni exarato, ubi ſic: *Orate pro me, fratres, & ſorores, ut meum, ac veſtrum ſacrificium ſit acceptum in conſpectu Domini*, apud Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. tom. 1. pag. 523. item ex Pontificali Eccleſiæ Trecenſis circa ſæculum IX. ſcripto apud eumdem pag. 534. Denique ex lib. Sacramentorum Moyſacenſis Monaſterii, nunc Biblioth. Colbertinæ num. 428. ann. circ. 890. ibid. pag. 538. ubi ſic dici-

dicitur : *Obſecro vos fratres, orate pro me ut meum ſacrificium, & veſtrum acceptabile fiat Domino*. Nonnullas item exhibet laudatus Martene ibid. pag 393. & Petrus le Brun tom. 1. cærem. Miſſæ p. 374. Quæ formulæ omnes plane conveniunt cum ea memorata, qua utitur uſque nunc ſacroſancta Romana Eccleſia, cujus authorem S. Leonem Magnum fuiſſe putat Radulphus Tungrenſis Prop. 23. verum illam in ipſius Sacramentario non reperi. Attamen (ut notat Steph. Durantus lib. 2 de Rit. Eccl. Cathol. cap. 29.) ejus meminit Soter Papa apud Gratianum de conſecr. diſt. 1. cap. *Hoc quoque*, & Chryſoſtomus hom. 10. in 2. ad Corinthios. Ut ut ſit, hujus, aliarumque ſimilium formularum verbis ſacrificium Altaris Sacerdotis perinde, ac offerentium conſideratur; Rationem reddit Hilarus Diaconus IV. ſæculi Scriptor in Quæſtionibus veteris, & novi Teſtamenti cap. 46. inter Opera S. Auguſtini tom. 4. *Quamvis*, inquit, *Sacerdos proprio fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos; ipſi enim imputatur, cujus munera offeruntur*: quæ munera, cum fuerint ab offerentibus exhibita, ipſis quoque ſacrificium tribuitur, quorum nomine offertur. Quapropter olim multis abhinc ſæculis offerentes ipſi cujuſcumque gradus, & ſexus Celebrantes nominati pleriſque locis inveniuntur. Ex his pauca ſeligam. S. Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Confeſſ. cap. 65. loquens de quadam muliere non minus erga Deum devota, quam de marito ſuo defuncto ſollicita ſic tradit : *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens orationi vacabat, Celebrans quotidie Miſſarum ſolemnia, & offerens oblationem pro memoria viri ſui*: quod non aliud indicat, niſi quod ſua tradita oblatione illam a Sacerdote ſacrificare fecerit; Ita etiam hoc ſenſu, vel alio conſimili accipienda ſunt verba Concilii Aquiſgranenſis anni 816. ubi in cap. 27. lib. 2. Regulæ Canoniſſarum, ſic præſcribit : *Sanctimoniales velo antepoſito, ut moris eſt . . . . Miſſarum ſolemnia celebrent*. Vide quæ dicta ſunt ad lib. 2. cap. 2. §. 6. tom. 1. p. 16.

Cur etiam fideles in hac formula Orate fratres cum Sacerdote ſacrificium offerre dicantur.

Et ſane hujuſmodi celebrationis actio, licet ſpecialiter & proprie ad Sacerdotem ſpectet, ad offerentem pariter, quicumque ille ſit, dummodo fidelis, non proprie, ſed aliquatenus pertinet, tametſi ille ſacrificium proxime, & immediate conficiat, iſte remote ad idem conficiendum cooperetur, & influat, unus quippe actione propria ſacrificali, alter aliena, ipſius nempe Sacerdotis, cui præbet oblationem, ſive ſtipendium, ad illud uterque ſuo modo concurrit; hinc poſito eorum mutuo concurſu ambo a Tertulliano lib. de Exhort. Caſtit. cap. 7. Sacerdotes appellantur; non quia æque conſecrandi poteſtate pollerent, quemadmodum Anonymus quidam inſectæ fidei a doctiſſimo Dionyſio Petavio in ſua Diatriba de Poteſtate conſecrandi Sacerdotibus a Deo conceſſa edit. Pariſ. an. 1639. invicte confutatus, peſſime illum ſic intelligi voluit, ſed quia ſinguli panem, & vinum olim, ſicuti modo ſtipem, ſeu eleemoſynam, tunc offerebant, & idcirco vocati ipſi quidem Sacerdotes, verumtamen lato modo dumtaxat celebrantes, & offerentes, non autem conſecrantes, & conficientes, quod proprium Sacerdotum eſt, eorum ſcilicet, qui in ſacro Presbyteratus ordine ſunt conſtituti; quare in ipſa Miſſa poſt offertorium, ut mox vidimus, dicitur *meum, ac veſtrum ſacrificium*, & initio Canonis *quæ tibi offerimus*, idque non alia prorſus, niſi adducta ratione, quia prout S. Cyprianus de Orat. Dominica etiam animadvertit, tunc Miſſæ tempore *in unum convenimus, & ſacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus*: quod exinde Innocentius III. Papa lib. 3 de Myſt. Miſſæ cap. 5. pariter declaravit his verbis : *ideo dicitur offerimus, quia non ſolum offerunt Sacerdotes, ſed univerſi fideles*: ipſique etiam pauperes, qui præter deſiderium nihil aliud Deo offerendum habebant, ne ſacrificii fructus expertes manerent, Sacerdos tali pacto etiam pro iis orat in Liturgia ſancto Marco tributa : *Suſcipe Deus munera eorum, qui offerre volunt, & non habent*: ita etiam in illa S. Cyrilli apud Euſebium Renaudotium Liturg. Orient. tom. 1. pag. 42. & 505., in qua Sacerdos ſic eoſdem pauperes commendat : *qui voluerunt offerre, nec unde facere habuerunt*: in altera communi vocata, ſeu Canone univerſali Æthiopum, Miſſa ſcilicet S. Matthæo adſcripta apud ipſos uſitata : *Rogamus, & deprecamur . . . . & pro illis qui voluerunt, nec potuerunt*.

Ipſique etiam pauperes, qui præter deſiderium nihil habent quod offerant.

Hoc modo Eccleſia etiam illis ſuccurrebat, quorum egeſtas bonæ eorum voluntati erat contraria, eorumque pariter, quorum nulla apud homines recordatio. Sic autem de his loquitur Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis cap. 4., quos, inquit : *etiam tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur matre communi*: Hinc cum olim priſcis temporibus unica tantum Miſſa in ſingulis Eccleſiis celebraretur, & omnes offerentes a Sacerdote commendarentur, quilibet pro eorum diſpoſitione, & ſacrificii ratione de eodem utique participabant; ne autem pauperes ſacrificii fructu tanquam impotentes offerre privarentur, Sacerdos illos quoque, ut dictum eſt, Deo committebat, ut in ſui ſacrificii applicatione locum habentes eumdem fructum conſequerentur, licet ex inopia illum propriis oblationibus percipere non valuiſſent. Quin & ulterius ne ullus expers ſacrificii remaneret, juxta ritum Syrorum, qui S. Jacobi Liturgiam in uſu habebant, poſtquam Sacerdos pro omnibus ordinibus, & perſonarum generibus in univerſum Deo preces fuderit, ne aliquis oblitus adhuc ſupereſſet, elevans vocem dicebat : *Memento Domine omnium, quorum meminimus, & quorum non meminimus*. Sed de hac re plenius infra ſuo loco diſſeremus, ubi de commemorationibus vivorum, ac mortuorum agetur. Atque his ſatis reſponſum exiſtimo Miſoliturgorum aliquot cavillationibus, qui in ſacris Eccleſiæ cæremoniis formularum, & orationum verba tantum notantes, & non ſignantes myſteria eas, vel aſ-

aſpernantur, vel in alienum ſenſum detorquent.

(4) *Totiuſque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ*) Quod ſi Miniſter, vel alii, qui interſunt, non reſponderint, Celebrans ipſe dicit ſecrete eamdem orationem *Suſcipiat* &c. Ita præſcribit Miſſale Romanum impreſſum Venetiis anno 1564. Amalarius de Eccleſiaſt. off. lib. 3. cap. 29. *Audivi*, inquit, *dicere quod plebs eadem hora tres verſiculos cantet pro Sacerdote*, mittat tibi Dominus auxilium de ſancto, *& duos ſequentes*. In libello Precum horario, qui ad uſum Caroli Calvi Imp. fuiſſe perhibetur, ac proinde circa medium ſæculum nonum ſcripto, cujus meminit Petrus le-Brun tom. 1. Explic. Cærem. Miſſæ pag. 378. hæc adnotata leguntur: „ Quid orandum ſit ad „ Miſſam pro Sacerdote quando pro ſe ora„ re. *Spiritus Sanctus ſuperveniat in te, & „ virtus Altiſſimi obumbret te; memor ſit ſa„ crificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. „ Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omnem „ petitionem tuam confirmet. Da Domine pro „ noſtris peccatis acceptabile, & ſuſceptibile „ fieri ſacrificium in conſpectu tuo.* „ Plures conſimiles populi reſponſiones ex pleriſque Gallicanis Miſſalibus deſumptis, quæ præfata breviores ſunt, refert Martene loco ſæpe citato de ant. Eccl. Rit. tom. 1. p. 393. quibus recenſendis ſuperſedeo. Cæterum in multis dictarum Provinciarum Miſſalibus ad *Orate fratres* nulla populi reſponſio deſcripta habetur, ſic in Miſſali majoris Monaſterii apud dictum Martene ibid. in Turonenſi MSS. annorum circiter 300. & in edito an. 1533. Item in iis, quorum longa mentio apud dictum le-Brun loco citato. Nihil inſuper ad dictam orationem reſpondent Chartuſiani, & Prædicatores; ſæculo XIII. juxta Durandum in Rationali div. Off. lib. 4. cap. 32. num. 3. circumſtantium quiſque ſecreto apud ſe recitabit unum, aut plures ex prædictis verſiculis; hinc poſtea in Miſſali Romano præſcriptum eſt ab inſerviente Miſſam, vel ab alio ex circumſtantibus populi nomine *Suſcipiat* &c.

De ſecretis orationibus, ſeu collectis.

(5) *Quæcumque de Collectis dicta ſunt ſupra.*) Quibus addendum, quod ſecreta dici a ſecretione donorum, & oblationum quorumdam Eruditorum eſt ſententia. Hinc eadem oratio, quæ in nonnullis codicibus libri Sacramentorum ſancti Gregorii Papæ dicitur *ſuper oblata*, in aliis eſt *ſecreta*, quod videre eſt apud Menardum in notis ad eumdem librum nota 94. Huic ſententiæ obſtare videtur, quod legitur in codice vetuſtiſſimo lib. Sacr. Eccl. Turonenſis, uti pro *ſecreta*, habetur *arcana*. Amalarius lib. 1. de Eccl. offic. cap. 10. *ſecreta ideo nominatur, quia ſecreto dicitur*. Idem in Eclogis de officio Miſſæ editis a viro clar. Stephano Baluzio in appendice Capitularium tom. 2. col. 1364. ſecreta dicitur, eo quod ſecretam orationem dat Epiſcopus ſuper oblationem: Hildebertus Cenomanenſis de myſterio Miſſæ in Bibl. PP. tom. 22. pag. 164.

His ita præmiſſis, ſecreto Presbyter orat,
Secretas memorans, aſſimilanſque preces,
Quas egit Chriſtus, cum te (jam Juda) remoto,
Abſceſſit modicum, terque precatus ait.

Cui ſententiæ Hildelberti adhærent Ivo Carnotenſis lib. de Convenientia novi, & veteris Sacrificii, Thomas Valdenſis tom. 3. tit. 4. cap. 35. & Stephanus Eduenſis c. 12. Putant autem Innocentius III. lib. 2. de Sacrificio Miſſæ cap. 54., & Rupertus lib. 2. de divinis Offic. cap. 4. ideo has Collectas ſecreto dici ex eo, quod Chriſtus ante paſſionem paullulum ſeceſſerit, nec palam apud Judæos ambularet, licet ſalutare nobis ſuæ paſſionis mediaretur Sacramentum. Cauſam vero S. Thomas 3. parte quæſt. 83. art. 4. ad 6. eam eſſe arbitratur, quod circa paſſionis tempus Diſcipuli nonniſi occulte Chriſtum confiterentur.

Sunt denique qui putent has orationes ſecretas dici a verbo *ſecernere*, vel quia ex oblationibus populi aliæ ponerentur extra altare, aliæ ſecernerentur in ſacrificium, & ſuper illis ſic ſecretas, ac ſuper altare poſitas funderentur iſtæ orationes, quæ ideo *ſecretæ*, ſeu *ſuper oblata* dictæ ſunt: vel quia orationes illæ primæ erant ex iis, quæ recitabantur poſt ſecretos, & ſegregatos Cathecumenos, ac Pœnitentes, adeout illæ ſecretæ dicerentur a ſecretis Catechumenis, quemadmodum collectæ a collectis in unum fidelibus. Ita doctiſſimus Jacobus Benignus Boſſuet Epiſc. Meldenſis Explicationis Miſſæ pag. 19. num. 1. qui tamen ſubdubitans id aſſerit, dum ex iis, quæ refert Edmundus Martene de ant. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 7. num. 5. p. 393. facile contrarium evincitur. Cur autem orationes ſecretas, & Miſſæ Canonem fere integrum, de quo infra, recitet Sacerdos ſubmiſſa voce, & ſine cantu, id antiquiſſimo ritu, obſervatum videmus in Liturgiis omnibus tam Græcis, quam Latinis, ubi quædam ſubmiſſiori voce, quædam clariore recitantur, nec propterea putes velle Eccleſiam a Fidelibus ignorari, ea quæ his orationibus continentur; has enim, ſicut & cæteras Liturgicas preces jubet a Paſtoribus populo chriſtiano exponi, ut conſtat ex Concilii Tridentini, & Catechiſmi Romani pleriſque locis, atque ex variis explicationibus cæremoniarum Miſſæ, quas complures clariſſimi viri vernaculo idiomate, ſive Gallico, uti le-Brun, aliique multi, ſive Italico, uti Septalius Card. Lambertinus &c. deſcripſerunt. Sed vel hoc ritu vult exprimere, & exhibere cum debito honore ſilentium, quo Chriſtus Dominus dignatus eſt ferre pro nobis immaniſſima ſupplicia, ſeipſum tacitus offerens Deo Patri hoſtiam propitiationis pro peccatis noſtris, ut firmat Innocentius Papa III. lib. 2. myſt. Miſſæ cap. 54. & ſeqq. vel putat eadem hoc ſilentio reverentiam, & majorem attentionem excitari circumſtantium animis, dum ſolus Sacerdos ſeorſum orat pro populo, quemadmodum in ſacrificiis veteris legis Sacerdos oraturus pro gente Iſraelitica ſolus intrabat in ſanctuarium.

Porro quoad dictas ſecretas Petrus le-Brun Explic. cærem. Miſſæ tom. 1. parte 3. art. XI. quærit an poſt Offertorium ante primam ſecre-

ſecretam diceretur *Oremus*, & reſpondet quod Sacerdos non dicit oremus, quia illud jam dixit initio offertorii, & juxta antiquum Ord. Rom. totum id quod ſequebatur relationem habebat ad hanc orationem, quæ ſola dicebatur, quæque promiſcue, ut diximus, appellabatur *ſecreta*, aut *Oratio ſuper oblata*. Nihilominus cum inter *Oremus* offertorii, & ſecretam tot intercedant orationes, ut nimium diſtet *Oremus* a ſecreta, in pluribus Miſſalibus circa ſæculum XI. appoſitum eſt aliud *Oremus* ante ſecretam, & additum *Domine exaudi* &c. vel *Dominus vobiſcum*. Ita uſus Ciſtercienſes antiqui in Monaſt. Ciſterc. pag. 141., ubi ſic legitur: *dicens ſub ſilentio* oremus *ad primam ſecretam, & ad ſecundam, ſi una vel plures ſequuntur*. Idem habetur in Ordinario Chartuſienſi cap. 26. & in Cærem. Carmel. lib. 2. Rubr. 53. & Miſſali an. 1601. parte 1. num. 57. In Miſſalibus vero Lingonenſi 1491. Bajocenſi 1501., Cameracenſi 1527., Leodienſi 1513., Senonenſi 1556. & 1575. legitur *Domine exaudi* &c. in Miſſali Carnutenſi an. 1489., & in Miſſali MS. S. Pauli de Leone (forte Lugduno) legitur *Dominus vobiſcum*. Rubrica autem Romana incipit ſecretam abſolute; poſtulatio enim, quæ præmittitur *Orate fratres* ſufficiens eſt admonitio ut populus Deum deprecetur. Atque hæc ſunt, quæ circa orationes ſecretas hoc loco obſervanda occurrunt.

(6) *Extollens vocem Sacerdos intonat*) Poſtquam Sacerdos ſecreto oraverit, ab ipſa oratione divini amoris igne inflammatus juxta illud Pſalmi 38. *Obmutui . . . & in meditatione mea exardeſcet ignis*, ac veluti ab extaſi expergefactus concludit, atque elata voce adſtantes invitat ad reſpondendum *Amen*, hoc eſt ad aſſentiendum iis omnibus, quæ ipſe in ſecreta petiit, ut post Micrologum cap. 7. obſervat Card. Bellarminus tom. 3. Controv. lib. 6. de Miſſa cap. 17.

C A P. X.

Præfatio Miſſæ, ejuſque ratio, nomina, & inſtitutio. Uſus ipſius antiquiſſimus in omnibus Eccleſiis, ſed formulæ diverſæ. Tot erant olim Præfationes, quot Miſſæ. Poſtea in Romano Eccleſia redactæ ad novem. Tributa perperam hæc reſtrictio Pelagio Papæ. Addita una communis, & altera de B. Virgine. Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus, & origo. Duplex Triſagion. Quot ſint hymni liturgici.

§. I.

Præfatio Miſſæ, ejuſque ratio, nomina, & inſtitutio.

Lectis ſecreto orationibus ſuper oblata, incipit Sacerdos Præfationem
præmiſſa populi ſalutatione. Eſt autem Præfatio, veluti proloquium
aſtantes excitans, & diſponens ad præcipuam actionem, in qua proprie
ſacrificium conſiſtit. In vetuſtiſſimo Codice Miſſarum Sereniſſimæ Chri-
ſtinæ Reginæ Svetiæ ſæpius laudato Præfationi præfigitur hic titulus: *Im-*
molatio, & interdum *Conteſtatio* (1) *Miſſæ*, quia in ea Sacerdos audita (1)
voce populi, vel Cleri, ſive Miniſtri aſſerentis dignum, & juſtum eſſe
Deo gratias agere, conteſtatur veram eſſe hanc populi aſſertionem: tum
ſolemni gratiarum actione ſe & fideles diſponit ad tremenda myſteria,
quibus Chriſti corpus immolatur. In Miſſali Mozarabico inſcribitur *Inla-*
tio, quia, ni fallor, ex verbis fidelium infert ſacerdos vere dignum, &
juſtum eſſe Deo omnipotenti gratias agere, ipſumque laudare, & prædi-
care. De primo Præfationum auctore hæc ſcribit Valfridus Strabo cap. 22.
Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur,
ac deinde humanæ vocis ſupplicatio cœleſtium virtutum laudibus admitti de-
poſcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum eſt. Alii earum inſtitu-
tionem Gelaſio I. tribuunt, ea ducti ratione quod in libro Pontificali ſa-
cramentorum præfationes, & orationes cauto ſermone compoſuiſſe dica-
tur. Sed quamvis concedamus plures a Gelaſio, plures item ab Ambro-
ſio, & a Gregorio Magno, aliiſque Patribus editas fuiſſe; certum ni-

Quis primus Præfationum Auctor extiterit, incertum; verum earum inſtitutio Apoſtolicis viris tribuenda.

hilominus eſt in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum (2) Præfationum extitiſſe, earumque inſtitutionem vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuendam; quod facile probari poteſt: nam integra, noſtræque ſimillima legitur in Jacobi Apoſtoli Liturgia, ejuſque mentio reperitur apud ſanctos Patres Gelaſio, & Ambroſio antiquiores. Et ut incipiam a Cypriano, illi etiam ex nomine nota fuit, ut ex libro de oratione manifeſtum eſt: *Quando ſtamus*, inquit, *ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo, & Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo*, Surſum corda, *ut dum reſpondet plebs:* Habemus ad Dominum, *admoneatur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere.* Hanc Cypriani ſententiam recitat, & laudat Eligius Noviomenſis Epiſcopus *hom.* 11. Cypriano autem addo Auguſtinum, cujus plura afferri poſſunt hac de re teſtimonia. Epiſt. 57. ad Dardanum, *Noſti in quo ſacrificio dicatur*, Gratias agamus Domino Deo noſtro. Et ad Honoratum epiſt. 120. cap. 19. *Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum ſacramentum in ſacrificio novi Teſtamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.* Itemque ad Probam epiſt. 156. *Anima chriſtiana non fruſtra audit Surſum cor, nec fruſtra reſpondet ſe habere ad Dominum.* Idem de vera religione cap. 3. *Quotidie per univerſum orbem humanum genus una pene voce reſpondet ſurſum corda ſe habere ad Dominum.* De dono perſeverantiæ cap. 13. *Quod ergo in ſacramentis fidelium dicitur, ut ſurſum cor habeamus ad Dominum, munus eſt Domini: de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere a Sacerdote poſt hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum, & juſtum eſſe reſpondent.* De bono viduitatis cap. 16. *Inter ſacra myſteria cor habere ſurſum jubemur, ipſo adjuvante id valemus, & ideo ſequitur, ut de hoc tanto bono Domino Deo gratias agamus, quia hoc dignum, hoc juſtum eſt recordari.* Eadem fere ait in Pſal. 10. & 85. De ſpiritu, & litera *cap.* 11. *& ſerm.* 44. *&* 54. *de tempore.* Concilium Milevitanum, cui interfuit ipſe Auguſtinus, can. 12. *Placuit ut preces, vel orationes, ſeu Miſſæ, ſive Præfationes, quæ probatæ fuerint in concilio, ab omnibus celebrentur.* His ſuffragatur Cæſarius Arelatenſis hom. 12. (3). Conſonant etiam Patres Græci. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi quinta myſtagogica diffuſe & eleganter, *Clamat*, inquit, *Sacerdos:* Surſum corda. *Vere enim circa illam maxime tremendam horam ſurſum ad Deum corda levare neceſſe eſt, & non deorſum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur ſententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas ſcilicet vitæ hujus omnes, & domeſticas ſolicitudines illa hora relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde reſpondetis:* Habemus ad Dominum, *aſſentientes ei profitendo. Nullus autem ſic conſiſtat, ut ore quidem dicat:* Habemus ad Dominum, *mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde ſacerdos:* Gratias agamus Domino. *Certe gratias agere debemus; quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hæc vos ſubjicitis*, Dignum, & juſtum eſt. *Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto & juſtum opus facimus.* Et paucis interjectis, quibus totius Præfationis ſeriem texit, Angeloſque commemorat apud Iſaiam canentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth;* quem hymnum nos cum illis modulamur, hujus modulationis rationem reddit, dicens; *Propterea enim traditam nobis hanc ſeraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœleſti hymnodia cum ſupra-*

(2) (3)

pramundana militia communicamus. Chryſoſtomus hom. 18. in 2. ad Cor. *In tremendis myſteriis*, ait, *ut ſacerdos pro plebe, ita plebs pro ſacerdote vota facit. Neque enim ipſe ſolus gratias agit, ſed etiam plebs univerſa. Nam cum prius illorum vocem ſumpſit, atque illi aſſenſerunt id juſte, ac digne fieri, tum demum gratiarum actionem auſpicatur*. Et hom. de Euchar. *Quid facis o homo? Non promiſiſti ſacerdoti qui dixit*: Surſum mentem, & corda, *& dixiſti*: Habemus ad Dominum? Anaſtaſius Synaita ſerm. de ſacra Synaxi: *Hæc teſtatur nobis bis ſacerdos dicens*: Surſum corda. *Deinde quid nos ad iſta reſpondemus*? Habemus ad Dominum. *Quid ais, quid facis? Mens tua ad corruptibilia, & temporalia temere attollitur, & tu dicis: Habeo ad Dominum*? Occurrunt paſſim aliorum teſtimonia, ſed in re clariſſima ſuperflua ſunt.

Præfatio olim etiam dicta Immolatio, & conteſtatio.

(1) *Præfationi præfigitur hic titulus*: *IMMOLATIO, & interdum CONTESTATIO.*) Ita etiam *Conteſtatio* legitur apud Gregorium Turonenſem de miraculis ſancti Martini lib. 2. cap. 14. Hinc pariter in Sacramentario Gallicano vocatur *Conteſtatio*, uti & in Gothico a clariſſimis viris Thomaſio, & Mabillonio vulgatis. In Gothico dicitur etiam aliquando *Immolatio*. Hæc autem Oratio ideo in Miſſali, ſeu Sacramentario Romano *Præfatio* dicta eſt, quod ſacro præerat Canoni, ac præparatio quædam ſit ad ſacrificium. *Inlatio* apud Mozarabes, in Miſſali Gallicano, & Gothico *Conteſtatio* dicitur, eo quod inferat Sacerdos ex fidelium verbis, & conteſtetur vere dignum, & juſtum eſſe, Deo gratias agere, ut recte advertit Card. noſter & quia Deo Patri gratias agens Chriſtus Dominus Sacrificium ſui ipſius inſtituere cœpit, ejuſque exemplo Sacerdos a gratiarum item actione admirabile illud idem Euchariſticum ſacrificium exordiatur, ideo hæc ejuſdem Præfatio quandoque in antiquis Sacramentariis *Immolatio* dicta eſt. Nomine itaque Præfationis in veteribus illis Miſſalibus intelligitur prima Liturgiæ pars, quæ eſt quædam adhortatio ad populum, ut Deo exorando attentius incumbat, uti a Mabillonio lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 3. n. 17., obſervatum dicitur in ſcholiis eruditis Monachorum ſancti Mauri ad notas Hugonis Menardi in Sacramentarium ſancti Gregorii Magni nota 95. Porro Menardi verba hæc ſunt: „ Præfatio eſt oratio, ſeu gratiarum actio, quæ „ Canoni præmittitur, qua diſponitur Sacer„ dos, & populus ad tremendorum myſte„ riorum confectionem. „ Verum Ante ipſum Alcuinus lib. de divinis Officiis. *Hucuſque Præfatio, ideſt prælocutio, & allocutio populi, hinc ſequitur exhortatio Surſum corda*, cui non videtur diſſentire Amalarius Ecloga XXVIII., qui Liturgici Scriptores fortaſſe reſpexerunt ad titulum, quo Præfatio donatur in Sacramentario Gelaſiano, videlicet: *Incipit Canon Actionis ſurſum corda, habemus ad Dominum*, quo etiam exordio ſic incipit in Miſſali veteri Gallicano ante Caroli Magni tempora exarato.

Jo. Dallæus Calviniſta notatus.

(2) *Certum nihilominus eſt in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum Præfationum extitiſſe*) Plurima, quæ hic eruditiſſime congerit Emin. Auctor, invicte refellunt Joannis Dallæi Calviniſtæ temeritatem, ſeu mavis inſcitiam, quem lib. 9. de religioſi cultus Latinorum objecto cap. 9. effutire non puduit, novum eſſe, neque ante annum Domini 577. receptum, quod hic dicitur: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*. Cum hæc Auguſtini, & aliorum Sanctorum Patrum, quæ hic & §. ſequenti recitantur teſtimonia illius impudentiam ſatis evidenter objurgent.

(3) *His ſuffragatur Cæſarius Arelatenſis hom. 12.*) Reprehendens Populi abuſum, quo poſt lectionem Evangelii nonnulli de Eccleſia exibant, ſic ibi habetur: *Cum pæne omnes recitatis lectionibus exeunt de Eccleſia, cui dicturus eſt Sacerdos SURSUM CORDA? numquid reſpondere poſſunt, quando deorſum in Plateis corpore ſimul, & corde diſcedunt? vel qualiter cum tremore ſimul, & gaudio clamabunt: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Benedictus, qui venit in nomine Domini?* ut ſupra jam dictum eſt. Porro plerique non admodum Liturgicæ antiquitatis Eruditi Præfationis initium ab illis verbis: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, deduci arbitrati ſunt, ſed perperam; illa etenim verba ad præcedentes orationes ſecretas pertinent, utpote earum concluſio, ipſaque alta voce recitat Sacerdos, ut populus reſpondeat *Amen*, ſicque confirmet, quæ in illis a Deo impetranda poſtulata ſunt, uti jam dictum eſt. Idem autem Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, ſalutans quidem populum, ſed non ad ipſum converſus, vel quia cum dixit *Orate fratres*, quodammodo eumdem ad ſe colligendum dimiſerit, quia etiam ipſe jam proximus Sacrificio nullo modo ſe ad aliud divertit, ut tantum opus poſſit tota mentis applicatione perficere, uti Amalarius lib. 3. cap. 9. nos ad id moraliter erudiendos monet, hæc dicens: *Nec debet Arator dignum opus exercens vultum in ſua terga referre*, & Innocentius III. de Myſt. Miſſæ cap. 12. docet pariter, dicendo, quod *Sacerdos non ſe vertit ad Populum, quia cor habet ſurſum ad Dominum, jamque intentus eſt ad Sacrificium Altaris pertractandum*, vel etiam quia ante Præfationem juxta Liturgias Sanctorum Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi Sanctuarium claudebatur, & circum altare velum appendebatur, adeoque in illa ſalutatione non opus erat ut ſe Sacerdos ad po-

Initium Præfationis non a Per omnia *&c. ſed a* ſurſum corda.

populum converteret, quem videre non poterat. Vide ſæpe laudatum Petrum le-Brun tom. 1. p. 386.

Verum itaque, & proprium Præfationis initium eſt a verbis illis: *Surſum corda*, quæ intonat Sacerdos, & a populo reſpondetur *habemus ad Dominum*. Sic præter allata Patrum teſtimonia, quæ longo agmine profert Card. noſter. Auguſtinus iterum Serm. 217. novæ edit. Monach. S. Mauri: *Tenetis*, inquit, *Sacramenta ordine ſuo. Primo poſt orationem*, (*ſcilicet ſecretam*) *admonemini ſurſum habere cor* „ *reſpondetis* „ *habemus ad Dominum. Sequitur Epiſcopus, ſive Presbyter* &c. Sic etiam, ut obſervatum eſt, incipit ab iiſdem verbis Præfatio in Sacramentario Gelaſiano. Conſonat D. Thomas in tertia parte quæſt. 83. art. 4. in corp. & ad 6. quare de hoc ambigendum non erit. Sed & Anonymus author expoſitionis Miſſæ Romanæ, qui ante annos nongentos ſcripſiſſe videtur apud Martene tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. pag. 434. & ſeqq. a dictis verbis *Surſum corda* myſticam, ac valde piam Præfationis expoſitionem exorditur, ac devote ad finem uſque proſequitur; præſertim autem in illis verbis: *Gratias agamus Domino Deo noſtro* exponendis pene totus eſt, & recte quidem; Præfatio enim cum ſummam omnium Dei in nos beneficiorum plenitudinem, & largitatem omni tempore, ac diffuſe collatam, ipſam breviter commemorando contineat, vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare in ea diutius immorari, atque eidem Deo ſemper & ubique pro tot immenſæ bonitatis donis gratias agere. Abs re autem propterea non erit aliquot ipſius vetuſti Authoris verba in hunc eumdem ſenſum proferre: *Hortatur itaque* (inquit) *Sacerdos, ut qui tanta beneficia a Deo percepimus pro acceptis beneficiis datori beneficiorum Deo ingrati non ſimus, ſed condignas ei gratias pro acceptis tantis beneficiis exhibentes non nobis tribuamus quod facimus, ſed illi qui operatur omnia in omnibus, quique operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate, ut dum nos recognoſcimus nihil a nobis habere, totumque ad Deum referimus, quod eo donante accepimus, & humilitatis noſtræ memores, in ſuperbiam non levemur, per quam in judicium diaboli incidamus, & in omnibus honorificetur Deus, per quem hanc ipſam quoque humilitatem habemus. Tam ſancta igitur, & ſalubri admonitione populus libenter accepta, Sacerdoti cum magna devotione reſpondet: Dignum, & juſtum eſt* &c. Eodem conceptu præiverat S. Jo. Chryſoſtomus hom. 16. in Matth. *Optima*, ait, *beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio; propterea reverenda, ac ſalutaria illa myſteria, quæ omni certe Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt gratiarum actio nuncupantur; ſunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divinæ erga nos charitatis oſtendunt, noſque faciunt debitas Deo gratias exolvere*. Hæc Chryſoſtomus, de cujus Præfatione in ſua Liturgia expreſſa mox dicemus.

§. II.

Uſus Præfationis antiquiſſimus in omnibus Eccleſiis, ſed formulæ diverſæ. Tot olim erant Præfationes, quot Miſſæ.

Præfationum formulæ, licet variæ in diverſis Eccleſiis, earum tamen argumentum idem ubique.

PRæfationes autem ubique receptas, atque uſitatas fuiſſe, ex Liturgiis omnium Eccleſiarum, & Nationum palam fit. Diverſæ quidem in diverſis Eccleſiis illarum formulæ fuerunt, omnes tamen idem argumentum proſequuntur. Nam primo ſacerdos corda ſurſum attolli jubet, quæ verba ex Alcuino hunc ſenſum habent. *Jam Apoſtolicis, & Evangelicis præceptis ſufficienter inſtructi, & confirmati, corda veſtra a terrenis curis ſurſum ad Dominum dirigite, ut ſacrificium, quod Deo offerendum mihi obtuliſtis, digne offerre valeam.* Ait populus ſe cor habere ad Dominum, & ſacerdos iterum hortatur ad gratias agendas, quod populus dignum, & juſtum eſſe profitetur. Mox ille aſſumens fidelium vocem vertit ſe ad Deum Patrem omnipotentem, ipſique laudem concinit, & gratias agit magnificis verbis. Demum Angelicis immixtus choris tam ipſe quam omnis populus unanimi concentu, & quaſi uno ore ſacrum Triſagion modulantur. Quæ omnia Jacobus Apoſtolus in ſua Liturgia; his verbis exprimit: *Vere dignum, & juſtum eſt, decens, & debitum, ut te laudemus, te hymnis celebremus, tibi benedicamus, te adoremus, tibi laudem decantemus, tibi gratias agamus omnis creaturæ viſibilis, & inviſibilis opifici, theſauro æternorum bonorum, fonti vitæ, & immortalitatis, omnium Deo, ac Domino: quem cœli, & cœli cœlorum laudibus celebrant, ac omnis virtus eorum, ſol, & luna, univerſuſque aſtrorum chorus, terra, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, Hieruſalem cæleſtis congregatio, Eccleſia*

cleſia Primogenitorum deſcriptorum in cœlis, ſpiritus Juſtorum, & Prophetarum, animæ Martyrum, & Apoſtolorum, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, ac Virtutes tremendæ, Cherubimque multos oculos habentia, & Seraphim ſex alis prædita, quæ duabus quidem alis operiunt facies ſuas, duabus vero pedes, & reliquis duabus volantia clamant alterum ad alterum inceſſabili voce, perpetuis laudibus hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ clara voce canentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Hæc eſt Præfatio Jacobi, quam expreſſit ſupra relatus Cyrillus ejus in throno Hieroſolymitano ſucceſſor; nec multum ab eo diſcrepat Baſilius in ſua Liturgia. Chryſoſtomus vero aliis verbis, eadem ſententia ait: *Dignum, & juſtum eſt te celebrare, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus ineffabilis, qui nec mente percipi, videri, nec comprehendi potes. Qui ſemper es, eodemque & ſimili modo exiſtis tu, & Unigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus ſanctus. Tu e nihilo ad eſſe nos eduxiſti, & cum lapſi eſſemus, nos rurſus erexiſti; & omnia facere non deſtitiſti, donec nos in cœlum deduceres, & futurum tuum regnum largireris. Pro his omnibus agimus tibi gratias, & Unigenito Filio tuo, & Spiritui tuo ſancto, pro omnibus quæ neſcimus, & ſcimus, manifeſtis, & occultis tuis beneficiis. Agimus tibi gratias etiam pro hoc ſacro miniſterio, quod ex manibus noſtris ſuſcipere dignatus es: & ſi tibi adſiſtant millia Archangelorum, & myriades Angelorum, Cherubim, & Seraphim ſex alas, & multos oculos habentes, ſublimes & alti, qui triumphalem hymnum canunt, clamant, vociferantur, & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* (1) Eodem fere tenore procedunt reliquæ orientalium gentium Præfationes, quas prolixi operis foret ſingillatim referre. Diffuſiſſima autem illa eſt, quæ tribuitur Clementi *lib.* 8. *Conſtit. Apoſt. cap.* 16. In ea ſiquidem Dei perfectiones, & attributa, ac æterna Verbi generatio, tum productio omnium creaturarum, earumque diſpoſitio, atque in eis regendis admirabilis Dei ſapientia & providentia, & erga homines benignitas eleganti ſermone recenſentur. Demum concluditur more uſitato Angelorum commemoratione canentium, & dicentium, *Sanctus, Sanctus*, &c. In Miſſa Maronitarum Sacerdos dicit: *Surſum ſint pendentes intellectus noſtri, mentes noſtræ, & corda omnium noſtrum.* Reſpondet populus, *ſunt ad te Domine.* Sacerdos, *Confiteamur Domino in timore, & adoremus in tremore.* Populus, *Dignum, & juſtum eſt.* Sacerdos, *Corde, intellectu, & lingua confiteamur tibi Domine Pater, & Fili, & Spiritus ſancte, qui es unus Deus verus. In congregationibus inviſibilibus, & ordinibus innumerabilibus commiſceantur ſeraphice voces noſtræ. Populus tuus fidelis Domine ter laudant, exclamant, & dicunt ter. Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Porro Græci, & aliæ in Oriente nationes unicam habent Præfationem, quæ in ſingulis Miſſis repetitur; Latinis variæ ſunt: Ambroſiani unam communem Romanæ ſimilem habent: at in Miſſis propriis ſive de Feſto, ſive de Dominica, aut de feria, propriam item canunt Præfationem. Simili modo Mozarabes propriis ſemper utuntur, in quibus vel myſteria ejus feſtivitatis, quæ tunc celebratur, vel Sancti, de quo eſt Miſſa laudes, & encomia ſtylo ſublimi, variiſque ſententiis exornato decantantur (2). In libro Sacramentorum S. Gregorii propriæ item extant in ſingulis Miſſis ab Ambroſianis diverſæ, quarum uſus diu permanſit, ut ex antiquis Codicibus MSS. conſtat (3). Extant aliquot libelli Præfationum in Bibliotheca Vaticana: & Cornelius Schultingius *tom.* 1. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ *parte* 2. *cap.* 12. laudat librum editum Coloniæ ab Henrico

Quod quidem circa Dei perfectiones, & attributa, æternam Verbi generationem, ipſiuſque incarnationem, ac immenſam erga homines miſericordiam verſatur.

(1)

(2)

(3)

rico Gravio, in quo ſunt ducentæ quadraginta Præfationes propriæ apud Ennodium Ticinenſem una etiam legitur dictione ſacra quinta pro Miſſa, in qua Epiſcopus conſecratur.

(1) *Sanctus, Sanctus, Sanctus*) Ex hac Præfatione arguit Grancolas vet. Liturg. tom. 1. Præfationes noſtras, quæ non continent, niſi Spirituum cæleſtium nomina (nulla facta Creationis, Lapſus, Redemptionis, & Euchariſtiæ mentione) earum eſſe compendia, quæ antiquitus recitabantur, ſaltem reſpective ad Græcas, vel fortaſſis etiam ad Latinas, in quibus Iſidoro teſte lib. 1. de Off. Eccl. cap. 15. Creaturæ omnes corporeæ, & ſpirituales, cæleſtes, & terreſtres ad laudandum Deum vocabantur; ſic nempe ait: *Quinta infertur illatio in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creaturæ, virtutumque cæleſtium univerſitas provocatur, & oſanna in excelſis cantatur* &c.

Apud Latinos, Mozarabes præcipue, myſteria feſtivitatis, vel ſancti, cujus eſt Miſſa, laudes in Præfationibus decantata.

(2) *Variiſque ſententiis exornato decantatur.*) Idem ait Theodoricus Ruinart Præfat. in Acta Martyr. vindicata pag. 5. Cæterum præcipue Martyrum actiones inter ipſas etiam Miſſæ preces inſerebantur, ut ex antiquiſſimis Liturgiis, Gallicana, Mozarabica, & ipſa etiam Gregoriana probari poteſt; ibi enim Miſſæ conteſtationes, quas vulgo nunc Præfationes appellamus, nihil aliud ſunt, quam Martyrum; de quibus Miſſa celebratur, præclare geſtorum expoſitio. De ejuſmodi vero conteſtationibus intelligendus eſt Hilduini Abbatis Sandionyſiani locus in epiſtola ad Ludovicum Pium Imp. Areopagiticis præfixa, ubi ait: *inter celebrandum tormenta martyrum ſuccinte commemorari*, in veteribus libris Miſſalibus ante receptum *tenorem Romanum* in Gallia. Quia vero in ejuſmodi conteſtationibus res geſtæ, ſic ut plurimum referrentur, ut a populo facile non poſſent intelligi; uti conſtat ex ſublimi ſtylo, & eleganti earum ſermone, ſolebant Epiſcopi de Martyrum, quorum feſtivitas celebrabatur, præclare factis fuſius ad plebem pro audientium captu differere; hincque nata occaſio tot de Martyrum laudibus homilias, & ſermones conſcribendi. Conferantur in hanc rem Præfationes ex Miſſalibus Gallicano, & Mozarabico, de quibus ſupra ad lib. 1. cap. 12. §. 6. ſeu tom. 1. pag. 241. & ſeqq.

Porro de Mozarabica Præfatione hæc habet Joannes Pinius in tractatu Hiſt. Chronol. de Liturgia antiqua Hiſp. pag. xc. n. 455. „ Deinde dicitur Præfatio, quam inlationem „ vocant, eaque præcedit præcipuam Miſſæ „ ſacrificii partem, nimirum eam quæ ad conſecrationem pertinet, eſtque veluti Canon „ hujus Miſſæ Muzarabicæ. In ea vero Præfatione populus monetur circa myſterium, „ de quo Miſſa celebratur, vel ut ſancti veſtigiis, cujus ſit commemoratio, diligenter inſiſtat, illic vero circa principium verſus quidam ſunt Præfationi latinæ Miſſæ „ aliquatenus reſpondentes. Primo dicitur: „ *Introibo ad Altare Dei mei*, confeſtimque „ expanſis manibus, tametſi junctis, ſicuti „ eas componit Sacerdos in officio Romano, „ cum dicit: *Hanc igitur oblationem*, Muzarabicus Sacerdos ait: *Aures ad Dominum*, „ cui reſpondetur: *habemus ad Dominum*, „ moxque dicit: *ſurſum corda*, reſpondeturque: *levemus ad Dominum*. Tum loco „ verborum: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, quæ habentur in officio latino, dicitur: *Deo, ac Domino noſtro Jeſu Chriſto Filio Dei, qui eſt in cælis, dignas laudes, dignaſque gratias referamus*; reſpondeturque: „ *dignum, & juſtum eſt*. Tandem concluditur hæc inlatio cum his laudibus Angelicis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: abſolviturque cum his verbis: *Hagios, Hagios, Kyrie*, o *Theos* „. Hæc Pinius, ad quæ obſervat Piſa apud eumdem pag. xcviii., quod in hujuſmodi inlatione ordinarie ſit exhortatio ad populum circa Myſterium, aut vitam Sancti, de quo celebratur.

(3) *Ut ex antiquis Codicibus MSS. conſtat.*) Ita pariter in Codice Gelaſiano, Gothico, Gallicano, & in Leonino recentiſſime evulgato, de quo ſupra lib. 1. cap. 25. n. 10. ſingulares non modo in feſtis ſolemnibus, ſed & in Dominicis occurrunt Præfationes; denique in græcis, & Orientalibus Liturgiis non una, & eadem eſt illarum diſpoſitio. Una quidem ſingulis propria eſt, ita ut Jacobi Liturgia ſuam habeat, ſuam Baſilii, ſuamque Chryſoſtomi Liturgia; ſenſus tamen ſemper idem eſt omnium præfationum in tot diverſis Deo gratias agendi formulis, quas habent & omnes ſicut iiſdem pene verſibus incipiunt, ita & hymno Cherubico: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* concluduntur, de quo infra §. iv. cum de Triſagio agetur.

§. III.

Præfationes poſtea in Romana Eccleſia redactæ ad novem. Tributa perperam hæc reſtrictio Pelagio Papæ. Addita una communis, & altera de Beata Virgine.

BAronius *tom.* 7. *Annalium an.* 590., & Binius *tom.* 4. *Conciliorum*, aliique paſſim citant, & referunt Pelagii II. epiſtolam ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, qui ipſum rogaverant, ut ordinem Præfatio-

num

num eis mitteret, quem ſancta Romana Eccleſia tunc habebat, quibus ſic reſpondet: *De veſtra voluntate, & ſtudio bono multum gaviſi ſumus, & ſacrum Ordinem Romanorum, ſacraque conſtituta noſtrorum Anteceſſorum ſolerter relegentes invenimus has novem præfationes in ſacro Catalogo tantummodo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Eccleſia hactenus ſervavit. Unam in albis Paſchalibus, aliam de Aſcenſione Domini, tertiam de Pentecoſte, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione, ſextam de Apoſtolis, ſeptimam de S. Trinitate, octavam de Cruce, nonam de jejunio, & Quadrageſima tantummodo dicendam. Has præfationes tenet, & cuſtodit S. R. E. Has tenendas vobis mandamus.* Hoc ipſum decretum in antiquis editionibus Gratiani de *conſecr. diſt.* 1. *c. Invenimus*, Gelaſio adſcribitur. Sed hanc epiſtolam dum attentius conſidero, hac ſuſpicione vehementer perculſus ſum, ne alterius forte Pontificis recentioris ſit, & Pelagio per errorem tributa (1). Si enim ætate Pelagii illis tantum Præfationibus Romana Eccleſia tamquam dudum in ea receptis & approbatis utebatur, quomodo Gregorius ejus immediatus ſucceſſor, ſacrorumque rituum tenaciſſimus cuſtos alias novas inſtituit? Auget ſuſpicionem Joannes Diaconus, qui cum res a Gregorio geſtas in vita ipſius minutiſſime proſequatur, nullam tamen de Præfationibus ab eo contra morem diu receptum inſtitutis mentionem facit. Ipſe item Gregorius in epiſtola ſæpius relata ad Joannem Syracuſanum, in qua de additis, vel immutatis in ritibus ſacrificii, propter quæ reprehenſus fuerat, rationem reddit, de Præfationibus ſilet: ſicut & de epiſtola Pelagii ſilent ſcriptores illius, & aliquot ſequentium ſæculorum. Quod ſi mea ſuſpicio æquo lectori non placet, hoc ſaltem negare non poterit uſum Romanæ Eccleſiæ, de quo Pelagius teſtatur, poſt ejus deceſſum antiquatum fuiſſe, ejuſque decretum de novem Præfationibus nullibi receptum, nec executioni mandatum, niſi ſæculo X. vel XI. (2). Evidens enim eſt in libris antiquis ſacramentorum, qui Romanæ Eccleſiæ titulum præſeferunt, plures reperiri Præfationes, vixque ulla Miſſa eſt, cui propria, & peculiaris non aſſignetur. Accedit teſtimonium Guitmundi ex Monacho S. Benedicti Epiſcopi Averſani, qui obiiſſe dicitur anno MLXXX. Romanis ritibus jam ubique receptis. Nam *lib.* 1. de Euchariſtia adverſus Berengarium, *Ne quis*, inquit, *exiſtimet me hanc ſententiam ex meo ſenſu commentatum, Præfationem iſtam, qua per totum pene orbem Latinum inter Epiphaniam & Septuageſimam in quadam die Dominica habetur, hic ſuppoſui hæc continentem.* Æterne Deus: Et tibi hanc immolationis hoſtiam offerre, quæ eſt ſalutifera, & ineffabile divinæ gratiæ ſacramentum: quæ offertur a plurimis, & unum corpus Chriſti ſancti Spiritus infuſione perficitur. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. Propterea ipſi qui ſumimus communionem hujus ſancti panis & calicis, unum Chriſti corpus efficimur. Ejuſdem Præfationis auctoritate utitur Algerus Monachus Cluniacenſis, qui anno MCXXX. floruit *lib.* 1. *de ſacram. corp. & ſanguis Domini cap.* 5. Extat autem in libro ſacrament. S. Gregorii Dominica V. poſt Epiphaniam, & in hodierno Miſſali Ambroſiano VI. quamvis Algerus eam ex Ambroſio Dominica V. citet. Quo vero tempore tot Præfationes deſierint, non liquet; niſi quod in Miſſalibus ſcriptis poſt annum MCC. illæ novem dumtaxat reperiuntur a Pelagio enumeratæ (3); quibus duæ additæ ſunt, una communis antiquiſſima, quæ Gelaſii, ſive Gregorii creditur eſſe, altera de B. Virgine ab Urbano II. inſtituta (4). Et hæ undecim ſunt, quibus omnes Eccleſiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur (5).

 (1)

(1)
(2)
(3)
(4)
(5)

(1) *Pelagio per errorem tributa.*) Eminentiſſimi ſententiam amplectuntur Stephanus Baluzius tum in Epiſt. ad eumdem Card. ſcripta 3. Decembris 1672., tum in notis ad Ant. Auguſtini Dialogos de emend. Gratiani pag. 470., & 562. Item Pagius uterque, qui integram hanc obſervationem referunt; primus in critica Baronii ad ann. 590. num. 5., & alter in Breviario Geſt. Pontif. in Pelagio II. num. 17. Hanc pariter Epiſtolam, ut cæteros ſileam, rejiciunt Labbeus, & Coſſartius Concil. Tom. 5. pag. 931. Vide etiam de eadem Clar. Muratorium de Liturgia Romana veteri Tom. 1. pag. 65. & ſeqq. Et ſane prædictis rationibus a Card. allatis addi poſſet, quod in Gregorii Sacramentorum Codice poſt Pelagium, utique confecto vix ulla Miſſa reperitur, cui propria Præfatio non ſit deſcripta. Præterea ſi Pelagius II. memoratæ Epiſtolæ author eſſet, profecto Galliarum Eccleſiæ ejus decreto, ac mandato paruiſſent, conſtat tamen ante Pipini, & Caroli Magni tempora Eccleſiam Gallicanam Romanæ Miſſæ Ritum, & Ordinem non ſuſcepiſſe, ſed propriis uſam Officiis fuiſſe, ut alibi oſtenſum eſt, cum de Miſſali Gallicano egimus, in quo aſſignantur omnibus fere Miſſis propriæ præfationes. Hæc ad confirmandam Card. noſtri ſententiam dicta ſufficiant.

Pelagii Papæ II. epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, quam dubiam cenſet Card. reliqui eruditi pariter uti ſpuriam habent.

(2) *Niſi ſæculo x. vel xi.*) Latini a ſexto uſque finem verſus ſæculi xi. varias habuerunt Præfationes, & proprias pro omnibus fere ſolemnitatibus. In illis brevi verborum circuitu myſterii, aut feſtivitatis character, ut diximus, exprimebatur. Hæ vero circa annum 1100. ad decem redactæ ſunt in pleriſque Eccleſiis juxta antiquiora Sacramentaria: Et ad novem in Epiſtola Pelagio Papæ tributa deſcriptas, quibus deinde addita fuit alia de B. Virgine approbata, ut creditur, ab Urbano II. in Conciliis Placentino, & Claromontenſi. Ratoldus Corbejenſis Abbas In deſcriptione Miſſæ pro Defunctis hanc exhibet Præfationem. „ Vere dignum . . . . æterne Deus, quoniam beneficio gratiæ tuæ „ vita non tollitur, ſed mutatur; unde quæſumus, ut famulus tuus Beatorum Tabernaculis conſtitutus, evaſiſſe ſe glorietur „ carnales anguſtias, diemque Judicii cum „ fiducia expectet „. Quia vero in hac Præfatione pro Defunctis non legitur concluſio ſolita *Sanctus Sanctus Sanctus*, ſuſpicor eam ex illis eſſe, in qua quidam Presbyteri ex abuſu tunc introducto ante tertium Vaſenſe Concilium, ſæculo ſcilicet ſexto ineunte, non ſolum in Miſſis privatis quibuſcumque, verum etiam in Miſſis Defunctorum dictum hymnum Cherubicum recitare omittebant, cui malo occurrere volens dicta Synodus can. 3. ſtatuit *ut in omnibus Miſſis . . . . ſeu in illis, quæ pro Defunctorum commemoratione fiunt, ſemper Sanctus eo ordine, quo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat*: de quo Canone item infra §. ſequenti.

Præfationes a ſæculo xi. uſque ad numero decem redactæ.

(3) *Illæ novem dumtaxat reperiuntur a Pelagio enumeratæ.*) Et quidem Concilium Weſomonaſterienſe anno 1175. ſtatuit, ut Præfationes nonniſi decem poſtmodum canerentur, cujus decretum confirmavit Concilium Copriniacenſe can. 22. apud Martene de antiq. Eccl. rit. cap. 4. art. 7. num. 7. De hujuſmodi Præfationibus extat ſtatutum ſynodale Eccleſiæ Conſtantienſis circa tempora Concilii Lateranenſis editum apud eumdem Martene novi Theſauri Anecdot. tom. 4. pag. 810. damnans ſuperfluam Præfationum copiam, quæ in Miſſales libros irrepſerunt, & decem tantum admittens: „ Quia „ in pluribus Miſſis plures Præfationes inveniuntur, quæ ſunt ſuperfluæ; tamen „ decem invenimus in ſacro catalogo recitatas; unam in Paſcha, quæ ſic incipit: *Te* „ *quidem omni tempore*. Secundam in Aſcenſione: *Qui poſt reſurrectionem* &c. aliaſque, ut ſupra, relatas ab Emin. Card. Simile ſtatutum edidit Nannetenſis Eccleſia ſæculo 13. ibid. pag. 933. Præter has nullæ aliæ ſunt canonicæ, ut inquit Guyetus de feſtis locorum propriis lib. 3. cap. 26. quæſt. 4. quin delendas omnes ſuadet Hoſtienſis in cap. *Conſilium* de Celeb. Miſſarum. Nihilominus in multis Miſſalibus etiam impreſſis particulares leguntur Præfationes pro feſtis quorumdam Sanctorum. In Miſſali Romano an. 1499. reperi Præfationes pro feſtivitatibus SS. Franciſci, Auguſtini, atque Hieronymi. In multis aliis additur Præfatio S. Rochi. In Miſſali Romano Venetiis edito anno 1559., & 1560., ac 1563. leguntur eædem Præfationes cum hac nota: *Supraſcriptæ decem Præfationes ab Eccleſia approbatæ ſunt, ut habetur in cap. INVENIMUS DE CONSECR. DIST. 1., & in cap. SANCTORUM DIST. 70., reliquæ vero, quæ ſequuntur, ſpeciali quodam privilegio poſt decem illas additæ fuere*; Eæque ſunt dictæ in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ, ſancti Rochi, ſancti Auguſtini, ſancti Hieronymi, & ſancti Franciſci, uti ex duobus Miſſalibus apud hæredes Lucæ Antonii Juntæ, quos legi in noſtro Monaſterio ſanctæ Mariæ Gratiarum Montis Soractis. Item in impreſſo anno 1563. pag. 320. legitur alia Præfatio de ſeptem Spiritibus adſtantibus ante Thronum Dei, ubi etiam habetur Miſſa de iiſdem, quæ expoſt prohibita fuit. Sunt & aliæ alibi diſperſæ, quas recenſere ſupervacaneum arbitror. Cæterum ultra ſupra memoratas Præfationes, ſi qua alia habetur propria, ut habent de ſancto Franciſco Minores, aliique forſan Regularium Ordines, omnino approbatam eſſe oportet auctoritate Apoſtolica, ſine qua nequit ulla alia ullibi induci, cum ſit contra rationem juris communis, ut ait Guyetus in Heortologia.

Indicantur nonnullæ Præfationes, quæ in pleriſque Miſſalibus impreſſis olim dicendæ ex ſpeciali privilegio erant.

(4) *Altera de Beata Virgine ab Urbano II. inſtituta.*) Recepta eſt apud auctores vulgatos traditio, Urbanum II. Papam in Synodo Placentina decimam Præfationem, quæ eſt de Beata Maria, novem antiquis addidiſſe. Id diſerte habetur in veteri Codice manuſcripto Archimonaſterii Remigiani apud Remos ab annis circiter quingentis ſcripto, ubi poſt relatum ſub Pelagii Papæ nomine de novem Præfationibus decretum, eadem manu adduntur hæc verba: *Decima addita fuit in Concilio Placentino ſub Urbano Papa celebrato*: Rem vero ſic contigiſſe ferunt: *Cum Pontifex apud ſanctam Mariam de Campania*

vetuſtiſſimæ

vetuſtiſſimæ pietatis templum, ſacris operaretur, ut Deus incœpta concilii bene verteret, jamque præfationem offerret; repente ex inſtinctu divino in illa dulciſſima verba, populo demirante prorupit: & te in veneratione B. Mariæ Virginis collaudare, benedicere, & prædicare, quæ & Unigenitum tuum ſancti Spiritus obumbratione concepit, & Virginitatis gloria permanente huic mundo Lumen æternum effudit, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem &c. Quam Præfationem univerſalis poſtmodum Eccleſia adoptando probavit, & etiam nunc retinet. Hanc nonnulli a ſancto Brunone Carthuſienſium Patre editam fuiſſe volunt; at eam ab ipſo Urbano factam fuiſſe diſerte tradit Pandulphus in ejus vita, non quidem in Placentina, ſed in Evvardeſtallenſi in Longobardia, ut ipſe ait, Synodo, ſeu in oppido Guaſtallenſi, vulgo Guaſtalla, quam Synodum Ciacconius Placentinæ præmittit, habitam ſcilicet *apud Villam Raſtallam* (ſic eam ipſe vocat) *ſuper ripam Padi*, cui Mathildem Comitiſſam interfuiſſe ſcribit, cujus Synodi fragmentum exhibet Edm. Martene Theſaur. Anecdot. tom. 4. pag. 127., ſed ſub Paſchali II. non ſub Urbano; alii apud Graveſon tom. 4. parte 1. Hiſt. Eccl. pag. 220. putant in Concilio Claromontano, ubi etiam reprehendit ex Pagio Brev. Geſtor. Pontif. Card. Bona, quod ſine teſte credat Urbanum, ut ſupra, auctorem Præfationis B. Mariæ Virginis, cum alias de hac re tot habeantur teſtimonia ſupra mox relata. In Joannis Iperii Chronico ſancti Bertini apud eumdem Martene Theſ. Anecd. tom. 3. pag. 593. habetur quidem ſtatutum in Concilio Claromontano, quod recitentur Horæ Canonicæ Beatæ Mariæ Virginis, ſed de Præfatione nihil. Plura de hac Præfatione habet Petrus Maria Campi in hiſtoria Placentina lib. XII. ad an. 1095., quæ tamen non ſatis ſibi conſtare videntur.

Vindicatur ab aliquot eruditorum cenſura Card. Bona quoad auctorem Præfationis de Beata Maria Virg.

(5) *Quibus omnes Eccleſiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur*) Refert Le-Brun ſupracit. abuſus, quos ipſe vidit in Eccleſiis pluribus Flandriæ, & Germaniæ, in quibus poſtquam Sacerdos unum, vel alterum Præfationis verſiculum cecinerit, pulſantur organa, ipſo interim, quod ſupereſt dimiſſa voce recitante; hos autem abuſus confutat plurium Conciliorum decretis, præcipue ex Concil. Baſileenſi ſeſſ. 21. num. 8., & Synodo Colon. an. 536. aliiſque. Præſtat hic referre, quæ in Cardinalem noſtrum minus æquus obſervat noviſſimus Scriptor Joannes de Joanne Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus tract. de divinis Siculorum Officiis pag. 129., ait ille, „ ibi: Joannes Card. Bona valde perſuaſum „ ſibi habet tot Præfationum uſum in toto „ Chriſtianorum orbe duodecimum ſæculum „ haud exceſſiſſe, illa potiſſimum fretus ra„ tione; *quod in Miſſalibus ſcriptis poſt annum* „ *MCC. ille novem dumtaxat reperiuntur*; ſed „ vir alioquin erudiſſimus, vel quod ad Si„ ciliam attinet graviſſime errat, quandoqui„ dem Miſſale Nicoſienſe anno 1346. pulcher„ rime ſcriptum alias a novem communibus „ diverſas repræſentat, præcipue in ſolemni„ tate Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis; „ in Dedicatione Eccleſiæ, & in feſto Ca„ thedræ ſancti Petri „. Hæc Canonicus Panormitanus, qui ne ſic audacter, & incaute doctiſſimum virum carperet, accuratius, attentiuſque ipſius verba legere, ac penſare debuerat; Miſſales enim codices ſcripti poſt annum 1200., de quibus loquitur Card. noſter, ii ſunt, quibus utebantur Eccleſiæ Romanæ ritui adhærentes, uti ex conſequenti ejuſdem clauſula patet, quos non alias a Pelagio enumeratis habere conſtat, quamvis item evidens ſit, ut paulo ante ait, in antiquioribus Sacramentorum libris, qui Romanæ Eccleſiæ titulum præferunt, plures dictis reperiri Præfationes; cum vero Eccleſia Sicula ſuum proprium ritum Gallicano-Siculum a Romano diverſum retinuerit uſque ad ſancti Pii Pontificatum, uti late idem Panormitanus Eccleſiaſtes oſtendit cap. 13. & 14. per totum, ac cap. 51., ubi id etiam confirmat, plane falſum eſſe concluditur, quod in Cardinalem noſtrum Siculus cenſor imprudenter expreſſit, huncque potius, non illum, graviſſime erraſſe, qui de Romani Ritus Miſſalibus, non de aliis locutus eſt.

Idem etiam a Canonici Panormitani Joannis a Joanne graviter inflicta nota, quoad numerum Præfationum purgatur.

§. IV.

Clauditur Præfatio hymno Seraphico. Ejus ritus, & origo.

SEquitur hymnus, quem Epinicion, ſive triumphalem vocant Græci. Hunc in omnibus Liturgiis Eccleſia militans a triumphante edocta Deo exercituum modulatur, *cui*, ut loquitur Tertullianus lib. de oratione, *illa Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Vidit Iſaias *cap.* 6. Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & audivit Seraphicos Spiritus alterna modulatione pſallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena eſt omnis terra gloria ejus*. Et Joannes in Apocalipſi *cap.* 4. quatuor myſtica animalia plena oculis deſcribit, requiem non habentia die ac nocte, & dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt*. Præclare Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 18. *Cherubim, & Seraphim indefeſſis vocibus laudant, & dicunt*, Sanctus, Sanctus,

Sanctus Dominus Deus Sabaoth. *Non ſemel dicunt, ne ſingularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non Sanctos dicunt, ne pluralitatem æſtimes: ſed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in hymno diſtinctionem Trinitatis, & Divinitatis intelligas unitatem. Hæc cum dicunt, Deum prædicant* (1). Additum hunc hymnum ſacrificio Miſſæ a Sixto (1)
I. plerique ſcribunt, ſed liber Pontificalis hoc ſolum a Sixto conſtitutum ait, ut Sacerdote ipſum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Quia vero progreſſu temporis quidam abuſus irrepſerat, ut nonniſi in ſolemnibus Miſſis diceretur, eo tollendo hic canon a Concilio Vaſenſi II. anno 529. editus eſt: *Ut in omnibus Miſſis, ſive matutinis ſive Quadrageſimalibus, vel quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quo ad Miſſas publicas dici debeat: quia tam dulcis, & deſiderabilis vox, etiamſi diu noctuque poſſet dici, faſtidium non poteſt generare*. Altera pars hymni, *Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in excelſis* (2). Chriſto Domino a turbis in ſolemni Jeroſolymæ in- (2)
greſſu ante paſſionem decantata fuit. Antiqua Ritualia ſtatuunt ut Triſagion pſalleutes inclinent ſe chorus contra chorum, & incipientes *Pleni ſunt cæli*, erigant ſe. Idem præcipit Lanſrancus in ſuis ſtatutis cap. 5. *niſi*, inquit, *verſus interponantur*. Solebant enim alicubi eo tempore verſus quidam interponi, licentia, quam ut alibi notatum eſt, ſequioris ævi Religioſi ſibi inconſulto uſurparant. In vetuſto quodam Miſſali ſequentes rythmos interpoſitos reperi pro feſtis Domini (3). (3)

Hymnus Seraphicus olim alicubi quandoque interpolatus.

Cæleſte præconium
Sonet vox fidelium
Ad Dei magnalia. Sanctus.
Virgo parit Filium
Caſtitatis lilium
Dei plena gratia. Sanctus.
Cujus natalitia
Stella prodit prævia.
Quem paterna proprium
Vox teſtatur Filium
Ad Jordanis flumina. Sanctus.
Cujus ſancta Paſſio,
Mors, & Reſurrectio
Mundi lavit crimina. Pleni ſunt &c.
Jam in Patris dextera
Sedens ſuper æthera
Regnat ſuper omnia,
Cum paterno Numine,
Et cum ſancto Flamine. Oſanna in excelſis.
Ipſi laus, & gloria, in excelſis.

Alia ſimilis interpolatio rythmica extat in Miſſa Thomæ Aquinati adſcripta de ſanctiſſimo Sacramento.

Sanctus. *Sanctum divinum myſterium ſemper declaratur*,
Et mens infidelium tumens excæcatur.
Firma ſpes credentium fide roboratur.
Sanctus. *Fides eſt ſummopere credere in Deum*,
Panem ſanctum edere, & tractare eum,
Jubens dicit ſumite, Hoc eſt corpus meum.
Sanctus. *Panis prius cernitur, ſed dum conſecratur*,

Caro Chriſti ſic mutatur, *quomodo convertitur*,
Deus operatur. Dominus Deus Sabaoth.
De vino ſimiliter ſi ſit benedictum,
Et tunc eſt veraciter Sanguis Chriſti dictum,
Credamus communiter verum, *& non fictum*.
Pleni ſunt Cœli, & Terra gloria tua, Oſanna in Excelſis.
Nobis celebrantibus iſtud Sacramentum,
Et cunctis Fidelibus fiat nutrimentum,
Judæis negantibus ſit in detrimentum.
Benedictus qui venit &c. (4). (4)

Cur ter Sanctus *dicatur*, *& ſemel* Deus.

(1) *Hæc cum dicunt Deum prædicant*.) Idem, quod Ambroſius, aſſeruit Hildebertus his verſibus:

Ter poſitum Sanctus *Trinum notat eſſe*; *ſed unum*
Declamat Dominus, *atque* Deus Sabaoth.

Hoc igitur ſacræ Confeſſionis præconium, ſeu Præfationem, ita rectiſſime concludit Eccleſia, ut cum Angelis ſimul & homines eumdem Seraphicum devoti pectoris hymnum decantent, ter *Sanctus* dicentes, ſemel *Deus*, ut Unitatis, & Trinitatis Myſterium comprobetur. Vox itaque Angelorum Trinitatis, & Unitatis in Deo commendat arcanum: Vox hominum Divinitatis, & Umanitatis in Chriſto perſonat Sacramentum; dum Sacer hymnus iſte partim Angelorum, partim hominum verba complectitur, quæ hic ſubſequuntur, *Pleni ſunt Cœli, & Terra gloria tua, Oſanna in Excelſis, Benedictus qui venit &c.* Vide Innocentii III. lib. 2. cap. 62. Myſt. Miſſæ, ubi mirifice ſingula verba Præfationis exponit; clauſulam vero ejuſdem ſuaviter Card. noſter, ac Theologice explanat de Divina Pſalmodia cap. 1. §. 2. num. 3.

De voce Oſanna, *& quid ſignificet*.

(2) *Oſanna in Excelſis*.) De hac voce Oſanna, quid apud Hebræos ſonet, extat Damaſi poſtulatoria Epiſtola ad Hieronymum 15. Et hujus de ejuſdem vocis ſignificatione Reſponſio inter dicti Doctoris maximi Epiſtolas. Hæc autem vox ex ipſius, aliorumque Hebraicæ linguæ peritorum interpretatione iſta ſignificat: *Salvum fac*: *Salva quæſo*: Et videtur locus iſte deſumptus ex Pſalmo 117. in quo præter alia, quæ manifeſte de Chriſto dicta reperiuntur, hoc quoque legitur: O *Domine ſalvum me fac, o Domine bene proſperare*: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hinc forte Hilarium notat Hieronymus loco citato, qui canone 21. in Matth. vocem *Oſanna* interpretatur *Redemptio Domus David*, ſed non recte propter allatas ibi ab eodem rationes; pariter in ſimilem hallucinationem impegit Ambroſius, uti obſervat Sixtus Senenſis Bibl. Sanctæ lib. 6. annot. 96. Euthymius Zigabenus in Bibl. PP. Lugdun. Tom. XIX. parte 1. dictam vocem exponit hymnum, ſive laudem, aitque tantumdem eſſe Oſanna filio David, ac ſi dicas: *Hymnus filio David*. Hinc dignoſcimus complures quoad hujus hebraicæ vocis interpretationem fuiſſe veterum ſententias. Conveniunt tamen omnes, ut ſit vox ſalutis, vox laudis, & gloriæ quocumque modo exprimatur, licet eorum major pars inclinet, ut ſit idem quod latine dicimus: *Salva*, *ſerva*, *opem*, *ſalutem confer nunc*. Vox uſitata apud Hebræos in eorum feſto Tabernaculorum, quando Deum deprecantibus Sacerdotibus, populus reſpondere conſueverat (ut nos in Litaniis, ſeu publicis ſupplicationibus, facimus) *Hoſanna*, ſcilicet *libera*, ſeu *ſalva quæſo*. Porro de hac voce late agit Card. Baronius ad ann. 34. n. 6. & ſeqq. Remanſit vero læta hujus vocis acclamatio tam in Græca, quam in Latina Eccleſia, quæ bis in Miſſa dicitur, ſemel Angelorum vice, atque iterum hominum nomine. Vide Petrum Le Brun Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 403. ubi hunc ritum luculenter exponit.

(3) *Pro feſtis Domini*.) Pamelius lib. 2. Liturgicorum hanc refert interpolationem *Sanctus Deus Pater Ingenitus*, *Sanctus Filius ejus Unigenitus*, *Sanctus Dominus Paracletus ex utroque procedens Deus Sabaoth*. In Miſſa Illyrici, Choro hunc hymnum canente, Celebranti præſcribitur aliarum orationum recitatio: *Quando alii Sanctus decantant*, *hæc oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote*. Item in ſacramentario quodam Sancti Germani a Pratis: *Oratio*, *interim Sanctus canitur*: *Suſcipe &c.* Quod idem habent alia plura a Martene relata: *Deus*, *qui non mortem &c.* Hoc autem non intelligendum arbitror, quod celebrans a recitando Hymno abſtineret, ſed quod eum curſim diceret, choro interea illum concinente, ipſe alias recitaret orationes; in Miſſali enim Forojulienſi ſæculi 12. rubris literis legitur: *Ante Te igitur*: *Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen tuum, mundaque cor meum ab omnibus variis, & nequiſſimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans Te pro Populo tuo, quem elegiſti per D. N. Amen*, *quæ oratio in aliis MSS. Miſſalibus magis, aut minus antiquis legitur*. Hæc autem rubrica Orationi prædpoſita hymnum jam recitatum ſupponit; Et quidem in antiquo Sacramentario Eccleſiæ Turonenſis ante annos 800. deſcripto: *Poſt hymnum Angelicum ideſt* Sanctus), ſequens aſſignatur oratio: *Deus*, *qui non mortem &c.* ut obſervat ſæpe laudatus Martene, qui & in hanc rem nonnulla alia ex variis Eccleſiarum Galliæ Miſſalibus Libris profert teſtimonia, de antiquis Eccleſ. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 7. num. 9. Animadvertendum inſuper hoc loco occurrit, quod dum præcinit Chorus hymnum Angelicum

Nonnullæ olim orationes a Sacerdote recitandæ præſcriptæ dum chorus decantaret Sanctus.

licum, modo celebrans in Miſſa ſolemni incipit Canonem, quem olim in aliquibus locis non incipiebat, niſi poſt integre abſolutum a Choro laudatum hymnum; ſic ſtatuit Herardus Turonenſis Archiepiſc. in Capitularis art. 26. *Ut ſecreta Presbyteri non inchoent antequam* Sanctus *finiatur, ſed cum Populo* Sanctus *cantent*: Quibus in verbis duo item obſervanda erunt, primum dictum Angelicum hymnum non ſolum a Choro, ſed ab omni populo decantatum fuiſſe, id quod confirmat Gregorius Turonenſis lib. 2. de Mirac. S. Martini cap. 14. Alterum Sacerdotem ipſum populi cantibus vocem ſuam admiſcuiſſe (id utique in Miſſa ſolemni tantum exiſtimarim). Utrumque etiam diſerte docet lib. 1: Capitular. Reg. Franc. cap. 66. *Et ipſe Sacerdos cum Sanctis Angelis, & populo Dei communi voce* Sanctus, Sanctus, Sanctus *decantet*. Id quod, & reperitur in lib. 5. cap. 86. in libro autem 6. eorumdem Capitul. cap. 173. Simpliciter decernitur ut *Te igitur* non inchoent Sacerdotes, niſi poſt Angelicum hymnum finitum.

Ad Benedictus qui venit &c. Sacerdos ſignat ſe Crucis ſigno, & campanula pulſatur.

(4) *Benedictus, qui venit &c.*) Ad hæc verba Sacerdos ſignat ſe ſigno crucis, ut innuat eam actionem, qua Chriſtus nobis ſe ſe præſentem exhibiturus eſt in tremendo Sacrificio, eſſe commemorationem, & continuationem Sacrificii in Cruce pro nobis oblati; *Canon enim*, qui mox ſequitur, *Chriſti Paſſionem proxime deſignat*, ut inquit Honorius in Gemma animæ lib. 2. cap. 42. Item ſicut Hymnus primus Angelicus *Gloria in excelſis Deo, &c.* finitur cum ſigno Crucis, eodemque modo Symbolum, ita & alter iſte hymnus pariter Angelicus non alio modo terminandus eſt, quam adhibito ſigno Crucis, & manuum junctione. Ter demum hodierno ritu, cum aliqua iterum diſtinctione, pulſatur campanula, tum in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandos adſtantium animos ad proxima myſteria, tum etiam exemplo veterum Moſaicæ Legis Sacrificiorum, ſuper quibus Sacerdotes filii Aaron clangebant tubis, uti habetur Numer. cap. 10. 10. In ſacello vero Pontificio neque ad *Sanctus*, neque ad elevationem Hoſtiæ, & Calicis campanula pulſatur, quod & obſervatum pluries vidi, vel quando ipſe Pontifex privatim celebrat, aut Sacrum audit; quemadmodum ſæpe contigit Clementis Papæ XI. Benefactoris munificentiſſimi privatis adſtitiſſe Sacrificiis. Pulſationis autem hujuſmodi campanulæ, ſive ad *Sanctus*, ſive ad elevationem Sacramenti utriuſque ſpeciei laudabilis inſtitutio, ut ſuo loco dicetur, nonniſi ad ſæculum XII. referenda eſt. Claudo denique hanc qualemcumque Triumphalis hymni diſquiſitionem aureis S. Joannis Chryſoſtomi ſenſibus Homil. de verbis Iſaiæ. *In Cœlis*, ait, *exercitus Angelorum Deum celebrant, in terris hominum Chori eaſdem divinas laudes imitantur. In Cœlis Seraphim hymnum ter Sanctum exclamant, in terra hominum cœtus eumdem modulantur; Cœleſtium vero, & terrenorum communis quædam Panegyris admirabili concentu conſtituitur, una gratiarum actio, unum gaudium, unus lætitiæ chorus, atque concentus*. Sic Patriarcha Sanctiſſimus. O utinam hujuſmodi laudes Dei in perenni cum Angelis ſæculorum tempore, concinere poſſimus! Sed de hoc Angelico, hominumque cœleſti Cantico iterum infra, in fine ſequentis §.

§. V.

Duplex Triſagion. Quot ſint Hymni Liturgici.

SUnt autem hoc loco duo quædam advertenda. Unum quod duplex eſt Triſagion, iſtud nimirum, de quo nunc agimus, omnibus Eccleſiis commune: Et illud, quod Græci quotidie, Latini ſemel in anno Græce ſimul, & Latine concinunt in magna Paraſceve, nempe *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miſerere nobis*, cujus originem Felix III. Pontifex narrat in Epiſtola ad Petrum Cnaphæum. Cum enim Conſtantinopolis terræ motu quateretur, & populus in campo oraret, cum Proclo Patriarcha; Puer parvulus ſpectante multitudine in Cœlum raptus eſt, & poſt horam in terram demiſſus narravit ſe hunc Hymnum a Cœleſtibus Spiritibus cantari audiviſſe, ſibique præceptum impoſitum, ut populo denuntiaret Deum illi propitium futurum, ſi eumdem Hymnum devote cantarent; atque ita eo decantato ab imminenti
clade liberati ſunt (1). Addidit poſtea huic Hymno nequiſſimus vir Pe- (1)
trus Cnapheus Patriarcha Antiochenus hanc clauſulam; *Qui crucifixus es
pro nobis miſerere noſtri*, ea doloſe tegens hæreſim Eutychetis, qua in-
fectus erat (2). Facti ſeriem, hujuſque additamenti condemnationem, (2)
& quicquid pertinet ad hoc Triſagion congeſſit in notis ad can. 81. Con-
cilii Trullani Chriſtianus Lupus (3). (3)

Alte-

Hymni Liturgici apud Græcos quatuor, apud Latinos tres.

Alterum notandum eſt quatuor eſſe Liturgicos Hymnos, ut ait Goar in notis ad Miſſam Chryſoſtomi, quorum primus eſt Angelicus *Gloria in excelſis Deo*, quem nato Domino Angeli cecinerunt. Secundus Cherubicus, quem Græci Cherubim voces æmulantes ante magnum introitum cantant dicentes; *Qui Cherubim myſtice repræſentamus, & vivificanti Trinitati ter Sanctum Hymnum canimus, omnem ſecularem deponamus ſollicitudinem, tanquam Regem omnium ſuſcepturi Angelicis inviſibiliter ſtipatum agminibus. Alleluja.* Hujus inſtitutionem ad Juſtini tempora revocat Cedrenus. Tertius Triſagion, de quo ſupra, nempe *Sanctus Deus, Sanctus Fortis*, &c. Quartus Epinicion, Deo tanquam Victori & omnium triumphatori ab omnibus poſt Præfationem decantatum. Obſervo nihilominus plures ex Græcis ſcriptoribus ſecundum a tertio non diſtinguere, & tam illis, quam ultimo Cherubici & Seraphici nomen paſſim tribuere (4). (4)

Indicantur præcipui Authores veteres, qui de Triſagii inſtitutione ſcripſerunt.

(1) *Ab imminenti clade liberati ſunt.*) Ita etiam Jobius de Incarnat. lib. 6. cap. 25. apud Photium Cod. 222. Ephraim Antiochenus ibid. Cod. 228. Theodorus Lector Hiſt. Eccl. lib. 1. S. Joannes Damaſcenus lib. 3. de Fide Orthodoxa, & Opuſculo de Triſagio, Theophanes ad an. Theodoſii Imp. 30. & ad Zenonis 16. aliique Hiſtorici, ac Rituum Interpretes. Certe Chalcedonenſi Oecumenicæ Synodi Patres anno 451. ſacrum illum Triſagii Hymnum uſurparunt, ut ex fine actionis primæ conſpici poteſt. Porro quæcumque ferme de Triſagio dici poſſunt, eruditiſſime congeſſit, & compendio explicavit vir Clar. Carolus Dufreſne, ſic Ducangius in ſuo Gloſſario Græco-Barbaro voce *Hymnus*.

Calendion Triſagium a Fullone corruptum reſtituere conatur.

(2) *Qua infectus erat.*) Cui malo mederi volens Calendion Orthodoxus Epiſcopus Antiochenus, cum ea verba Triſagio addita memoriæ plebis mandata ſupprimere difficile eſſe conſideraret, ut eadem nihilominus ad innoxiam ſententiam reduceret, hæc duo verba adjunxit dicenda: *Chriſte Rex*, ut prædicta a Petro Fullone addita, non ad totam Trinitatem, ſed ad Chriſtum referrentur; verum reclamavit ſemper adverſus pium Calendionis, Ephremii, (qui de his apud Photium multa notatu digna refert), aliorumque Orthodoxorum Conſilium factio Cnaphei ſequax, ita ut Monophyſitæ, tamquam communi teſſera, hoc Hymno, ut ſupra per Cnapheum corrupto, non alio uterentur. Sedi poſtea Antiochenæ, a qua depoſitus fuerat, reſtitutus iterum Petrus Cnapheus, ſeu Fullo dictus, hæc verba *Chriſte Rex* ſuſtulit, ſicque priſtinam hæreſim Eutychianam, ſeu nefarium Theopaſchitarum dogma reintegravit anno 485. Quod additamentum, ſic a dicto Petro invectum, Anaſtaſius Imperator una cum Thimotheo, quodam Presb. & Cuſtode Eccleſiæ, Concilii Chalcedonenſis hoſte infenſiſſimo, qui poſt expulſum Macedonium, ſedem Conſtantinopolitanam invaſerat, in ſacrum Triſagium inferre conatus eſt, uti ex Theophane, Cyrillo Scythopolitano in Vita Sancti Sabbæ, Marcellino Comite, Victore Tununenſi, aliiſque, obſervavit Ducangius loco citato, ſed reclamantibus Catholicis, qui antiquam fidem ita violari non patiebantur, nihil conſequi potuit, ſed potius Conſtantinopolitani Populi bene in eamdem Catholicam fidem affecti odium ſibi conflavit, eumque ad rebellionem provocavit, in qua non parum abfuit, quin ipſe ſuccumberet, debitaſque ſuæ perfidiæ pœnas lueret, uti plerique ex ſupra indicatis Authoribus affirmant.

Indicantur item recentiores præcipui, qui de eodem Triſagio ſcripſere.

(3) *Triſagion congeſſit in notis ad Can. 81. Concilii Trullani Chriſtianus Lupus.*) Poſt hunc clariſſimum Theologum ab Eminentiſſimo laudatum ejuſque amiciſſimum ſequentes videndi ſunt, qui de Triſagio eruditiſſime ſcripſerunt. Et primo ampliſſime Gretzerus peculiari Tractatu adv. Thomam Wegelinum ſub titulo *Fullonis redivivi* an. 1608. in 4. Integram vero Hiſtoriam ſingulari Diſſertatione de Triſagii origine texuit vir hujuſmodi ſtudiis exercitatus Petrus Allixius Rothomagi 1674. in 8. nuperrime autem Pater Michael Lequien Ord. Prædic. in Præfat. & Notis ad Opera S. Joannis Damaſceni ſupracitata. Ad controverſiam autem de hac re Catholicos inter, & Euthychianos rectius intelligendam legendus Eminentiſſimus Card. Noriſius in ſua Hiſtorica Diſſertat. *De uno ex Trinitate* paſſo.

Quemadmodum de Collectis ſupra obſervatum eſt, Præfationes ad Patrem directæ leguntur.

(4) *Cherubici, & Seraphici nomen paſſim tribuere.*) Obſervandum denique eſt, quod quemadmodum omnes fere collectæ, ſeu orationes breves, quas Sacerdos recitat populo in unum congregato, & collecto, de quibus ſupra hoc libro 2. cap. 5. §. 3. 4. 5. ad ſolum Patrem directæ leguntur, parvæ ad Filium, nulla ad Spiritum Sanctum, ut ibi Card. noſter affirmat, ita etiam Præfationes, quæ pariter orationes ſunt, ac per ſe conſtat, itemque ex ſupra allatis S. Cypriani, Concilii Milevitani, aliorumque veterum teſtimoniis, manifeſtum eſt, ad eumdem intenduntur; Sacerdos enim ſic Deo Patri ibidem loquitur dicens: *Vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper, & ubique gratias agere Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus:* Deinde in peculiaribus, & propriis Præfationibus myſterium occurrentis ſolemnitatis commemorat. Ita etiam in Hymno *Te Deum laudamus* initio cum ſolo Deo Patre loquimur, canentes *Te Dominum confitemur, Te æternum Patrem omnis terra veneratur,*

ratur, Tibi omnes Angeli &c. Simili quoque modo, ſicut in collectis clauditur oratio *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.* Ita, & in Præfatione laudatur, & adoratur æternus Pater *Per Chriſtum Dominum noſtrum*; & licet ibi in Collectarum clauſula exprimantur ſingulæ Trinitatis Perſonæ, hic autem, præſertim in Præfatione communi, perſona Spiritus Sancti non expreſſe nominetur, quæ tamen in Præfationibus de Pentecoſte, de Trinitate, & de Beata exprimitur, nihilominus cum ex libro S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi de fide ad Petrum inter Opera S. Auguſtini Tom. 3. cujus lectiones recitat Eccleſia in Matutinali Officio Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis, *per unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto ſit, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio*: Quam Catholicam veritatem idem Africanus Doctor pluribus SS. PP. teſtimoniis confirmat in lib. de quinque quæſt. ad Ferrandum Diaconum Chartaginenſem, apud clar. Petrum Chiffletium, qui Ferrandi Opera edidit pag. 88. num. xi. & ſeqq. utique mirum non erit ſi in nonnullis, ut diximus, Præfationibus, non expreſſe nominetur Spiritus Sanctus, cum ipſe totus quoque in Patre & Filio ſit.

In quo, (ſicut & in aliis Perſonis ipſe per unitatem naturalem ſingulæ in ſingulis includuntur.

Et ſane Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. *Propter ipſam inſeparabilitatem*, inquit, *ſufficienter aliquando nominatur, vel Pater ſolus, vel Filius ſolus, adimpleturus nos lætitia cum vultu ſuo, nec inde ſeparatur utriuſque Spiritus, ideſt Patris, & Filii Spiritus &c.* Deinde alia ibi in eumdem ſenſum proſequens, poſtea cap. 10. his concludit circa finem, & loquens de Chriſto Domino, ſic de ipſo ait: *Unde ſe ab eo quod dixit*: Ipſe enim Pater amat vos, *utique ipſe non ſeparat, ſed ſecundum ea facit; intelligi, quæ ſupra commemoravi, ſatiſque inſinuavi, plerumque ita nominari unamquamque in Trinitate perſonam, ut, & aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum eſt*: Ipſe enim Pater amat vos, *ut conſequenter intelligatur & Filius, & Spiritus Sanctus.*

Quare in Patre ſemper intelligitur Filius, & Spiritus Sanctus.

His poſitis, licet, inquam, juxta etiam Concilii III. Chartaginenſis Can. 23. Præfatio, ſeu Oratio, quæ in Miſſa dicitur, dirigatur ad Patrem, non tamen inde ſequitur Filium, & Spiritum Sanctum excludi, vel non eſſe invocandos, aut in Miſſa non invocari, ut optime advertit Card. Bellarminus de Miſſa lib. 6. cap. 16. ubi de Collectis; Nam Tertullianus in lib. de Orat. recte docet *propter eſſentiæ unitatem ſemper in Patre intelligi Filius, & Spiritus Sanctus*. Quod quidem videmus in Oblatione Sacrificii, quæ proprie ad Patrem dirigitur, ut patet ex initio Canonis, de quo infra, *Te igitur Clementiſſime Pater per Jeſum Chriſtum*, & tamen Sacrificium toti Trinitati offertur, ut probat laudatus S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum cap. 2. 3. 4. & præcipue cap. 5. ubi inter cætera hæc ait, quod *dum ad ſolius Patris perſonam honoris ſermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad Patrem litantis deſtinatur intentio, Sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio*. Sacerdos igitur in Præfatione cum ſolo Deo Patre loquens, poſtea quam eidem per Chriſtum Dominum noſtrum gratias agit, tum ait: *Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli* &c. Ac demum cum illis, omnique militia cœleſtis exercitus, eidem Deo Patri, & in ipſo toti Trinitati ſuaviſſimum divinæ gloriæ hymnum, univerſi etiam populi nomine ſubdens: *cum quibus, & noſtras voces, ut admitti jubeas deprecamur ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Idque in omnibus Miſſis, ſive publicis, ſive privatis juxta Concilii Vaſenſis an. 529. decretum, quo ſtatuitur: *Ut in omnibus Miſſis, ſive Matutinis, ſive Quadrageſimalibus, vel quæ in commemorationibus Defunctorum fiunt, ſemper Sanctus Sanctus Sanctus eo ordine, quo ad Miſſas publicas, dici debeat; quia tam dulcis & deſiderabilis vox, etiamſi diu, noctuque poſſit dici, faſtidium non poteſt generare.*

Sacerdos etiam Populi nomine Deo ter Sanctus *proclamat.*

Triumphali huic Hymno, quem Græci Epinicion vocant, adjunguntur ex Eccleſiæ præſcripto verba turbarum Salvatorem noſtrum laudantium in ſolemni Hieroſolymæ ingreſſu, ac dicentium: *Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis*. De quibus etſi nonnulla jam diximus, iis tamen hæc juvat adjicere. Recte quidem ex Scriptura Prophetica, & Evangelica completur plena laudatio, (ut inquit, Natalis Alexander Theol. Dogm. & Moralis lib. 2. cap. 7. art. 4.) cum poſt laudem, ac gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis annectitur etiam gratiarum actio de Adventu Salvatoris, qui unus in ipſa, & ex ipſa Trinitate pro ſalute noſtra Homo factus, eamdem ſalutem moriendo, & reſurgendo confirmavit, unde recte illi gratias agentes dicimus *Oſanna*, ideſt ſalva in Excelſis. Hoc eſt nimirum, quod in Pſalmo canitur: *O Domine ſalvum me fac, O Domine bene proſperare, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Repetitur *Oſanna*, ſeu ſalva in Excelſis, ut oſtendatur Adventum Domini in Carne non ſolum humani generis in terra, ſed & Angelorum in Cœlis eſſe quodam modo ſalutem, quia dum nos redempti ad ſuperna perducimur, eorum numerus Sathana cadente imminutus impletur. Hinc S. Paulus ait ad Epheſ. 1. *Inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in Cœlis, & quæ in Terra ſunt in ipſo*: Hæc Natalis Alexander. Atque ideo (Subdam ex Micrologo Eccleſiaſt. Obſerv. cap. 11.) *Presbyter poſt finitam ſecretam orditur Præfationem in Canonem, in qua ſupernorum Civium Ordines merito connumerantur, quia iiſdem myſteriis, quæ ibi conficiuntur, juxta atteſtationem Sanctorum Patrum, intereſſe creduntur unde & Angelicum Triſagium* Sanctus Sanctus Sanctus &c. *ſubjungitur*.

Cur huic hymno Seraphico poſt Sanctus *&c. adjungantur illa verba* Oſanna in excelſis, *& quæ ſequuntur.*

Sed de alio Hymno Triſagio, videlicet *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*: De quo jam aliqua diximus, iterum diſſerendum obvenit. Et quidem Hymnus iſte procul dubio ab illo, qui in Præfatione canitur, diſtinguendus eſt; hic enim immediate ante Canonem in Liturgiis Latinis, & in Græca Baſilii recitatur, illius vero uſus publicus apud Latinos non eſt, niſi

Subduntur nonnulla de Hymno Triſagio, qui in Paraſceve canitur.

niſi in officio feriæ ſextæ majoris Hebdomadæ ante Paſcha, in qua ſolemniter decantatur, cum e contra Græcis quotidianus ſit, & recitetur ipſo Liturgiæ initio. Iſtius originem breviter quidem, ſed ſufficienter indicat Card. noſter, fuſiorem autem, & ex pluribus veterum monumentis excerptam profert Card. alter. Laurentius Cozza de Græcorum Schiſmate Parte I. cap. 5. num. 61. & ſeqq., ubi etiam impii Petri Cnaphæi, ſeu Fullonis dicti, Patriarchæ Antiocheni malitioſam additionem, de qua ſupra, dicto Triſagio aſſutam, ipſiuſque propterea contractam hæreſim, & ejuſdem condemnationem late deſcribit. Cum autem non obſtante multiplici hujus hæreſis proſcriptione infectam Appendicem illam, quam Fullo maligno animo ſacro memorato Hymno inſeruit, ſub finem ſæculi VII. nonnullæ adhuc Græcorum Eccleſiæ uſurparent, eam ſub Anathematis interminatione deinceps decantari vetuit Concilium Quiniſextum, ſeu Trullanum can. 81. Quam tamen ſæculo item XI. uſurpabant Armeni, quos propterea Gregorius Papa VII. lib. 8. Epiſt. 1. ad Synnadenſem Archiepiſcopum ita adhortatur ,, clauſulam, quam in illa laude ſubjungitis: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, iſtam videlicet: *qui crucifixus eſt pro nobis*: Quoniam nulla Orientalium, præter veſtram, ſed nec ſancta Romana Eccleſia habet, vos totius ſcandali occaſionem, pravique intellectus ſuſpicionem vitantes, ſuperaddere de cætero omittatis.

Deſcribuntur errores in Fullonis Appendice ad Triſagium contenti.

Et ſane quot errores in fide contineat hæc Petri Fullonis Appendix ad ſacrum Triſagium, ab eo ſic immaniter corruptum, ut Eutychetis, & Dioſcori, ſeu Monophyſitarum, & Theopaſchitarum hæreſes, quibus inficiebatur, doloſe occultaret, perſpicue oſtendit clar. Joſeph Sim. Aſſemanus, quondam Collega noſter, nunc Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 36. ubi de eodem Petro Cnapheo loquens. ,, Hic (ait) quatuor errores in illa Appendice occultabat, vel ſaltem ex eo additamento quatuor errorum in ſuſpicionem vocari poterat a Catholicis, quibus ejus mens haud perſpecta eſſet, ut ei exprobrant Felix Papa, Acacius Conſtantinopolitanus, aliique Epiſcopi, qui ad eumdem acres litteras miſerunt. Primo quod tribus perſonis paſſionem, & in Cruce ſuſpenſionem tribueret, dum Trinitati ſubjicit: *Qui crucifixus eſt pro nobis*. Deinde quod Spiritum Sanctum paſſum, ac mortuum eſſe pro nobis diceret, cum poſt verba illa *Sanctus immortalis*, quibus proprie Spiritus Sanctus exprimitur, proxime addit: *Qui crucifixus eſt pro nobis*. Tertio, quod duos Filios conſtitueret, alterum qui medius inter Patrem, & Spiritum ponitur; alterum qui ſeorſim a tribus nominatus, pro nobis paſſus invocatur: qua ratione pro Trinitate quaternitas inducitur. Quarto denique quod ſolum Filium, in quem totum illud carmen cum appendice ſua redegit, paſſionis, ac mortis legibus obnoxium faceret ſine ulla carnis, & humanæ naturæ mentione. Atque adeo Trinitatis conſubſtantialitatem diſſolveret, cum Filii ſubſtantiam ipſam, & patibilem, & mortalem facit, quod negat de duabus aliis ,,. Hactenus Aſſemanus, qui & reliquos Monophyſitas eandem Triſagii appendicem admittentes, longe diverſam a Cnapheo ſententiam circa eum, qui paſſus eſt, & crucifixus fuit, habuiſſe ex nonnullorum teſtimonio obſervat; vide etiam de hac re doctiſſimum Petavium lib. 5. de Incarnatione cap. 4. ubi plura item de dicto Hymno diſſerit.

Petrus Fullo juſte damnatus, quia in dicta Appendice Deum ipſum, ſeu totam Trinitatem crucifixam aſtruebat.

Cum vero ex Damaſceni Epiſtola de Triſagio compertum ſit, Veteres omnes de Deo uno, & trino, ſeu de tribus Perſonis, nunquam de Filio ſolo Hymnum hunc accepiſſe, quem & Triſagium ea de cauſa nuncuparunt; hic enim prolatus abſolute, & ſine determinatione, utique de tota Trinitate intelligitur; Præterea conſtet Petrum Fullonem, dum clauſulam memoratam adjecit, non Filium pro nobis hominem factum in mente habuiſſe, ſed Deum ipſum, quem crucifixum, cum Theopaſchitis aſtruere ſtudebat, ideo ab Orthodoxis graviter objurgatus, & in pleriſque Synodis juſte condemnatus fuit. ,, Nec propterea (inquit Pagius Crit. in Annales Baronii Tom. 6. ad an. 512. num. 12.) eam addi Appendicem non ferebant Catholici quod Crucifixo ſupplicandum negarent, ſed quia per hanc Deum crucifixum aſtruebant Theopaſchitæ Eutychiani. Nec denique Chriſto pro nobis Crucifixo ſupplicandum nemo unquam recte ſentiens negavit: Sed ſupplicationem hanc Triſagio ſubjici non probabant ,,. Hæc Pagius, qui tamen num. 14. ex Petavio lib. 7. Theol. Dogm. de Incarnat. cap. 6. in præfata Fullonis additione, pravo ejus conſilio dempto, nihil incommodi fuiſſe ait: ,, Ita nimirum, ut poſt Trinitatis laudationem, converſo ad Filium ſermone, his illi verbis ſupplicatum ſit: *Qui crucifixus es pro nobis*, quod & Calendionem Epiſcopum Antiochenum ſenſiſſe manifeſtum eſt, quando Fullonis additioni præmiſit *Chriſte Rex*. Et id ab Eccleſiæ uſu, inquit Sirmondus citatus, (videlicet in notis ad Aviti Vienneſis Epiſcopi Epiſt. 3. ad Gundobaldum Burgundiorum Regem (non abhorrere agnoſcit Damaſcenus, cum poſt Trinitatis Doxologiam, quæ his verbis continetur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, ſubjungi ſæpe ſoleat *ei, qui voluntate crucifixus eſt, & qui reſurrexit a mortuis*, quæ ad Filium proprie ſpectant ,,. Hactenus Pagius.

Quod tamen additamentum pravo Fullonis conſilio dempto, ad Catholicum ſenſum redigi poſſe Petavius, & Pagius explicant.

Nihilominus, ut omnis adimeretur errandi ſuſpicio, ſapientiſſime Eccleſia illud additamentum ſuſtulit.

Nihilominus ſapientiſſime Sancta Mater Eccleſia Catholica a Spiritu Sancto edocta, ut omnem adimeret ſuſpicionem æquivoce, ac doloſe inſinuandi ex Petro Cnapheo non unam tantum Perſonam, ſed Trinitatem pro nobis crucifixam fuiſſe, (qui primus error Cnaphæi erat), atque ut ab omnibus audiretur (inquit Card. Baronius ad ann. 492. num. XI.) Catholicos longe aliter Hymnum illum occinere, quam docuiſſet Petrus Fullo impius Hæreſiarcha; & qua lingua ille hæreſim ſacræ cantioni admiſcuiſſet, eadem

Catholici illam abſque ullo additamento occinentes errorem redarguerent hæreticorum, ac ſe perſpicue Catholicos eſſe declararent, ſalubri conſilio introductum eſt in Eccleſia Occidentali, ut ubique ſolemni ritu in Paraſceve, cum ſancta Crux adoratur, abſque illo additamento; *Qui crucifixus es pro nobis* a nefario Petro Fullone appoſito Triſagion Græce tantummodo publice concinatur; qui laudabilis uſus hactenus in deteſtationem antiquæ blaſphemiæ perſeverat. Atque hæc de Præfatione, ac Hymno Seraphico, ſeu Triſagio dicta ſint ſatis, & ad ſacroſanctam tremendi Sacrificii actionem omni veneratione diſquirendam penitius accedamus.

CAP. XI.

Tranſitur ad Canonem. Ipſum interpolare illicitum. Varia ejus nomina. Origo & Auctores inveſtigantur. Agitur de prima Canonis Oratione. In ea mentio Papæ, Epiſcopi, & Regis ſit. Orat Sacerdos generaliter pro cunctis Fidelibus, tum ſpecialiter pro offerentibus. De nominum recitatione.

§. I.

De Canone. Ipſum interpolare illicitum. Varia ejus nomina.

Olim in antiquis Sacramentariis, uti & nunc in hodiernis, Canoni præfixa Crucifixi Imago depicta conſpiciebatur.

HActenus Sacerdos ſeipſum & aſtantes iis omnibus, quæ præceſſerunt ad tremenda myſteria in ſacra Synaxi perficienda, tamquam præviis initiationibus diſpoſuit & præparavit: jam propius ad ea accedit, & elevatis in Cœlum oculis, ſurſumque expanſis manibus, quaſi ingreſſus in Sancta Sanctorum, ſecreto cum Deo loquitur, ut rei divinæ hac ſilentii gravitate major reverentia concilietur. Multa vero a Sacerdotibus ſecreto dici (1) uſus antiquiſſimus eſt, ut ex Jacobi & aliorum Liturgiis, (1)
& ex *Can.* 19. Concilii Laodiceni evidenter oſtenditur. In vetuſtiſſimis Sacramentorum Codicibus inter Præfationem & Canonem Chriſti crucifixi imago picta conſpicitur, qui Ritus etiam hodie ſervatur, ut ejus aſpectus in mentem celebrantis revocet cruentum illud Sacrificium, quod in Cruce ſemel oblatum quotidie in Eccleſia vere & realiter, ſed actione incruenta renovatur. Ipſi imagini oſculum figendum a Sacerdote, priuſquam Canonem incipiat, ſcribit Nicolaus de Plove in Expoſitione Miſſæ, ſed ex more ſingulari ſuæ Eccleſiæ Poſnonienſis. Addit Petrus ab Opmeer in Aſſertione Miſſæ *pag.* 362. hanc Orationem poſt Hymnum triumphalem Canoni præmittendam. *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi adjuva infirmitatem meam, & conforta me nunc in hac hora: quia imperfectum meum vident oculi tui. Adoramus te Domine Jeſu Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum. Qui paſſus es pro nobis, miſerere noſtri.* At hujuſmodi interpoſitiones, ut ſæpe dictum eſt, inconſulta quorumdam devotione introductas nunquam approbavit Eccleſia. Ut enim recte ait Micrologus cap. 12. *Nimis temerarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad noſtrum libitum adjiciamus, niſi quæ a Sanctis Patribus adjecta, vel adjicienda eſſe cognovimus; præcipue cum inter ipſos Sanctos Patres nulli aliquid adjeciſſe legantur, niſi qui Apoſtolica auctoritate præditi hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac cauſa terminos patrum noſtrorum non excedamus, nec nos Apoſtolicæ auctoritatis reos efficiamus, ſi quod ſoli Apoſtolicæ auctoritati competit, Canonem noſtris interpoſitionibus augumentare præſumamus.* Ideo expunctæ ſunt ab ipſo Canone diverſæ Orationculæ, quæ in antiquis Miſ-

ſalibus MSS. variis in locis interjectæ leguntur, quia tametſi ex ſe bonæ ſint, ei tamen actioni non conveniunt: & hæc ſemper Summorum Pontificum cura fuit, ne quid irreperet inordinatum, ſuperfluum, aut ſuperſtitioſum (2). Incipit ab Oratione *Te igitur clementiſſime Pater*, uſque ad Orationem Dominicam, quæ abſoluto Canone alta voce recitatur. (2)

Varia Canonis nomina apud antiquos referuntur.

Nomen Canonis tempore Gregorij Magni in uſu erat, nam *lib.* 7. *Epiſt.* 64. referens quorumdam adverſus ſe murmurationes, hoc inter cætera querelarum caput enumerat, quod orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuiſſet. Et lib. 11. *Epiſt.* 59. narrat Januarium Epiſcopum Calaritanum tempore, quo Sacrificium celebrabat, tantam paſſum frequenter anguſtiam, ut vix poſt longa intervalla ad locum Canonis, quem reliquerat, redire valeret. Canon autem regula eſt, qua voce uſa eſt Eccleſia, ut indicaret hanc eſſe regulam fixam & ſtabilem, qua novi Teſtamenti Sacrificium celebrandum eſt. Idem Gregorius *eadem Epiſt.* 64. *lib.* 7. precem vocat, eo loquendi genere, quo nonnunquam Patres utuntur, dum verba conſecrationis preces nuncupant, quia ſunt verba ſacra: neque enim totus Canon ex precibus contextus eſt. Haymo Halberſtatenſis explicans cap. 2. Epiſt. 1, ad Timoth. *Orationes*, inquit, *ſunt, quas fundit Sacerdos in Conſecratione Euchariſtiæ.* In Concilio Eboracenſi tempore Celeſtini III. *Secretum* Miſſæ nuncupatur his verbis: *Quia ſecretum Miſſæ frequenter invenitur, aut Scriptorum falſitate, aut Librorum vetuſtate corruptum, ita ut diſtincte legi non poſſit, Archidiaconorum ſolicitudo provideat, ut in ſingulis Eccleſiis ad verum, & probatum exemplar Canon Miſſæ, cum omni diligentia corrigatur.* Ab aliis Actio dicitur, quia in eo, ut ait Valfridus, Dominica ſacramenta conficiuntur. Atque hinc intelligitur, qua de cauſa cum aliquid in ipſo Canone in Oratione, quæ incipit *Communicantes*, addendum eſt, quod in Chriſti Domini feſtivitatibus fieri ſolet, titulus apponatur; *Infra actionem*, ſive ut melius in MSS. Codicibus legitur; *Intra actionem* (3), quia nimirum actio Sacrificii ibi proprie continetur. Hic vero titulus *Infra actionem* ante ipſum *Communicantes* in editis Miſſalibus paſſim reperitur. (3)

Multa a Sacerdotibus in Miſſa ſecreto dici uſum eſſe antiquiſſimum demonſtratur.

(1) *Multa a Sacerdotibus ſecreto dici uſus antiquiſſimus eſt.*) Allatis teſtimoniis addi poſſet Author Conſtit. Apoſtol. ſub nomine Clementis I. Papæ lib. 8. cap. 12. & quidem in ſpecie recitandum Canonem ſubmiſſa voce non una ſuadere videtur ratio, omniſque congruentia expoſtulare. Ea profecto inter præcipuas connumeranda, quam ſignificat Eminentiſſimus Scriptor; videlicet „ ut rei „ divinæ hac ſilentii gravitate major reveren„ tia concilietur „: Quamque ipſe ex S. Baſilio fortaſſe deſumpſit, qui lib. de Spiritu Sancto cap. 27. ſacra myſteria ſervare in occulto dignitatem ſuam ſcribit. Sane Canonem olim ſubmiſſa, ut diximus, voce prolatum fuiſſe diſertiſſimis verbis, & eodem ſenſu, quo Baſilius, docet Remigius Antiſſiodorenſis Monachus noni ſæculi Scriptor in Explicatione ſuper Canonem Miſſæ: *Idcirco*, inquit, *venit conſuetudo in Eccleſia, ut tacite ipſa obſecratio, atque conſecratio a Sacerdote cantetur* (ſcilicet *recitetur*, ita enim explicat Mabillonius de Curſu Gallicano num. 46.) *ne verba tam ſacra vileſcerent*. Sed & ante Remigium idem aſſeruerat Anonymus quidam octavi circiter ſæculi Scriptor apud Edm. Martene de Antiq. Eccl. Ritibus Tom. 1. pag. 447. ubi hæc ait: *Peractis omnibus, quæ ſupra memoravimus, facto magno circumquaque ſilentio, incipit jam Sacerdos fixa in Deum mente ſalutarem Corporis, & Sanguinis Dominici hoſtiam conſecrare &c.* Et non multo poſt *quam conſecrationem Corporis, & Sanguinis Dominici ideo ſemper in ſilentio arbitror celebrari, quia Sanctus in eis manens Spiritus eumdem Sacramentorum latenter operatur effectum, unde & Græce myſterium dicitur, quod ſecretam, & reconditam habeat diſpoſitionem.* Idem videre eſt in alia Miſſæ Expoſitione, quam poſt Joannem Cochleum ex venerandæ vetuſtatis Codice edidit Melchior Hittorpius, & extat in Bibliotheca PP. Lugdun. pag. 746. Tomi XIII. In hac Author quærens; Cur *Te igitur* ſecreto canitur? Reſ„ pondet id fieri; ut Chriſto obediatur di„ centi: *Tu autem cum oraveris intra in cu„ biculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem „ tuum*: Additque moris fuiſſe Sanctorum „ Patrum, ut cum vellent ſpecialiter orare, „ primum Deo laudes agerent, & poſtmodum „ orationem *ſecretam* perficerent; ipſe enim „ Chriſtus venturus ad conſecrationem Cor-

„ poris ſui ſolus ſecreto orabat, & ob id „ nos quoque in Conſecratione Corporis ejus „ *ſecretam* facimus orationem. Similia habet Innocentius III. Papa lib. 3. myſterium Miſſæ cap. 1. qui de hac ſecreta oratione loquens addit: „ Quod hanc Anna mater „ Samuelis typum gerens Eccleſiæ legitur „ obſervaſſe, quæ non petitione clamoſa, „ ſed tacita devotione impetravit quod petiit; ſcriptum eſt enim in Libro Regum „ 3. cap. 1. quod Anna loquebatur in corde „ ſuo, tantumque labia illius movebantur, „ & vox penitus non audiebatur „. Eodem ferme conceptu relatis Scriptoribus conſonat Amalarius lib. 3. de Eccleſiaſt. Off. cap. 23. ex quibus teſtibus non obſcure admodum conſtat, quam antiqua ſit in Eccleſia conſuetudo ſecreto, ſeu ſubmiſſa voce recitandi Canonem in Miſſa.

Quo tamen non obſtante gravis exorta eſt inter eruditos controverſia, an Canon ſemper ſecreto recitatus fuerit.

Verum his non officientibus magna ante aliquot annos exorta eſt controverſia inter nonnullos recentes Rubricarum Expoſitores, ſingulis invicem diverſa affirmantibus utrum ſcilicet Canon ſemper in Eccleſia etiam Occidentali, ſecreto recitatus fuerit a Celebrante? Nam apud Orientales contrarium deprehendi videtur ex omnibus ferme Liturgiis, Græcis, Syriacis, & Copticis, uti affirmat clariſs. Lud. Ant. Muratorius Diſſert. de Rebus Liturgicis cap. 20. pag. 246. Huic Diſceptationi anſam fortaſſe præbuit Cardinalis noſter, qui infra cap. 13. §. 1. conjicit ex Floro Canonem, non ſubmiſſa voce, uti nunc, ſed clara, & intelligibili, ita ut ab omnibus perciperetur, a primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad decimum recitatum fuiſſe, ac proinde ſubdit: *Poſtea ſtatutum eſt ut Canon ſubmiſſa voce recitaretur, & ſic deſiit ea conſuetudo ſeculo decimo, ut conjicio, quia poſt Florum, qui nono labente vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi poſterioris Scriptores.* At de hac quæſtione uberiora dicentur ad locum citatum. Interim quia Sancta Mater Eccleſia inter alios hujus tremendi, & Auguſtiſſimi Sacrificii Ritus, quibus Miſſa celebrari debet, plura diverſimode inſtituit, ac proferenda præſcripſit, alia nimirum clara, alta, convenienti, & intelligibili voce, videlicet tali, ut commode a Circumſtantibus audiri poſſit, alia mediocri, ita ut a Miniſtris, & aliquibus tantum aſſiſtentibus percipi valeat, cum aliqua tamen differentia; alia demum, quæ ſecreto prorſus dicenda ſunt, & ex iis Canon præſertim, de quo loquimur, qui ſine culpa gravi non poteſt elata voce totus legi, ſed diſtincte quidem ac labiorum motu recitandus eſt a Sacerdote intra ſe, ut tamen a Circumſtantibus non audiatur. Quare quiſquis celebrans diligenter attendat, ne pro ſuo arbitrio, & voluntate quælibet ad placitum pronunciare præſumat, ſed omnia juxta Rubricas Miſſalis recitet, de quibus vide parte 1. tit. 15. num. 16. Ordo enim Sacrificii celebrandi, qui Canon, ſeu Regula nuncupatur, certus eſt, & ab iis præſcriptus, qui legitime in Eccleſia præſident, non autem in arbitrio cujuſvis poſitus, inquit Card. Bellarminus de Miſſa lib. 6. cap. 18. in fine.

(2) *Ne quid irreperet inordinatum, ſuperfluum, aut ſuperſtitioſum. Incipit ab oratione* Te Igitur *&c.*) De hujuſmodi interpoſitionibus ad Canonem olim ex privata licentia additis vide item infra cap. XIV. §. 1. In antiquioribus porro Sacramentariis incipit Canon ad hæc verba *Surſum corda*, id eſt ad Præfationem, quæ eſt præludium, ſive ad preces Canonis introductio. Ita in Codice Sacramentorum S. R. E. apud Thomaſium, pag. 196. *Incipit Canon actionis: Surſum corda, habemus ad Dominum*; ſicuti & incipiebat in Miſſali Francorum ante Carolum Magnum. In Catalogo Summorum Pontificum ſæculo ſexto exarato legimus, quod *Sanctus* in actione, hoc eſt in Canone dicebatur. Hæc monitio ad elevanda corda, & gratias Deo agendas in omnibus legitur Liturgiis; ex quo rite inferimus præcipuam Præfationis partem eſſe coævam Eccleſiæ, juxta principium ab Auguſtino ſtatutum in Epiſtola ad Januarium 54. *Quod ſcilicet tam antiquitus in omnibus Eccleſiis in uſu eſt, a communi fonte, qui traditio Apoſtolica eſt, debet derivare.* Cæterum Canonem vere, & proprie non a *Surſum corda*, ſeu Præfatione incipere, ſed ab Oratione *Te igitur*, quæ ſtatim poſt ipſam ſequitur, præter ſupra dicta, ſuadent, primo, quod Præfatio laus quidem, & glorificatio Sanctiſſimæ Trinitatis eſt, ſtricte autem & rigoroſe oratio non dicitur, hæc enim juxta Baſilium orat. de S. Julita, S. Joannem Damaſcenum lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 24. alioſque Patres apud Card. noſtrum de Div. Pſalm. cap. 19. §. 2. num. 1. *eſt boni cujuſpiam petitio a Deo.* In Præfatione vero laudantes Dominum eidem dumtaxat gratias agimus propter magnam gloriam ſuam, ejuſque glorificationem claudimus cum Angelis Seraphicum canentes Hymnum. Præterea Canon ideo ab aliquibus *ſecretum Miſſæ* nuncupatur, quia ſecreto dicitur, non autem Præfatio, quæ clara voce recitatur. Deinde licet in nonnullis veterum Sacramentariis Canon a *Surſum corda* incipiat, in aliis tamen non inferioris ævi Codicibus ſacris a *Te igitur* incipit, idque ſatis indicat, quod in vetuſtiſſimis Sacramentorum libris, ait Card. noſter, inter Præfationem, & Canonem Chriſti crucifixi imago picta conſpicitur, qua utique iſte ab illa ſeparatur. Et recte quidem; in Canone quippe, ut inquit Innocentius Papa III. de Myſteriis Miſſæ lib. 3. cap. 2. recolitur potiſſimum in ſecreto memoria Dominicæ Paſſionis; Propter quod in hodiernis etiam fere omnibus Miſſalibus Chriſti in Cruce pendentis imago depingitur, ut non ſolum intellectus litteræ, verum etiam aſpectus picturæ memoriam Dominicæ Paſſionis inſpiret. Et forte divina factum eſt providentia, licet humana ſit induſtria procuratum, ut ab ea littera Canon inciperet, quæ ſui forma ſignum Crucis oſtendit, & exprimit in figura; Thau namque myſterium Crucis inſinuat, dicente Domino per Prophetam (Ezech. cap. 9.) *Signa Thau in frontibus virorum dolentium, & gementium &c.* Dignum itaque, & juſtum eſt, ut poſt laudes, & gratiarum actiones Omnipotenti Deo in Præfatione cla-

Canon proprie, non a Præfatione, ut olim nonnulli arbitrati ſunt, ſed a Te igitur, *incipit.*

ra voce pronunciatas, facto totius Eccleſiæ ſilentio Sacerdos ſociatis omnium votis, & deſideriis, Chriſti Domini Paſſionem commemoraturus, a littera T, quæ Crucis imaginem refert, orationem *Te igitur*, qua myſterium ipſum Dominici Corporis, & Sanguinis conſecratur, incipiat, eamque ad æternum Patrem dirigat; cujus tanta fuit erga nos clementia, & miſericordia, ut proprio Filio ſuo non parcens, pro nobis omnibus illum tradiderit, & cum illo omnia nobis donaverit. De qua oratione dicetur §. ſequenti III.

(3) *In MSS. Codicibus legitur intra actionem.*) *Infra*, & *intra* promiſcue dici apud Auctores Eccleſiaſticos ante annos circa 1200. uſus invaluit. Sic infra octavam dicitur pro *intra* octavam; *infra dies decem* Conc. Vaſenſe anno 442. Can. 9. *infra domum*, in Regula Crodegangi Metenſis, & in Capitular. Reg. Franc. Capit. an. 847. *infra Dormitorium dormiant*. Idem vocabulum, ſeu adverbium promiſcue, & eodem ſignificatu expreſſe legitur in Actis S. Cæciliæ apud Laderchium Tom. 1. pag. 8., *tunc Valerianus reſpiciens, cæpit intra ſe legere*, & paulo poſt *eumque hoc infra ſe legiſſet*. Et quidem in antiquis nonnullorum Miſſalium Rubricis plerumque legitur *infra* pro *intra*. Sic in Pontificali Virdunenſi MSS. apud Petrum LeBrun Cærem. Miſſæ Tom. 1. pag. 434. *Quando ponitur vinum, & aqua infra calicem ...... Crux infra calicem*. Item Miſſale MSS. Luxovienſe, & poſtea typis editum an. 1500. *Infra calicem mittat particulam*. Miſſale Gratianopolitanum an. 1522. *Alias duas partes ponat infra patenam ..... parte tertia dimiſſa labi infra Sanguinem*. Denique Ordinarium Carthuſienſe *infra ambitum Calicis*. Plura alia hujus rei ſuppeterent exempla, ſed iſta ſufficiant.

§. II.

Origo, & Auctores Canonis inveſtigantur.

AUctorem Canonis quidam fuiſſe putant Gelaſium Papam, alii Muſæum Præsbyterum Maſſilienſem, alii Voconium Epiſcopum Caſtellanenſem in Mauritania, qui teſte Gennadio libros Sacramentorum compoſuerunt. Aldelmus Epiſcopus *Lib. de Laudib. Virginitatis cap.* 23. a
Gregorio Magno editum exiſtimat (1). At ipſe Gregorius Epiſt. præ- (1)
citata ait a Scholaſtico compoſitum, ſed quo tempore id factum fuerit
non dicit. Jacobus Janſſonius in ſuis Liturgicis *lib.* 3. *cap.* 11. per pre-
cem (2), quam Gregorius ait a *Scholaſtico* compoſitam, non putat Ca- (2)
nonem intelligi debere, ſed aliquam orationem actioni Miſſæ inſertam. Revera tamen de Canone ibi Gregorium loqui, ipſe contextus Epiſtolæ evincit. Miras nugas de hoc Scholaſtico quidam ſcribunt, præſertim heterodoxi Miſoliturgi; cum manifeſtiſſimum ſit in prædicta Gregorii Epiſto-

De Scholaſtici nomine apud Gregorium miræ quorundam nugæ, & ineptiæ.

la nomen Scholaſtici non eſſe proprium alicujus hominis, ſed accipi pro viro docto & erudito, quales olim fuerunt, qui ſcholis Chriſtianorum præficiebantur, ut converſos ad fidem erudirent. Auguſtinus tract. 7. in Joannem. *Qui habent cauſam, & volunt ſupplicare Imperatori, quærint aliquem Scholaſticum Juriſperitum, a quo ſibi preces componantur*. Salvianus in Præfatione libri de Guber. Dei, *Id facere anniſi ſunt, ut Scholaſtici ac diſerti haberentur*. Hieronymus de viris Illuſtr. *Serapion Epiſcopus ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit*. Quicumque autem fuerit ille Scholaſticus, a quo Canonem compoſitum indicat Gregorius, certum eſt antiquiorem fuiſſe Gelaſio & aliis ſupra nominatis. Nec

Canon antiquior Gelaſio, Muſæo, Voconio, aliiſque, qui Sacramentorum Libros compoſuerunt.

credendum Polydoro Virgilio, qui *libro 5. de Invent. rerum cap.* 10. a
multis Pontificibus compactum aſſeverat: Licet enim aliqui paucula quæ-
dam verba adjunxerint; ipſum tamen, ut ait Vigilius Papa Epiſt. ad Eu-
cherium (3), *ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus* (4). Concilium quoque (3) (4)
Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. conſtare Canonem docet ex ipſis Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum Pontificum inſtitutionibus. Obſervandum nihilominus neminem ex Pontificibus poſt Gregorium Magnum quidpiam addidiſſe, aut immutaſſe. Hoc ſolum legimus apud Anaſtaſium, quod ſæviente Leonis Iſaurici Imp. adverſus Imagines

gines & Reliquias Sanctorum acerrima perſecutione, Gregorius III. Oratorium ædificavit in honorem omnium Sanctorum, quorum reliquias toto orbe collectas in eo collocavit, ac ibidem eorum natalitia a Monachis trium Monaſteriorum Baſilicæ S. Petri ſervientibus celebrari præcepit, & a Sacerdote in ipſo Oratorio Miſſas agente hanc clauſulam in Canone poſt illa verba, & *omnium Sanctorum tuorum*, dici inſtituit : *Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur, Domine Deus noſter, in toto orbe terrarum*. At hoc ſpecialiter pro illo Oratorio inſtitutum fuit, atque ideo, ut notat Walfridus *cap.* 22. non eſt Canoni, qui generaliter dicitur, adnotatum : cumque plura viderim Miſſalia MSS. in uno dumtaxat hæc verba adſcripta reperi, quod extat in Bibliotheca Barberina Cod. 1858. Idem Walfridus Canonem per partes compoſitum fuiſſe ex eo arguit, quia nomina Sanctorum in duobus locis poſita ſunt, quæ ſane leviſſima conjectura, ſive ſuſpicio eſt, nulla veterum Patrum auctoritate comprobata. Primam vero partem ex eo conjicit antiquiſſimam eſſe, quia nomina Apoſtolorum non ſunt eo ordine digeſta, quo in emendatioribus Evangeliis inveniuntur. Idque fortaſſe hac de cauſa eveniſſe putat, quia pars illa prius compoſita eſt, quam Evangelia ad eam veritatem, quæ nunc habetur apud Latinos, corrigeretur, cujus rei S. Hieronymum teſtem producit. Porro Canon pene ad verbum reperitur apud Ambroſium *lib.* 4. de Sacramentis (5). Auctor item Quæſtionum (5)
veteris, & novi Teſtamenti apud Auguſtinum *Tom.* 4. qui *quæſt.* 44. ſe ſcribere teſtatur annis trecentis poſt elapſas Danielis hebdomadas, hoc eſt integro ſeculo ante Gelaſium, aſſerit *quæſt.* 109, Melchiſedech eſſe quidem Sacerdotem, ſed non ſummum, *ut*, inquit, *in oblatione præſumunt Antiſtites*: in oratione ſcilicet, quæ incipit, *ſupra quæ propitio ac ſereno vultu*. Alludere etiam ad Canonem mihi videtur Optatus Milevitanus *lib.* 2. his verbis *Offerre vos dicitis pro Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa* (6). Sed his generaliter præmiſſis, operis ratio poſtulat, ut ſin- (6)
gulas ejuſdem Canonis partes percurramus.

(1) *A Gregorio Magno editum exiſtimat.*) Auctorem Canonis Apoſtolorum Principem ſtatuit S. Iſidorus lib. 1. Offic. cap. 15. addens tunc Apoſtolum Romæ præſcripſiſſe preces, & modum Miſſam celebrandi. *Ordo Miſſæ, vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia conſecrantur, primum a Sancto Petro inſtitutus eſt.* Walfridus autem Strabo de rebus Eccl. cap. 22. incertum fuiſſe nono ſæculo Canonis authorem indicat his verbis: *Ipſam actionem, qua conficitur Sacramentum Dominici Corporis, & Sanguinis myſterium, quam Romani Canonem appellant, quis primus ordinaverit nobis ignotum eſt, auctam tamen fuiſſe non ſemel, ſed ſæpius ex partibus additis intelligimus.* Innoc. III. concludit Canonem compoſitum fuiſſe ante Silveſtri Papæ tempora, quod in eo nulla fiat Epiſcoporum mentio. Ante Sanctum Gregorium Vigilius Papa in Epiſtola ad Profuturum Canonis preces ab Apoſtolica traditione derivat. Et ante hos Pontifices S. Cyrillus in ſuis Catecheſibus, S. Baſil. Tract. de Spiritu Sancto, & Auctor lib. Sacram. ſub Ambroſii nomine, conſecrationis preces ab antiquiſſima traditione fluentes agnoſcunt. Catalogus MSS. librorum ſacrorum ab annis mille conſcriptus librum continentem Canonis preces, quas Sacramenta appellabant, inter novi Teſtamenti libros recenſet. *Actus Apoſtolorum uno. Evangelia libri 4. Sacramentorum uno. De novo ſunt libri viginti octo.* Cod. Bobien. apud Mabillonium Muſ. Ital. Tom. 1. pag. 397.

Quare incertum quis fuerit Canonis Author.

(2) *Jacobus Janſſonius in ſuis Liturgicis lib. 3. cap. 11. per precem.*) Precis nomine in Miſſa Canonem debere intelligi præter mox memoratos Patres, ſatis deducitur ex Innocentio I. Papa in celebri Epiſtola ad Decentium. Ait ille ibi: *de nominibus vero recitandis antequam precem Sacerdos faciat, &c.* neque diſſentit Petrus Couſtantius ad hanc Epiſtolam, Summ. Pontificum Epiſt. Tom. 1. pag. 857. Sed ad confirmandam Cardinalis noſtri ſententiam, quod Scholaſtici nomen a Gregorio indicatum, non fuerit proprium alicujus hominis, verum accipi debere pro viro docto, & erudito, allatis in Textu teſtimoniis hæc adjungimus. Et quidem ipſe Gregorius lib. 10. Epiſt. 2. vocat Matthæum Scholaſticum virum clariſſimum, & Gennadius in Catalogo Script. Eccleſ. c. 84. vocat Proſperum Aquitanum ſermone ſcholaſticum, ideſt eloquentia, & eruditione præſtantem. Honorius item in Catalogo Script. vocat Alcuinum officio Scholaſticum. In eodem ſenſu hoc vocabulum accipit S. Auguſtinus

Tract.

Tract. ſuper Pſalmum 44. Tales erant Preſbyteri quidam doctiſſimi, qui olim Scholæ Chriſtianæ præfecti erant ad eos erudiendos, qui ex Judæis, aut Gentilibus ad Eccleſiam veniebant, quales fuere Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique plures.

(3) *Ut ait Vigilius Papa Epiſt. ad Eucherium.*) Lege Profuturum, ut jam ſupra ex Steph. Baluzio advertimus Tom. 1., ſeu lib. I. Parte I. cap. VII. §. 1. nota 3. pag. 103. Quam Epiſtolam, non ad Eucherium, ſed ad Profuturum Tarraconenſem Epiſcopum ſcriptam oſtendit laudatus eruditiſſimus Scriptor in notis ad Gratianum pag. 490., & in nova Conciliorum collectione pag. 1468., monens ex hac obſervatione illuſtrari poſſe, quæ de Ordine Miſſæ Hiſpanicæ ſcribit Eminentiſſimus, & doctiſſimus Card. Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 7. Fieri vero poteſt, ut Epiſcopus ille Tarraconenſis utroque nomine Eucherii, ac Profuturi appellaretur. Ita variantes Manuſcriptorum Codicum lectiones conciliari commode poſſent.

Ac propterea ex Apoſtolica traditione derivari certa credendum eſt.

(4) *Ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus.*) Et ante ipſum Innocentius I. in celebri Epiſt. ad Decentium ſupra cit. *Si inſtituta Eccleſiaſtica*, inquit, *ut ſunt ab Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes &c.* paulo poſt; *quis enim neſciat, aut non advertat id, quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac uſque nunc cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari?* His conſonat S. Iſidorus Hiſpalenſis de Eccl. Offic. lib. 1. cap. 15., ubi agens de Miſſæ Ordine, hunc ait a Sancto Petro Romanæ Eccleſiæ traditum, ut ſupra nota prima dictum eſt. Idem ſentiunt Etherius Epiſcopus Uxamenſis, & Beatus Presbyter in libris adverſus Elipandum; quod & fuſius infra demonſtrabitur.

(5) *Apud Ambroſium Lib. 4. de Sacramentis.*) Quiſquis demum ſit Auctor libri Sacramentorum, qui ſi non Ambroſius, Ambroſii tamen temporibus ſcripſit, Canonem Muſæo, & Voconio antiquiorem probat ineluctabiliter, quum liber iſte quarto, aut quinto ſaltem ſæculo prodierit, Muſæo interim, & Voconio nonniſi ſexto florentibus.

Indicantur Authores, qui de Canone Miſſæ aliquid ſcripſere.

(6) *Pro Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa.*) Porro de Canone Miſſæ erudite ſcripſerunt, præter Eminentiſſimum noſtrum, Steph. Durantus lib. 2. cap. 32., & ſeqq. Hugo Menardus ad Sacram. Gregorii pag. 12. Edmundus Martene de antiq. Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. Antonius Bellotte in ſuo Rituali Laudunenſi a pag. 529. ad 563. Petrus Le Brun Tom. 1. pag. 399. Franciſcus Vander-Veken Soc. Jeſu peculiari libro de Canone Miſſæ. Grancolas de antiquis Liturgiis pag. 603. Franciſcus Pagius in Vita Gelaſii Papæ num. 15. Oliverius Bonartius de Sacrif. Miſſæ lib. 2. cap. 20. Anonymus in Tract. de Miſſa Parochiali Gallice ſcripto parte 3. cap. 1. & ſeqq. Natalis Alexander Tom. 1. Theol. Moralis, & Dogm. lib. 2. art. 6. num. 15. & ſeqq., aliique plures. Porro Romani Canonis Miſſæ venerandam antiquitatem convellere nititur Calvinianus ſcriptor Jacobus Baſnagius in ſua Hiſtoria Eccleſiæ Gallice ſcripta Tom. 2. lib. 15. cap. 4. §. 1. & ſeq. pag. 872. at irrito conatu, nam hæreticum, alter ſcite confutat Chriſt. Matthæus Pfaffius in ſua de Liturgiis Diſquiſitione adjecta Inſtitutionibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 35. in fine, ubi in notis, de dicto Baſnagio loquens, hæc ait: „ In antiquitate Canonis „ Miſſæ deſtruenda nimium rigorem adhibet, „ qui cogitare poterat, eam ſaltem, vel „ inde pateſcere, quod Canon Miſſæ ex an„ tiquiſſimis Liturgiis Græcis deſumptus fuit „ a Scholaſtico illo, quem Gregorius me„ morat, nec ab eodem primum, uti ſuſ„ picari quis ex verbis Gregorii poſſet exco„ gitatus „. Hæc ille; quibus etiam conſtat Miſſæ Canonem Gelaſio antiquiorem eſſe, ut ſupra indicatum eſt.

Jacobus Baſnagius Canonis antiquitatem impugnans juſte a Matthæo Pfaffio confutatur.

Et uberius Canonis antiquitas confirmatur.

Et quidem id uberius, & non contemnendis argumentis comprobatur. Primo, cum ignoretur quis fuerit præcipuarum partium Canonis Author, (etenim Valafridus Strabo, qui nono ineunte ſæculo ſcripſit, de Reb. Eccl. cap. 22. loquens de Canone ait: *Quis primus illum ordinaverit, nobis ignotum eſt*), ipſa eadem ignoratio ſatis profecto immemorabilem illius antiquitatem evincit; ſi namque Orationes illæ, quarum meminit Ambroſius, ſive alius Author illi coævus, de quo locuti ſumus ad lib. 1. cap. 7. §. 4. nota 2. & aliæ, de quibus nonnihil indicant Scriptores veteres hoc loco a Cardinali noſtro memorati, ac reliquæ Canonis preces, fuiſſent ab aliquo Romano Pontifice compoſitæ, uti Novatorum plures contendunt, certe aliquis Hiſtoricus id ſcriptum edidiſſet, & præſertim qui Vitas Pontificum ſcripſerunt, qui ſi non omiſerunt exprimere quis aliquid Canoni addiderit, quanto magis indicaſſent quis primus totum fere Canonem compoſuerit? Sane in Vita S. Leonis Papæ I. ſcribit Author Pontificalis ab eodem addita fuiſſe illa verba *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam*, cujus rei, meminere Strabo mox laudatus loco prædicto, cæterique Authores, qui de Miſſa ſcribunt. Gregorium item I. alia pariter verba ad Canonem junxiſſe ſcilicet: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*, &c. Non ſolum idem adnotavit Strabo, aliique firmarunt Liturgici Authores, verum, & Joannes Diaconus id ſcripſit lib. 2. Vitæ S. Gregorii cap. 17., ac Ven. Beda lib. 2. Hiſt. Angl. cap. 1. Id autem manifeſtum indicium, & ineluctabile argumentum eſt, quod Canon ante Leonem, ac proinde ante Gelaſium, qui eidem ſucceſſit, atque Gregorium, extiterit; fruſtra enim, immo, & falſo dicitur addi aliquid acceſſorium, ubi principale non eſt. Relinquitur itaque, ac plane concluditur, quod Canon ſit omni memoria antiquior, & ab Apoſtolis, ut multa alia, per manus traditionem ad nos devenerit. Neque obſtat, quod in Canone fiat mentio eorumdem Apoſtolorum, ac Martyrum, qui primis circiter trecentis annis floruerunt, nam ea nomina deinceps addita fuiſſe procul dubio non diffitemur, Concilium quippe Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 4. de eodem Miſſæ Canone hæc habet: *Is enim*, inquit, *conſtat tum ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditio-*

ditionibus, *ac Sanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus*. Quæ vero, præter indicata, a Summis Pontificibus addita fuerint, infra atque iterum ſuis locis dicetur.

Neque obſtat Canonis antiquitati, quod a pluribus iſte compoſitus fuerit.

Neque iſtud Canoni Miſſæ vitio vertant Miſoliturgi Novatores, quod ſcilicet idem Canon a multis compoſitus fuerit; Symbolum enim Apoſtolicum, in quo una, ac ſimplex fidei confeſſio continetur, & ipſum a multis, duodecim nempe Apoſtolis, ſingulis ſententiam ſuam dicentibus conflatum fuiſſe, teſtantur Clemens Romanus, aut quivis alius ſub ipſius nomine Epiſtola 1. ad Jacobum, Sancti Patres quamplures: Ambroſius Serm. de Elia, & jejunio, & Serm. 38. Hieronymus Epiſt. 164. ad Pammachium. S. Leo Papa I. Epiſt. 27. alias 13. ad Pulcheriam Auguſtam. Auguſtinus Serm. 115. de Temp. Sed ne alios percurram, vide, quæ ad Card. noſtri lib. 2. cap. 4. §. 1. nota 3. jam diximus; Hoc autem fidei Symbolum ab Apoſtolis traditum, auctum deinde fuit, ſeu clarius, & evolutius explicatum in Conciliis Nicæno, & Conſtantinopolitano, unde tandem prodiit illud plenius, quod proprie Conſtantinopolitanum dicitur, & in Miſſa ſuis diebus recitatur. An propterea quod iſtud utrumque Symbolum ſic in duabus Synodis, ſuis additionum particulis ampliori claritate illuſtratum ſit, idem in ſubſtantia non erit cum Apoſtolico, eademque utrobique non continebitur Chriſtianæ, & Orthodoxæ Fidei regula, quamvis in illo brevius, in iſtis aliquanto fuſius ipſa exprimatur? Quis unquam, niſi inſanus, id affirmare audebit? Ea propter ſine ullo prorſus Apoſtolici præjudicio, Conſtantinopolitano Symbolo potiſſimum in Miſſa datus eſt locus, quod in eo diſertius, & luculentius articuli Catholicæ Fidei, in illo etiam Apoſtolorum, ac Nicæno Symbolo contenti, explanantur, & exortæ uſque ad ea tempora, ſcil. an. 381. hæreſes condemnantur, & ejurantur.

Simili pariter modo Canon Miſſæ, quamvis, *Sanctorum Pontificum piis* aliquot *inſtitutionibus* auctus, & exornatus ſit, non deſinit tamen conſtare *tum ex verbis Domini*, *tum ex Apoſtolorum traditionibus*; Summi quippe Pontifices, qui ante Gregorium aliquid Canoni præſtiterunt, (poſt ipſum enim nemo alius illi quidquam addidit, aut immutavit) eumdem Canonem non de integro compoſuerunt, ſed ſolum ipſum, qui ſuo tempore extabat, ad meliorem formam, uti nunc eſt, redegerunt, vel detrahendo, ſi forte quid irrepſerat minus conveniens, vel addendo aliquid pro temporum varietate, quod videmus in oratione *Communicantes &c.*, & in alia ſequenti: *Hanc igitur Oblationem*, quæ in aliquo diverſa ſunt, a communi juxta occurrentes ſolemnitates, ſicque eumdem diſpoſuerunt, & ordinaverunt, ut nedum ſingulæ partes ſubſtantiales *tum ex verbis ipſis Domini* conſtantes, tum ab Apoſtolis traditæ, & inſtitutæ, integræ in ſuo priori ſtatu permanerent; ita apte diſpoſitæ, ut quamvis multorum ſint, omnes tamen inter ſe junctæ cohæreant, ut unius Authoris eſſe videantur, quod maxime admirandum, & commendandum nemo non videt. Id autem non obſcure ipſe idem Gregorius Romanorum Pontificum ultimus, qui Miſſam, ejuſque Canonem reſtauraverit, indigitat lib. 7. Epiſt. 73. aſſerens ibi ſe reſtituiſſe in Miſſa antiquas conſuetudines, & ſuſtuliſſe quædam, quæ ſenſim poſtea irrepſerant. Nihil igitur officit antiquiſſimæ Canonis inſtitutioni, quod aliquid illi additum, aut immutatum fuerit juxta ordinem ab iis præſcriptum, qui legitime in Eccleſia præſident, ac proinde ita ſtatutum, ut qui ſecus facerent, plane legem prævaricari judicarentur; additiones enim, & appendices quæcumque, dummodo ad piæ precationis exigentiam ſpectent, ipſam rei ſubſtantiam non utique minuunt, ſed ornant potius & illuſtrant. Hinc accidit, ut ſcite obſervat Card. Baronius ad an. Chriſti 63. num. 17. loquens de Liturgia Jacobi, quam Cyrillus Hyeroſolymitanus in ſuis Myſtagogicis profert, (quod etiam apud Latinos „ factum eſſe conſtat), ut in Sacratiſſima „ Miſſa aliis ſuperadditis precibus, aliis vero „ brevi ſumma contractis, ritibuſque non„ nihil auctis, aut mutatis, rei tamen ſub„ ſtantia integra permanente paulo diverſior „ ab illa priſtina habeatur.

Indicantur, quæ in Canone ſunt Apoſtolicæ inſtitutionis, & quæ Pontificiæ.

Sed indicanda ſunt, quænam in Canone extent, Apoſtolicæ traditionis, quæ vero ex Summorum Pontificum inſtitutione dimanent, uti ſupra ex Concilii Tridentini authoritate firmatum eſt. Equidem Chriſtum Dominum dum inter homines converſaretur multa feciſſe, quæ in Evangelio fruſtra quæras, & ex Apoſtolica tantum traditione ad nos perveniſſe pro certo tenere debemus. Id fatetur, & exprimit Innocentius III. in ſua Decretali *cum Marthæ* de celebr. Miſſarum, ubi ait: *Multa tam de verbis, quam de factis Dominicis invenimus ab Evangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli vel ſuppleviſſe verbo, vel facto expreſſiſſe leguntur*; quod ex Actis Apoſtolorum probat. Hujus itaque generis eſſe dicit eumdem Dominum noſtrum in conſecratione panis oculos in Cœlum ad Patrem elevaſſe (cujus Dominicæ actionis meminere Tertullianus in Apologetico cap. 30. & S. Ambroſius infra citandus); pariter in vini conſecratione additum verbum *æterni* tamquam attributum *novi teſtamenti*, denique *myſterium Fidei*, adjunctum ad ſignificandam tranſubſtantiationem, de quibus etiam videre eſt apud D. Thomam 3. Parte quæſt. 83. art. 4. Sunt & alia his ſimilia, quæ plenius ſuo loco exponentur, utpote ad eamdem Apoſtolicam ſpectantia traditionem. Ex Pontificia vero inſtitutione præter jam dicta, Idem S. Gregorius Magnus, (quemadmodum tradit laudatus Aldhelmus Epiſcopus citato lib. de Virginitate, ejuſque laudibus cap. 25.) in ſecunda Canonis parte, ſeu ſexta, & ultima illius oratione, quæ incipit: *Nobis quoque peccatoribus &c.* nomina Sanctarum *Agathæ*, *Luciæ*, *Agnetis*, *Cæciliæ*, *& Anaſtaſiæ* dicitur inſeruiſſe, ut locus aliquis etiam Virginibus eſſet. Alexandro item primo Pontifici, qui vixit initio ſæculi ſecundi tribuunt nonnulli Orationem. *Unde & memores &c.* ex libro Pontificali, ubi de eodem Alexandro di-

dicitur: *Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur.* Sed perperam illi tribuitur Dominicæ Paſſionis commemoratio in Miſſa, quam conſtat ex ipſius Chriſti Domini mandato debere fieri, uti clare oſtendunt Card. Baronius ad an. 132. num. 3. & ex ipſo noſter infra cap. 13. §. 3.

Nonnullæ aliæ probationes circa Canonis antiquitatem proferuntur. Cæterum quiſquis author ſit illius Orationis *Unde & memores*, in qua expreſſe commemoratur Paſſio Domini, ipſiuſque mors, Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum, perſpicue tamen conſtat hanc aliaſque Canonis preces antiquiſſimas eſſe; cum enim, ut animadvertit Purpuratus Scriptor, totus pene Canon reperiatur apud Ambroſium, ſive alium illi coævum Authorem Libri de Sacramentis lib. 4. cap. 5. & 6. ubi eadem Oratio deſcripta habetur, atque ibidem quatuor potiſſimæ totius Canonis partes, verbis parum mutatis indicentur, videlicet: *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam &c.* Alia, *Qui pridie quam pateretur &c.*, quæ proxime conſecrationem præcedunt; & prædicta *Unde & memores*, aliaque *ſupra, quæ propitio &c.*, quæ eidem ſubſequuntur; cumque item S. Ambroſius non primus has Canonis preces inſtituerit, ſed jam ex antiquo ritu Eccleſiæ inſtitutas alleget ad confirmandum id quod eo loco tractabat, de veritate ſcilicet Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia, idemque Sanctus Doctor dicto libro quarto de Sacram. cap. 4. aperte indicet primam Canonis precem, in qua oratur pro Eccleſia, pro Rege &c. licet ipſa verba non exprimat, cujus etiam meminit Optatus lib. 2. contra Parmenianum; illius denique orationis, in qua invocantur Sancti, & illius, in qua pro Defunctis oratur, mentio fiat apud Auguſtinum tract. 84. in Joannem, quin etiam earum commemoratio ſit apud pleroſque alios veteres Patres, partim quoad ſenſum, partim & quoad verba, neceſſario ſequitur ipſarum inſtitutionem non ſolum Ambroſii, & Auguſtini tempora præceſſiſſe, verum etiam circa Eccleſiæ initium, aut ſæculo ſaltem tertio jam totum Canonis ordinem quoad ſubſtantiam, & præcipuas ſui partes in Miſſa, uſitatum fuiſſe, illique poſtmodum addita a Summis Pontificibus uſque ad Gregorium pauca illa verba, de quibus ſupra. Antiquitatem porro Canonis colligit, & confirmat Valafridus Strabo de Div. Officiis cap. 22., & poſt ipſum Innocentius III. de Myſt. Miſſæ lib. 3. cap. 10. ex eo quod Apoſtolorum Catalogus non ita reperiatur in eodem Canone diſpoſitus, quemadmodum extat in emendatioribus Evangelicis Codicibus; ut enim ait Hieronymus in Præfatione Evangeliorum ad Damaſum: *In prioribus Editionibus non ſolum Evangeliſtarum mutatus eſt ordo, ſed etiam verborum, & ſententiarum erat confuſa commixtio.* Id quod non levi, ſed maximo argumento eſt, eam Canonis partem compoſitam prius fuiſſe, quam idem Hieronymus Evangeliorum Codices ad Græca exemplaria emendaret. Accedit etiam, ac non infime probat Canonis antiquitatem ratio illa, quam laudatus Pontifex Innocentius profert dicto lib. 3. cap. 10. videlicet quia in toto Canone nulla ſit mentio Confeſſorum, aut Virginum, non Martyrum, ſed Martyrum tantum, ſive virorum, aut fœminarum, quod & obſervavit Auguſtinus lib. de Sancta Virginitate cap. 45. Hujus autem rei nulla alia eſt cauſa, niſi quia eo tempore, quo Canon diſpoſitus ſuit, nondum cœperant publice in Eccleſia coli Sancti Confeſſores, & Virgines; certum enim eſt Martyres cœpiſſe in publicis ſacris fidelium conventibus invocari, eorumque nominibus dies feſtos coli, & Baſilicas erigi ab initio plane Eccleſiæ, Confeſſores autem multo ſerius hunc honorem in Eccleſia meruiſſe, ut alibi ad lib. 1. cap. 19. §. 5. dictum eſt. Sic autem de Martyribus tantum mentionem fieri in Miſſæ Canone ſapientiſſime deſtinavit Eccleſia, ſoli quippe Martyres, non vero Confeſſores, per effuſionem Sanguinis imitati ſunt Chriſti Paſſionem, quæ vere & realiter, licet modo incruento, in Sacrificio Miſſæ repræſentatur.

Neque his omnibus obſtat, quod olim Canon varius fuerit pro diverſitate Miſſarum, veluti in Gothico, ſeu Gallicano veteri apud Thomaſium de antiquis Sacramentorum libris, & Mabillonium Muſæi Italici Tom. 5. ac de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 5. num. 17. clare conſpicitur, atque omnes hujuſmodi Canones breviſſimi in omnibus fere Miſſis Gallicanis extiterint, inſuper ejuſdem Canonis verba admodum diverſa, hodieque apud Græcos, & apud quaſdam Latinorum Eccleſias ſint, quibus differentiis, ac diſpari Miſſarum ordine in pleriſque Chriſtiani Orbis Nationibus conſtituto ſatis ſuperque in contrarium argui poſſet quiſpiam cum Kemnitio in 2. parte Exam. pag. 825. & ſeqq. aliiſque malignantibus Miſoliturgis Canonem Miſſæ, non antiquæ, ſed recentis eſſe inſtitutionis. At, inquam, id nullatenus obſtat, in Miſſali quippe Francorum antiquiſſimo, tam apud laudatos Scriptores, quam nuperrime apud Ludov. Ant. Muratorium Liturgiæ Rom. vet. Tom. 2. col. 792. Canon Gregorianus, ſeu Gelaſianus, & idem qui hodie in uſu eſt, aſſignatur, quamvis aliæ Miſſæ partes ritum veterem Gallicanum retineant. Idem itaque eſt cum noſtro Romano, adeout etiam ea verba *dieſque noſtros in tua pace diſponas*, quæ a Gregorio Magno, ut dictum eſt, addita perhibentur, in illo Canone legantur. Quapropter ſive Codex ille Miſſalis Francorum ſæculo ſexto exaratus fuerit, ut conjicit Joannes Morinus de Sac. Ordinat. pag. 261. vel ſequenti ſeptimo, ut putat Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. 3. num. 7. conſtat nihilominus antiquiſſimum eſſe, & Canonem in eo deſcriptum, Romanum ſcilicet, apud Francorum gentes in uſu fuiſſe, atque apud omnes ferme Latinæ Eccleſiæ Provincias Romano Caroli Magni Imperio ſubjectas in ſumma veneratione habitum. Quod & confirmatur ex alio Miſſali vetuſtiſſimo, quod Card. Thomaſius *Gallicanum vetus* appellat, ipſum enim idem cenſet propius accedere ad Ritum Romanum, *cum in orationum*, inquit, *brevitate ex Romano more*,

Non obſtat, quod olim Canon varius fuerit pro diverſitate Miſſarum.

tum in Canone Miſſæ, quem ſæpecitat,& ſupponit.

Ulterius Canonis antiquitas ex Miſſa a Flacco Illyrico edita comprobatur.

Aſt quid adhuc egemus teſtibus ad comprobandam Canonis antiquitatem? Ipſi inimici noſtri ſint judices. Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgenſium, ac rigidiorum Lutheranorum Princeps, Miſſam Latinam in antiquo Codice MSS. repertam typis mandavit Argentinæ anno 1557. eique hunc titulum præfixit: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto authenticoque Codice deſcripta*. Et in Epiſtola nuncupatoria ad Principem Palatinum Rheni opinari ſe ait eam in uſu fuiſſe in Occidente, præſertim in Gallia, & Germania *antequam Romana Miſſandi ratio ubique recepta eſt*. „ Hujus Miſſæ evulgatione (inquit Card. noſter, qui de eadem agit lib. 1. cap. 12. §. 2. & ſeqq. eamque iterum edidit in fine Operis ſui Li„ turgici) credidit vir improbus ſe pluri„ mum detrimenti Catholicæ Eccleſiæ alla„ turum, ac ſi illa antiquos Eccleſiæ Ritus „ perperam innovaſſet, ſed excæcavit illum „ malitia ſua, nam e contrario Orthodoxæ „ fidei dogmata, receptique Eccleſiæ Ritus „ ex ea paſſim confirmantur &c. „ In ſpecie autem Canonis antiquitas comprobatur; ibi ſiquidem ejuſdem orationes indicantur, & nonnullæ integræ, licet nonnullis additis, referuntur, ſicut videre eſt infra pag. xxiv. ubi poſt orationem *antequam Sacramenta incipiantur*, ita legitur: *Deinde cum ſumma reverentia incipiat* Te igitur &c. Deinde poſt pauca: *Infra actionem*, & iiſdem pene verbis, ac in Canone Romano dicitur: *In primis una cum famulo tuo Papa noſtro N. & pro omnibus Orthodoxis, atque Apoſtolicæ fidei cultoribus &c.* Poſtea paucis item interpoſitis: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus .... Communicantes, & memoriam venerantes .... Nobis quoque peccatoribus*. Reliqua omitto, quæ ibi videri poſſunt. Hinc quamvis præcipuarum Canonis orationum initia tantum ibidem deſignentur, dubitandum profecto non eſt quin totus Canon, & integer ex alio ſeparato Codice petitus fuerit, tres quippe olim antiquitus erant Miſſales libri, ut alibi diximus Tom. 2. pag. 335. Quemadmodum, & nunc in Altari ante oculos Sacerdotis ponitur charta hieratica vulgo dicta *Cartagloria*, in qua pleræque Orationes ſecretæ, & Canonis a Celebrante dicendæ deſcriptæ ſunt. Porro de hac Miſſa Latina antiqua vide infra in Apend.pag. xxxvi. & ſeqq. Eruditorum virorum cenſuras, & præſertim P. Honorati a S. Maria, qui eam & a ſæculo iv. uſitatam fuiſſe pluribus argumentis oſtendit. Nihil itaque eſt quod antiquiſſimæ Canonis obſervantiæ nobis oggerant ex adverſo Novatores Miſoliturgi.

Ordo ſiquidem Canonis quoad ſubſtantiam, ejuſque partes eſſentiales ubique conſimilis.

Demum etſi conſtet de Liturgiarum varietate apud nonnullas Chriſtiani Orbis nationes, ac proinde earumdem etiam Canon diverſus ſit, uti in Oriente apud Græcos, Syros, Maronitas, Armenos &c. in Occidente apud Hiſpanos Mozarabes, ac Mediolanenſes Ambroſianos videre eſt, de quibus omnibus jam ſuis locis Tomo 1. locuti ſumus, id, inquam, non officit, nam licet verba ſacri Canonis apud dictas Provincias diverſimode concepta ſint, Ordo tamen celebrationis Miſſæ, quoad ejus ſubſtantiam, ejuſque partes eſſentiales, nempe materiæ oblationem, ipſius conſecrationem, & Sacrificii conſummationem ubique ſic in re divina conficienda uniformis eſt, etſi alia Lingua, & Ritu peractus, præſertim in Eccleſia Orientali; idemque hujuſmodi Liturgicarum orationum, quibus ex Chriſti Domini verbis ab Evangeliſtis relatis Euchariſtia perficitur, in univerſo Catholico Orbe finis & ſcopus eſt, ac pariter ſub utraque ſpecie panis, & vini ſumpto a Sacerdote pretioſi Corporis & Sanguinis Domini Sacramento totum Miſſæ Sacrificium expletur. Præterea non cogit Romana Eccleſia, ut Kemnitius in 2. parte Exam. Conc. Trident. pag. 836. aliique cum ipſo Sectarii mentiuntur, ut omnes ubique gentium Orthodoxi Sacerdotes Miſſæ Romanæ Canonem tamquam omnino neceſſarium ad Euchariſtiam conſecrandam ſervent; nam & in ipſa Urbe Roma, & alibi per Italiam videmus, Romano Pontifice conſentiente a Græcis retineri Liturgiam Græcam ſive Baſilii, vel Chryſoſtomi, a Maronitis, Armenis, aliiſque Orientis Nationum Catholicis Sacerdotibus propriam etiam Romæ in eorum Urbis Eccleſiis; vide, quæ de his ſuperius dicta ſunt Tom. 1. ad lib. 1. toto cap. ix. Atque hæc pro ſacri Canonis antiquitate tuenda hactenus producta ſufficiant, & ad ſingulas ejus partes, & orationes diſquirendas procedamus.

§. III.

Agitur de prima Canonis Oratione: in ea mentio Papæ, & Epiſcopi fit.

PRima oratio eſt, *Te igitur Clementiſſime Pater*, quam referens Haymo Halberſtatenſis *in* 1. ad Timoth. *cap.* 2. omittit hæc verba *ſupplices rogamus*, brevitatis cauſa, ut puto, nam extant in omnibus MSS.
(1) Ad hanc reſpexit Vigilius Papa ſic ſcribens in Epiſt. ad Juſtinianum (1)
Imperatorem: *Omnes Pontifices antiqua in offerendo Sacrificia traditione depoſcimus, ut Catholicam fidem adunare, regere Dominus, & cuſtodire toto orbe dignetur*. Et primo quidem offert Sacerdos pro Eccleſia, deinde pro Papa. Hæc teſſera unitatis Eccleſiæ eſt, *in qua*, ut ait Cyprianus Epiſt. 76. ad Magnum. *nonniſi concordes, & unanimes habitant*: hæc

nota

nota unionis membrorum cum capite, quia ut idem Cyprianus ſcribit *Epiſt.* 52. *&* 55. cum Eccleſia Catholica ille communicat, qui cum Romano Pontifice conſentit: & a Petri Cathedra unitas Sacerdotalis exoritur (2). Teſte item Irenæo *lib.* 3. *cap.* 3. Ad Romanam Eccleſiam (2) propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: quia nimirum, ut ſcribit Auguſtinus Epiſt. 162. *ſemper in ea viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus*. Unde conſtat, inquit Pelagius Papa citatus ab Alcuino, ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundum conſuetudinem non frequentant (3). Refert Nicephorus *lib.* (3) 16. *cap.* 17. Acacium Conſtantinopolitanum primum omnium Papæ nomen (erat tunc Felix II.) e ſacris tabulis eraſiſſe, quod nemo ante eum tentaverat, quamvis in eo throno plures Epiſcopi hæretica labe infecti ſediſſent. Idem auſus eſt in Eccleſia Alexandrina impius Dioſcorus, pronunciato adverſus Leonem Magnum anathemate. Epiſcopi quoque Orientales eodem ſpiritu diviſionis imbuti Athanaſium cauſa fidei perſequentes, ut ſcribit Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 10. a Julio Romano Pontifice receſſerunt. Patres vero Orthodoxi ſemper Papæ nomen in Liturgicis precibus commemorarunt; quod cum in aliqua Galliarum Eccleſia fortaſſis prætermitteretur, id Concilium Vaſenſe II. præcepit hac lege edita can. 4. *Nobis juſtum viſum eſt, ut nomen Domini Papæ, quicumque Apoſtolicæ Sedi præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur*. Ennodius Ticinenſis in Apologia pro Synodo, nullo unquam tempore a nominis Papæ, Symmachi videlicet, commemoratione ceſſatum eſſe aſſerit, dum ſacra Miſſarum ſolemnia celebrarentur, quo argumento oſtendit ipſum, non Laurentium, legitimum Pontificem fuiſſe. In Liturgia, quæ Marci nomine inſcripta eſt, Papæ mentionem ter fieri legimus, ſed cujus ævi illa ſit ignoramus. In Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi generalis commemoratio omnium Epiſcoporum fieri ſolet hac formula: *Memento Domine Sanctorum Patrum, qui in Eccleſia Catholica ſunt, & fratrum noſtrorum, ac Epiſcoporum, qui per univerſum orbem Orthodoxe adminiſtrant verbum veritatis tuæ*. An vero primis ſæculis Græcia Orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet. Iſaacius Habertus *ad partem VIII. Pontificalis Græcorum Obſervat.* 12. Tunc putat Papam cœpiſſe in ſacris nominari, cum reliquorum Patriarcharum mentio fieri cœpit, cujus conjecturæ nihil habeo, quod opponam, niſi aliquid certius eluceſcat. Nunc teſte Arcudio *lib.* 3. *cap.* 39. Antiſtitum mentio a Græcis hoc ordine fit. Presbyter pro ſuo Epiſcopo orat, Epiſcopus pro Archiepiſcopo ſeu Metropolita, is vero pro Patriarcha: Hunc autem oraſſe olim pro Summo Pontifice addit Arcudius nullum afferens teſtimonium ad ſuæ ſententiæ confirmationem. Teſtatur Habertus in quibuſdam exemplaribus Liturgiæ Chryſoſtomi legi hæc verba, *Nicolai ſanctiſſimi univerſalis Papæ longa ſint tempora*, quæ vivente Nicolao primo ab aliquo Patriarcha addita putat. Habemus autem hujus rei antiquius monumentum in Divali ſacra Conſtantini Pogonati Imperatoris ad Agathonem Papam Concilio ſexto præfixa, in qua aſſerit ſe Patriarchis illarum partium reſtitiſſe poſtulantibus, ut nomen Papæ a Diptychis expungeretur, donec eorum, quæ inter Romanam, & Conſtantinopolitanam ſedem controverſa erant, inquiſitio fieret & ſatisfactio. Hinc quoties actum eſt de unione utriuſque Eccleſiæ, id ſemper inter cætera ſtabilitum fuit, ut nomen Papæ in Sacrificio recitaretur. Petiit hoc a Michaele Palæologo Urbanus IV. ut ſcribit Nicætas *lib.* 5. Hoc idem exegit Gregorius X. teſte Nicepho-

Ab univerſi orbis communione ſeparati erant olim etiam, qui inter ſacra myſteria Romani Pontificis memoriam non faciebant.

ro Gregora, qui factam refert concordiam ſub certis conditionibus, quarum prima fuit, ut in ſacris Hymnodiis Papæ mentio fieret, cum quatuor Patriarchis: quam conditionem adimpletam fuiſſe narrat Gregorius Pachymeres in Hiſtoria nuper edita ex Bibliotheca Barberina *lib.* 5. *cap.* 22. duo aſſerens ſubſequuta eſſe ex adventu Legatorum (in Urbem Conſtantinopolitanam) pacem factam referentium, Patriarchæ Schiſmatici exauctorationem, & publicam Papæ in ſacro commemorationem. Celebrata enim Synaxi die prima Auguſti, mentio Papæ proprio loco per Diaconum facta eſt, & Gregorius Summus Pontifex Apoſtolicæ Eccleſiæ, ac Oecumenicus Papa proclamatus. Ducas quoque in Hiſtoria Byzantina *cap.* 36. celebratam ait Conſtantinopoli Liturgiam in magna Eccleclesia anno 1452. præſente Iſidoro Cardinali Legato, in qua Nicolai Papæ facta eſt commemoratio, pleriſque repugnantibus, & a ſacris donis abſtinentibus ob initam concordiam cum Latinis, quos acriter perſtringit Ducas, eoſque merito ait in Turcarum manus deveniſſe. Summo Pontifici ſingulæ Eccleſiæ proprii Antiſtitis (4) commemorationem ſubjun- (4)
gunt, quæ in omnibus MSS. Sacramentorum libris, & in omnibus Græcorum Liturgiis reperitur.

(1) *Nam extat in omnibus MSS.*) Hæc autem prima Canonis Oratio uſque ad aliam: *Hanc igitur Oblationem* proſequitur; Neque enim *Memento*, & *Communicantes* diverſæ Orationes ſunt, ſed ejuſdem primæ Orationis pars, ut clare deducitur ex ipſa clauſula: *Per eumdem Dominum noſtrum*, quæ ad finem tantum Orationis *Communicantes* apponitur; quod facile quilibet ſibi perſuadebit, ſi animadverterit Orationem *Communicantes* omni ſenſu carere, niſi cum ſuperioribus conjungatur. In Capitularibus porro Caroli Magni lib. 6. cap. 170. *Poſt Hymnum Angelorum Sacerdos incipit Te igitur*. Hæc autem oratio non eadem eſt apud omnes, qui ejus mentionem faciunt. In Miſſa, quæ Sancti Petri nomine circumfertur: *Te igitur ..... accepta habeas hæc dona, hanc oblationem, hanc Sanctam Hoſtiam irreprehenſam*: Apud Afros autem poſt verba *pro Eccleſia tua Sancta Catholica*, addebatur; *quæ eſt una*, ut indicat Sanctus Optatus lib. 2. de Schiſm. Donatiſt. adv. Parmenianum. In Ordine Rom. in Miſſa fer. V. in Cœna Domini poſt verba: *Famulo tuo Papa N.* omittitur, *atque Catholicæ fidei cultoribus*, quæ tamen verba in Gregoriano Sacramentario leguntur. Micrologus autem, illa cenſens ſuperflua, in deſcriptione Miſſæ pariter omittit, ſicut & omittuntur in Liturgia Sancti Petri. Remigius Antiſſiodor. loco verborum, *quam pacificare, cuſtodire* &c. legit; *quam beatificare*. Orationis hujus meminit Vigilius Papa, in celebri Epiſtola pluries memorata ad Profuturum, eamque ubique receptam aſſerit, & Agobardus infra citandus Amalarium reprehendit, quod illam male explicaverit.

Oratio Te igitur non eadem apud omnes, qui de ipſa mentionem faciunt.

Orationem *Te igitur*, prout nunc recitatur, ante 8., vel 9. ſæculum Latinæ Liturgiæ inſertam nullo demonſtrari poſſe argumento ait Grancolaſius Tract. de Miſſa, & Div. Offic. Hujus tamen recitationem poſt *Sanctus* præſcribunt Capitularia Caroli Magni, ut ſupra, & Statuta Herardi Turonenſis Archiepiſcopi. Hanc item referunt Sacramentaria Gelaſianum, & Gregorianum. Utrum autem hæc, & omnia, quæ in his continentur a laudatis SS. Patribus, vel eorum tempore ſcripta fuerint, incertum plane eſt; & revera apud Authorem libri de Sacramentis ſub Ambroſii nomine; qui pene integrum Romanæ Eccleſiæ refert Canonem, de Oratione *Te igitur*, ne verbum quidem. Ratio autem fortaſſis erit, quia ante Canonem recitatæ fuerant ſolemnes preces, quæ etiamnum recitantur feria ſexta in Paraſceve, in quibus univerſi includebantur, pro quibus erat orandum, quibus ſolemnibus ſuppreſſis precibus, ac tantum dicta die retentis, ſubſtituta eſt una generalis, quæ eos omnes contineret, pro quibus particulariter orabatur. Hæc autem forte erit una ex contractionibus, quas Gelaſiano Miſſali orationum numerum corripiens fecit S. Gregorius Papa. Quoad verba Optati Milev. ſupradicto lib. 2. *Offerre vos dicitis pro Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa*, non concluditur ex his invicte orationem hanc illi fuiſſe notam; uſus enim Patrum, & Conciliorum de Eccleſia loquentium ſemper fuit illam univerſalem appellare.

(2) *Et a Petri Cathedra unitas Sacerdotalis exoritur*. Ita pariter, & in eumdem ſenſum Cypriani magiſter Tertullianus lib. de præſcript. adv. hæret. c. 36. & S. Leo Papa I. Ep. 10. alias 89. ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos; ac demum Concilium Chalcedonenſe Oecumenicum Act. 16. *Romanam Eccleſiam ſemper primatum habuiſſe aſſerit*. Porro quoad Petri Primatum a Cypriano aſſertum obſervat eruditiſſimus Mabillonius Præfat. ad Liturgiam Gallicanam n. XI. nuperos Cypriani editores Oxonienſes ſolemnem illius locum ex libro de unitate Eccleſiæ, *ubi Primatus Petro datur*: Id tamquam aſſumentum rejeciſſe authoritate, ut ipſis videtur, antiquorum Codicum, quorum nonnulli hanc clauſulam non habent; aliis eam habentibus numero,

Primatus Petri Cathedræ ſuper omnes adverſus Oxonienſes Cypriani editores vindicatur.

&

& bona nota, ſi iiſdem credendum, potiores. At nullum Codicem proferent, ait Mabillonius laudatus, Pelagio Papa ſecundo antiquiorem, qui in Epiſtola 6. hunc Cypriani locum ita refert: *Sed & Beatus Cyprianus egregius Martyr in libro, quem de unitatis nomine titulavit, inter alia ſic dicit: Exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis unanimi conſenſione paſcatur*: At Petri Primatum ſatis exprimit idem Cyprianus in Epiſtola ad Jubajanum num. 73. edit. Felli, ubi Eccleſiæ *unitatis originem*, ab uno, ideſt a Petro, *incipientem* aſſerit, a Chriſto inſtituta: *Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem illam dedit, ut id ſolveretur in Cœlis, quod ille ſolviſſet in Terris.*

Præclare etiam in Epiſt. ad Quintum idem Cyprianus: *Nam nec Petrus* (ait) *quem Primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam .... vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe Primatum tenere* &c. Quantumvis autem (ut ipſi obtendunt Cypriani Editores Oxonienſes) Africani Præſules appellationes Tranſmarinas prohiberent, apud eos tamen *Eccleſia Romana caput omnium Eccleſiarum* cenſebatur, teſte Eugenio Carthaginenſi apud Victorem Vitenſem Hiſt. Perſecut. Wandal. lib. 2. Hinc forte factum eſt, idque plane crediderim, quod Catholici apud Gregorium Turonenſem Epiſcopum lib. 1. de gloria Martyrum cap. 25. & 80. *Romani* dicti ſint, itemque alibi. Quin & a Catholicis ipſis *Romana* fides pro vera Catholica ante id tempus ſumebatur, uti Hieronymus Apologia 1. adverſus Rufinum luculenter oſtendit. Non ergo novitium eſt, quod Catholici *Romani* dicimur. Sunt & alia multa de hac Catholicorum nuncupatione teſtimonia apud antiquos, pro quibus omnibus ſufficiat, quod ipſi Arriani hæretici, ex memorato Victore Vitenſi lib. 1. Africanos Catholicos appellabant *Romanos*, non alia prorſus de cauſa, quam ex communione cum Eccleſia Romana, cum qua, (ut ait Tertullianus ſupra indicatus) ipſa Africana conteſſerabat. Hinc denique juxta illud Iſidori dictum, quod refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi apud Labbeum Biblioth. nov. MSS. pag. 228. *Noverit ſe a communione totius orbis ſeparari, quicumque nomen Apoſtolici pro qualicumque diſſenſione in Canone non recitaverit.* Non miretur propterea quiſpiam ſi recentiores Hæretici (ait Card. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. ad diem 16. Octobris) Catholicos homines Papiſtas dicant, nam ut conſtat ex Optato Milev. ſupra laudato adv. Parmen. Cypriano, aliiſque tam Latinis, quam Græcis Patribus eadem communionis ratione Arriani Catholicos *Romanos* conſueverunt appellare. Sed certe nullo ſublimiori titulo exornare, nec certius eos eſſe Catholicos demonſtrare potuiſſent, quam eos nuncupare *Romanos*, atque *Papiſtas*; nullo quippe certiori ſigno, quam ex communione cum Romano Pontifice, qui ſit Catholicus verus poſſit agnoſci. Plura de hac glorioſa Papiſtarum denominatione, quam nobis, licet in ſpretum Pontificiæ communionis impingunt Sectarii, gratanter, ipſis frendentibus, accipimus, habet Baronius loco citato.

(3) *Secundum conſuetudinem non frequentant.*) Habet id Alcuinus de Div. Offic. cap. 10. De Pontificis autem mentione in hac Oratione facienda hæc item habet Agobardus ex editione Stephani Baluzii Tom. 2. pag. 49. & in Bibl. PP. Lugd. Tom. xiv.

Commemoratio Summi Pontificis in Miſſa, ejus nomine recitato in prima Canonis oratione, antiquiſſima.

„ Viſum mihi eſt, ut in Dei, & veſtro ſervitio de anteriorum Patrum actibus, & ſenſibus hæc verba, quæ ſubter adnexa ſunt, glorioſiſſimæ Excellentiæ veſtræ mitterem, quatenus ſancta Religio veſtra pie perpendere dignetur, cujus reverentiæ debitores eſtis ad veſtrum quotidianum profectum erga Sedem Apoſtolicam. Denique Beatus Pelagius Papa, quum quoſdam redargueret Epiſcopos, eo quod nomen ejus reticerent in actione ſacri myſterii, ideſt in ſolemniis Miſſarum (in principio ſcilicet, ubi dicere ſolemus: *In primis, quas tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, & adunare digneris toto Orbe Terrarum una cum famulo tuo Papa noſtro*) ait ad eoſdem Epiſcopos: *Diviſionem veſtram a generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poſſum vehementer ſtupeo. Quum enim Beatiſſimus Auguſtinus Dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis Sedibus conlocavit, in Schiſmate eſſe dicat quicumque ſe a Præſulum, earumdem Sedium auctoritate, vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet Eccleſiam, niſi, quæ in Pontificalibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radicibus, quomodo vos ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria, ſecundum conſuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno, Apoſtolicæ Sedis per ſucceſſionem Epiſcopus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem*?

Sed, & aliud ejuſdem ſæculi ſexti teſtimonium proferendum eſt, quo uberius memoria Summi Pontificis inter ſacra Myſteria jam ex tunc ſecundum conſuetudinem frequentata confirmetur. Extat proinde inter Epiſtolas Summ. Pontificum Tom. 1. poſt Hormiſdæ Papæ Epiſt. 34. & apud Baronium Annal. Tom. 7. ad an. 519. num. 34. & 35. ipſius Papæ Legatorum Suggeſtio 2. ad eumdem Pontificem, in qua illi exponunt, quod iis contigit in Scampina Civitate, cum Troilus hujus Urbis Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ reconciliatus eſt: *Confitemur*, inquiunt, *Beatitudini veſtræ tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus*; *Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum Crucibus in Civitate nos ſuſceperunt. Celebratæ ſunt Miſſæ*; *Nullius nomen obnoxium religionis eſt recitatum, niſi tantum Beatitudinis veſtræ, &c.* Si autem altius, & a primis uſque ſæculis hanc Summi Pontificis commemo-

morationem in Miſſa petere, ejuſque obſervantiam quoquo modo oſtendere velimus, eam profecto deducere poſſumus ex S. Clemente I. Papa, & Mart. ſeu ſub ejus nomine vulgato Authore Conſtitutionum Apoſtol., qui ſæculo ſecundo, aut tertii initio apud rigidiores Criticos vixiſſe fertur; Hic lib. 8. cap. 12. dictum Pontificem vel inſtituiſſe, aut ex Apoſtolica traditione inſtitutam hujuſmodi commemorationem obſervaſſe indicat dum de eodem Miſſam celebrante, ita dixiſſe in *Memento* ſcribit: *Adhuc obſecramus te pro me, qui nihil ſum*, quod & idem eſt hodie obſervatum ex Innoc. III. lib. 3. de Myſt. Myſſæ cap. 5. cum iis verbis, quæ Papa dum celebrat, dicit: *Una mecum indigno famulo tuo, quem Gregi tuo præeſſe voluiſti*. A Chriſto Domino nonnulli viri docti hunc ritum derivant, qui in Cœna rogavit pro Petro, ut non deficiat fides illius. Ita Thomas Waldenſis Doctrinal. Antiqu. Fidei Eccl. Cathol. Tom. 3. tit. 4. cap. 37. num. 5. & ex ipſo Gavantus Par. 2. tit. 8. Rubr. 2. Atque hæc de conſueta nominis Papæ mentione in Canone ab antiquo facienda ſint ſatis.

(4) *Singulæ Eccleſiæ proprii Antiſtitis &c.*) Sive Epiſcopi, ſive Abbatis; in vetuſto enim Miſſali Caſſinenſi apud Angelum de Nuce, in notis ad Chronicum Caſſinenſem pag. 106. poſt *Papa N.* additur, *& Abbate Noſtro N.* omiſſo *Epiſcopo*, quod & in Miſſali Sancti Germani a Pratis ante annos 700. exarato legit Edmundus Martene de antiquis Eccl. ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 7. In aliquibus tamen Eccleſiis ſolius Papæ nomen, non autem Epiſcopi dicebatur, uti in Sacramentario Eccl. Albienſis ſæc. XI. ibi enim ſic legitur *Papa noſtro N., & omnibus Orthodoxis &c.* Quod autem ait Card. noſter Summo Pontifici proprium uniuſcujuſque Eccleſiæ Antiſtitem ſubjungi in omnibus MSS. Sacramentorum libris, Græcorumque Liturgiis, obſervat dictus Martene loco indicato id prætermitti in antiquo Codice Joannis Epiſcopi Aretini jam ab ipſo laudato, & in veteri Miſſali Romaricenſi ante annos 600. exarato; Verum præterquam quod hæc monumenta Martenius reperit poſt Cardinalis deceſſum, ac proinde eadem ipſe Eminentiſſimus videre non potuit, particularis proinde unius, aut alterius Eccleſiæ uſus univerſali reliquarum Orbis Eccleſiarum receptæ ab antiquo conſuetudini, ac fideliter obſervatæ haudquaquam derogare poteſt. Ita pariter dicendum de proprii Abbatis, ſeu Prælati, aut Superioris mentione, quæ in aliquibus locis, ac Monaſteriis poſt Papam, ut notatum eſt, omiſſo Epiſcopo Diœceſano olim fiebat, quæ item per plura Sac. Congreg. Rituum Decreta apud Gavantum, ejuſque Annotatorem Meratum Parte 2. loco ſupra citato ſublata fuit, & omnibus Sacerdotibus proprii tantum Epiſcopi loci, in quo quiſque celebrat, mentio poſt Papam facienda demandatur. Quia vero in antiquis Liturgicis rebus perluſtrandis verſamur: His adjiciendum erit; quod olim præter Romanum ſummum, & poſt ipſum proprium Pontificem ſolemnis omnium Patriarchatum, ſeu Primatum memoria agebatur ad Miſſam, præcipue apud Græcos, & Orientales, qui Patriarcham ſuum, ac Metropolitam nominant in Canone. Inter Canones enim Arabicæ verſionis Concilii Nicæni ſexageſimus quartus ſtatuit, ut *Sabbato & in diebus feſtis quando ſunt Sancta ſuper Altare poſita, Diaconus memoriam faciat nominatim primum Patriarchæ, deinde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archipreſbyteri, Archidiaconi, quia iſti ſunt Gubernatores Eccleſiæ*.

§. IV.

Addunt etiam Græci Imperatoris nomen, & aliquot Latinæ Eccleſiæ Regis ex Apoſtolica traditione; Orot deinde Sacerdos generaliter pro cunctis Fidelibus circumſtantibus.

ADdunt Græci nomen Imperatoris, & aliquot Latinæ Eccleſiæ nomen Regis, ex Apoſtolica traditione, præcipiente Paulo I. *ad Timoth. cap.* 2. ut fiant orationes pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, idque etiam pro infidelibus, quales erant, qui Paulo vivente regnabant. *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris*, ait Tertullianus ad Scapulam cap. 2. *ſed Deo noſtro & ipſius, ſed quo modo præcepit Deus, pura prece*. Idem hoc argumentum fuſius proſequitur in Apologetico *cap.* 30. *&* 31. ſic etiam Arnobius loquitur *lib.* 4. contra gentes. *Noſtra ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? In quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur, magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione*. Sic Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 11. *Nos unum Deum rerum omnium opificem, qui Valeriano & Gallieno ſacratiſſimis Auguſtis Imperium tradidit, colimus & ado-*

Orandum pro Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliisque dominantibus in ſæculo, etiam infidelibus, aut hæreticis ex Apoſtolo docent Sancti Patres.

adoramus. Huic continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut ſtabile & inconcuſſum permaneat. Sic Origenes *lib.* 8. reſpondens Celſo, qui Chriſtianos hortabatur ad gerenda bella pro Imperatore. *Laboramus*, inquit, *pro Imperio Romano, dum juſte viventes vota pro eo facimus.* Et ſupra jam dixerat nos ferre auxilia Imperatori, ſed divina, idque Apoſtoli monitis obedientes. Conſonant Juſtinus martyr *Apolog.* 2. Melito Sardianus in libro pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem, quem laudat Euſebius *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 26. Athenagoras in fine ſuæ legationis. Imo etiam pro Conſtantio Imperatore hæretico Liturgicas preces habitas teſtatur Athanaſius in Apologia ad ipſum Conſtantium. Quod ſi pro impiis & infidelibus in ſacris Conventibus deprecationes fieri conſueverunt, quanto magis pro Chriſtianis & Orthodoxis? Ita lib. 3. arguit Optatus Milevitanus dicens: *Merito Paulus docet orandum eſſe pro Regibus & Poteſtatibus etiamſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viveret. Quanto magis quod Chriſtianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religioſus, quanto quod miſericors* (1)? Sequitur, *& omnibus Orthodoxis,* (1)
atque Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei cultoribus. Quæ verba deſunt in antiquo Ordine Romano, & in libro Sacramentorum S. Gregorii MS. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ Cod. 495. itemque in vetuſto Miſſali Vaticano Cod. 4770. Eaque ſuperfluo poni notat Micrologus cap. 13. *Nam Ordo*, ait, *ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicitur* Memento Domine, *nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus quoſcunque voluerimus.* Et *cap.* 23. deſcribens Canonem ea omittit, ſequutus nimirum Ordinem Romanum, in quo non extant (2). Sed merito addita eſſe, (2)
nec ſuperflua cenſeri ex eo evidens fit, quod per ipſa omnes fideles vivi generaliter commemorantur: At in ſequentibus *Memento Domine* offerentium dumtaxat commemoratio proprie fit, & ibi olim ex ſacris tabulis quorumdam nomina legebantur, ut mox videbimus. Ita ſane Alcuinus. *Cum dicitur* Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, *& ſic deinde ſubjungitur*, & omnium circumſtantium, *manifeſtum eſt, quod quaſi quidam locus ſit, ubi aliquibus ſpecialiter nominatis, etiam cæterorum qui aſſiſtunt in Eccleſia commemoratio adjungatur. In quo loco liberum eſt Sacerdoti, quos deſideraverit peculiariter nominare. Aut certe illud ab antiquis eſt obſervatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur.*

(1) *Quanto quod miſericors?*) Id etiam exprelle volebat Innocentius III. lib. 3. de Miſſa cap. 5. recenſendos quippe Reges, & Principes temporales, ſaltem in eorum propriis locis, vel Provinciis propter ſupradictum Pauli conſilium I. ad Timoth. Ita pariter docet Card. Bellarminus de Miſſa lib. 6. cap. 21. his verbis. „Nomen Regis recte „etiam adjungitur in iis locis, quæ illi ſub„ſunt, nam & Innocentius III. & Bonaven„tura in Explicatione Canonis agnoſcunt „hanc vocem, & omnes antiquæ Liturgiæ „id ſervant, & ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. „id colligunt Ambroſius lib. 4. de Sacramen„tis cap. 4. & Auguſtinus Epiſt. 59. ad Pau„linum„. Quare tot teſtimoniis, atque ex conſtanti Eccleſiæ traditione ab Apoſtolis accepta compertum habemus pro Regibus, & Principibus inter ſacra myſteria ſemper oratum fuiſſe. Quod etiam teſtatur Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imperatorem ſcribens Epiſt. 8. ubi aſſerit Conſtantini, & Conſtantii, Theodoſii quoque majoris, & Valentiniani, ac cæterorum Imperatorum nomen *inter ſacra myſteria inprætermiſſe* commemorari. Certe gloriabatur eo nomine Baſilius Orientis Imperator, ad Ludovicum Auguſtum, quem ægre ſerebat Imperatoris Occidentis nomine decorati, ſcribens *quod quatuor Patriarchales Sedes, unum Imperium inter ſacra myſteria memorari a Deiferis Apoſtolis, uſque nunc traditum habeant*; Id, quod apud Ducheſnium Hiſt. Franc. Tom. 3. Quia tamen S. Pius V. in ejus juſſu edito, ac reformato Miſſali hæc nomina non appoſuit, ideo, ait Gavantus, cavere debemus & nos, ne ea apponamus abſque ſpeciali Papæ auctoritate, obſervantes adamuſſim Bullam ejuſdem Sancti Pontificis in Miſſali deſcriptam; Sicuti etiam nuperrime admonet Illuſtriſs. Hieronymus Criſpi Ravennæ Archiepiſcopus in ſua Diſſertatione Euchariſtica de Sacrificio

Miſſæ

Miſſæ pag. 117. Vide Lupi Scholiorum in Canones parte 4. pag. 422. & ſeqq. ubi plura profert in hanc rem; Vide etiam Gavanti Annotatorem Cl. Cajetanum Meratum parte 2. tit. 8. Rubr. 2. num. VI.

(2) *Sequutus nimirum Ordinem Romanum in quo non extant.*) Pro hac nota videnda ſunt ea, quæ infra dicentur §. ſequenti nota 1.

§. V.

Orat Sacerdos etiam ſpecialiter pro Offerentibus; De nominum recitatione.

Nonnulla addita in aliquot antiquis Codicibus, quæ ſuperflua videntur.

POſt illa verba, *& omnium circumſtantium*, ſive circumadſtantium: addunt quidam libri *omniumque fidelium* (1): Sed omnino rejicienda hæc additio tamquam ſuperflua; nam in fine præcedentis orationis præmiſſa eſt pro omnibus fidelibus deprecatio illis verbis, *& omnibus orthodoxis*. In aliis Codicibus poſt eadem verba, *& omnium circumſtantium*, hæc adduntur: *Et eorum quorum nomina ad commemorandum conſcripſimus, ac ſuper ſacrum Altare tuum ſcripta adeſſe videntur*. Hæc autem ſuſpicor ſubſtituta a quibuſdam nominum recitationi, poſtquam prætermitti cœpit, ut ſaltem generalis eorum mentio fieret, pro quibus orandum erat, poſita ſuper Altari charta, in qua ſingillatim omnes deſcripti forent (2). Hæc formula orandi per verbum *Memento* extat in omnibus Liturgiis Jacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, & aliorum, & in quibuſdam ſæpius repetitur: quod a Sanctis Patribus ſapientiſſime conſtitutum eſt, nam ut ait Auguſtinus, meminiſſe Dei adjuvare eſt. In quibuſdam MSS. priuſquam Sacerdos pro aliis oret, hanc pro ſeipſo orationem præmittit. *Memento mei quæſo & miſerere, licet hæc indigne tibi Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, meis manibus offerantur Sacrificia, qui nec invocare nomen tuum dignus ſum. Sed quoniam in honore, laude, & memoria glorioſiſſimi dilecti Filii tui Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu divinæ Majeſtatis Tuæ cum odore ſuavitatis accendantur*. In Miſſali Vaticano num. 4770. Oratio incipiens *Memento* ſic concepta eſt. *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, & qui nobis bona fecerunt, & qui de eleemoſynis ſuis commemoraverunt loca Sanctorum, & qui nobis confeſſi ſunt, & qui ſe noſtris orationibus commendaverunt, & pro quibus orare polliciti ſumus. Retributor omnium bonorum retribuat illis bona in vitam æternam. Et omnium circumſtantium*. Eadem fere formula reperitur in Miſſali Palatino ejuſdem Bibliothecæ Vaticanæ num. 499. *Memento Domine mei peccatoris, & peſſimi in bonum æternum: & omnium quorum ego eleemoſynas ſuſcepi, & quorum confeſſionem peccatorum audivi, & quorum manus in memoriam familiaritatis ſuſcepi, & qui mihi amicitia, vel cognatione junguntur, etiam illorum, qui mihi emendabiles inimici ſunt; & famulorum famularumque tuarum* &c. (3). In Miſſali Bibliothecæ Barberinæ num. 1858. poſt illa verba primæ orationis *Apoſtolicæ fidei cultoribus*, hæc ſubduntur. *Mihi quoque indigniſſimo famulo tuo propitius eſſe digneris, & ab omnibus meis delictorum offenſionibus me clementer emundare dignare*. Et immediate ſequitur *Memento*, præmiſſa hac inſcriptione, *Petitio ſecunda*. *Recita nomina*. In multis poſt *Memento* hæc vox parentheſi incluſa vel minio exarata legitur, *Nomina*, quia videlicet hoc loco nomina recitabantur. In aliis vel diverſo charactere, vel in margine ſcriptum eſt: *Hic recitantur nomina*. In Miſſali ejuſdem Bibliothecæ Barberinæ circa annum 900. conſcripto num. 326.

Recitata deinde nomina illorum, pro quibus Sacrificium offerebatur.

poſt

poſt verba: *Et nota devotio*, hæc interſeruntur, *Mihi quoque indigno famulo tuo peccatori propitius eſſe dignare, & cum his omnibus me a cunctis emunda delictis, pro quibus tibi offerimus &c.* In alio, quod erat Cardinalis Beſſarionis, in margine e regione verbi *Memento* ſcriptum eſt *Beſſarionis Epiſcopi, Theodulæ matris ejus, Georgii, & Baſilii*. Hæc verba *Pro quibus tibi offerimus* (4), deſunt in antiquo Ordine Romano, & (4)
in aliquot MSS. eaque omittit Micrologus *cap.* 23. & ſuperflua eſſe ait *cap.* 13. quia in antiquioribus & veracioribus ſacramentariis offerentes non niſi in tertia perſona reperiuntur. At non eſſe ſuperfluas, ut alias rationes omittam, uſus omnium Eccleſiarum evincit. In libro Sacramentorum ſæpius laudato ante annos nongentos ſcripto Dominica tertia Quadrageſimæ, in qua fieri olim ſolebat Scrutinium electorum, fit ſpecialis mentio ſuſceptorum his verbis (5). *Memento Domine famulorum famu-* (5)
larumque tuarum, qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam baptiſmi tui: & recitantur nomina virorum, & mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt. Quo vero tempore omitti cœperit hæc nominum recitatio, incertum eſt. Remigius Antiſiodorenſis, qui vivebat anno Chriſti 900. lib. de Celebr. Miſſarum, *etiam hodie*, inquit, *Romana Eccleſia recitat nomina ex Diptychis*. Auctor item (libri, qui Micrologus inſcribitur), quem poſt annum 1085. claruiſſe ex eo apparet, quod Gregorii VII. & Anſelmi Lucenſis meminerit, recitanda nomina monet poſt *Memento*, ſed non die Dominico (6). Idem mos recitandi (9)
nomina in Sacrificio vigebat eo tempore in Monaſteriis, ut patet ex Victore III. Rom. Pontifice olim Deſiderio Abbate Montis Caſini *lib.* 1. Dialogorum, ubi refert miracula Joannis Lucenſis Præpoſiti Monaſterii. De iiſdem nominibus agit Honorius ſcriptor XII. ſeculi in Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 107. ea tamen ratione, ut ſatis clare indicet jam tunc illam recitationem in deſuetudinem abire cœpiſſe. Cur vero die Dominico nomina non recitarentur, fateor me ignorare (7). (7)

Antiquis precibus pro ſingulis hominum gradibus ſubſtituta una generalis, quæ omnes comprehenderet.

(1) *Addunt quidam Libri omniumque Fidelium.*) Huc revocanda ſunt, quæ ſuperius notavimus de ſuppreſſione orationum illarum ſolemnium, quæ pro ſingulis hominum gradibus recitabantur, ut fit etiamnum in magno die Paraſceves, & quibus ſubrogata deinde eſt altera generalis, quæ omnes una colligeret, hæc autem meo judicio non alia eſſe poteſt, quam oratio *Memento*. Præceperat Apoſtolus I. ad Timoth. cap. 2., ut fierent orationes pro Regibus, & iis omnibus, qui in ſublimitate ſunt, cujus præceptis obaudiens Eccleſia peculiarem inſtituit orationem, in qua Eccleſiæ, Papæ, & Imperatoris, ſeu Regis ſpecialis fieret mentio. Hæc autem eſt oratio *Te igitur*, quam peculiariter inſtitutam eſſe pro iis, quorum nomina continet, præter expreſſum Apoſtoli præceptum, ex eo etiam evincitur, quod Eccleſia non ſat conſultum cenſens in ea fidelium memoriæ, aliam inſtituit, in qua mentio benefactorum fieret, & eorum, qui Sacrificio intererant, quæ quidem ſuperflua jam eſſet, ſi in oratione *Te igitur* jam facta fuiſſet omnium fidelium mentio, quippe, quæ non eſſet aliud, quam prioris repetitio. Accedit quod in antiquo Ordine Romano, in Miſſalibus, & vetuſtis Codicibus ab Eminentiſſimo noſtro citatis, in Sacramentario Trecenſi ſæc. x. in Miſſa S. Petri, in Miſſalibus MSS. duodecimi, 13., & 14. ſæculi Ordinis Ciſtercienſis, & pluribus aliis aliqua diligentia conſcriptis, ſicut & in aliis ejuſdem Ordinis anno 1487. impreſſis, (ſi fides habenda Lazaro Bocquillot in Tract. Hiſtorico &c.) *Deſiderantur verba illa, & omnibus Orthodoxis* &c., quæ ſuperflua eſſe definiunt, Microl. cap. 13., & Radulphus Tungrenſis Prop. 23., qui ea initio ſæculi xv. nondum univerſaliter recepta affirmat, & poſt eos Liturgici fere omnes recentiores. Quæ ſi ita ſint, veroſimile eſt poſt Offerentium, & circumſtantium memoriam, additam communiter fuiſſe clauſulam aliquam, in qua omnium univerſaliter fidelium mentio fieret.

Recitata olim nomina alta voce, poſtea ſubmiſſa, nunc ſola mentis intentione recognita.

(2) *Omnes deſcripti forent.*) S. Hieronymus Comment. in Jerem. cap. 11. v. 15. eorum increpat vanitatem, qui non ob aliam rationem donabant Eccleſias, niſi ut deinde ex recitatis per Diaconum eorum nominibus plauſus captarent. Hæc autem nominum promulgatio animum quorumdam etiam impulit, ut non ſolum vanam ambientes gloriam publice ad Altare ſe nominari facerent, ſed ulterius ſub falſa hujuſmodi laudis ſpecie veram probri noxam contrahere, vel furtis, aut acerbis, & injuſtis exactionibus non erubeſce-

beſcerent, atque alia iniqua in hunc finem perpetrarent, ut ex oblata quomodocumque donatione, ac recitatis eorum nominibus gloriarentur, quaſi ſcriptum non eſſet Proverbiorum cap. 21. 27. *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere*. Improbum hunc agendi modum, qui de religione nihil, ſed ſacrilegium tantum præſeferebat, diris urget, ac damnat idem mox laudatus Hieronymus Comment. in Ezechielem cap. 18. ubi ait: *Multos conſpicimus, qui opprimunt, per potentiam, vel furta committunt, ut in ſuis ſceleribus glorientur, publiceque Diaconus in Eccleſia recitet Offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus eſt, placentque ſibi ad plauſum Populi torquente conſcientia*. Ex hoc S. Hieronymi ſermone, quidam vitiligatoris ingenii Sycophantæ Hæretici, ut ſanctiores Eccleſiæ, quamvis antiquas, conſuetudines intemperantibus, atque inconſultis cenſuris temere adurent, illam nominum recitationem veluti inductum vituperabilem ritum a Hieronymo culpatum fuiſſe audacter contendunt; verum nuperus alter, licet item ipſe Heterodoxus Joſeph Bingamus Orig. Eccl. Tom. 6. lib. 15. cap. 2. §. 4. illis verbis ſanctum Doctorem non illam Eccleſiæ diſciplinam, ſed tantum illorum offerentium jactantiam, & impietatem damnaſſe æquo animo fatetur. Ex his colligitur Benefactorum nomina olim per Diaconos alta voce fuiſſe recitata; Ad hunc porro vanæ gloriæ abuſum tollendum, ab annis mille, nonniſi ſubmiſſa voce lecta fuerunt fidelium nomina, quæ nunc ſola mentis cogitatione percurrit Sacerdos, ut præcipit Rationale Miſſæ Eccleſiæ Lugdunenſis his verbis: *Paucorum nominibus ſe abſtringat, quia Canon de nominum multitudine prolixatur, & per hæc cogitatio diſtrahitur; non fiat vocalis expreſſio, ſed mentalis*; Recitatio nominum alicubi in Altari, alibi autem in Ambone fiebat. In Galliis, & pluribus aliis in Eccleſiis, neque in Ambone. Aſt Subdiaconus, vel Acolythus Celebrantem ſecreto monebat, ut talium & talium meminiſſet, quemadmodum etiamnum Pariſiis facit aliquis e Schola Cantorum. Hanc nominum recitationem verſus annum 400. in pluribus Eccleſiis ante Canonem factam fuiſſe colligitur ex Epiſt. Innocentii I. ad Decentium cap. 2. *De nominibus ante preces Sacerdotis non recitandis*.

Benefactorum nomina olim per Diaconos alta voce recitata.

(3) *Et famulorum, famularumque tuarum, &c.*) Item eadem pene formula habetur in Codice manuſcripto Bibliothecæ Chiſiæ circa an. 865. „Memento ſic: M. D. F. famu„larumque tuarum, omnium Chriſtiano„rum, omnium, qui mihi propter tuum „timorem confeſſi ſunt, & ſuas eleemoſy„nas mihi donaverunt te amando, & ti„mendo; & omnium parentum meorum, „vel qui ſe in noſtris Orationibus commen„daverunt tam vivis, quam & defunctis, „& omnium circumſtantium, quorum tibi „ſoli Domino cognita fides eſt, & nota „devotio &c.„ Conſimilis, ac pene eadem formula legitur in multis, quæ extant in Miſſa Illyrici.

(4) *Pro quibus tibi offerimus.*) Olim eo tempore, quo Oblationes ad Altare deferebantur, non dicebatur in hac oratione *pro quibus tibi offerimus, vel* (ſed tantummodo) *qui tibi offerunt*, quod eruitur ex omnibus pene Sacramentariis ante ſæculum X. conſcriptis, quorum plurima in Bibliothecis Regia, Colbertina, S. Germani a Pratis, & alibi vidiſſe aſſerit Petrus Le-Brun Liturgic. Tom. 1. 4. parte art. 3. Hæc autem Additio facta communiter non fuit, niſi circa annum 1000. Dixi communiter; in aliquibus enim Sacramentariis ante illud tempus inſerta jam fuerat, ut in Sacramentario Sylvanectenſi anno 880. exarato, quod ſervatur in Eccleſia Pariſienſi S. Genovefæ. Primi Auctores, in quibus hæc legatur Additio, ſunt Petrus Damianus, & Micrologus ſæc. XI. illam, ut ſuperfluam reprobans loco ab Eminentiſſimo citato. Quin & obſervare juvat, quod illa verba: *Pro quibus tibi offerimus*, quæ in antiquo Ordine Romano, aliiſque veteribus Miſſarum Codicibus MSS. deeſſe jam dictum eſt, non ea tantum ſunt, quæ deſint; etenim, ut ex Joanne Mabillonio aſſerit Franc. Amatus Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. Parte 3. Sect. 2. cap. 7. pag. 853. fuere & Miſſalia quædam, in quibus deerant iſta: *Qui tibi offerunt*: Unde factum fuiſſe quidam putant, ut propter Manuſcriptorum diſcrepantiam utraque formula inſerta ſit cum particula *vel* rubro charactere ſcripta, ut hinc Sacerdotes intelligerent perinde eſſe hoc, vel illo modo legere, ac tandem præceptum fuiſſe, ut utrumque ſimul legeretur. Sed videant, qui id perperam arbitrantur hinc colligi Sacerdotem unum, aut alterum poſſe pro arbitrio legere, ita ut dicatur tantum *pro quibus tibi offerimus*, omiſſis ſequentibus, aut, *qui tibi offerunt* relictis prioribus, quod utique non cohærebunt ſequentia verba cum præcedentibus, mutilum enim, ac truncum ſenſum efficient, ut cuique legenti conſtabit, & videre eſt apud memoratum Pouget, qui idipſum clare demonſtrat, atque hanc arbitrariam libertatem contra rubricæ præſcriptum, quo Sacerdotes tenentur utrumque, ut in Canone exprimitur, legere, in ipſis aliter pro ſuo libito facientibus damnat & rejicit. Ut autem, quæ de memoratis verbis *pro quibus tibi offerimus* indicanda ſuperſunt, proferamus; deſunt iſta inſuper in Miſſali MSS. Germaniæ de quo infra ſec. 12. apud PP. Nazarænos Pariſien. Item in Miſſali Ord. Ciſtercien. circa annum 1100. in Diœceſi Lingonenſi inſtituti, ſicut, & in ejuſdem Ordinis Miſſali ſæculo 16. edito, anno ſcilicet 1512.

Tempore veterum Oblationum, in Oratione dicebatur tantum qui tibi offerunt.

In Miſſali Fratrum Minorum S. Franciſci, qui in Gallia Recollecti dicuntur, particula, *vel* rubris litteris, ideſt in rubrica legitur, quod aliquos in ſuſpicionem induxit alterutram e duabus hiſce formulis potuiſſe pronunciari, at contrarium evincitur ex Miſſalibus omnibus tum MSS., cum editis. Hæc autem particula apud Eccleſiaſticos Auctores ſæculo XI. non ſolum alternativa, ſed etiam copulativa cenſebatur, ſicut particula *&*. Sic Gottofredus in Cod. Theod. Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. cap. 24. num. 9. Menardus in Sacram. S. Gregorii

gorii p. 14. Et in Concord. Reg. Fratres Macri in Hierolexico, aliique obſervarunt. Et Petrus Damiani in lib. *Dominus vobiſcum* c. 4. ſuper has duas formulas; *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, notat quod fideles offerunt, etiamſi pro illis offerat Sacerdos. Stephanus Eduen. de Sacram. Altaris c. 13. ait: *Offerimus Sacrificium laudis, & ipſi offerunt*; Eadem habet Hildebertus Cenomanenſis, & in mox dicto Miſſali MSS. 300. circiter annorum ad uſum cujuſdam Eccleſiæ Germaniæ exarato, quod eſt penes dictos PP. Nazarenos Pariſien. legitur: *Et qui tibi offerunt*. Ex quibus omnibus concluditur evidenter duas haſce formulas, ut conjunctim ſignificantes habitas fuiſſe. Quo autem ſenſu intelligendum ſit unumquemque fidelium offerre cum Sacerdote Sacrificium explicat Hilarius Diaconus quæſt. vet. Teſt. 46. *Ille ipſe enim ſemper dicitur offerre, cujus Oblationes ſunt, quas ſuper Altare imponit Sacerdos*. Quod idem habetur in Sacramen. Gregoriano, & Concilium Matiſcon. ſecun. Can. 40. *Statuimus, ut in omnibus diebus Dominicis Altaris Oblatio ab omnibus diebus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini, ut per has immolationes, & peccatorum ſuorum precibus careant &c.* Hoc ſenſu loquitur etiam S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 57. de captivo quodam: *Pro quo ſua conjux diebus certis Sacrificium offerre conſueverat*. Atque ideo fortaſſe dicitur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: Quia non pro ſe ſolummodo Sacerdos, ſed & pro circumſtantibus offert, ac tam iſti Sacrificium offerunt, quam Sacerdos ipſe, tamque ad illos pertinent preces Liturgicæ fere omnes, quam ad Sacerdotem, uti ex iis pluribus conſtat, præſertim ex illa, qua idem Sacerdos dicit: *Orate fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat* &c. Quia, ut docet Innocentius Papa III. lib. 3. de Myſt. Miſſæ cap. 6. non ſolum offerunt Sacerdotes, ſed & univerſi fideles, nam quod ſpecialiter adimpletur miniſterio Sacerdotum, hoc univerſaliter agitur voto fidelium; atque hoc uno inter ſe differunt, quod Sacerdos ſuis ipſe manibus, populus autem per manus Sacerdotis Sacrificium offerat. Vide quæ ſuperius dicta ſunt cap. 8. & 9. ubi de Oblationibus, earumque ritu, & alibi etiam nonnullis in locis.

Tempore veterum Oblationum, in Oratione dicebatur tantum, qui tibi offerunt.

(5) *Fit ſpecialis mentio ſuſceptorum his verbis.*) Suſceptorum autem nomina per Subdiaconum recitari ſolebant. Diſcimus id ex MSS. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis ab annis circiter 800. exarato, quod Edmundus Martene vulgavit lib. 1. de antiquis Eccl. ritibus pag. 106. ibi enim in Miſſa Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ pro ſcrutinio electorum hæc leguntur: „Infra actionem, ubi in Canone dicitur: *Memento Domine famulorum*, „*famularumque tuarum*, continuo, & ſine „mora adjungitur: *Qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam Baptiſmi tui*, „& tacetur uſque dum a Subdiacono recitentur nomina virorum, ac mulierum, „qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt. Quæ ut „fuerint recenſita illico in Canonis tenorem „regreditur ita; *& omnium circumadſtantium*, „*quorum tibi fides cognita eſt*, & ſequentia. „Item infra actionem. *Hanc igitur Oblationem, Domine, famulorum, famularumque* „*tuarum, ut propitius ſuſcipias deprecamur*, „*quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ* „*tuæ donum eligere, atque vocare dignatus es* „*per Chriſtum Dominum noſtrum*. Hic recitantur nomina ipſorum electorum, qui „baptizandi ſunt, & poſtquam fuerint recenſita a Subdiacono, ſequitur Sacerdos: *Hos*, „*Domine, fonte baptiſmatis innovandos, Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum* „*plenitudinem poſſimus præparare*„. Integrum locum attulimus, ut ſupplerentur nonnulla, quæ deſunt in fragmento, quod cap. ſequ. §. 5. ex antiquiſſimo Sacramentorum Libro Reginæ Sveciæ doctiſſimus Auctor exſcripſit. Habes eamdem virorum, & mulierum, qui infantes ſuſcepturi ſunt, recitationem in Miſſali Gellonenſis Monaſterii ab eodem Martene vulgato lib. 1. de antiquis Eccl. ritibus pag. 98. Quo autem Ritu fierent hujuſmodi commemorationes vivorum in Canone deſcribit laudatus Martene ibid. lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 13. & ſeqq. pag. 401.

Suſceptorum ad Baptiſmum nomina recitata.

(6) *Sed non die Dominico.*) Id etiam eruitur ex vetuſto MSS. Pontificali Salisburgenſi apud Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. Lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 15. pag. 401. ubi die Dominico Offerentium nomina recitari prohibetur: *Hic nomina vivorum memorentur, ſi volueris, ſed non Dominica die*; Verum profecto illud Pontificale tam antiquum non eſt, ut proxima prioribus Eccleſiæ ſæculis tempora attingat, cum ſolum ante annos octingentos conſcriptum appareat, nihiloſecius admodum veriſimile eſt illud a ſuis Epiſcopis concors veteris Eccleſiæ ritibus ordinatum exiſtimari, quod ita fuiſſe comprobatur, cum non tam ingens ævi ſpatium adhuc interceſſerit, ac præterea rationi etiam conſentaneum ſit, ut mox dicetur.

Eadem nomina ſive offerentium, ſive ſuſceptorum non recitata die Dominico, aut feſtis ſolemnioribus, & cur.

(7) *Cur vero die Dominico nomina non recitarentur, fateor me ignorare.*) Quod ex ingenita humilitate ſincere fatetur doctiſſimus, ac piiſſimus Cardinalis, id eſſe crediderim ex magna in diebus Dominicis, & Feſtis præſertim ſolemnioribus fidelium offerentium multitudine, quæ nimias pro ſingulis quibuſcumque ſcribendis, & recitandis moras injeciſſet; & ideo in hac feſtorum circumſtantia, maxime poſt notabiliter auctum Chriſtianorum numerum, vel recitari omiſſa fuere offerentium nomina, vel ſi recitata, illorum tantum, qui genere, dignitate, aut munificentia inter congregatos ad Sacrificium ſpectabiliores erant, aut etiam familiarum præcipuas perſonas nominatas, alioſque poſtea ſub generali mentione brevi comprehenſos, quemadmodum videre eſt in quibuſdam antiquis Liturgiis, & præſertim in ea S. Joannis Chryſoſtomi apud Clar. Jacobum Goar. in Euchol. Græc. edit. Pariſ. pag. 105. atque etiam deducitur ex Can. 19. Concilii Emeritenſis in Luſitania, de quo infra ann. 666. ubi nominum recitatio publica in Miſſa ad eas dumtaxat perſonas, quæ aliquid Eccleſiis Parochialibus ſuis quomodocumque contulerunt reſtricta videtur, ac pro-

proinde quod jam a ſeptimo ſæculo ad paucos, diebus Dominicis ac Feſtis, præcipuos ſcilicet Benefactores, omiſſis aliis offerentibus, ne reliqui tedio afficerentur, hujuſmodi nominum promulgatio contracta fuerit non obſcure conſpicitur. Porro de hac nominum recitatione optime diſſerit nuperrimus, & Clariſs. Scriptor Franc. de Berlendis Cler. Reg. de Oblationibus comm. §. 12. num. 2. pag. 260. ult. Edit.

C A P. X I I.

Diptycha quid ſint, & quot eorum genera, qui uſus. Inſcripta eis nomina vivorum, & defunctorum. De ſolis vivis hic agitur. Cur fiat in Canone quorumdam Sanctorum commemoratio. Quædam notatu digna de Coſma, & Damiano. Diverſos fuiſſe mores Eccleſiarum in hac Sanctorum commemoratione. De Oratione Hanc igitur oblationem, *ejuſque variis formulis apud Antiquos.*

§. I.

Diptycha quid ſint, & quot eorum genera, qui uſus.

QUoniam de Diptychis ſæpe mentio facta eſt, & oratio quæ *Memento* incipit in quibuſdam Miſſalibus MSS. *Oratio ſuper Diptycha* inſcribitur, explicare hic breviter oportet, quid ea ſint, & quis eorum in ſacris uſus fuerit. Diptychorum nomen a Ptychis id eſt plicis derivatur: Unde Diptycha tabulæ ſunt, quæ duas habent plicas, de quibus, earumque profano uſu plura ex Ethnicis ſcriptoribus congerit Heribertus Roſuveydus in Onomaſtico ad Vitas Patrum (1). (1)
Erant & Triptycha atque Pentaptycha, triplices nimirum & quintuplices tabulæ, de quibus Turnebus *lib. 9. Adverſar. cap.* 23. Publica etiam ratiocinia Poliptycha a Græcis dicta aſſerit Gothofredus *ad l. 2. de diſcuſſoribus lib.* 10. *Codicis*, quod ille chartæ multas plicas haberent: quæ vox a Gregorio Magno *lib.* 7. *Epiſt.* 40. *Indict.* 2. a Caſſiodoro *lib.* 5. *Epiſt.* 16. a Marculfo in Formulis, & ab aliis paſſim Latinis ſcriptoribus eo ſenſu uſurpatur. Invenio autem tria fuiſſe genera Diptychorum ſive tabularum, quibus nomina in ſingulis Eccleſiis inſcribebantur. Primum erat peculiare Epiſcoporum, eorum præſertim qui illam Eccleſiam rexerant, dummodo probitate ac ſanctis moribus claruiſſent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina deſcripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Eccleſiæ collatis conſpicui, (vel Sacerdoti conſanguinitate, vel amicitia juncti), aut alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antiſtes, ac reliqui Clero adſcripti recenſebantur: poſtea Imperator, Principes, Magiſtratus, & populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in Catholica communione deceſſerant (2). (2)
Uſum vero Diptychorum, eorumque lectionem intra Miſſarum ſolemnia vel ab Apoſtolis, vel ex illorum inſtitutione, ſeu traditione ab immediatis ſucceſſoribus cœpiſſe ſatis conſtat ex iis, quæ ſupra Cap. VIII. de nominum recitatione ex priſcis Patribus allata ſunt (3). (3)
Quod autem ſpectat ad primum genus pro ſolis Epiſcopis cum opinione ſanctitatis vita functis, eam inſcriptionem ſpeciem quamdam habuiſſe Canonizationis, ſeu Beatifi-

Diptychorum Eccleſiaſticorum tria genera,

tificationis fidem facit Dionyſius in theoria capitis tertii Eccleſ. Hierarchiæ. *Sacrarum*, inquit, *tabularum recitatio deprædicat eos, qui ſanċte vixerunt, & ad ſtudioſæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerunt. Nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum quietemque deiformem adhortando, ac manuducendo: Illos vero ceu viventes celebrando; quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam translatos* (4). Ideo Eccleſia ſollicite ſemper cavit, ne ſanctorum (4) Epiſcoporum nomina ob quorundam pravorum hominum calumnias, vel ob errores proborum e ſacris Diptychis expungerentur. Hæc enim expunctio pœna erat illis ſolis irrogata, qui vel a fide defecerant, vel ob aliquod crimen a communione Fidelium abſtenti erant. Notæ ſunt diuturnæ altercationes de Chryſoſtomi nomine in Diptycha referendo, in quibus ipſum ſcribere multi renuebant, eo quod a Theophilo Alexandrino exauctoratus, tametſi iniqua ſententia, & non abſolutus mortuus eſſet: qua de re reſcribens Theodoretus *lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 34. ait Epiſcopos Occidentis non prius cum Epiſcopis Ægypti, Orientis, Boſphori, & Thraciæ communicare voluiſſe, quam nomen illius ſanctiſſimi viri in tabulas defunctorum Epiſcoporum retuliſſent. Et quidem S. Cyrillus Theophili nepos, & in Cathedra Alexandrina Succeſſor diu renuit Chryſoſtomum recipere, ut ex ejus, & Attici literis conſtat, quarum partem Facundus Hermianenſis *lib.* 4. integras affert Nicephorus *lib.* 14. ſed tandem ceſſit, eumque recepit, ne gratiam & communionem Romanæ Eccleſiæ amitteret (5). Ex eodem more Adrianus II. in Epiſt. commoni- (5) toria ad Synodum Tricaſſinam Epiſcopis mandat, ut deceſſorem ſuum Nicolaum Papam Apoſtolicæ recordationis in Diptychis Eccleſiarum ſcribi, & nomen ejus inter ſacra Miſſarum ſolemnia recitari faciant. Plures occurrunt ſimiles Hiſtoriæ in Actis Conciliorum, & in Epiſtolis veterum Patrum. Nec ſolum Epiſcopi, ſed etiam Oecumenica Concilia Dyptychis inſcripta ſunt. In Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna Act. v. ſæpius a fidelibus conclamatum eſt, ut Diptycha portarentur ad ambonem. *Quatuor Synodos Diptychis, Leonem Epiſcopum Romanum Diptychis, Diptycha ad ambonem;* nempe, ut publice legerentur, & populus audiret nomina quatuor Synodorum, & Leonis Papæ, & Macedonii, atq; Euphemii reſtituta. *Tempore autem Diptychorum cucurrit omnis multitudo, cum magno ſilentio circumcirca Altare: Et cum lectæ fuiſſent a Diacono appellationes ſanctarum quatuor Synodorum, & ſanctæ memoriæ Archiepiſcoporum Euphemii, & Macedonii, & Leonis, voce magna univerſi clamarunt, Gloria tibi Domine, & poſt hoc cum omni modeſtia completa fuit cum Deo Divina Liturgia*. Juſtinianus item Auguſtus in Epiſt. ad Epiphanium Conſtantinopolitanum, quam Codici inſeruit L. 7. de ſumma Trinitate §. 5. ait: *Nullus fruſtra nos turbet ſpe vana innixus, quaſi nos contrarium quatuor Conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibuſdam permittamus, aut aboleri eorumdem ſanctorum quatuor Conciliorum piam memoriam ex Eccleſiæ Diptychis ſuſtineamus*.

A ſacris Diptychis expungi pœna iis, qui vel a fide, vel a fidelium communione ſejuncti erant.

Diptycha Eccleſiaſtica a profanis diſtincta, & in quo.

(1) *In Onomaſtico ad vitas Patrum &c.*) De Diptychis, qui ſcripſerint, longe omnes ſuperavit Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius in Diſſertatione Hiſtorica de Synodo V. cap. v., ex quo nonnulla delibare, atque heic inſerere ad pleniorem illorum notitiam viſum eſto. Diptycha itaque Eccleſiaſtica nihil aliud erant, quam chartacei, ſeu membranacei Codices, in quibus Epiſcoporum, & aliorum Catholicæ Eccleſiæ fidelium nomina erant inſcripta, & in hoc diſtinguebantur a profanis Diptychis, quibus novi Conſulis nomen aureis characteribus ſingulis annis ſcribebatur, quod Diptycha profana, ſeu Conſularia, eſſent tabulæ, non membranaceæ, ſed eburneæ, ut colligitur ex Codice Theodoſiano, ubi extat reſcriptum ab Imperatoribus Valentiniano, & Theodoſio an. 384.

his

his verbis: *Illud etiam conſtitutione ſolidamus, ut, exceptis Conſulibus Ordinariis, nulli prorſus alteri auream Sportulam Diptycha ex ebore edendi facultas ſit*. Hæc profana, ſeu Conſularia Diptycha non uno in loco inter antiquiſſima Cimelia inventa publicavit, eaque perdocto Commentario illuſtravit Alexander Wilthemius in ſuo opere, quod inſcripſit: *Diptychon Leodienſe ex Conſulari factum Epiſcopale, & in illud Commentarius*; Leodii 1659. in fol.; Inde ex Hiſt. profanis, ſeu Conſularibus Diptychis, Catalogi, in quibus Epiſcoporum, aliorumque fidelium erant inſcripta nomina, Diptychorum nomen ſortiri cœperunt, & Conſularia Diptycha in ſacra, & Eccleſiaſtica mutari, quæ licet, ut diximus, eburnea non eſſent, ſed tantum membranæ quædam, has tamen coopertoriis eburneis, vel alterius prætioſæ materiæ tegumentis incluſas fuiſſe indicat Fortunatus lib. 10. carmine 7. de S. Martino, ubi ait:

Nomina veſtra legant Patriarchis atque Prophetis,

Cui hodie in templo Diptychus edit ebur.

De Diptychis autem ſive ſacris, aut profanis multa docte congeſſit laudatus Roſvveidus in Onomaſtico ad Vitas Patrum & Steph. Baluſius ad Capitul. Reg. Franc. col. 1129. aliique.

Hæc porro Diptycha Eccleſiaſtica tam ſacrorum Miniſtrorum, quam Laicorum; immo, & mulierum nomina complectebantur; quæ tamen ſic erant diſpoſita, ut in una pagina Epiſcopi, in alia Presbyteri, in altera Diaconi, atque ita diverſis etiam Laici, & fœminæ Diptychis conſignabantur. Patet id ex litteris Attici Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Cyrillum Alexandrinum, ubi de reſtituto Diptychis Eccleſiaſticis S. Joannis Chryſoſtomi nomine: *mentio, namque ejus*, (ſcilicet Chryſoſtomi) inquit, *ſit cum defunctis non ſolum Epiſcopis, ſed & Presbyteris, Diaconis, & Laicis ipſis, mulieribuſque &c. Magna eſt enim inter defunctos, & ſuperſtites differentia, ut etiam libri propter differentiam eorum, quorum memoria conſervatur, ſtatum, diſcreti ſunt*. Item conſtat ex Concilio Emeritenſi anno 666. Can. 19., ubi ſtatuitur, quod *eorum nomina, a quibus Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſiis videtur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viventes in Corpore ſint, ante Altare recitentur tempore Miſſæ, quod ſi ab hac luce diſceſſerint, nomina eorum cum fidelibus recitentur ſuo in Ordine*; notentur hæc ultima verba, quibus vides *ſuo in Ordine* quemque ſive viventem, ſive defunctum, ſacrum Miniſtrum inter ipſos, Laicum inter Laicos, & fœminam inter fœminas non promiſcue, & indiſcriminatim, ſed ſuo quemque in ordine viventem inter vivos, defunctum inter mortuos Diptychis conſignatum, &, ut vivens erat, recitatum fuiſſe.

Licet autem in ſumma veneratione apud fideles eſſent Eccleſiaſtica Diptycha, quippe, quæ inter ſacra Myſteria exponebantur, uti ex Liturgiis SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi conſtat, non tamen omnia fidelium, tam vivorum, quam defunctorum nomina in Diptychis ſcripta legebantur, ſive a Diacono, vel Subdiacono, ut nonnullis perperam viſum eſt; ad eam ſiquidem prolixam tot nominum recitationem, præſertim poſt fidem jam ubique terrarum propagatam, nec menſes fortaſſe, aut anni ſuffeciſſent, maxime in Urbibus, quæ numeroſi admodum populi multitudinem continerent, uti optime infra Card. noſter §. 2. & poſt ipſum alii, ſed delectius habebatur, atque eorum dumtaxat nomina publice e Diptychis Diaconus recenſebat, qui inter cæteros aliqua ſpeciali nota præeminebant, facta de reliquis generali tantum commemoratione, quemadmodum jam ſuperiori capite indicatum eſt §. 4. & 5. Hæc vero praxis ita compendioſe in ſacra Synaxi Diptycha Eccleſiaſtica legendi aperte colligitur ex Actis Synodi Conſtantinopolitanæ an. 518. celebratæ, in his enim legitur, quod cum populus conclamaſſet *Diptycha amboni*, & Joannes Patriarcha ſatisfeciſſet, *lectione juxta conſuetudinem facta, tempore Diptychorum concurrit omnis multitudo cum magno ſilentio circumcirca Altare, & audiebat. Et cum ſolum lecta fuiſſent a Diacono ..... Archiepiſcoporum .... nomina, voce magna clamaverunt: Gloria tibi Domine*. Eamdem praxim præſcribit mox annunciatum Emeritenſe Concilium, ut conſideranti patet, ubi *eorum* tantum *nomina a quibus Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel aliquid iis videtur, aut viſi ſunt contuliſſe* recitarentur. Cur autem in ſacris Liturgiis vivorum celebraretur memoria, docet Theodorus Antidorum Epiſcopus in Expoſitione Miſſæ: ut Subditorum ſcilicet erga Superiores obedientia, & viventium in eadem fide, ac myſteriis unio, ac commemoratio indicaretur; ita etiam propter unionem & concordiam, vivorum nomina inter ſacra myſteria recitari confirmat Relatio Joannis Epiſc. Conſtantinopolitani poſt Epiſt. 28. Hormiſdæ PP. Quomodo autem dicta fidelium nomina recitarentur ad Altare plenius exponetur infra cap. 14. §. 3.

(2) *Qui in Catholica communione deceſſerant.*) Vide Allatium de conſenſu Eccleſiæ Occident. & Orient. lib. 3. cap. 15. num. 4. Huic porro trinæ Diptychorum diſtinctioni ab Eminentiſſimo noſtro obſervatæ ſubſcribit Scheleſtratius de Concilio Antiocheno Can. 2. cap. 6. pag. 216. Item Carolus Dufreſnius in Gloſſario med. & infimæ Latin. Macri Fratres in Hierolex. Nic. Dumortier Etymol. ſac. aliique, & ante ipſos Joannes Gaſpar Svicerus Heterodoxus Scriptor in ſuo Theſauro Eccleſiaſtico ex PP. Græcis, deſumpto verbo *Diptycha*.

(3) *Ex priſcis Patribus allata ſunt.*) Quibus, & aliud S. Cypriani addimus teſtimonium Epiſt. 66. edit. Felli ad Plebem Furnitanam: *Quod Epiſcopi Anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, nequis frater excedens ad tutelam, & curam Clericum nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur; neque enim*

apud

apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Miniſtros voluit evocare.

(4) *Sed ex morte ad vitam diviniſſimam translatos.*) Ad hunc Dionyſii locum Hæreticus Scriptor mox indicatus Joannes Gaſpar Suicerus in dicto ſuo Theſauro Eccleſiaſtico, ubi de Diptychis mortuorum. „ Vides hic (nequiter, & falſo inquit) Sanctorum recitari nomina, de precibus pro iiſdem ne veſtigium quidem; Si ad vitam diviniſſimam ſunt translati, ad quid preces pro iiſdem? Conſideret hoc Allatius, conſiderent alii, & deſinant tandem aquam e pumice elicere „. Hæc malignus SS. PP. Interpres. At quæſo ecquid nobis impingit, quod pro Sanctis preces effundimus? Non enim pro illis, quos certo ſcimus ad vitam diviniſſimam translatos Deum precamur, ſed eorum precibus, ut apud Deum pro nobis intercedant, nos commendamus; *nos quidem eorum memoria, & imitatione ad Beatiſſimum illum ſtatum, quietemque Deiformem adhortando, ac manuducendo.* Id Dionyſius intendit, id ex eorum nominum recitatione nobis deprædicat Eccleſia, (vide infra ſequenti §. 2.) Pro mortuis vero, de quibus nobis non conſtat in Cœlis eſſe, preces, & ſuffragia elicimus, ut ad vitam illam diviniſſimam transferantur; Et id nos docet Theologia, id veterum Patrum traditio, id antiqua Eccleſiæ diſciplina. Faceſſat igitur Sectarius iſte, & conſideret id cum reliquis gregalibus ſuis; Defunctorum namque commemorationem, ac ſuffragia nunquam Novatores evellere poterunt ab Eccleſia Romana, ex priſca, & non interrupta ipſius traditione. Id inter veteres teſtatur Alcuinus lib. de Div. Officiis, ſive de celebr. Miſſæ, ubi ait: *Poſt ergo illa verba, quibus dicitur in ſomno pacis, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitarentur ex Diptychis nomina defunctorum.* Alcuino ſuccinit Remigius Antiſſiodorenſis pariter in lib. de celebr. Miſſæ, ibique teſtatur, quod *etiam hodie Eccleſia Romana recitat nomina ex Diptychis*; ſeculo ſcilicet nono, quo ipſe vivebat. Vide etiam infra cap. 14. §. 4., ubi de ſuffragiis pro Defunctis pene toto capite, & in notis noſtris agitur.

Gaſpar Suicerus Acatholicus Scriptor confutatus.

(5) *Ne gratiam, & communionem Romanæ Eccleſiæ amitteret.*) Eapropter Georgius Alexandrinus in vita S. Joannis Chryſoſtomi: *Jubet vero*, inquit, (Chriſtus) *nomen Joannis ſacris tabulis inſcribi, tamquam Patris digni, cujus fama celebraretur.* Hujus praxis Eccleſiæ documentum item habemus in Joannis Antiocheni Epiſtola ad Helladium Tharſi Epiſcopum, quando ille allata ſibi Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodica, noluit ejus nomen in Dipthyca recipere, uti videre eſt inter variorum PP. ad Concil. Epheſinum Epiſtolas a Chriſtiano Lupo editas cap. 48. ad quam in notis pag. 277. docte obſervat Lupus, quod omnes olim Patriarchæ ſua invicem nomina inſcriberent ſacris ſuarum Eccleſiarum Diptychis, ut ipſa ad ſacroſanctum Sacrificium per Diaconum recitarent, viventium, & mortuorum. Et inter ipſos numerari a S. Joannis Chryſoſtomi tempore cæperat Conſtantinopolitanus Epiſcopus. De Sancto Ephremio Antiocheno Patriarcha teſtatur Theophanes ejus ſucceſſor, qui dixit ad ſextam Synodum act. 10. *Ephremius hic erat Patriarcha Antiochiæ, & recenſetur in ſacris Diptychis Sanctæ, quæ hic eſt magnæ Eccleſiæ*: Ex quo colligi videtur alienorum Patriarcharum nomina recitata fuiſſe in ſolis Cathedralibus Eccleſiis. Sic de Baſſiano Epheſino, ac Sancto Proclo Conſtantinopolitano Patriarcha inter ſe conciliatis poſt lites circa Baſſiani promotionem Theophilus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter dixit ad Synodum Chalcedonenſem: *Baſſianum ſuſcepit ſanctæ memoriæ Proclus communicantem* &c. *Et in Diptychis poſuit ejus nomen, & recitabatur uſque ad modicum abhinc tempus*; Ita etiam horum exemplo Maximianus Conſtantinopolitanus, poſtquam nomen ſuum Neſtorii loco, cui depoſito ſucceſſerat, ſacris Diptychis inſcribi feciſſet, idem etiam apud Tarſenſem Eccleſiam fieri expoſtulavit, quem honorem, ut diximus, tunc alienis Patriarchis impendi conſueviſſe, ne dum in Patriarchalibus, ſed in aliis etiam Eccleſiis docemur. Nicephorus inſuper Gregoras Hiſt. Byſant. lib. 5. Papæ ſimul cum aliis Patriarchis factam in Diptychis Eccl. mentionem teſtatur, uti & Gregorius Pachymeres item lib. 5. aliique.

Omnes olim Patriarchæ ſua invicem nomina ſacris ſuarum Eccleſiarum Diptychis inſcribebant.

§. II.

Inſcripta Diptychis nomina virorum, & defunctorum. De ſolis vivis hic agitur.

CÆterum cum de Diptychis ſermo eſt, id minime prætermittendum, quod præter tabulas, quæ ſola nomina in Eccleſiis recitanda complectebantur, aliæ erant ab his diverſæ, in quibus omnium, qui ad Baptiſmum accedebant, nomina deſcribi ſolebant. Quam tabularum ſeu Diptychorum diverſitatem, quidam non attendentes exiſtimarunt omnium prorſus fidelium nomina intra ſacram Synaxim a Diacono lecta fuiſſe. Atqui hoc abſurdum omnino eſt. Fide enim jam propagata, & everſa idololatria ad eam recitationem nec menſes, nec anni ſuffeciſſent,

præ-

præſertim in Civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant. Delectus itaque habebatur, & in Diptychis tam viventium, quam defunctorum, quæ publice in Eccleſia recitabantur, eorum tantum nomina notabantur, qui inter cæteros aliqua ſpeciali nota præeminebant, facta de reliquis generali commemoratione (1). Jacobus Goar (1)
in variis lectionibus Liturgiæ Chryſoſtomi *pag.* 97. ex Codice MS. ducentorum, & amplius annorum Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Regis hanc brevem exhibet formulam commemorationis vivorum. *Memento mei, & cunctorum, & cunctarum. Joſeph ſanctiſſimi, & univerſalis Patriarchæ*, nempe Conſtantinopolitani, nomen enim Papæ ſcriptor Schiſmaticus omiſit, *Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hieroſolymorum, & pro oſſerente Domino Deo ſancta dona N. honorando Sacerdote, Sacerdotum etiam adſtantium, venerandi Presbyterii, miniſterii in Chriſto, & omnis ſacri Ordinis cœtu. Pro ſalute, victoria, permanentia devotiſſimorum, & Chriſtum diligentium Imperatorum noſtrorum: Devotiſſimæ, & Chriſtum amantis Dominæ noſtræ Hypomenes Monialis: Devotiſſimæ, & Chriſtum amantis Dominæ noſtræ Eugeniæ Monialis: Devotiſſimorum Chriſtum diligentium Imperatorum noſtrorum Joannis, & Mariæ. Pro pace, & conſiſtentia totius mundi, & ſanctarum Dei Eccleſiarum: Pro redemptione fratrum noſtrorum captivorum: Proſperitate, & firmitate Chriſtum diligentis exercitus: Reſidui populi ſalute; & cunctorum & cunctarum*. Porro hæc formula contractior eſt, alias autem ampliores eſſe non dubito. De Diptychis mortuorum infra agam. Vivi autem dicuntur offerre *pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ:* memoriæ Sanctorum *communicantes*, & eos venerantes; Eccleſia enim, quæ militat in terris, cum ea communicat, quæ in Cœlis triumphat.

In Diptychis inſcribendis olim delectus habebatur, & eorum tantum nomina recitata, qui præ cæteris eminebant.

Uſus commemorandi B. Virginem, & Sanctos in Miſſa immemorabili conſuetudine comprobatur.

Uſus autem commemorandi B. Virginem, & Sanctos in Miſſa omnium Eccleſiarum immemorabili conſuetudine comprobatur, ut patet ex earum Liturgiis. Cyrillus Hieroſolymitanus ſacram Synaxim deſcribens Catech. V. Myſtagogica aſſerit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras. Auguſtinus lib. de Virginitate cap. 45. *Fidelibus*, inquit, *notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur*. Idem tract. 84. in Joannem: *Ideo ad menſam Domini non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus; ſed magis, ut ipſi orent pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus*. Et ſerm. 17. de verbis Apoſtoli, *Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oretur: Pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur*. Agit de hac Sanctorum commemoratione apud Græcos Nicol. Cabaſilas *in expoſit. Liturgiæ cap.* 33. Maronitæ in ſua Miſſa hanc ipſam commemorationem ſic peragunt. *Memoriæ Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & totius diſpenſationis illius ſalutaris, quæ eſt erga nos recordamur in hoc momento. Item patris noſtri Adam, & matris noſtræ Evæ, & omnium hominum, qui placuerunt ante Deum ab Adamo, uſque in hodiernum diem, ſcienter autem & nominatim ſanctæ, & laudabilis Virginis, & in omni tempore Beatæ Genitricis Dei Mariæ, & Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Juſtorum, Sacerdotum, Patrum Sanctorum, & Doctorum, Rectorum, Religioſorum, & omnium Virginum, & Sancti N.*
ſupra cujus Altare oſſerimus (2). (2)

(1) *Facta*

(1) *Facta de reliquis generali commemoratione.*) Ita in Liturgia Baſilii: *Diaconus in circuitu ſacram menſam thurificat, & vivorum, atque defunctorum, quorum vult, Diptycha percurrit.* Vide dicta ab Eminentiſſimo cap. præcedenti §. 3.

In hac Sanctorum Commemoratione illud obſervat Eccleſia, quod & in veteri Teſtamento Antiquitas agere conſuevit.

(2) *Et Sancti N. ſupra cujus Altare offerimus.* In hac quidem commemoratione Sanctorum illud obſervat Eccleſia, quod antiquitas agere conſuevit, ut, nempe in orationibus ſuis, recolat Patrum memoriam, quatenus eorum ſuffragantibus meritis facilius quod implorat obtineat. Sic Moyſes pro peccante populo intercedens, Patrum memoriam interpoſuit Exodi 32. 13. *Recordare* (inquit) *Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum &c.* Sic, & Azarias oraſſe legitur in fornace Dan. 3. 35. *Neque auferas miſericordiam tuam a nobis Domine Deus noſter propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum. & Iſrael Sanctum tuum.* Multum enim merita Patrum filiis ſuffragantur; Ea propter cum Ezechias divinum poſtularet auxilium, audivit: *Protegam Urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum* 4. Reg. 19. & alibi 3. Reg. 11. *Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis; verumtamen una tribus remanebit ei propter ſervum meum David &c.* Hinc Sanctorum memoriæ communicamus in Sacrificio, quatenus in communione Sanctorum Sacrificium offeramus. Præterea notandum eſt, uti ex Bellote Obſervat. ad Ritus Eccl. Laudun. pag. 548. num. 8. ſcite advertit plu-

Cur nulla veterum Patriarcharum mentio fiat in Canone Romano.

ries a nobis memoratus Cajetanus Maria Merati parte 2. tit. 8. pag. 546. nullam in Canone Romano Patriarcharum fieri mentionem, quia licet per fidem, & devotionem Sacrificium hoc in Spiritu cognoverint, & ſpiritualiter participaverint, Sacramentaliter tamen eo nequaquam uſi ſunt, quod longe poſt eorum tempora noſcitur inſtitutum.

Porro hoc non obſtante apud Orientales præter S. Cyrilli teſtimonium ab Eminentiſſimo allatum, Liturgia S. Clementis vulgo dicta, atque in lib. Conſtitutionum Apoſtolicarum deſcripta, Patriarcharum, & Prophetarum mentionem habet, atque etiam in aliis Orientalium Liturgiis reperitur. Licet autem apud Occidentales hoc loco iidem non nominentur Patriarchæ, ipſorum tamen Sacrificia commemorantur poſt conſecrationem, uti infra videbitur. Mirabitur item quiſpiam cur commemoratis omnibus Apoſtolis, & Paulo pariter, qui poſt Chriſti mortem ipſis accenſitus eſt, nulla tamen de S. Matthia, qui, & eodem ferme tempore, cum Paulo fuit ſimilem ſortitus gradum, mentio in hac Canonis parte habeatur. At ratio diſparitatis hæc eſſe videtur; Sanctus

Cur item in hac Canonis parte nulla inter Apoſtolos S. Matthia fit mentio.

quippe Matthias non eſt in illorum numero, quos Chriſtus Dominus immediate per ſemetipſum elegit, & Apoſtolos nominavit, ſed ab undecim, aliiſque ſimul congregatis Diſcipulis, data ſorte, quæ Barſaba excluſo ſuper ipſum cecidit, in Spiritu Sancto ad locum miniſterii & Apoſtolatus, de quo prævaricatus fuerat Judas, cum dictis undecim annumeratus eſt. Non ſic autem Apoſtolus Paulus, quia hic magnus Gentium Doctor non ab hominibus, neque per homines electus eſt, ſed per ipſum Dominum Jeſum Chriſtum, uti legitur Act. cap. 9. 15. atque ab eodem ipſo Sacrificii hujus admirabilis Euchariſtici inſtitutionem accepit, numero, & Apoſtolico gradui adjunctus fuit, ut eſſet vas electionis, prædicator veritatis in univerſo mundo, portans nomen Domini coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Porro de S. Matthia fit mentio in illa Canonis parte poſt conſecrationem, quæ incipit *Nobis quoque peccatoribus*, quo loco de eodem iterum ſermo erit. Denique obſervandum, quod cum Beatiſſima Virgine Dei Genitrice Maria, & duodecim Apoſtolis, ac reliquis omnibus Sanctis communicantes, hos inter duodecim ſolent in Canone Romano connumerari Martyres, quibus in pleriſque antiquis Sacramentariis, ut notat Clar. Edmundus Martene de Ant. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 8. num. XVI. nonnulli adduntur Confeſſores; Ac præterea in quibusdam aliis ſacris Codicibus poſt dicta Sanctorum nomina additur: *Nec non & illorum Martyrum, quorum hodie ſolemnis in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* Quæ verba videntur addita fuiſſe ex inſtitutione Gregorii Papæ III. de quo Liber Pontificalis: *In Canone Miſſæ*, inquit, *hoc adjecit ita a Sacerdote dicendum; quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ Majeſtatis celebratur Domine Deus noſter in toto orbe terrarum.* In antiquo Sacramentario Gallicano hæc adduntur: *Et omnium Sanctorum tuorum, qui per univerſum mundum paſſi ſunt propter nomen tuum, Domine, quorum meritis &c.* Cæterum has additiones ea de re interrogatus a Guillelmo Abbate S. Albani haudquaquam improbavit Innocentius Papa III. ſi vera tradit Mattheus Paris in Vitis Abbatum S. Albani, ut mox infra obſervat Card. noſter. Denique in Miſſis privatis, in quibus non miniſtrabat Diaconus, aut Subdiaconus, (inquit Edm. Martene de Ant. Eccl. Rit. loco jam citato, lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 14.) ipſe Sacerdos nomina in Diptychis deſcripta, ut dictum eſt, recitabat. Sed ad reliqua hujus partis Canonis diſquirenda procedamus.

§. III.

Cur ſiat in Canone quorumdam Sanctorum commemoratio. Quædam notatu digna de SS. Coſma, & Damiano. Diverſos ſuiſſe mores Eccleſiarum in hac Sanctorum commemoratione.

In Canone Romano poſt B. Virginem, Apoſtolos, ac Martyres nulla Confeſſorum mentio, & cur.

IN Canone Romano poſt B. Virginem, & Apoſtolos, Martyres duodecim nominantur. Confeſſorum nulla ſit mentio, vel quia Martyres paſſionem, & mortem Domini, quæ in hoc Sacrificio repræſentatur, effuſo ſanguine imitati ſunt (1): vel quia Canon editus eſt, ante- (1)
quam Confeſſorum memoria celebraretur, de quibus ſilent tribus prioribus ſæculis Eccleſiaſtica monumenta (2). Quarto vero Gregorius Nyſ- (2)
ſenus Baſilii laudes celebravit in die anniverſaria obitus ejus, Gregorius quoque Nazianzenus Athanaſii. Obiit eodem ſæculo Martinus Turonenſis, cujus feſtivitas ſtatim coli cœpit, ut alibi notavimus, & ideo ſolus ex Confeſſoribus officium proprium in vetuſtiſſimis Breviariis habet, quia ipſi primo publicus ab Eccleſia cultus tributus eſt. Cur autem Lini, Cleti, Clementis (3), & cæterorum potius quam aliorum mentio fiat, (3)
evidens ratio aſſignari non poteſt, & fortaſſis non una & eadem omnium, & ſingulorum eſt (4). Porro omnes, qui hic nominantur, vel Romæ (4)
paſſi ſunt, vel in locis Romano Patriarchatui immediate ſubjectis: ex qua conſideratione hæſi diu anceps, neſciens, qua de cauſa ſoli inter Orientales Coſmas, & Damianus Arabes, & in Aegæa Civitate martyrio coronati hoc loco recenſerentur. Sed tandem inveni tria fuiſſe paria Sanctorum ejuſdem nominis Coſmæ, & Damiani: Unum Martyrum in Arabia, alterum Confeſſorum in Aſia, tertium Martyrum, qui Romæ martyrium ſubjerunt. Extat de his ex MSS. Græcis Syntagma Hiſtoricum Viennæ in Auſtria editum, Interprete Simone Wangnereckio. Arabum memoria in Menæis legitur die XVII. Octobris, Romanorum I. Julii, Confeſſorum I. Novembris. Quomodo autem Latini ſolos Arabes colant die XXVII. Septembris, qua Romano Martyrologio inſcripti ſunt, quomodo confuſa ſint horum omnium acta, & quid in notis ejus diei peccaverit Baronius, erudite pertractat Reinoldus Dehnius in Præfatione apologetica prædicto Syntagmati præfixa. Credibile eſt amiſſa fuiſſe acta Romanorum, & per ignorantiam ſeu negligentiam ſubſtitutos Arabes, quorum paſſio illuſtrior fuit. Omnes profeſſione Medici fuerunt, & dicti Anargyri, quia ſine pretio ægrotos curabant. Ex qua profeſſionis, & nominum ſimilitudine facile æquivocatio, & confuſio oriri potuit. Agit etiam de his Florentinius in ſuo Martyrologio ad diem XXVII. Septembris, ubi optime advertit Romanis in Urbe dicatam Eccleſiam, eorumque Natalitia tum in veteri Kalendario, tum in libro Sacramentorum S. Gregorii V. Kal. Octobris inſcripta fuiſſe. Et hos proculdubio eſſe cenſeo, qui in Canone nominantur (5). Ambroſiani poſt Apoſtolos (5)
addunt Xyſtum, Laurentium, Hippolytum, Vincentium, Cornelium, Cyprianum, Clementem, Chryſogonum, Joannem, & Paulum, Coſmam, & Damianum, Apollinarem, Vitalem, Nazarium, & Celſum, Prothaſium, & Gervaſium, Victorem, Naborem, Felicem, & Calimerum (6). In libro Sacramentorum Petaviano poſt no- (6)
mina Coſmæ, & Damiani hæc addita ſunt, Dionyſii, Ruſtici, & Eleuterii, Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. In

In aliquibus tamen particularium Eccleſiarum Sacramentariis addita Confeſſorum nomina.

Co-

Codice Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ paris antiquitatis cum ſuperiori *num.* 495. adduntur nomina Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, & manu recentiori Vuldarici, Adalberti. Codex item Vaticanus *nu.* 4772. addit Donatum, Hilarinum, Laurentinum, & Pergentinum. Et alius num. 4770. Hilarium, Martinum, Auguſtinum, Gregorium, Hieronymum, Ambroſium, Benedictum, Iſidorum (7). (7)
Eadem nomina Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, & Benedicti leguntur in libro Sacramentorum, quem edidit Menardus. At hæc additamenta particularium Eccleſiarum fuerunt: nam Ordo Romanus eos tantum Martyres admiſit, qui in hodierno Canone ſunt, confeſſoribus ſemper excluſis. Quare nonnulli haud temere exiſtimarunt Lucam, & Marcum Evangeliſtas non eſſe in Canone, quia dubium eſt an fuerint Martyres (8), Adjungunt aliqui Codices (9) nomen Sancti, (8) (9)
cujus ea die feſtivitas celebratur, quod ex Liturgiis Baſilii, & Chryſoſtomi deſumptum eſt. Refert etiam Matthæus Pariſ. in vita Gulielmi Abbatis S. Albani interrogatum Innocentium III. an liceret addere in ſecreto Miſſæ nomen illius Sancti, cujus corpus in Eccleſia requieſcit, reſpondiſſe id ſibi dignum, jurique conſonum videri. Sed nihil addendum eſſe jam ſupra oſtenſum eſt.

(1) *Effuſo ſanguine imitati ſunt.*) Uti Durandus in ſuo Rationali Div. Offic. exiſtimat. Et quidem de ſolis Martyribus in Canone Miſſæ fit mentio, quod Martyres ſoli, non Confeſſores per effuſionem ſanguinis imitati ſunt Chriſti paſſionem, quæ vere, & realiter, licet modo incruento, in Sacrificio Miſſæ repræſentatur, inquit nuperus ac nobilis Scriptor Hieronymus Criſpi Archiepiſc. Ravennæ Diſſert. Myſteriorum Evang. Legis, ac Sacrificii Miſſæ pag. 131.

(2) *Eccleſiaſtica Monumenta.*) Uti Innocentius III., Bellarminus, aliique adjudicant, de quibus ſupra lib. 1. cap. 15. num. 2. Adjicimus hic Beatiſſimam Virginem Mariam recte, uti Martyrum Reginam in Eccleſia, tum hoc loco, tum in Litaniis publicis celebratam præ cæteris collocari, & nominari; etenim vere martyrem fuiſſe affirmant Epiphanius her. 78., & Sanctus Hieronymus Serm. de Aſſumptione B. Mariæ, ibi: *Recte igitur Beata Dei Genitrix, & Virgo, & Martyr fuit: quamvis in pace vitam finierit. Hinc quoque, quod vere paſſa ſit, teſtatur Simeon Propheta, ad eam loquens: Et tuam,* (inquit) *ipſius animam pertranſibit gladius. Ex quo conſtat, quod ſupra Martyrem fuerit.* Et paulo poſt; *Et atrocius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, pluſquam martyr fuit &c.* Quæ totidem fere verbis repetit Sanctus Hildephonſus, qui ante nongentos annos floruit Serm. 2. de Aſſumptione Beatæ Mariæ. Videndus item S. P. N. Bernardus Serm. 12. de Stellis, qui melliflue de ejuſdem B. Virginis martyrio juxta dictorum PP. ſenſum diſſerit. Hæc ipſius verba ſunt: *Martyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipſa Dominicæ Paſſionis Hiſtoria commendatur.* Et poſt pauca: *Tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut pluſquam Martyrem non immerito prædicemus.* Merito ergo B. Mariæ Virginis, ne dum propter excellentem præſtantiam, ſed & quia Martyr eſt; immo pluſquam Martyr, hac in Canonis parte ſit commemoratio.

(3) *Cur autem Lini, Cleti, Clementis.*) De ſucceſſione primorum trium Pontificum, qui B. Petro immediate ſucceſſerunt variæ ſunt veterum Sententiæ. Et quidem, ut de Sancto Clemente I. ex quodam Poeta, inquit Burius Rom. Pontif. Not. *Diſceptat Mundus, ſit quartus, ſitne ſecundus.* Vide Scheleſtratium Antiqu. Eccl. Diſſert. 2. cap. 1. Videndus item uterque Pagius, ex quibus fortaſſe motus Illuſtr. Præſul Franciſcus Blanchinus Lini Succeſſorem, non Cletum, ſed Clementem in ordine habendum pluribus teſtimoniis, rationibus, ac monumentis probare nititur, in ſuo Anaſtaſio Tom. 2. pag. 31., & ſeqq. Qui omnes Cletum Clementi immediate ſucceſſiſſe contendunt, ex eo quod nonnulli notent Scriptores Clementem a Petro in ſucceſſorem vocatum fuiſſe, ad illud reſpicientes a Tertulliano obſervatum, qui lib. de Præſcript. adv. hær. cap. 32. Clementem ab eodem Petro ordinatum affirmat; & poſt ipſum Epiphanius luculenter affirmat in Panario ad hæreſim 27. Clementem ſcilicet ab ipſo Petro manuum impoſitionem accepiſſe, ſed Epiſcopatus exercitium ad Lini uſque & Cleti obitum, quos idem Apoſtolorum Princeps ſibi in partem ſollicitudinis adjunxerat, diſtuliſſe. Hinc quidquid alii autument ex vulgato ſub nomine Damaſi de Romanis Pontificibus libro non magni faciendum eſſe exiſtimarim, veteres quippe rerum Eccleſiaſticarum Conditores Cleto Clementem ſucceſſiſſe unanimi ſenſu teſtantur. Quin & Author Carminum contra Marcionem lib. 3. in fine operum Tertulliani, ne dum tertio loco poſt Petrum Clementem ſtatuit., verum etiam quarto, nimirum poſt Anacletum. Quod ipſum licet & quidam alii inter antiquos pariter ſcripſerint,

De primis B. Petri ſucceſſoribus variæ eruditorum ſententiæ.

rint, attamen poſt Cletum, ſed ante Anacletum Romanæ Eccleſiæ Clementem præfuiſſe, Card. Baronii ad an. 69. num. 41. & ſeqq. Spondani, aliorumque, quos ipſi referunt, teſtimonia ſuadent, cum alioquin perſpicuum ſit pleroſque, & maxime Græcos, ſeu Scriptoris vitio, ſeu alia ex cauſa Cletum, & Anacletum unum, eumdemque Pontificem opinantes confudiſſe, quibus adhærere non dubitavit Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Sec. 1. Diſſert. 14. Lino igitur, & Cleto certa eſſe Sedis tempora tribuenda, ipſiſque Clementem immediate ſucceſſiſſe nemo non videt; id quod & majores noſtros cognoviſſe compertum eſt, cum qui primam Romanorum Pontificum ſeriem numerarunt, vel alias de Petri Succeſſoribus meminerunt, omnes ſemper tertio loco poſt Petrum poſuerint Clementem. Et Hieronymus Romanæ Eccleſiæ alumnus, etſi aliquando in Comment. ad Iſaiæ cap. 52. & lib. 1. cap. 7. adv. Jovinianum dixerit obiter Clementem ſucceſſiſſe Petro, cum tamen de Clemente diligentius inquiſierit, uti in Catalogo Script. Eccleſiaſt., illum poſt Linum, & Cletum in Apoſtolica Cathedra ſediſſe affirmavit; hancque fuiſſe & eſſe ejuſdem Romanæ Eccleſiæ traditionem locuples teſtis eſt ipſius Martyrologium ad dies 26. Aprilis, 23. Septembris, & 23. Novembris, dum agit de Sede Lini, Cleti, & Clementis, & de iſto hæc habet: *Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius poſt B. Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuit.* Hinc recte concludendum cum Card. Baronio in Notis ad dictum Martyrologium, ubi de Lino agit: „ In Annalibus „ Eccleſiaſticis, (inquit) pluribus diſſeruimus adverſus eos, qui ſcripſerunt Linum „ & Cletum vivente Petro tantum adminiſtraſſe Eccleſiam, & eo defuncto ſuffectum fuiſſe Clementem, conatique ſumus „ diligenter oſtendere eam opinionem parum eſſe probabilem, & non ſolum a „ ſupraſcriptis Authoribus, ſed ab Hiſtoriæ „ veritate prorſus diſſentire.

Quibus non obſtantibus comprobatur Lino & Cleto Clementem ſucceſſiſſe.

Quare autem in Canone Miſſæ tantæ vetuſtatis, atque authoritatis autographo præponatur Clementi Cletus, quem abdicanti datum Succeſſorem aſſeruit ſupra laudatus Blanchinus loco indicato, ipſe ut ſuam utcumque opinionem firmet, reſpondet Cletum ex ſua ſententia, & ex Catalogorum Chronologia Conſulari, & Cæſarea ſerius quidem admiſſum ad Maximi Pontificis munus gerendum in Eccleſia, quam Clementem, ſed ad martyrii gloriam in Cœlis conſequendam maturius perveniſſe, & propterea in Diptychas Martyrum relatum annis pluribus ante Clementem, qui poſt abdicationem diuturno exilio probatus a Domino uſque ad annum Trajani tertium vitæ eſt reſervatus, teſte Hieronymo de Script. Eccl. Videmus itaque, ait, in Canone Miſſæ Ordinem temporis, quo quiſque obiit e vita in Martyrum claſſibus retineri, tum in precibus ante conſecrationem, ubi nomina recenſentur, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Joannis, & Pauli; tum peracta conſecratione, ubi ſociari poſcimus cum Joanne (Precurſore, ſeu Baptiſta) Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, licet Apoſtolatus munere Matthias, & Sacerdotii gradu, tum ipſe, tum cæteri, qui conſequuntur, Stephano Diacono ſint præmittendi. Par igitur ratio eſt præponendi Cletum Clementi, cum Cletus anno Chriſti 83. Domitiano 8., & Rufo Conſulibus ſanguinem pro Chriſto fuderit; Clementi vero eadem Corona ſerius contigerit circa annum Chriſti 100., qui Pontificalem prætulerat ex 68. ad 77. Hactenus Blanchinus. Verum quidquid urgeat Clariſſimi Viri ſententia, jam ex Romanæ Eccleſiæ traditione, quam veterum plurimi confirmant, videlicet S. Irenæus lib. 3. adv. hær. cap. 3. Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 2. 12. & 16. S. Epiphanius ad Hær. 27., & S. Hieronymus de Script. Eccl. in Clemente, aliique multi, habemus eumdem Clementem tertio loco poſt Apoſtolorum Principem Romanam Cathedram tenuiſſe, idque etiam ex traditione Hiſpanienſis Eccleſiæ, quæ in Breviario Toletano, quod S. Iſidori eſſe dicunt, in ſacro Hymno S. Clementis laudes celebrante ſic canit:

Romanæ Sedis tertium Antiſtitem,
Quem Chriſtus ſibi conſecravit Martyrem.

Tertium ſcilicet, ut dictum eſt, poſt B. Petrum, quemadmodum clare exprimit laudatus Epiphanius loco citato, ubi data occaſione Romanorum Pontificum ſeriem ad ſua uſque tempora recenſet his verbis: *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter, atque Epiſcopi fuerunt, inde Linus, tum Cletus, poſt hunc Clemens &c.* Atque poſt nonnulla: *Sed utcumque ſeſe res habuerit, Romanorum Pontificum iſta ſucceſſio eſt. Petrus & Paulus, Linus, ac Cletus, Clemens, Evariſtus &c.* Hanc porro antiquiſſimam traditionem confirmant, Litania vetus Ordinis Romani, in qua hoc ordine invocantur, *Sancte Line ora pro nobis, Sancte Clete ora &c. Sancte Clemens ora &c.* quam etiam fuiſſe in uſu Eccleſiæ Pariſienſis a ſæculo octavo ſcribit Clar. Muratorius nuperrime in Liturgia Romana vetere ab ipſo edita Tom. 1. pag. 78. Ita & hunc ordinem ſucceſſionis ſervant duo vetuſtiſſimi Romanorum Pontificum Indices quos edidit Jo. Mabillonius Analectorum ſuorum Tom. 3. aliique veterum permulti, quos recenſere ſupervacaneum eſt; Quare in hac priorum Romanorum Pontificum ſucceſſionis ſerie, quam ſacer exhibet Miſſæ Canon, & clare, ut libuit, eam illuſtrare conati ſumus, non videtur aliquid amplius in contrarium reponi poſſe, ſalvo meliori eruditorum judicio.

Ad pleniorem autem dictorum confirmationem addi cenſemus, licet non omnibus ignotum, quod ex veterum nonnullis ait recens Scriptor Guill. Burius ſupra laudatus in Romanorum Pontificum brevi notitia edit. Venetæ p.7. in Clemente: „ Invaluit, ait, apud aliquos „ opinio Linum & Cletum nequaquam poſt „ Petri obitum ſuffectos fuiſſe, ſed tantum „ viventis adhuc, dum univerſalis Eccleſiæ „ ſollicitudine ſæpe in diverſas Provincias evo-

„ evoearetur, Coadjutores fuiſſe; & quidem „ Petrus paulo ante obitum Clementem Romanum Pontificem, & Succeſſorem ſuum „ deſignaverat, verum Petro e vivis ſublato „ ceſſit humiliter ipſe re, & nomine Clemens .... atque ſubire munus illud recu- „ ſavit, idque non ſine divino conſilio, ne „ ſuprema Eccleſiæ dignitas, poteſtas hæreditaria fieret, & arbitrio unius, non totius „ multitudinis electione adminiſtranda crede- „ retur, neve in poſterorum exemplum „ tranſiret facultas cuilibet Papæ Succeſſorem ſibi in Pontificatu eligendi, ſicque „ libertas Eccleſiæ in conſtituendo ſupremo „ univerſali Paſtore iſto modo adimeretur. „ Clemens itaque fuit ſecundus Petri deſi- „ gnatione, non Eccleſiæ nominatione, „ aut electione, quæ Lino primum, ac deinde Cleto tributa fuit, quibus poſtea ſuc- „ ceſſit Clemens, & quartus ipſe, ſeu tertius poſt Apoſtolorum Principem Pontificatum iniit „. Hactenus ex Butio, qui eadem jam in Lino expreſſerat. Atque his de Clementis I. ſucceſſione ſapientibus, & inſipientibus debitores, in Liturgici ſtudii Candidatorum gratiam ſatis abunde dixiſſe arbitramur.

Joannes Launojus notatus, quoad diverſum unius ab alio cultum Sanctis ab Eccleſia exhibitum.

(4) *Et fortaſſis non una, & eadem omnium, & ſingulorum eſt.*) Ita etiam ait Johannes Bechoffen in expoſitione Miſſæ. Hinc conjici liquet, quam futilis ſit Johannis Launoii animadverſio, qui in quadam Epiſtola ſua ad Jacobum Bevilaquam, gallice Boileau, ut ſibi falſum aſſumptum probet, Sanctum Stephanum Pontificem, dum Sancti Cypriani opinionem damnavit de Baptiſmate Hæreticorum, in errorem adverſum incidiſſe. „ In Canone Miſſæ, inquit, adſcriptum eſt „ nomen Cypriani, non Stephani „, ex quo, aliiſque flocceis momentis arguit Sanctum Cyprianum pluris in Eccleſia ſemper habitum fuiſſe, quam Stephanum; At quantum hallucinetur Doctor iſte Sorbonicus, oſtendunt tot Pontifices a Sixto ad Cornelium, qui in eodem Canone prætermiſſi ſunt, inter quos S. Fabianus, cujus feſtum Eccleſiaſtico officio duplici cum Sancto Sebaſtiano celebratur, ex quo aliud ipſius retorquetur argumentum ibidem deſcriptum, ut ſuum errorem confirmet „ Eccleſia, inquit, Ro- „ mana Sanctorum Cornelii, & Cypriani „ diem feſtum ritu agit ſemiduplici, ſimpli- „ ei autem Sancti Stephani memoriam, hinc „ pluris habiti Cornelius, & Cyprianus, „ quam Stephanus „; Profecto, ſi verum eſſet id Launoii commentum, quotquot Sancti ab Eccleſia aliquo officio duplici, aut ſemiduplici honorati pluris ab ipſa, quam cæteri habiti dicendi erunt? Sic Confeſſorum, & Virginum plerique, qui ritu etiam ſolemni, & peculiari ab eadem celebrantur, Martyribus erunt præponendi, cum tamen Eccleſia, ſive in Litaniis, ſive in aliis quibuſcumque tum publicis, tum privatis orationibus poſt Apoſtolos, Martyres prius invocet, quam Confeſſores.

Cur poſt Cornelium Cypriani nomen, non Stephani in Canone adſcriptum fuerit.

Cur autem in Canone poſt Cornelium Cypriani nomen adſcriptum fuerit, non Stephani, ea videtur eſſe ratio, quod poſt Pontifices Romanos ibi deſcriptos, qui in tribus primis Eccleſiæ perſecutionibus Romæ paſſi ſunt, æquum erat, ut & Martyr aliquis inſignis, ac ſimul Epiſcopus recenſeretur; cumque Sanctus Cyprianus Carthagine Romæ Æmula primus ibi inter Epiſcopos martyrium ſubierit eodem die, quo Romæ Cornelius, ſic poſt ipſum in Canone recenſetur, deinde alii nonnulli diverſi gradus, & ſtatus juxta ordinem temporis, ut diximus, quo paſſi ſunt.

(5) *Qui in Canone nominantur*). Huic opinioni tamquam veriori ſubſcribunt Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sæcul. 6. cap. 2. art. 4. Pagius Brev. Geſt. Pont. in Felice IV. n. 3., & noviſſime Antonius Sandinns Vit. Pont. Rom. ex antiquis Monumentis ſelect. pag. 140., quibus tamen refragatur Tillemontius Hiſt. Eccl. Tom. 5. ad perſecutionem Diocletiani nota 83., pag. 652. Edit. Ven., aſſerens id admodum exceſſivum, & improbabile, quod tria paria Fratrum eognominum Medicorum ſimul, & Martyrum duorum, alioromque Confeſſorum, ac proinde nonnullis ſibi bene viſis rationibus unicos tantum fratres Coſmam, & Damianum, hoſque Arabes, aliis excluſis, extitiſſe contendit; At non video cur ex hoc improbabilitatis argumento, Menologio Baſilii apud Ughellium Ital. Sacr. Tom. 6. colum. 1106. Menæis, Typico, aliiſque Eccleſiaſticis Græcorum libris, in quibus horum parium fratrum Sanctorum mentio reperitur; cur denique Eccleſiæ Orientalis hujuſmodi publicæ traditioni derogari queat, cum in ore duorum, aut trium teſtium ſtet omne verbum.

Clar. Tillemontius notatus quoad SS. Coſmam, & Damian. Fratres, & Martyres.

Miratur Tillemontius, quod tres gemini fratres ejuſdem nominis, & probationis diverſis loco, & tempore extare potuerint; at mirari ne poterit mirabilem eſſe Deum in Sanctis ſuis! quem, ut idem ibidem Tom. 2. adnot. in Sanctam Teclam pag. 528., & 529. ait, revera manifeſtum eſſe ipſum Dominum circa Sanctos, identidem voluiſſe, ut aliqua etiam adverſus naturæ ordinem acciderent; quo tum, non vero alias, ejus poteſtas effulgeret; quamquam alias id naturaliter accidere potuiſſet tria paria fratrum reperiri ejuſdem nominis, profeſſionis, & virtutis, maxime vero diverſis loco, & tempore, ut iſti fuerunt; *Sicut enim*, inquit Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib. 3. cap. 69. *poteſt unus homo plura nomina habere, multo magis poſſunt & unum nomen habere diverſi homines.*

Iterum autem inſurgit Tillemontius, & adverſus ea, quæ mox dixit Emin. Author, nmnes ſcilicet Sanctos Martyres, qui nominantur in Canone, vel Romæ paſſos eſſe, vel in locis Romano Patriarchatui immediate ſubjectis, reponit Sanctos Cyprianum, Perpetuam, & Felicitatem in Africa martyrium ſubiiſſe, Sanctas Agatham, & Luciam Siciliæ paſſas, & Sanctam Anaſtaſiam Illyrici ad Dominum migraſſe, deinde ſubdit difficile admodum probatu fore, quod Africa, quod Illyricum ſub Patriarchatu Romano umquam fuerint. At fallitur eruditiſſimus Cenſor, omnes enim Africæ, & Illyrici Provincias Romano Patriarchatul ſubditas fuiſſe luculenter oſtendunt Carolus a Sancto Paulo Abbas Fulienſis noſter in ſua Geographia Sacra,

ac Lucas

ac Lucas Holſtenius in notis ad eamdem; & quidem, quoad Africam primus a pag. 79. ad pag. 140. ſecundus in Annot. Romæ editis a pag. 33. ad 106. Quo vero ad Illyricum Carolus part. 19., & Holſtenius ibidem p. 1., ubi hæc habet „ Patriarchæ Romani juriſdictio abſoluta in univerſum Illyricum multis Epiſtolarum documentis probatur in Concilio Romano Bonifacii Papæ II.. Idque videre eſt in ſua Collectione Romana bipartita part. 1. pag. 56., ubi in dicta Synodo ex teſtimonio Theodoſii Echinienſis Epiſcopi Provinciæ Theſſaliæ, dicitur Apoſtolicam Sedem, quamvis in toto Mundo Eccleſiarum ſibi jure vindicet principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe, quòd, & pluribus Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Xiſti Romanorum Pontificum Epiſtolis, aliiſque quarti, & quinti ſæculi monumentis confirmatur. Vide etiam Parte 2. pag. 270., ac ſeqq. de Sicilia, nulla eſt controverſia, Sanctus quippe Gregorius Magnus eamdem in pluribus Epiſtolis ad Romanæ Eccleſiæ juriſdictionem pertinere declarat, ac proinde laudati Authores ipſam cum cæteris ſub Apoſtolicæ Sedis Patriarchatu conſtituunt „. Hæc pro tuenda Emin. noſtri ſententia adverſus Tillemontium, cujus nihilominus celeberrimi Scriptoris miram eruditionem ſuſpicio, quamquam multa critice ſcribenti nonnulla quandoque excidere cenſura digna, nedum humanum, ſed & facillimum ſit.

Porro Cardinalis Baronius, ut ſcite obſervat Florentinius in diffuſa de Sanctis Coſma, & Damiano adnotatione, vidit varia horum Sanctorum Martyrum Acta, erroribus, & implicationibus referta, qualia nempe apud Legendarios extant, quæ ſi quis tueri velit, alios Coſmam, & Damianum conſtituere neceſſe habeat, & quidem Romæ Martyres, alibi Confeſſores admittere, eoſque non ſemel geminatos. Ita prorſus facere Wangnerechius, & Dehnius, ambo Societatis Jeſu ex veteribus, ut ajunt, Græciæ monumentis in Syntagmate hiſtorico *de tribus Sanctorum Anargyrorum Coſmæ, & Damiani nomine paribus*, edito Viennæ 1560., quo terna illa Græcorum diſtinctio contra Latinorum confuſionem acriter defenditur, in ea nimirum ſuppoſitione, qua illi alios Coſmam, & Damianum I. Julii, alios XVII. Octobris, alios I. Novembris, aut diebus aliis recolunt. Viderat hæc pridem Baronius, ſed rejecerat, nec ſcio equidem, an ſatis tute digeri poſſint, tametſi Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moſcis eo inclinari videatur. Nihil ego hic inconſulte definiam; quoniam longo, & maturo examine opus eſt, & noſter libellus ſuppreſſo Paſſionis die ad ſolam Sanctorum Martyrum medicam artem orationes omnes componit. Ita ingenue Eruditiſſimus Florentinius. Quoad plenam autem horum Sanctorum cognominum ſimul, & Anargyrorum notitiam prætereundum non eſt extare Tomo I. Auctarii Magnæ Patrum Græcorum Bibliothecæ Pariſinæ egregium Georgii Metropolitæ Nicomedienſis encomium de SS. Anargyris Theodotæ filiis a P. Franciſco Combefis latinitate donatum, in quo Theodotam quoque matrem Cælitibus adſcriptam aſſerit, ſed cum in elogió Martyres non appellentur, laudatus Florentinius ſuſpicatur illud dictum eſſe de SS. Coſma, & Damiano Confeſſoribus, quamvis Combefiſius in notis illud Martyribus adſcribat. Atque hæc de iiſdem ſatis.

(6) *Felicem, & Calimerum*). Quorum novem ultimi Mediolani Martyrum ſubiere, quoſque Ambroſius Canoni Miſſæ adjunxit cum SS. Gervaſii, & Protaſii Martyrum ſacra Corpora reperiſſet; quemadmodum Sanctum Vincentium Martyrem Hiſpanum, eidem addidit Theodoſii Imperatoris item Hiſpani rogatu; qui etiam S. Antiſtes, & Eccleſiæ Doctor eidem adſcripſit SS. Hippolytum, & Appollinarem, uti ſuſius Clariſſimus Præſul Carolus Septala Epiſcopus Dertonenſis in Explic. Myſt. Miſſæ cap. 30. num. 16., & ſeqq.

(7) *Ambroſium, Benedictum, Iſidorum, &c.*) Hæc eadem Sanctorum nomina leguntur in Codice Biblioth. Chiſiæ circa ann. 900. conſcripto.

SS. Marcus, & Lucas Evangeliſtæ dubium, an vere in martyrio occubuerint.

(8) *Quia dubium eſt, an fuerint Martyres*). Profecto de SS. Marci, & Lucæ Evangeliſtarum martyrio non una eſt Veterum ſententia, ac proinde ex hac varietate nihil indubium hauriri videtur. Et quidem de Marco agunt Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 14. 15., & lib. 3. cap. ult. Hieronymus de Script. Eccl., Iſidorus de vita, & obitu SS. verum horum nemo illud martyrio occubuiſſe ſcribit. Martyrem tamen affirmat Gelaſius Papa I., qui longo tempore poſt Euſebium, & Hieronymum vixit, ſæculo ſcilicet labente quinto, in Decreto de libris ſacris, & Apocr., cui conſonant Martyrologia, atque inter Græcos benemulti. Martyrem item Lucam inter cæteros recenſet S. Gregorius Nazianzenus Hieronymi Magiſter Orat. 3. in Julianum, cui ſubſcribit Paulinus Epiſt. 12. ad Severum his verſibus:

Hic Pater Andreas, & magno nomine Lucas.
Martyr, &c.

Alii etiam adſtipulantur Græcorum Hiſtorici, atque nonnulli ex Latinis Patribus: Hieronymus tamen, & Metaphraſtes de ipſius ætate, in qua migravit ad Dominum; mentionem quidem habent, uti & Menologium Græcorum, ac Iſidorus loco cit.; at de ipſius martyrio ſilent. Quare cum tantum pro Chriſto dictos Sanctos Evangeliſtas multa perpeſſos fuiſſe conſtet, uti ex veterum monumentis tradit Martyrologium Romanum, eoſdemque an in ipſo occubuerint martyrio incertum ſit, ac proinde item dubium, an dici poſſit reapſe de eorum ſingulo: *Hic eſt vere Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit, &c.* Ea propter ſapientiſſime Eccleſia eos Sanctis Martyribus pro Chriſto paſſis accenſet quidem, at in Canone cum cæteris, qui ſanguinem ſuum fuderunt pro Domino, & ipſo occubuere martyrio ſociare, & exprimere non cenſuit.

Eadem

Nullus Sanctorum in Canone poſt Apoſtolos, niſi certo Martyr appoſitus.

Eadem ratione Recentiorum alii, nec ſine fundamento putant Xiſti Papæ nomen, quod in canone poſt Clementem, & ante Cornelium legitur, non eſſe Xiſti primi, ſed ſecundi; etenim cum, ut dictum eſt, in eodem Miſſæ Canone nullus poſt Apoſtolos, niſi certo Martyr appoſitus fuerit, & ex Actis Sancti Laurentii conſtet Xiſtum II. martyrio affectum Romæ fuiſſe ſub Valeriano Imperatore, quod non niſi obſcure de Xiſto I. aſſeri poteſt; hinc probabilius concludunt hoc Xiſti nomen de ſecundo potius, quam de primo debere intelligi, ut ita etiam cum Laurentio ejus Diacono, & Coronæ conſorte, ac in dicto Canone deſcripto ſociaretur. Præterea cum nulla uſquam fiat commemoratio Xiſti I. in officio divino, neque in Breviario Romano, neque in alio aliquo particularium Eccleſiarum; e contra vero Xiſti II. hæc ſolemnis ſit in omnibus Breviariis triduo ante Feſtum S. Laurentii, utique probabilius videtur Xiſtum, cujus ſit officium in Eccleſia, illum eumdem eſſe, qui legitur in canone, potius quam Xiſtum, cujus nulla extat commemoratio; atque adeo comprobari Xiſtum, cujus nomen in canone deſcriptum extat, ſecundum eſſe, non primum, neque officit Eccleſiam in canone primum poſuiſſe Xiſtum, quam Cornelium, ac proinde de primo, qui præceſſit, non de ſecundo, qui ſucceſſit, intelligendum, quia Eccleſia, cum non omnes Martyres Pontifices in Canone recenſeri exiſtimaverit, ſicque in his recenſendis illorum ordinem ſervare non judicaverit, ut in nota antecedenti diximus, potuit & hunc Xiſtum II. non primum ibidem ponere, & quidem, ea arbitror ratione, primo, quia noluerit Cornelium a Cypriano diſtinguere, qui cum ipſo eodem die paſſus eſt, cujuſque ſimul feſtum celebrat; ſecundo, quia incongruum videri poterat meminiſſe Cypriani Epiſcopi ante Xiſtum Romanum Pontificem, adeoque prius mentio Xiſti debuit fieri, quam Cornelii, & Cypriani. Hinc miror Emin. noſtrum, Hugonem Menardum in notis ad Sacramentarium Gregorii, Mabillonium, Martene, alioſque Rerum Liturgicarum Scriptores; viros cætera eruditiſſimos id non obſervaſſe; at non omnia perſpicere humanum eſt, quin etiam convenientius dicere fas eſt magnos viros in magna rerum ſcribendarum copia, in opulenta eruditionum meſſe glorioſum ſibi duxiſſe ſuarum ſpicarum aliquid poſteris colligendum relinquere.

At propterea Xiſtus II. non primus, in Canone appoſitus.

In nonnullis antiquis Codicibus additum nomen Sancti, cujus ea die Feſtivitas celebratur.

(9) *Adjungunt aliqui Codices nomen Sancti, cujus, &c.*). Et quidem in expoſitione Miſſæ, quæ dicitur tranſcripta ex Codicibus venerandæ antiquitatis (ut in Apographo ſuo obſervat Emin. Author) extat brevis Tractatus, qualiter quædam orationes, & preces in *Te igitur* agendæ ſint, ubi Author ignotus ait: *Et omnium circumſtantium* uſque *Coſmæ*, & *Damiani*; Si fuerit Natalis Sanctorum, hic dicat: *Sed & natalitii illorum Beatorum, aut Beati illius, & omnium Sanctorum*. Paſchalis Papa I. in Bulla ad Beggonem Abbatem Conchenſem indulget Conchenſibus Monachis, ut memoriam ſanctæ Fidis faciant in Canone. Subdit Edmundus Martene de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 16., hæc dicens: In quibuſdam Libris poſt Sanctorum nomina additur: *Necnon & illorum, quorum hodie in conſpectu gloriæ tuæ glorioſus celebratur triumphus*: ſive, ut habet Codex Colbertinus num. 2585. qui fuit olim Monaſterii S. Dionyſii in Francia: *Necnon & illorum Martyrum, quorum hodie ſolemnis in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus*: quæ verba videntur addita ex inſtitutione Gregorii Papæ III., ut jam ſupra dictum eſt §. 2. nota a.

§. IV.

De Oratione Hanc igitur Oblationem, *ejuſque variis formulis apud Antiquos.*

IN ſequenti Oratione: *Hanc igitur Oblationem* (1), rogat Deum Sa- (1)
cerdos, ut oblationem ipſius, cunctæque familiæ ſuæ, omnium vi-
delicet aſſiſtentium, qui olim oblatis muneribus, nunc voto, & animo
offerunt, placatus accipiat: tum pacem petit in præſenti ſæculo, ere-
ptionem a perpetua damnatione, & æternam patriæ felicitatem. Hæc
autem verba *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*, cum reliquis uſque
ad finem orationis addidit Gregorius Magnus, ut referunt in ejus vita
Joannes Diaconus, & Anaſtaſius (2). In feſtivitatibus Paſchæ, & Pen- (2)
tecoſtes fit ſpecialis oblatio pro renatis ex fonte Baptiſmatis, quæ in
omnibus antiquis codicibus extat. In vetuſtiſſimo autem Sacramentorum
libro Reginæ Sueciæ ſpecialis intentio ſæpe in hac oratione exprimitur,
propter quam Sacrificium offertur.

Variæ hujus Orationis formulæ antiquæ indicantur.

In Miſſa Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ pro ſcrutinio Electorum. *Hanc igitur oblationem, Domine, ut propitius ſuſcipias deprecamur, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam,*

& beatum

& beatum gratiæ tuæ . . . . dinumerare , eligere , atque vocare dignatus es . Et recitantur nomina Electorum , & poſtquam recenſita fuerunt , dicis . *Hos Domine fonte Baptiſmatis innovandos Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari .* Porro hic notandum, quod in *Memento* hujus Miſſæ recenſentur nomina ſuſceptorum , & hoc loco nomina electorum .

Feria V. in cœna Domini . *Hanc igitur Oblationem , Domine , cunctæ familiæ tuæ , quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ , in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis ſuis Corporis , & Sanguinis ſui Myſteria celebranda , quæſumus Domine placatus intende , ut per multa curricula annorum ſalva , & incolumis munera tua tibi Domine mereatur offerre , dieſque noſtros , &c.* In Miſſa de Paſcha annotino , quam feſtivitatem , qui in Paſchate Baptiſmi gratiam ſuſceperant , anno ſequenti celebrabant , die anniverſaria ſuæ regenerationis . *Hanc igitur Oblationem famulorum , famularumque tuarum , quam tibi offerunt annua recolentes Myſteria , quibus eos tuis adoptaſtis regalibus inſtitutis , quæſumus Domine placatus intende , pro quibus ſupplices preces effundimus , ut in eis , & collata cuſtodias , & promiſſæ beatitudinis præmia largiaris; dieſque noſtros &c.*

In Dedicatione novæ Baſilicæ . *Hanc igitur Oblationem famuli tui , vel famulæ tuæ illius , quam tibi offerunt hanc dedicantes Eccleſiam , quæſumus Domine placatus accipias , noſtraſque preces dignanter exaudias , ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die , ac nocte , templumque hoc in honorem Beatorum Martyrum tuorum illorum , vel illarum Sanctarum , & Confeſſorum ſacris Myſteriis inſtitutum clementiſſimus dedica , miſerator illuſtra , propitius ſplendore clarifica . Cunctam familiam tuam ad aulæ hujus ſuffragia concurrentem benignus exaudi , ejuſdemque conditorum omnia deſideria cordis complacita tibi pius adimple , votiſque reſponde . Augmenta eis annos vitæ , & temporum felicitatem , ut per ſpatia longæva viventes melioribus ornamentis ſtudio eorum locus iſte refulgeat : dieſque noſtros &c.*

In natali conſecrationis . Presbyteri , qualiter ſibi Miſſam debeat celebrare . Mos enim antiquorum fuit ſingulis annis diem recolere ſuæ Ordinationis , ſeu Profeſſionis quoad Religioſos , qui ritus in ſola die anniverſaria conſecrationis Epiſcoporum hodie remanſit , & hunc diem natalem vocabant , diem vero nativitatis ex utero matris natalem genuinum nuncupabant . *Hanc igitur Oblationem , quam tibi offero ego tuus famulus hodie , ob diem , quo me nullius dignum meriti , ſed ſolo tuæ miſericordiæ dono ad hunc locum perducere dignatus es Presbyterii , quæſo placatus accipias : dieſque noſtros &c.*

In Conſecratione ſacræ Virginis , quæ in Epiphania , vel ſecunda feria Paſchæ , aut in Apoſtolorum natalitio celebratur . *Hanc igitur Oblationem famulæ tuæ , quam tibi offert ob diem natalis ſui , in quo eam tibi ſocians ſacro velamine protegere dignatus es , quæſumus Domine propitiatus ſanctifica , ut tibi Domino , ac Sponſo ſuo venienti cum lampade ſuo inextinguibili placitura occurrere mereatur .*

In Miſſa pro his , qui Agape faciunt . *Hanc igitur Oblationem Domine famuli tui illius , quam tibi offert cum juſtis eleemoſynis ſuis , quas in pauperes tuos operatur , ut placatus ſuſcipias deprecamur , pro quo majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces , ut adjicias ei tempora vitæ , ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur , atque annua tibi vota perſolvat .*

In trigeſimo , vel annuali nuptiarum . *Hanc igitur Oblationem famulorum tuorum , quam tibi offerimus ob diem trigeſimum , vel annualem , quo*

eos jugali vinculo ſociare dignatus es, ut placatus ſuſcipias deprecamur, pro quibus tremendæ pietati tuæ ſupplices fundimus preces; ut pariter bene, & pacifice ſeneſcant, & videant filios filiorum ſuorum uſque in tertiam, & quartam progeniem, & te benedicant omnibus diebus vitæ ſuæ.

In natali genuino. *Hanc igitur Oblationem famuli tui illius, quam tibi offert ob diem genuinum natalis ſui, quo eum de maternis viſceribus in hunc mundum naſci juſſiſti ad recognoſcendum Deum vivum, & verum, ut placatus ſuſcipias deprecamur: pro quo Majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut adjicias ei annos, & tempora vitæ, ut per multa curricula annorum lætus tibi hæc ſua vota perſolvat, atque ad optatam perveniat ſenectutem, & te benedicat omnibus diebus vitæ ſuæ.*

Pro defuncto (3). *Hanc igitur Oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro anima famuli tui illius, quæſumus Domine placatus intende, pro quo Majeſtati tuæ Supplices fundimus preces, ut eum in numero Sanctorum tuorum tibi placentium facias dignanter adſcribi: dieſque noſtros, &c.* Sunt & alia multa ejuſdem generis in eo Codice, ſed hæc in exemplum allata ſufficiunt. (3)

(1) *Hanc igitur Oblationem*). In Miſſali Francorum Celebrans in hac Oratione Sanctum nominat, cujus feſtum celebratur, aſſerens in ejus Sancti honorem, & ad obtinendam peccatorum remiſſionem oblatum eſſe Deo Sacrificium: *Hanc igitur Oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus in honore Domini Beati Martyris tui Ill....., & pro peccatis, atque offenſionibus noſtris*. In Miſſa Illyrici pro ſe ſpecialiter orat Celebrans: *Hanc etiam Oblationem humilitatis meæ, & devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, & criminoſis actionibus, &c.* In Cod. Sacram. Thomaſii *Hanc igitur Oblationem, quam tibi offero ego famulus tuus hodie, &c.*

(2) *Ut referunt in ejus vita Joannes Diaconus, & Anaſtaſius.*). Itemque teſtatur Ven. Beda lib. 2. Hiſt. Angl. cap. 1., ubi hæc de Gregorio ſcribit: *Sed in ipſa Miſſarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena;* ſuperadjecit: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, &c.*, de qua Oratione diſſeremus nota ſequenti.

(3) *Pro defuncto*). In deſcriptione Miſſæ pro defunctis per Ratoldum Corbejenſem, ſic legitur: *In Canone infra actionem: Hanc Oblationem, quam tibi pro anima famuli tui offerimus, quem hodie carnali corruptione liberaſti, quæſumus placatus accipias, & quidquid humanæ conditionis obreptione contraxit, expedias, ut tuis purificatus remediis ad gaudium ſempiternum perveniat. Per Dominum, &c.* Juxta Micrologum circa ann. 1090. debebat Sacerdos in hac Oratione profunde ſe inclinare, ita ait: de Eccl. obſerv. c. 14. *Quum dicimus: HANC IGITUR OBLATIONEM, uſque ad Altare inclinamur ad exemplar Chriſti, qui ſe humiliavit pro nobis uſque ad mortem Crucis.* Durandus Rat. L. 4. c. 39. *Hanc .... Sacerdos in quibuſdam Eccleſiis profunde ſe inclinat*. Idem aſſerunt Radulphus Tungrenſis de Obſerv. Can. propoſ. 23., & Gabriel Biel. Lect. 33. Becoffen autem Auguſtiniani Ordinis Scriptor ann. 1519. hanc inclinationem improbat: *Conſtans*, inquiens, *& erecta mentis devotio ſufficit*. Porro de hac Oratione ita ſcribunt, Stephanus Æduenſis lib. de Sacram. Altaris cap. 13. *Hæc Oblatio non tantum eſt Sacerdotis, ſed cunctæ familiæ, ideſt Cleri, & populi, & non tantum aſſiſtentis familiæ, ſed totius familiæ*. Item Odo Cameracenſis Expoſit. Can. Diſt. 2. *Servitutis*, inquit, *ideſt Cleri, tibi (qui ſecundum acceptos gradus in hac Oblatione Sacrificii ſervimus) ſed & cunctæ familiæ tuæ, ideſt totius aſſiſtentis Collectæ. Solitarii ſic intelligunt ſervitutis noſtræ, ideſt meæ cum meo Miniſtro. Sed & cunctæ familiæ tuæ, ideſt cunctæ Eccleſiæ*. Sacerdos autem hanc Orationem recitans tenet manus ſuper Hoſtiam, & Calicem explicatas, quemadmodum in Lege veteri mos erat manus ſuper victimam imponendi, uti habetur Levitici cap. 4., & 8., quo externo ſigno indicabatur Sacerdotem conjungi cum victima, & cum ea ipſum Deo conſecrari. Plura in hujus ſacri Ritus illuſtrationem profert alias ſæpe laudatus Franc. Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. p. 858. poſt quæ ſic concludit: „ Hujus ad Ritus imitationem in nova Lege „ Sacerdos facturus jamjam myſticam immo„ lationem Corporis Chriſti tam ſuo, quam „ Populi ſimul offerentis nomine, ponit ma„ nus ſuper oblata in Corpus, & Sanguinem „ Chriſti mox convertenda. Eoque ritu of„ fert Deo ſe, Populumque Chriſtianum cum „ Chriſto jam myſtice immolando, ut ejus „ virtute Sacrificii impetret a Deo remiſſio„ nem peccatorum, vitæ præſentis pacem, „ & æternæ gloriam. Hactenus Sorbonicus Doctor.

Olim ad Orationem Hanc igitur Sacerdos ſe uſque ad Altare inclinabat.

Nunc Sacerdos pariter ac in Ritu Legali veteri manus ſuper Hoſtiam, & Calicem, ideſt ſuper victimam, expanſas tenet.

In hac item Oratione quatuor a Deo poſtulat Sacerdos, primo ut oblationem noſtram ipſe placatus accipiat; ſecundo ut dies noſtros in ſua pace diſponat, deinde ut ab æterna damnatione nos eruat, ac denique ut in Electorum grege nos numeret. Quæ omnia Innocentius Papa III. lib. 3. Myſter. Miſſæ cap. 11. devote, ac luculenter illuſtrat. Scio plura a Sectariis objici adverſus hanc, aliaſque ejuſmodi piiſſimas Sacri Miſſæ Ca-

Quatuor a Deo poſtulantur in hac Oratione, quæ contra Hæreticorum calumnias vindicantur.

nonis precationum formulas; at futilia, ſtramineaque illorum argumenta viriliter diluunt doctiſſimi Catholicorum noſtratum Theologi, adeout dictorum Proteſtantium nonnulli recentiores ex ipſa rei evidentia, ac fidei Catholicæ veritate hac in parte convicti ultro „ fateri compulſi fuerint Lutherum, & Calvinum in abrogando Euchariſtiæ Sacrificio „ nedum immaniter & impie deliraſſe, verum etiam ſanctiſſimas formulas Liturgicas, quibus dictum Sacrificium Deo offertur, ab illis peſſime e ſuis cœtibus proſcriptas, in uſum revocandas eſſe, & hunc ſummum divinæ majeſtati honorem debite reddendum fore, affirmare non dubitaverint „. Hi ſunt Erneſtus Grabbe in Irenæi lib. 4. adv. hær. cap. 32. alias 17. Thomas Brett, & Samuel Jebb, aliique ſimiles Anglicanæ heterodoxæ communionis Scriptores, de quibus recolenda ſunt ſuperius jam dicta Tom. 1. ad lib. 1. cap. 3. pag. 40. & ad cap. 7. pag. 126. Calumniæ itaque ſunt, dicteria, non argumenta, quæ cæteri Miſoliturgi intemperantiores objiciunt, non enim Sacerdos in hac Oratione Deum precatur, ut per oblationem panis & vini liberemur ab æterna damnatione, ſed orat Deum ut ipſam oblationem accipiat tamquam materiam Sacrificii futuri, eamque benedicat, & ſanctificet, uti docet Card. Bellarminus de Miſſa lib. 6. cap. 22. Idem etiam clare exprimit doctiſſimus Suarez in 3. parte Tom. 3. quæſt. 83. art. 4. Diſp. 83. ſect. 2. *Solum eſt*, dicens, *advertendum propter Hæreticorum calumnias cum in his Orationibus, quæ Conſecrationem antecedunt, fit mentio oblationis, ſermonem eſſe, non de oblatione, quæ jam facta ſit, ſed quæ jam proxime paratur, & inſtat, ita ut ſignum illud demonſtrativum*: Hanc oblationem: *Non deſignet ad ſenſum præſentem materiam, quæ tunc præ oculis habetur, ſed ad mentem deſignet oblationem proxime faciendam, quæ in intentione præſens habetur*. Simili pariter modo in eadem Oratione illis verbis: *Et in electorum tuorum jubeas grege numerari* petimus, non ut Deus propoſitum mutet ſuum, ſed ut nos ad ſe convertat, in via ſalutis confirmet, & ad æternam beatitudinem perducat; in hac quippe Oratione *juxta dicta S. Ambroſii*, ut inquit Amalarius Præf. 2. in lib. de Off. *bona nobis neceſſaria poſtulamus*: Scilicet, quemadmodum exponit Guillelm. Eſtius in 4. ſent. lib. 1. diſt. 70. §. 22. *Ejuſmodi Orationibus non petimus immutari æternum Dei propoſitum, ſed cauſam pro effectu ponimus, orantes ut Deus nos, vel alios ad ſe convertat, & in ſancta converſatione confirmet, atque ad æternam felicitatem perducat, qui ſunt effectus Divinæ Prædeſtinationis*. Non minus docte, erudite, ac luculenter hujus ſacræ Orationis particulas, piaſque in ea contentas petitiones explicat Eminentiſſimus Proſper S. R. E. Card. Lambertinus Bononienſis Archiepiſc. nunc Summus Pontifex Benedictus XIV. Tom. 2. Adnot. in aliquot Act. SS. Tract. de Sacrificio Miſſæ Parte 4. Sect. 1. num. 235. Sed ad alia paucula, quæ Conſecrationem præcedunt, tranſeamus.

CAP. XIII.

De Conſecratione, ejuſque forma & ritu. Olim Fideles poſt verba conſecrationis reſpondebant Amen. *Mos elevandi Sacramentum antiquiſſimus apud Græcos. Quando cœperit apud Latinos. Explicantur reliqua uſque ad commemorationem Defunctorum. Error Græcorum Schiſmaticorum perſtringitur. Latini ab eorum calumnia vindicantur.*

§. I.

De conſecrationis forma, & ritu apud Latinos, & Græcos. Olim Fideles poſt verba conſecrationis reſpondebant Amen.

Accedimus ad conſecrationem, cui præmittitur hæc Oratio: *Quam oblationem &c.* quæ a Paſchaſio *lib. de Corp. & Sang. Chriſti cap.* 12. ſic explicatur. *Rogamus hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: adſcriptam, per quam nos omnes in Cœlo adſcribamur: ratam, per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur: rationabilem, per quam a beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilemque facere dignetur: quatenus, & nos per hoc quia in nobis diſplicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio ſimus* (1). Hæc Paſchaſius ſub Auguſtini nomine citatus (1)
a Gratiano *de Conſecr. diſtinct.* 2. *cap.* 72., & a Sancto Thoma 3. *Par. quæſt.* 83. *art.* 4. Repeditur hæc ipſa Oratio apud Ambroſium *lib.* 4.
de

de Sacram. cap. 5. (2), Tum ait Sacerdos; *Qui pridie quam pateretur,* (2)
accepit panem, & quæ ſequuntur, ut poſſit in perſona Chriſti formam ipſam proferre, qua idem Dominus & Salvator uſus eſt in hoc Sacramento conficiendo. Obſervat Innocentius *lib.* 4. *Myſteriorum Miſſæ cap.* 5. tria hic commemorari, quæ non ſunt in Evangelio, videlicet *elevatis oculis in Cœlum*: & in Calicis conſecratione *æterni* teſtamenti & *Myſterium Fidei*; quæ tamen aſſerit addita ex Apoſtolica traditione (3) Val- (3)
fridus, & Micrologus opinati ſunt ab Alexandro Papa additam hanc clauſulam: *Qui pridie*: Sed rectius ſentit Alcuinus etiam Apoſtolis in uſu fuiſſe. Extat autem in Liturgia Jacobi & Clementis, & apud Ambroſium *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 5. Chriſtum autem, cum gratias Patri acturus erat, oculos in Cœlum elevare conſueviſſe, notum eſt ex Evangelio: nec dubitare licet, quin eumdem ritum in hac maxima actione ſervaverit, licet non ſcripſerint Evangeliſtæ (4). Forma conſecrationis (4)
panis in Liturgiis Græcorum hæc eſt: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur* (5); addunt Jacobus & Marcus, *& datur* ſive *diſtribuitur,* (5)
in remiſſionem peccatorum. In Miſſali Mozarabum; *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur* (6). Integra formula, qua vinum conſecratur (6)
ex Evangeliſtis accepta eſt, his vocibus additis *æterni*, *& Myſterium Fidei*: quæ in Liturgiis Græcorum non extant. In Miſſali Mozarabum ſic concepta eſt. *Hic eſt Calix novi Teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. In Liturgia Jacobi. *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum*. Apud Baſilium, & Chryſoſtomum eadem eſt excepto verbo, *& datur* (7). Hæc verba (7)
Myſterium Fidei non ſunt in Ordine Romano; ſunt tamen in omnibus antiquiſſimis Miſſalibus MSS. quos vidi. Eraſmus Roterodamus temeritatem ſuam ac impietatem oſtendit, cum in Annotationibus *ad cap.* 11. primæ ad Corinthios optare ſe ait, ut Scriptura nobis exprimeret, quibus verbis Chriſtus conſecravit, & quibus nos oporteat conſecrare. Utrumque enim Scriptura expreſſit, & manifeſte tradidit Eccleſia Divino Magiſterio edocta, debere nos facere quemadmodum fecit Dominus, a quo Apoſtolus accepiſſe ſe ait, quod & tradidit nobis: & quandoquidem Eraſmus ad antiquos Patres provocare ſolet, docere eum poterat, ſi aures audiendi habuiſſet, Latinorum antiquiſſimus Tertullianus, qui lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. ait: *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis Corpus illum ſuum fecit, dicendo Hoc eſt Corpus meum*. De qua Tertulliani ſententia, cum his quæ ſequuntur, nos alibi fuſius. Græci, & alii Orientales verba conſecrationis elata voce pronunciant, & populus reſpondet *Amen*. Dionyſius Alexandrinus de hoc ritu teſtimonium perhibet Epiſt. ad Xyſtum Romanum Pontificem apud Euſebium lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 9. *Qui gratiarum actionem*, inquit, *frequenter audierit, & qui cum cæteris reſponderit* Amen, *qui ad ſacram menſam aſtiterit*, & quæ ſequuntur. Eumdem morem ſervabat olim Eccleſia Occidentalis, omnes enim audiebant ſanctiſſima, & efficaciſſima verba, quibus Chriſti Corpus conficitur. Hinc Tertullianus *lib. de Spectaculis cap.* 25. in eos invehitur, qui *ea ore quo* Amen *in ſanctum protulerant*, gladiatori teſtimonium reddere non verebantur (8). Et Ambroſius lib. de iis, (8)
qui initiantur ait: *Ante conſecrationem aliud dicitur: poſt conſecrationem Sanguis nuncupatur. Et tu dicis* Amen, *hoc eſt, verum eſt* (9). Al- (9)
cuinus idem aſſerit, & ex eo Florus magiſter in Expoſitione Miſſæ: *Amen autem, quod ab omni Eccleſia reſpondetur, interpretatur verum,*

non ubicumque, & quomodocumque, ſed myſtica religione. Hoc ergo ad tanti myſterii conſecrationem, ſicut & in omni legitima oratione reſpondent Fideles, & reſpondendo ſubſcribunt. Poſtea ſtatutum eſt, ut Canon ſubmiſſa voce recitaretur, & ſic deſiit ea conſuetudo, ſæculo decimo (10), (10)
ut conjicio, quia poſt Florum, qui nono labente vixit, ejus mentionem non reperi apud ævi poſterioris Scriptores (11). (11)

(1) *Acceptabiles in ejus unico Filio ſimus.*) In Liturgia D. Petro adſcripta magis protrahitur hæc Oratio, quam in noſtro Canone, ea ſic eſt: *Domine Deus noſter, qui te obtuliſti pro hujuſmodi vita, reſpice in nos, & ſuper panem iſtum, & calicem hunc, & fac eum immaculatum tuum Corpus, & pretioſum Sanguinem in perceptionem Animarum, & Corporum. Quam oblationem &c.* In Græcorum Liturgiæ noſtræ ſimillima legitur Oratio, in qua petitur, ut Spiritus Sanctus ſuper dona deſcendat, eaque in Corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti tranſmutet; ſed hanc non ante ut Latini, verum poſt conſecrationem recitant. At de invocatione Spiritus Sancti poſt conſecrationem plura infra §. 4., & 5. dicentur.

(2) *Reperitur hæc ipſa Oratio apud Ambroſium lib. 4. de Sacram. cap. 5.*) Jacobus Benignus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in ſua Explicatione difficultatum quarumdam in precationibus Miſſæ ad Novitium Catholicum §. 4. ad hanc Orationem hæc ſubjungit: „ Dicimus Corpus, & Sanguinem nobis fieri „ eo ſenſu, quo ſcriptum nobis Iſaiæ cap. „ 9. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & puer datus eſt nobis*, non ut ſignificetur, quod „ Miniſtri Reformati prætendunt ſacra Symbola ſolum in tempore perceptionis fieri „ Corpus, & Sanguinem, ſed ut comprehendamus, quod nobis, & pro nobis facta „ ſint in hoc Myſterio eadem ratione, uti pro „ nobis concepta ſunt, & formata in utero „ Beatiſs. Virginis Mariæ. Intelligi itaq; hic „ debet ſpecies productionis Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia æque vera, & æque „ realis, ac quæ facta eſt in utero Virginis in momento Conceptionis, & Incarnationis Filii Dei. Hæc productio dat ei „ quodammodo novam exiſtentiam, per „ quam adeſt in ſacra Menſa tam vere, „ quam fuit in ſinu Virginis, & quam vere „ nunc eſt in Cœlo. Itaque verbo facere „ utimur, ut veram phyſicam, & realiſſimam actionem denotemus, quæ terminatur, ut fiat verum Corpus, & verus Sanguis, idemque, quod factum eſt in ſinu „ Mariæ „. Huc uſque doctiſſimus Meldenſium Antiſtes invictus Orthodoxæ fidei vindex, & Hæreticorum noſtri temporis Malleus fortiſſimus.

Explicatur Oratio: Quam Oblationem &c. quomodo intelligi debeat.

(3) *Addita ex Apoſtolica traditione.*) Hæc verba deſunt quidem in veteri Ordine Romano, ſed extant tamen in omnibus veteribus Miſſalibus MSS. Eccleſiæ Romanæ, eademque reperiuntur in Liturgia veteri, quæ in uſu eſt apud Indos Chriſtianos, ut obſervat Edmundus Martene de Ant. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 19. Porro verba conſecrationis Calicis prout a nobis proferuntur, non extant niſi in Canone Gelaſiano. S. Ambroſius, ut infra, habet tantum: *Hic eſt enim Sanguis meus*, quod quidem cohæret cum Matth. cap. 26., & Marci cap. 24. reliqua *novi, & æterni Teſtamenti* nec ibi, nec alibi leguntur. In Liturgia S. Petri habetur tantum *bibite ex eo omnes, hic eſt Sanguis meus*. Poſtea loco verbi *eſſundetur*, legitur in textu Græco *eſſunditur*. Matth. 26. 28. Idem legit Eraſmus in verſione S. Lucæ, quod item legitur in Liturgia Jacobi, & aliis, quæ Latinæ, ac Græce ſcriptæ ſunt in Bibl. Vet. PP. Margarini de la Bigne Tom. 3. ubi ſic formula conſecrationis Calicis exprimitur: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis eſſunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* Sic etiam verba illa: *Ex hoc omnes* expreſſe non habentur apud Evangeliſtas, ut notavit S. Thomas 3. parte quæſt. 83. art. 4. Object. 2., & ejus ſolutione, quamvis antiquiſſima ſint, & habeantur apud Ambroſium lib. 4. de Sacramentis cap. 5. ut infra nota 6., ubi verba eadem refert, quæ in Liturgia noſtra exprimuntur. Iis verbis, ait Florus Magiſter in Expoſitione Miſſæ, commendari unitatem, & pacem, ita ut participantes hoc Chriſti Myſterium, unum ſimus in illo. Colligi autem poſſunt tum ex illo Joannis cap. 6., *niſi manducaveritis Carnem Filii hominis &c.*, tum ex eo, quod de calice dictum eſt Matth. cap. 26. *bibite ex eo omnes*; tum etiam, quod omnes alloqueretur Chriſtus. Hinc credendum Apoſtolos, qui conſecrationi adfuerant, ea verba addidiſſe, ut item arguit Stephanus Durantus de Ritib. Eccleſ. Cathol. lib. 2. cap. 38. Et ſane dicta verba, etſi ab Evangeliſtis prætermiſſa, in antiquiſſimis S. R. E. Sacramentariis reperiuntur. Item in Canone Sacramentarii Gallicani Bobien. a Mabillonio editi Muſ. Ital. Tom. I. pag. 280., quod utique antiquitatem ſupra annos 1000. præſefert. Præterea illa verba in conſecratione Calicis ab Eccleſia adhibita, quæ uti paulo infra Card. noſter, (ait) in Liturgiis Græcorum non extant, neque etiam in Liturgiis Syriaca, Ægyptia, Ethiopica, aliiſque Orientalibus inveniuntur, quemadmodum obſervat Euſebius Renaudotius Tom. 1. Liturg. Orient. Comment. ad Liturgiam Copticam S. Baſilii p. 236. „ Neque ex horum verborum (inquit) „ defectu ſancta Romana Eccleſia unquam „ judicavit aliquid Orientalibus deeſſe ad Euchariſticæ conſecrationis integritatem, aut „ Græcos, alioſque Orientales, quando ad „ Catholicam unitatem reverſi ſunt, juſſit „ ut illa in Codices ſuos Liturgicos reciperent; quo communior plurium Theologorum ſententia comprobatur, eadem verba „ non eſſe de neceſſitate Sacramenti, licet „ de neceſſitate præcepti, quamvis contrarium

In Conſecratione memorata verba addita ex Apoſtolica traditione.

rium

„ rium ſentiat D. Thomas 3. Parte quæſt. 78. „ art. 3. & in 4. Sent. Diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. „ ubi omnia hæc verba de eſſentia for- „ mæ eſſe affirmat „. Hactenus ille. Cæterum hanc D. Thomæ doctrinam ita accipiunt plures viri inter Theologos ſummi, ut eum de integritate, non de eſſentia locutum fuiſſe exiſtiment; ac propterea magnum fore diſcrimen inter eſſentiam, & integritatem affirment. Ne autem in hac diſquirenda quæſtione diutius immoremur, de eadem videndi erunt celebres noſtri temporis Theologi Scriptores, quos nuperus ex Clericis Regul. vulgo Barnabitis, non item modicæ ſcriptionis Author D. Gregorius Roſſignolus longo agmine recenſet Tract. de Euchariſtia quæſt. 5. art. 4. pag. 147. ac ſeqq. Sed inter cæteros audiendus Card. Bellarminus Controv. Tom. 3. de Sacram. Euch. lib. 4. cap. 12. ubi hæc ait: „ Etſi enim Theologi diſputent, nec inter ſe „ omnino conveniant, utrum ſingulæ voces, „ quæ habentur in forma conſecrationis Ca- „ licis in Latinis Miſſalibus, ſint de eſſentia „ formæ, tamen omnes conveniunt, omnes „ illas voces eſſe de integritate formæ, ita „ ut ſine peccato nulla earum omitti poſſit, „ & conſenſus in hac re ſufficit, ut habeamus „ aliquid certi in conſecratione, & confe- „ ctione tanti Sacramenti „. Ita Bellarminus, qui & alia in eamdem ſententiam ibi doctiſſime profert.

Cæremoniæ a Chriſto Domino adhibitæ in Sacrificii Euchariſtici inſtitutione cum antiquo Hebræorum Rituali fere omnes conveniunt.

(4) *Licet non ſcripſerint Evangeliſtæ.*) Cæremoniæ a Chriſto Domino adhibitæ in tanti Sacrificii inſtitutione cum antiquo Hebræorum Rituali fere conveniunt, in quo Cœnæ Paſchalis hic ritus præſcribitur. „ Paterſamilias, vel qui primum in menſa lo- „ cum tenet, panem integrum utraque ma- „ nu accipit, & ſic precatur: *Benedictus ſis* „ *tu Domine Deus noſter Rex Mundi, qui edu-* „ *cis panem de Terra*, qua prece expleta „ panem frangit, & ex eo particulam co- „ medit, ac ſingulis menſæ accumbentibus „ ſingulas bucellas diſtribuit. Tum paucis in- „ terjectis poculum vino plenum is, qui „ præeſt, dextera manu accipiens, ait: *Be-* „ *nenedictus ſis tu Domine, qui creas fructum* „ *vitis*; Quo dicto ipſe vinum prægustat, „ ſtatimque omnibus diſcumbentibus degu- „ ſtandum porrigit „. Hunc ritum in Cœna ſua, ut a Luca deſcribitur, Chriſtus obſervaſſe videtur, cum Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini inſtituit. Vide Jo. Laurentii Berti de Theol. Diſcipl. Tom. 7. lib. 33. cap. 3. pag. 183.

Nonnullæ Euchariſticæ conſecrationis formulæ antiquorum referuntur.

(5) *Quod pro vobis frangitur.*) Græci hanc Conſecrationis formulam (uti obſervat Cardinalis Cajetanus in Comment. ad Epiſtolas Sancti Pauli) ex Sancti Pauli Epiſtola I. ad Corinthios cap. 11. v. 14. deſumpſerunt; hoc enim verbum: *Frangitur*, ſolus Apoſtolus, Gentium Doctor, ibi commemorat, tres ſiquidem Evangeliſtæ, Matthæus cap. 26., Marcus 14., narrando verba conſecrationis illa tantum exprimunt: *Hoc eſt Corpus meum*: Lucas 22. addit; *quod pro vobis datur*.

(6) *Quod pro vobis tradetur.*) Particula enim, videlicet: *hoc eſt enim Corpus*, legitur in Liturgiis SS. Ambroſii, & Marci; deſiderantur autem in aliis Liturgiis. Quomodo vero exprimerentur conſecrationis verba in veteri Liturgia Ambroſiana, videre eſt apud Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 5. in hæc verba: *Qui pridie, quam pateretur, in ſanctis manibus ſuis accepit panem, reſpexit ad Cælum ad te Sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, confractumque Apoſtolis ſuis, & Diſcipulis tradidit, dicens, accipite, & comedite ex hoc omnes.* HOC EST ENIM CORPUS MEUM, *quod pro multis confringetur*. In Miſſali Mozarabum ad verba, *quod pro vobis tradetur*, adnotatur in margine: ea omitti poſſe, ex quo infertur in ſolis verbis: *Hoc eſt Corpus meum* alias conſecratum fuiſſe. Inſuper in eodem Miſſali poſt panis conſecrationem dicit Sacerdos; *quotieſcumque manducaveritis, hoc facite in meam commemorationem*, ſicuti poſt illam Calicis; *quotieſcumque biberitis &c.* In Miſſali Gothico poſt conſecrationem utriuſque ex ſpeciebus, ait Sacerdos; *quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Sex primis Eccleſiæ ſæculis conſecratum in patena fuiſſe probant Martene Tom. 3., & Le-Brun Tom. 1. ex formula conſecrationis patenæ a Mabillonio relata Litur. Gall. lib. 3. cap. 12. ex Sacram. Sancti Gregorii apud Menardum pag. 154., quæ ſic profertur: *Conſecramus, & Sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti patientis Crucem pro ſalute noſtra omnium; Qui regnat in ſæcula.*

(7) *Excepto verbo: & datur.*) In Miſſa Æthiopum, quæ ab his creditur compoſita ab Apoſtolo Matthæo, & habetur Tom. 6. Biblioth. PP. ſic dicitur; *Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. Amen.* In quibus omnibus omittuntur illæ particulæ *æterni*, & *myſterium fidei*, in aliquibus etiam illæ *novi Teſtamenti*, ut paulo ante, nota 3. dictum eſt.

(8) *Gladiatori teſtimonium reddere non verebantur.*) Vide in hunc Tertulliani locum Rigaltii notas. Juſtinus Martyr Apolog. 1. *ubi abſolvit* (Sacerdos) *preces, & Euchariſtiam perfecit, omnis populus, qui adſtat, ſucclamat dicens. Amen.*

(9) *Et tu dicis* Amen, *hoc eſt, verum eſt.*) Quo circa Juſtinianus Imp. Novella 137. c. 6. *Jubemus*, inquit, *omnes Epiſcopos, & Presbyteros non in ſecreto, ſed cum ea voce, quæ a fideliſſimo Populo exaudiatur divinam Oblationem .... facere*. Et mox; *ſi ſolum benedicis Spiritu, is, qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni ſubjiciet Sanctum illud. Amen*? Ex hac vero totius Populi acclamatione per hanc vocem *Amen*; poſt peractam a Sacerdote conſecrationem, ab eodem Populo tunc fieri confeſſionem de reali præſentia Corporis Chriſti optime deducunt, & in eadem contineri affirmant Card. Beſſarion, & Petrus Arcudius *hoc oſtendunt* (inquit Beſſarion) lib. de Sacram. Euchariſtiæ, & quibus verbis Chriſti conficiatur, in Biblioth. PP. Tom. 16.) *Populi ad ea verba, reſponſiones, Sacerdote enim illa verba, ut vos Græci ſoletis, pronunciante, aſſiſtens populus in utra-*

Olim ad Conſecrationis verba a Populo reſpondebatur Amen.

In qua voce Amen *continetur fidei confeſſio de reali præſentia Corporis Chriſti, quæ ſic a Populo fiebat.*

que

Digitized by Google

que parte reſpondet Amen ; *quaſi dicat* ; *vere ita eſt*, *ut dicis* ...... Amen ; *igitur ad ea verba reſpondens Populus* , *certe inquit* : *Corpus* , *& Sanguis Chriſti ſunt munera iſta propoſita*, *ita credimus*, *ita confitemur* . Confirmatur etiam hæc ſententia per orationem, quam Græci inter hæc verba pronunciant cum *Amen* dictum eſt. *Credo Domine*, *atque confiteor*, *quoniam tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, *qui in Mundum veniſti peccatores ſalvare*, *quorum primus ego ſum*. Ex ea quippe Arcudius elicit confeſſionem breviorem, quæ per *Amen* explicatur ad conſecrationis factæ veritatem pertinere lib. 3. cap. 26., atque ad eamdem opinionem accedit Jacobus Goar. in Euchologio pag. 138. Quo vero ad Juſtiniani Legem mox citatam, quam Sectarii magnificant, ut Sacroſanctæ Rom. Eccl. Ritus exſibilent: De hac ita Calviniſta Chamierius de Euchariſtia lib. 6. cap. 9. §. 29. „ Ad hanc „ legem (ait) variæ ſunt exceptiones, prima de Authore, poſt de re. Bellarminus „ negat ad Imperatorem pertinere de ritu „ ſacrificandi leges ferre; proinde non multum referre, quid ille ſanxerit, &c. Audacius inſurgit Joſeph Bingamus Orig. Eccl. lib. xv. cap. 3. §. 2. ubi contendens *Conſecrationis verba ſemper alta voce fuiſſe pronunciata* , ac populum reſpondiſſe *Amen* , in hujus rei teſtimonium dictam Juſtiniani legem producit, dein ſubdit: Facit, (inquiens) „ pro Eccleſia Romanenſi, quod Lex Canonica „ ſuperior eſt Civili , alioquin tam horrenda „ omnium divinarum , & humanarum legum „ violatio non inulta, impunitaque foret. Cui Anglo ſcriptori ſic clar. Muratorius in Liturgia Romana vetere nuperrime ab ipſo edita, Differt. Prælim. de Rebus Liturgicis cap. 20. pag. 244., & 245. reſpondet: Neque puduit hominem doctum in tam horrendum epiphonema erumpere , ut Romanæ Eccleſiæ tribueret *omnium divinarum* , *humanarumque legum violationem*? Si Bingamus hominum judicium contempſit , cum in hanc execrabilem calumniam raptus eſt , num judicium Dei effugerit , qui ab ipſo rationem certe exegerit cur tanta infamia onerare ſit auſus Eccleſiam Romanam? Quod vero is Card. Baronium incuſet ſuccenſentem Juſtiniano ob ejuſmodi legem, nihil aliud ab eo petendum eſt, niſi ut edicat poſiti-ne fuerint Imperatores , an Epiſcopi *regere Eccleſiam Dei*, *quam acquiſivit Sanguine ſuo*? Et jure-ne dixerit S. Ambroſius Epiſt. 20. *Imperatores intra Eccleſiam eſſe*, *non ſupra Eccleſiam*, *& publicorum Imperatori mœnium jus eſſe commiſſum*, *non ſacrorum* . Jus iſtud ſi forte Britannus Scriptor in Regem ſuum conferat, cum Divinæ Legis, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ injurium ſe prodet. Hactenus Muratorius. Et ſane quomodo credibile id unquam erit Juſtinianum ipſum exiſtimaſſe Imperatoria poteſtate ſe poſſe leges præſcribere Eccleſiæ, & Sacerdotibus , qui ab eis , (ut ex pluribus ipſius Conſtitutionibus apparet , quas indicat Baronius ad an. 528.) Leges requireret, ſuaſque eiſdem ſubjiceret? Hancque ipſius mentem fuiſſe, ex ejuſdem Legatorum relatione teſtatur Joannes II. Papa, qui illius Imperii anno quinto ſedere cœpit, lib. 8. cap. de Summa Trinit. ea ſcilicet, quæ de fide idem promulgaret edicta, interveniente Epiſcoporum conſenſu facere conſueviſſe. At vero quæcumque tandem fuerit ipſius mens in his Legibus promulgandis, illud interim ſatis admiratione dignum tradit Procopius Juſtiniani Geſtorum Scriptor lib. 3. de Bello Gothico, quod licet tot , tantiſque malis obortis Romanum undique fluctuaret Imperium , ipſe tamen Juſtinianus totus eſſet (ut ſæpius idem Author queritur) in dogmatibus Eccleſiaſticis perſcrutandis, quibus dum pluſquam decet Imperatorem, curioſe vacaret, inverſum peſſumdedit Imperium . Videant itaque ex his, & confundantur zelantes non ſecundum ſcientiam prævaricatores populi, quam mendaces in ſtateris ipſi ſint contra Sacroſanctæ omnium Matris Eccleſiæ Romanæ ſanctiones, iniqua loquentes, dum contra ipſos facit quod adduxerunt, non pro eadem.

Juſtiniani Imp. Legem de non proferendis ſecreto verbis Conſecrationis, Sectarii magnificant, ſed refutantur.

(10) *Et ſic deſiit ea conſuetudo, ſæculo decimo* .) Antiquitus ad verba : *Qui pridie* , Sacerdos Hoſtiam elevabat, ut videretur a Populo , ut moneretur , nempe Populus , panem illum mox in Corpus Chriſti tranſiturum (ita tradit Grancolaſius Liturg. Antiq.) Hæc autem elevatio deinde fuit proſcripta, ne Populus illa deceptus, Chriſtum in pane nondum conſecrato adoraret. Concil. Colonienſe anno 1280. „ Nullus Sacerdos elevet „ hoſtiam ad oſtendendum Populo , niſi poſt- „ quam dixerit: *Hoc eſt Corpus meum* ; Idem præſcribunt Conſtitutiones Odonis Epiſcopi Pariſienſis an. 1175. editæ cap. 28. *Præcipitur Presbyteris* , *ut cum in Canone Miſſæ inceperint* : *Qui pridie quam pateretur*, *tenentes hoſtiam* , *ne elevent eam ſtatim nimis alte* , *ita quod videri poſſit a Populo*, *ſed quaſi ante pectus detineant* , *donec dixerint* : *Hoc eſt Corpus meum* , *& tunc elevent eam* , *ut videri poſſit ab omnibus* . Concil. Exonienſe in Anglia an. 1287. Celebratum ; *Quia per hæc verba* : HOC EST CORPUS MEUM , *& non per alia panis fit Corpus Chriſti*, *prius hoſtiam non levet Sacerdos*, *donec ipſa plene protulerit verba*: *Hoſtia ita levetur in altum*, *ut a Fidelibus circumſtantibus valeat intueri* ; *Per hoc enim Fidelium devotio excitatur* : *Parochiani moneantur*, *ut tunc genuflectant &c.* Quod autem ante conſecrationem facienda eſſet Hoſtiæ elevatio, colligitur ex Liturgia Sancti Gregorii , ubi poſt verba: *Benedixit* , *fregit*, *deditque Diſcipulis ſuis dicens* , *legitur* : *Hoc loco Sacerdos accepto ambabus manibus ſuis pane* , *attollit ſurſum* , *reſpiciens ad Orientem* , *eumque toti Populo oſtendens*, *ait ſecrete*: HOC EST ENIM CORPUS MEUM : In lib. Sacramentorum Sancti Ambroſii legitur ; *Qui pridie accepit panem in ſanctis manibus*, non autem *in ſanctas*, *& venerabiles manus ſuas*: *Deditque* (S. Matthæus habet , *& dedit*) conjunctio quæ non legitur in Miſſa ſub S. Petri nomine, neque verba *ex hoc omnes*, quæ deſiderantur, & in Miſſali Francorum Cod. Sacram. pag. 430. Illa tamen refert S. Ambroſius præfatus.

Hoſtiæ elevatio ante conſecrationem prohibita.

(11) *Apud ævi poſterioris Scriptores.*) Quoad conſecrationis verba antiquitus alta voce a Sacerdote prolata , idem pene habet cum

Emi-

Eminentiſſimo Authore Iſaacius Habertus in ſuo Archieratico, ſeu Pontificali Græc. parte VIII. Obſ. 9. pag. 145. „ Primus, ait, ritus eſt „ Ecphoneſis alta voce edita pronunciatio; in „ Liturgiis S. Baſilii, & S. Chryſoſtomi ἐκφώνως „ λέγων, ita ut, non ſolum, qui ſtant in Sa- „ crario Sacerdotes, ſed etiam Populus uni- „ verſus audiat verba illa potentiſſima, & „ auguſtiſſima, quibus Corpus Chriſti confi- „ citur „. A quo ſane ritu Romana nunc Eccleſia diſſidet, cujus ita Rubricæ habent: *Secreto profert verba conſecrationis ſuper hoſtiam.* Sane verba conſecrationis alta voce ab initio pronunciata teneant neceſſe eſt, qui de Euchariſtia intelligendum volunt locum B. Pauli ex prima ad Corinthios Ep. cap. 14. verſ. 16., ubi ait: *Si benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum Idiotæ; quomodo dicet* Amen *ſuper tuam benedictionem.* Quibus verbis innuitur conſecrationis verba, ut diximus, olim alta voce pronunciata fuiſſe. De hac re ita Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum num. 7. „ In quibuſdam, inquit, Eccleſiis *Amen* poſt „ verba conſecrationis a Populo dicebatur: „ Sed nihil hac de re nec in Libellis noſtris, nec „ in Sacramentario Gregoriano, tametſi ejus rei „ meminit Auguſtinus in Ep. ad Januarium „. Quare hunc ritum alta voce pronunciandi conſecrationis verba apud Orientales potius, quam Occidentales in uſu fuiſſe conſtat, illi quippe eumdem adhuc retinent, Eccleſia autem Occidentalis jam a multis ſæculis præfata verba ſubmiſſa voce pronunciat, nec populus reſpondet *Amen*; quamvis apud Eruditos non adeo perſpectum ſit, an ritus iſte ſacra verba alta voce recitandi antiquitus in omnibus omnino Occidentalibus Eccleſiis ſervatus fuerit, & a quo tempore deſierit. Nihilominus eodem ferme ævo, quo Florus claruit jam ſecreto verba conſecrationis a Sacerdotibus prolata fuiſſe probatur, item ex Anonymo Monaſterii S. Albini Andegavenſis, quem refert Edmundus Martene Tom. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. art. XI. pag. 433. Authore antiquæ expoſitionis Miſſæ Romanæ, quam expoſitionem nongentos ſuperare annos ipſe credit, ſcriptamque priuſquam in Galliis Liturgiæ Romanæ ritus inveherentur, ait itaque ibi, Scriptor iſte loco indicato pag. 448. „ Quam conſecrationem Corporis, & San- „ guinis Dominici, ideo ſemper in ſilentio „ arbitror celebrari, quia Sanctus in eis ma- „ nens Spiritus, eumdem Sacramentorum „ latenter operatur effectum, unde, & Græ- „ ce myſterium dicitur, quod ſecretam, & „ reconditam habeat diſpoſitionem „. His, aliiſque ſtantibus momentis communis ſententia eſt, & a Rubricis præſcriptum, quod Canon ſecrete legendus ſit. Verumtamen magna inter eruditos ſacrorum Rituum Explanatores controverſia agitatur, an idem Canon ſemper ſecreto a Celebrante recitatus fuerit, aliis aliter ſentientibus, videlicet Miſſæ Canonem alta voce uſque ad decimum Eccleſiæ ſæculum fuiſſe recitatum, quod hoc loco Cardinalis noſter affirmat. Hanc ipſius ſententiam acriter tueri conatus eſt Claudius De-Vert.

Ritus, quem nunc ſervat Eccleſia, ſacra conſecrationis verba ſecreto proferendi ſanctus, & ſua ipſa antiquitate venerabilis eſt.

Quamvis inter eruditos quæſtio ſit an ſemper, & ubiq; ſecreto verba conſecrationis pronunciata fuerint.

Non omnibus tamen eorum argumenta placuere; Etenim anno 1710. Vallemontius Theſaurarius alter Cluniacenſis aſſertum erudito opere confutavit, cui titulus eſt *Du ſecret des myſtères, ou l'Apologie de la Rubrique des Miſſels, Diſſertation Théologique, & Hiſtorique*; Vallemonii Diſſertationem impugnavit Anonymus Auctor in Tractatu Bruxellis edito anno 1717. ſub titulo: *Apologie de Mr. du Vert, ou remarques critiques ſur le Livre de Mr. Vallemont du ſecret des myſtères.* Vallemontium defendit Petrus Le-Brun Diſſert. 15. Tom. 4. ubi ſuis rationibus, & copioſa eruditione contendit in Eccleſiis Occidentalibus ſemper viguiſſe, nunquam deſiiſſe ſecretam Canonis recitationem. Non eſt virium noſtrarum tantas componere lites. Illud certe ſtatuere poſſumus Ritum hunc a Rubrica præſcriptum, longe ante ſæculum 10. in Eccleſia viguiſſe; Nam in Ordine Romano a Martene edito Tom. 4. Theſauri Anecd. ille ritus diſerte præſcribitur: Ordo autem ille ſpectat ad ſæculum ſeptimum; non deſunt alia argumenta, quibus eadem veritas confirmetur. Sed placuit hoc unum teſtimonium adducere ab illis Auctoribus prætermiſſum. Legant eorumdem citata opera, qui majorem hujus controverſiæ notitiam expectant. Interim negari nequit (ait eruditiſſimus Muratorius ſupra laudatus loco ibi citato) quin apud Orientales omnes Eccleſias „ ut con- „ ſtat ex omnibus ferme Liturgiis Græcis, „ Syriacis, & Copticis, Conſecrationis ver- „ ba audiantur a Populo poſtea reſpondente „ *Amen*. Ejuſmodi novitatem poſt nuper „ memoratam Juſtiniani Legem in eas re- „ giones invectam Le-Brun arbitratur, cum „ antea non alius ibi ritus obſervaretur, quam „ ſemper ab Occidentalibus obſervatus fuit. „ An ita fuerit ſatis compertum non puto. „ Illius Diſſertationem, qui plura cupit, con- „ ſulere poterit. Dicendum interea nobis eſt „ Ritum hunc ex iis eſſe, qui indifferentes „ ſunt, & ſive uno, ſive altero modo pe- „ ragantur, ratione, & authoritate firman- „ tur; propterea ob ejuſmodi varietatem „ nulla unquam inter Latinos, & Græcos „ de tot aliis diſputantes oborta eſt contro- „ verſia; & æquum eſt ut laudabilem uſum „ ſuum unaquæque Eccleſia retineat ſine con- „ tradictione alterius. Statuendum vero præ- „ cipue eſt, nemini licere privata auctoritate „ novationem hcic facere; nam etiamſi de „ Ritibus agatur, qui mutari ſine detrimen- „ to religionis poſſunt, jus tamen unis eſt „ ſupremis Eccleſiæ Paſtoribus, non nobis, „ id præſcribere, retinere, aut mutare, prout „ eorum ſapientiæ melius viſum fuerit „. Hactenus Mediolanenſis Doctor clariſſimus, qui a Cardinalis noſtri ſententia recedere non videtur. Atque his ſatis de Conſecratione, ejuſque antiquo & poſteriori, tum apud Occidentales, tum Orientales ritu dicta ſint.

§. II.

§. II.

Mos elevandi Sacramentum antiquiſſimus apud Græcos.
Quando cœperit apud Latinos.

LAtini peracta Conſecratione, Græci paulo ante communionem, ut
ex Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chriſoſtomi manifeſtum eſt, Cor-
pus Dominicum, & Calicem elevant, ut a populo adoretur (1). Idque (1)
ab antiquo tempore fieri ſolitum indicant Scriptores Græci (2). Diony- (2)
ſius cap. 3. Eccl. Hierarchiæ, *Diviniſſima*, inquit, *conſecrat Myſteria, &*
in aſpectum ducit quæ celebravit. Et infra. *Obtecta munera in apertum*
producit. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Invocationis verba, cum*
oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum ſcri-
pto nobis reliquit? S. Germanus in Contemplatione rerum eccleſiaſticarum
circa finem: *elatio autem in altum venerandi Corporis repræſentat Crucis*
elationem. Anaſtaſius Synaita ſerm. de ſacra Synaxi: *Sacerdos poſt ſancti-*
ſicatum ſacriſicium incruentum, attollit panem vitæ, & omnibus illum oſten-
dit. Maronitæ poſt orationem Dominicam, & alias preces eamdem hoc
ritu peragunt elevationem. Sacerdos elevat corpus Chriſti, & vocem
attollens dicit: *Sancta ſonctis in perfectione, puritate, & ſanctitate den-*
tur. Reſpondet populus, *unus Pater ſanctus, unus Filius ſanctus, unus*
Spiritus ſanctus. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Tum ele-
vat Calicem dicens: *Ita Domine in veritate, & vere credimus in te,*
ſicut credit in te Eccleſia ſancta catholica, quia es unus Pater ſanctus,
cui gloria, Amen: unus Filius ſanctus, cui gloria, Amen: unus Spiritus
ſanctus, cui gloria, & gratiarum actio in ſæcula, Amen. Eumdem ri-
tum ſequuntur Aethiopes (3), nam ſancta dona elevant ante communio- (3)
nem dicerte Diacono, *inſpiciamus*. Tum ait Sacerdos, *ſanctum date*
ſanctis. Subdit populus, *unus Pater ſanctus, unus Filius ſanctus, unus*
Spiritus ſanctus. Et Sacerdos elevans ſacramentum dicit alta voce, *Do-*
mine Jeſu Chriſte miſerere nobis (4). Habet exemplum in veteri Teſta- (4)
mento hæc hoſtiæ elevatio: nam paſſim legimus partem victimæ a Sa-

Elevationis Hoſtiæ exemplum in veteri Teſtamento habetur.

cerdotibus elevatam coram Domino, *Exodi* 29. *Levitici* 7. & 23. *Nu-*
merorum 5. 6., & 8. David quoque Euchariſtiæ noſtræ elevationem præ-
dixiſſe dicitur *Pſal.* 71. *verſ.* 17. Siquidem verba illa: *Et erit firmamen-*
tum in terra in ſummis montium, paraphraſis Chaldæa ſic legit, *Erit pla-*
centa tritici in capitibus Sacerdotum, ſicut in commentario ejuſdem pſal-
mi refert Genebrardus, quod Hebræorum magiſtri, qui ante Chriſtum
vixerunt, de ſacrificio venturi Meſſiæ explicarunt, ſi vera tradit Galati-
nus *lib.* 10. *Arcanorum catholicæ veritatis cap.* 4., & ante ipſum Raimun-
dus Martinus in Pugione Fidei *Parte* 3. *diſt.* 3. *cop.* 15. (5). De cam- (5)
pana pulſanda, dum fit elevatio, extat ſtatutum Gulielmi Pariſienſis Epi-
ſcopi Tom. VII. conciliorum Binii p. 1. cap. 14. *Sicut alias*, inquit,
ſtatutum fuit, in celebratione Miſſarum, quando corpus Chriſti elevatur,
in ipſa elevatione, vel paulo ante campana pulſetur, ut ſic mentes fidelium
ad orationem excitentur. Et Ivo Carnotenſis, qui eodem tempore vixit,
ejus ritus meminit *epiſt.* 142., qua gratias agit Matildi Anglorum Regi-
næ ob campanas, quas dederat Eccleſiæ B. Virginis, quarum ſonitu re-
novari ait in cordibus fidelium ipſius Reginæ memoriam, tunc præſer-
tim, *quando illa ſalutaris hoſtia pro nobis redimendis in ara Crucis oblata*
per novi ſacerdotii miniſtros in Domini menſa quotidie conſecratur. Ex qui-

bus

Campanulæ pulſatio ad elevationem recentis inſtituti, & quando apud Latinos, in Italia, aliiſque regionibus cæperit Sacramenti elevatio, incertum.

bus diſcimus hanc piam conſuetudinem viguiſſe in Gallia initio ſeculi
XII. (6). At vero in Germania ſequenti ſeculo introducta fuit a Guido- (6)
ne Cardinali, qui prius fuerat Abbas Ciſtercii, cum legatus Apoſtolicæ
ſedis Coloniam miſſus eſt ad confirmandam Othonis Imperatoris electio-
nem. Hic enim, ut ſcribit Cæſarius Heiſterbacen. lib. 9. Dialog. cap. 51.
*Bonam illic conſuetudinem inſtituit, ut ad elevationem hoſtiæ omnis populus
in eccleſia ad ſonitum nolæ veniam peteret, ſicque uſque ad calicis benedi-
ctionem proſtratus jaceret*. Contigit hoc anno 1203., ut refert Odoric.
Raynaldus tom. 13. Annalium Eccleſiaſticorum (7). Quo vero tempore (7)
in Italia, aliiſque regionibus hic mos incœperit, incertum eſt. Nec etiam
liquet quæ prima origo fuerit in Eccleſia Latina elevandi ſacra myſteria
ſtatim ac conſecrata ſunt (8): in antiquis enim Sacramentorum libris, & in (8)
Codicibus Ordinis Romani, tam excuſis, quam MSS., nec in priſcis Rituum
expoſitoribus Alcuino, Amalario, Valfrido, Micrologo, & aliis aliquod
ejus veſtigium reperitur. Ea dumtaxat in Ordine Romano elevatio com-
memoratur, qua calix attollitur ante orationem Dominicam. *Cum dixerit*
Per quem hæc omnia Domine, *erigit ſe Archidiaconus ſolus, & cum
dixerit* per ipſum, & cum ipſo, *levat cum offertorio calicem per anſas,
& tenet exaltans illum juxta Pontificem* (9). Stephanus Durantus *lib.* 2. (9)
cap. 40. ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſuetum putat Euchariſtiam in
altum tollere Græcorum Patrum teſtimonio ſuffultus, qui de Latinis ri-
tibus nihil probant. Scriptor Eterodoxus id primum introductum commi-
niſcitur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio, ſed craſſa juris,
& facti ignorantia, ut ex Gulielmo, & Ivone ſupra citatis evincitur, qui
integro ſeculo Innocentium anteceſſerunt: quibus accedit Hildebertus Tu-
ronenſis ipſam elevationem commemorans in verſibus de ſacrificio Miſſæ
(10). Solent quædam Galliarum Eccleſiæ, dum tollitur in altum hoſtia, (10)
eos verſiculos canere, *O ſalutaris hoſtia, &c.*, idque rogante Ludovico
XII. ab Epiſcopis illius regni ingruentibus undique bellis ſtatutum fuit:
cum tamen ſatius ſit Chriſtum in ſilentio adorare, ſicut conſuevit Ro-
mana Eccleſia; quod etiam ſancitum eſt in Concilio Provinciali Colo-
nienſi *P.* 2. *can.* 14. Synodus vero Auguſtana c. 18. quamvis permittat
Antiphonas ad Sacrificium pertinentes ſub elevatione decantari, recte ta-
men ſubdit melius fore, & veteri Eccleſiæ convenientius præſentiam Do-
minici corporis in altiſſimo ſilentio proſtratos venerari (11). Miſſale Car- (11)
melitarum poſt elevationem calicis recitari præcipit diebus ferialibus Qua-
drageſimæ in Miſſa conventuali pſalmum *Deus venerunt gentes*, cum hac
oratione: *Pientiſſime Deus, qui iniquitatem ad te converſorum non recor-
daris, ſed eorum gemitus clementer exaudis, reſpice templa tua infidelium
manibus profanata, & tui electi gregis afflictionem: reminiſcere hæreditatis
tuæ effuſione pretioſiſſimi ſanguinis tui Unigeniti acquiſitæ: vineamque tua
plantatam dextera, quam ferus aper exterminare conatur, ferventer viſita:
ac illius cultores adverſus devaſtantium rabiem tua virtute corrobora, victo-
res effice, in eaque bene operantes tui fac regni poſſeſſores. Per eumdem.*
Diebus vero Dominicis, & feſtis eodem loco dicunt Pſalmum *Lætatus
ſum*, cum orationibus *Eccleſiæ tuæ. Hoſtium noſtrorum. Deus, a quo
ſancta deſideria* (12). (12)

Nonnulli ritus obſervati ad elevationem Sacramenti, tum apud Græcos, tum apud Latinorum aliquot Eccleſias.

(1) *Corpus Dominicum, & Calicem elevant, ut a Populo adoretur.*) Hujus rei teſtimonium exhibet uſitata apud Græcos Chryſoſtomi Liturgia a Jacobo Goario edita, ubi hæc habentur: *Dehinc adorat Sacerdos, & Diaconus, in quo ſunt loco ter ſecreto, dicentes: Deus propitius eſto mihi peccatori: & populus ſimiliter cunctus cum devotione adorat. Cum autem viderit Diaconus Sacerdotem manus extendentem, & ſanctum Panem tangentem ut faciat ſanctam elevationem, exclamat: Attendamus, & Sacerdos: Sancta ſanctis. Chorus: unus Sanctus, unus Dominus,*

minus, Jeſus Chriſtus in gloria Dei Patris. Amen. Tum Diaconus ad communionem accedens adorat ſemel dicens: *Ecce venio ad immortalem Regem. Credo, Domine, & confiteor*. Communicaturus Populum, *Diaconus adorans ſemel ſumit ſanctum Calicem, &c.* Hanc ſanctam elevationem etiam teſtatur Simeon Theſſalonicenſis Opuſc. de Templo, & Miſſa apud Caniſium in antiquis Lect. Neque alia ſententia, aut alius uſus fuit Syris, & Coptis, nam uti Euſebius Renaudotius demonſtravit Comment. ad eorum Liturgias, elevationem & ipſi faciebant, ac faciunt Hoſtiæ, & Calicis, non quidem ſtatim poſt conſecrationem, ut Latini, ſed poſt Orationem Dominicalem, ſeu paulo ante communionem, ut Græci. Neque autem refert, ſi immediate poſt conſecrationem a Romana Eccleſia elevatio, & adoratio divinorum Myſteriorum peragitur, & ab Orientalibus Eccleſiis nonniſi ante communionem. Satis eſt, habere nos conſtantem, & ab initio acceptam omnium Orbis Chriſtiani Eccleſiarum traditionem, doctrinam, & uſum de elevatione Sacramenti Euchariſtiæ, ac de adoratione debita in ſacris Myſteriis Chriſto Domino realiter præſenti; adeoque Latinis Eccleſiis nedum licuiſſe, verum & ſingularem laudem deberi, quod actum hunc humiliationis, & obſequii noſtri ſtatim poſt factam conſecrationem ſenſim invectum probarint, & perſolvere peragant, ut quem honorem Hæretici Sacramentarii divino ipſi Redemptori in ſacris ſubtraxere, nos viſibilius etiam, & enixius perſolvamus. Sed quid in re notiſſima amplius quærimus, dum eamdem a Liturgiis, & Patribus confirmatam luculenter evincit doctiſſimus Ludov. Ant. Muratorius in ſua noviſſima de Rebus Liturgicis diſſertatione præfixa ad Romanam Liturgiam veterem paucis ab hinc annis editam cap. 19. Solebant item Græci Sacerdotes attollentes Euchariſtiam ter facere Signum Crucis in aere, quam cæremoniam deſcribit Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in rerum Eccleſiaſticarum Theoria his verbis: „ Quod autem ſublevet Sacerdos divinum „ Panem, & ſignum Crucis ter faciat in „ aere cum venerabili, & vivifico Pane, id „ innuit una quidem Crux, qua ſurſum de- „ ſignatur, ſanctificatum ſupernum ætherem „ monſtrat, media aerem, infima, quæ fit „ ſupra, & prope diſcum, terram, in qua „ vivificum illud Chriſti corpus ſepultum eſt, quem ritum in Laudunenſi Eccleſia, & in univerſa Diœceſi ſervatum ſe vidiſſe teſtatur Antonius Bellotte Laudunenſis Eccleſiæ Canonicus Obſervat. in Rit. Laud. rediv. pag. 569. num. 80. Hunc eumdem morem obſervat adhuc Epiſcopus Guardialſerienſis Archiepiſcopi Beneventani Suffraganeus, dum enim ſolemniter celebrat, ſignum Crucis cum Hoſtia, & Calice facit in aere. Id a pluribus annis docuit amicum meum per Epiſtolam Illuſtr. Petrus Abundius Battiloro Epiſcopus Guardialſeriæ. Refert hunc morem, quem non omnino probat, Henricus de Haſſia Scriptor ſæculi XV. apud Lud. Ellies Dupin. cum Gerſonii operibus „ Aliqui, inquit, in „ elevatione vertunt Hoſtiam hinc, & in- „ de, & forte hanc habent opinionem, quod „ illi, qui retro Altare directe ſtant, ſolum „ videant. Et quod illi, qui ad latera Alta- „ ris ſtant, niſi Sacramentum verſum eſſet, „ propter acumina, & tenuitatem Hoſtiæ „ non viderent; ſed hoc non eſt neceſſarium, & infra hujuſmodi verſiones aſſerit eſſe ſuperfluas. Venit in mentem quod ſcribit quidam Germanus Scriptor Vincentius Grunez in Tractatu de Officio Miſſæ, quem ſcripſit initio ſæculi XV. „ Secundum conſuetudinem, „ inquit, multarum Eccleſiarum Calix ele- „ vatur..... alii..... non elevant Calicem „ ultra caput, quod credo propter pericu- „ lum, & negligentiam evitandam eſſe in- „ ventum. Unde contigit, quod quidam Sa- „ cerdos, cum ante ſuſceptionem Corporis „ Chriſti Calicem ſupra caput levaret, & „ ex irregulari devotione motus ſe cum Ca- „ lice, & Sanguine Chriſti ſignare per mo- „ dum Crucis ſupra caput vellet, Sanguinem „ Chriſti ſupra proprium caput fudit „. Quod utique inconveniens fuerit, & evitari debere judicet quiſque pius; cum ob effuſionis periculum ſufficiat circa caput attollere.

(2.) *Indicant Scriptores Græci*). De hujus Ritus antiquitate lis nobis eſt cum Samuele Baſnagio, a quo vapulant immortales viri Baronius, ac Bona, quaſi nimiam huic mori vetuſtatem adſcripſerint. „ Sexto demum ſæ- „ culo, (inquit Calvinianus iſte Scriptor in „ Annalibus ad annum 232. num. 4.) Græ- „ corum in diſciplinam introducta fuit ele- „ vatio Euchariſtiæ „ & num. 5. „ Cum „ ergo nulla cæremoniæ ejuſmodi mentio ſit „ ante ſæculum ſextum, quis non inde jure „ colligat eadem ætate cæremoniam exortam „ eſſe? Sic ille ibi. Hem! nulla cæremoniæ „ hujuſmodi mentio ante ſæculum ſextum? „ Ignoravit ergo Baſnagius Euthymium Divini Sabæ Magiſtrum, qui anno 473. die 20. Januarii poſtremum diem obiit, Euthymium, inquam, hujus moris diſertam feciſſe mentionem, ut nos docet Cyrillus Scythopolitanus in ejus vita Tom. I. Analect. Græc. pag. 62. „ Sacerdos, inquit, Euthymius, „ qui incruentum Sacrificium Deo offert, „ antequam incipiat, omnibus teſtificatur, „ & denunciat, dicens: *Surſum mentem, & corda habeamus*; Populique pollicitatione „ accepta, Deo oblationem offerre audet, „ qua perfecta, manibus in altum extenſis „ ferens, & cunctis oſtendens diſpenſatum „ ad noſtram ſalutem Sacramentum alta vo- „ ce, ita ut omnis populus audire queat, „ ait: *Sancta Sanctis* „. Cæcum eſſe non dubito, qui in hoc perſpicuo Euthymii teſtimonio elevationem Euchariſtiæ non videt. Quapropter miramur celeberrimum hoc Euthymii teſtimonium oculos Baſnagii fugiſſe, qui Euthymii vitam a Cyrillo Scythopolitano conſcriptam non ſemel legerat, quin & pluries eamdem in ſuis Annalibus memorat.

Sacri Ritus elevationis, Sacramenti antiquitatem deridens Baſnagius confutatur.

Illuſtrem hujus conſuetudinis teſtem excitat hic Dionyſium Areopagitam Emin. Bona; Aliam tamen Dionyſiani loci explicationem ſupponens nobis hæreticus Author, Dionyſium illum non de elevatione, ſed de Euchariſtiæ revelatione capiendum eſſe contendit, quæ

Iterum quoad eamdem idem Heterodoxus Annaliſta refellitur.

quæ fiebat, cum Sacerdos detegeret Sacramenta, quæ velo tecta erant. Hunc etiam Dionyſiano teſtimonio ſenſum affingi poſſe fatetur D. Maximus in Scholiis ad ipſum; aliam tamen præfert, quæ Cardinalis noſtri ſententiam aperte confirmat. „ Forſitan, inquit „ Maximus, intelligit elevationem, & exal- „ tationem, quæ fit poſt divini Panis conſe- „ crationem, dum hunc Sacerdos extollit, „ dicens: *Sancta Sanctis*, quod magis con- „ gruit veritati „ Auctoritas Maximi hæreticum hominem a concepta opinione non revocat. „ Maximus (ait) dubitanter de Ele- „ vationis cæremonia. Dionyſii locum inter- „ pretatur. Forſitan intelligit Elevationem. „ Faciles damus eo loci Maximum Dionyſianum teſtimonium dubitanter interpretari; ſed ſi Baſnagius integra SS. viri Scholia legiſſet, vel attendiſſet, ab ea utique reſponſione temperaſſet; hæc enim in fine Scholiorum ſcribit Maximus „ Certe hoc manife- „ ſtum eſt, quod Pontifex ſanctum Panem „ attollens oſtendebat benedictionem, ſeu „ Sacramentum, dicens: *Sancta Sanctis* „, quæ plane dubitantis verba non ſunt, ſed cæremoniæ vetuſtatem ex Dionyſiano loco aperte probantes. Sane cum Dionyſius bis affirmet Sacerdotem in aſpectum producere Sacramenta, facile quiſque conjiciet utriuſque cæremoniæ ab eo factam eſſe mentionem, & utramque Maximi explicationem veritati conſentaneam eſſe. Joannes Baptiſta Thierſius in Gallica Diſſertatione de Expoſitione Ven. Sacramenti cap. 5. duas Chryſoſtomi Homilias indicat pro Græca Euchariſtiæ Elevatione 4., & 5. de incomprehenſibili Dei natura. Rem nobis pergratam feciſſet vir ille eruditiſſimus, ſi Chryſoſtomi verba Diſſertationi ſuæ inſeruiſſet, quibus facilius Baſnagii commentum refutare poſſemus; ſed eas Homilias perluſtranti nihil occurrit, quo elevatio Græcorum adſtruatur; Hinc Thierſium hallucinatum fuiſſe non dubitamus.

Elevatio Sacramenti poſt Conſecrationem recentior quidem apud Latinos, ſed ſæculo XII. longe antiquior.

Recentior quidem eſt Latinorum elevatio; majorem tamen ſibi vindicare videtur antiquitatem, quam ei adſcribat, ni fallor, Card. noſter, aliique, qui non ante ſæculum 12. in Occidente viguiſſe contendunt. Et quidem in Gallia elevationem Sacramenti, ideſt tum Hoſtiæ, tum Calicis fieri cœpiſſe circa dimidium ſæculi undecimi, tradit Mabillonius Commentar. in Ord. Rom. num. 7. Alii vero non multo poſt, ad initium ſcilicet ſæculi XII. eam transferunt, putantque introductam poſt conſuetudinem elevandi Hoſtiam ad ea verba *Omnis honor, & gloria*, de qua elevatione ſuo loco infra loquemur. Ambabus ulnis Bonæ ſententiam amplectitur Baſnagius, cujus hæc ſunt verba ad an. 232. pag. 304.. „ Cum ergo de elevato Sacramento „ Liturgicarum illi Scriptores ſilentium ege- „ rint, non incerta conjectura ducimur ad „ credendum id moris Latinorum in ritibus „ nondum fuiſſe ſuſceptum anno 1080. „. At nedum incertam eſſe, ſed falſam Baſnagii conjecturam, non incertis argumentis demonſtramus. Gullielmus Pariſienſis Epiſcopus in ſuo Statuto parte I. cap. 14. (cujus meminit paulo infra Card. noſter.) hæc ſcribit: „ Sicut alias ſtatutum fuit in celebratione „ Miſſarum, quando Corpus Chriſti eleva- „ tur, in ipſa elevatione, vel paulo ante „ campana pulſetur „. Edidit Gullielmus ſtatutum illud anno 1240.. Duo autem accurate obſervanda ſunt; primo, ante Gullielmum Pariſienſem morem illum in Gallia viguiſſe, ut ipſius verba perſpicue demonſtrant, *ſicut alias ſtatutum fuit*; ſecundo, neque Gullielmi ſtatutum, neque antiquiora decreta ab ipſo memorata, elevationem Hoſtiæ ſpectare; ſed Nolæ ſonitum in ipſa elevatione; ex quo certe conjicimus morem extollendi Hoſtiam a Latinis uſurpatum, antequam Nolæ ſonitus in Sacrificio inſtitueretur, ac proinde anno 1080. vetuſtiorem. Præterea elevationis Hoſtiæ mentionem facit Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria, ubi dicit ſignificare Crucis elevationem, & mortem in ea, & ipſam reſurrectionem. Idem innuit Rhabanus lib. 1. Inſt. Cleric. cap. 34. *Elevatio Sacerdotis, & Diaconi, Corporis, & Sanguinis Chriſti, elevationem ejus ad Crucem inſinuat pro totius mundi ſalute*. Et ita explicant eamdem elevationem Radulphus Ardens, hom. in Cœna Domini, Ivo Carnotenſis, Epiſtola 233., Hugo Victorinus lib. 2. de Eccleſ. officio c. 38., & Sanctus Bonaventura in Expoſitione Miſſæ, multis de cauſis hanc elevationem fieri dicit, ſed præcipuam eſſe ad gratiam Dei Patris, quam peccatis noſtris perdidimus, obtinendam. *Solo enim peccato*, inquit, *offenditur, & irritatur. Sacerdos igitur elevas in Altari Corpus Chriſti, quaſi dicat: o Pater Cæleſtis, peccavimus, & te ad iracundiam provocavimus, ſed nunc reſpice faciem Chriſti filii tui, quem tibi præſentamus*. Similes alias hujuſmodi myſticas interpretationes referunt & alii Scriptores pii, ſed iſtæ ſufficiant, cum id noſtri non ſit inſtituti.

(3) *Eumdem ritum ſequuntur Æthiopes.*). „ Noſtros ſenſus, ut fateamur „ inquit Samuel Baſnagius poſt relata Card. Bonæ verba in Annal. Polit. Eccleſ. ad an. Chriſti 232. num. 4. „ Suſpecta nobis eſt ea Sacramenti „ apud Æthiopes elevatio „ quæ narratur cum ordine Liturgiæ celebrandæ in Regno, Preſte Joannis ex Opere Luſitanico, & poſtea Italico Franciſci Alvarez ea legantur: „ Conſecrat in lingua ſua iiſdem verbis, qui- „ bus & nos, & non ſublevat, idipſum quo- „ que facit in Calice, & non elevat. Nul- „ lius etiam elevationis meminit Zagazabo: Hæc ille. Noſtros ſenſus ut fateamur, delirare nobis videtur Baſnagii ſenſus, dum argumentum du-Pleſſis Mornay jam a Cardinali Perronio funditus exſufflatum, Cardinali Bonæ rurſum opponit. Franciſcus Alvarez, & Zagazabo de Latinorum elevatione, quæ fit peracta conſecratione, ſermonem inſtituunt, non de ea, quæ apud Orientales fit poſt Orationem Dominicam, ſeu paulo ante Communionem. Quid hoc Franciſci Alvarez teſtimonio diſertius? *Conſecrat ...., & non ſublevat, idipſum quoque facit in Calice, & non elevat*. Quam elevationem ab Æthiopum diſciplina alienam eſſe non diffitemur. Cæterum elevationem, quæ Orientalium Eccleſiarum propria eſt, quæque fit paulo ante Communio-

Itidem confutatur Baſnagius quoad Sacramenti elevationem apud Æthiopes.

munionem, apud Æthiopes vigere nunquam Alvarez, nunquam Zaga-zabo negavit. Immo cum in Æthiopum Liturgia diſtinɛte legatur, & præcipiatur, eam in dubium revocare non ſani eſſet, ſed impudentis; quod tandem animadvertens Baſnagius ad aliquam frugem rediit „ De ea re tamen, inquit, cum ullo contendere nolumus „ ſapienter addit Baſnagius: „ nobis ſatis eſt Æthiopiani Sacramenti elevationem Euchariſtiæ adorationi non fuiſſe deſtinatam. „ Acute ad ſuam aſſertionem dictum, ſecus Calviniana de Sacramento Euchariſtiæ Sententia Æthiopum elevatione proſterneretur; at id demonſtrare debuerat, non affirmare Flottemanvillæus Hiſtoricus Politico-Eccleſiaſticus. Tam creduli non ſumus, ut rem adſerenti ſine legitimo teſte fidem adhibeamus. Sed de hoc iterum ſequenti nota.

Quamvis olim nonnulli Euchariſtiam ſtatim poſt conſecrationem non elevarent, poſtea tamen omnes eamdem adorandam elevarunt, ſicut nunc.

(4) *Domine Jeſu Chriſte miſerere nobis.*) Et ſi hoc loco Emin. Auctor dicat Æthiopes elevare Sacramentum Græcorum more, attamen non omnes id faciunt, ut mox indicatum eſt. Inter Latinos etiam obſervavit Edmundus Martene de antiquis Monachorum Ritibus lib. 2. cap. 4. pag. 183. antiquos Ciſtercienſes noſtros facta conſecratione Hoſtiam, & Calicem adorandum populo non oſtendiſſe, ut patet ex libro Uſuum dicti Ordinis: *Cum pervenerit ad qui pridie quam pateretur &c.* Attamen non multo poſt iidem in eorum Capitulo an 1215. ſtatuerunt, ut cum Miſſa celebrabatur, conſecratione peracta, hoſtia elevaretur; ut infra dicetur nota 7.; cæterum commune eſt omnibus Eccleſiis Orientalibus, quod oſtenduntur ſacra Myſteria ſimul ac dicitur *Sancta, Sanctis*; neque Græci tantum, Maronitæ, & Æthiopes, de quibus hoc loci Emin. Author, ſed & reliqui Orientales Chriſtiani, uti ſcite notat Renaudotius laudatus loco ſupracitato pag. 265. & ſeqq. *Et quidem quoad Syros extat*, in eorum Nomocanone Severi Patriarchæ Conſtitutio, qua inter alia dicit Sacerdos: *Accedant qui ſanctificati ſunt ſancta ſanctis, & elevat myſteria*; Jacobus Edeſſenus: *Tum elevat, & oſtendit Sacramenta univerſo Populo tamquam in teſtimonium*. Idem habet Dionyſius Barſalibi ad hunc Liturgiæ locum: *Sacerdos elevat, & circumfert Sacramenta clamans, & dicens: Sancta ſanctis*. Itaque ne una quidem Liturgia eſt, quæ celebrem hanc, atque a tota retro antiquitate commendatam formulam non habeat hoc ipſo in loco; nam præter Copticas, Syriacæ omnes Jacobiticæ, Melchiticæ, & Neſtorianæ eam exhibent, uti videre eſt apud dictum Renaudotium in ſuis Liturgiis Orientalibus Tom. 2., & Aſſemanum Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 482.

Et quidem ab antiquiſſimo tempore apud omnes Orientis nationes.

(5) *Raimundus Martinus in Pugione fidei Par. 3. diſt. 3. cap. 15.*). Hinc non pauci aſtruunt apud Pinedam lib. 6. de Salom. cap. 20. ſect. 16. ſignificare tanto ante tempore voluerit coronatus Propheta David mirabile illud triticum, e quo multiplicationem filiorum Dei futuram prænuntiat; *& florebunt de Civitate ſicut fœnum terræ*, ſuſtollendum, ac ſurſum efferendum fore ſuper capita Sacerdotum, ut videmus poſt conſecrationem fieri, & factum eſſe ab initio Eccleſiæ conſtat ex Liturgia Jacobi, ubi is ritus exaltandi Hoſtiam diſerte adnotatur. Præclare S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Emin. mox laudatus, iterum confirmans ſuperius dicta in Theoria Rerum Eccleſiaſt. poſtquam dixerit hanc Hoſtiæ elevationem eſſe ſignum exaltationis Chriſti in Cruce, addit & reſurrectionis, qua ipſe e monumento ſurſum erupit. Hildebertus Cœnomanenſis carm. de Off. Miſſæ hanc exaltationem Hoſtiæ, & Calicis refert ad ſublimitatem horum munerum rebus quibuſvis terrenis excelſiorum his verſibus:

Nonnullæ veterum ſignificationes elevationis Sacramenti.

Presbyter idcirco, cum verba venitur ad illa,
In quibus Altari gratia tanta datur.
Tollit utrumque, notans quod ſit communibus eſcis,
Altior, & quiddam majus uterque gerat.

Verum magis placet prior S. Germani commentatio. Vide infra nota 8., ubi iterum de hoc argumento diſſeretur.

(6) *Viguiſſe in Gallia initio ſæculi XII.*). Idque confirmatur, nam Tom. XI. Spicilegii Lucæ Acherii pag. 218. habetur Statutum Synodale Nicolai Epiſcopi Andegavenſis, qui ſæculo XIII. floruit promulgatum in Synodo, quæ habita fuit anno 1272. cap. I. hoc modo: *Quia Paſtoris eſt ad bonum ſibi ſubditos excitare, & nos in pluribus Eccleſiis vidimus, poſt elevationem Dominici Corporis cum campana pulſari, cum hoc ante elevationem prædictam fieri debeat, ut corda fidelium ad adorationem Dominici Corporis excitentur, præcipimus, ut dum divina Miſſarum ſolemnia celebrari contigerit, dum Sacerdos ſignacula facit ſuper Hoſtiam, & Calicem conſecrandos, pauſatim faciant cum campana pulſari*. Ex quo obſervandum, quod pridem poſt elevationem, non ante, campana pulſabatur. In quibuſdam item Galliarum Eccleſiis cum elevatur Hoſtia Populus canit hanc Antiphonam: O *ſalutaris Hoſtia, quæ Cœli pandis oſtium, bella premunt hoſtilia, da robur, fer auxilium*, quem morem induci voluit ab ejus Regni Epiſcopis Ludovicus XII. ad Dei opem implorandam in bellis, quibus Rex ille premebatur; id quod poſt Cardinalem noſtrum obſervat Edm. Martene de ant. Eccl. Rit. Tom. I. inter addenda in fine. Verum melius fore in profundo ſilentio præſentiam Domini realiter in Sacramento exiſtentis proſtratos adorare idem Card. noſter oſtendit infra & nos nota 11.

(7) *Odoricus Rainaldus Tom. XIII. Annalium Eccleſiaſticorum.*). Hinc prodiiſſe arbitror ſtatutum illud, quod legitur editum in Inſtitutionibus Capitulorum generalium Ordinis Ciſtercienſis cap. 25. diſtinct. 3., ubi in Capitulo Generali anni 1215. hæc verba referuntur: *ut conſecratione peracta Hoſtia elevetur*; quod antea factum fuiſſe non conſtat, nulla enim hujus mentio in libro Uſuum Ciſtercienſium cap. 53., ubi eſſe debuerat, cum ibi de Conſecratione diſſeratur. Cæterum in Clarævallenſi Cimelio viſitur Calix ſacer Sancti Malachiæ Hyberniæ Primatis dictus, ex cujus labio dependent aliquot campanulæ,

quibus

quibus ad motum calicis adſtantes ad adorandum Sacramentum excitarentur.

D. Thomæ Aquinatis ævo Calicis elevatio in uſu fuiſſe non videtur.

(8) *Sacra Myſteria ſtatim ac conſecrata ſunt.*) Dominicus Soto Ord. Præd. in 4. ſenient. d. 13. q. 2. art. 5. conjicit Calicis elevationem poſt conſecrationem in uſu nondum fuiſſe temporibus D. Thomæ, apud quem nulla hujus elevationis mentio, neque in Ordinario Miſſæ Ord. Prædicatorum, & Carthuſianorum; *Unde omnium antiquorum nuperrimus Alexander de Hales* (S. Bonaventuræ Præceptor) *de elevatione tantum Corporis loquitur. Et ratio erat, quia cum in Hoſtia Corpus, & Sanguis exiſtat, & in elevatione Calicis nonnihil periculi crearetur, ſatis Patres ducebant Corpus elevandum adorare, & ideo fortaſſe tempore S. Thomæ mos ille nondum incœperat, ob idque illum ſubticuit. Immo vero apud Carthuſienſes non elevatur Calix, neque in Ordinario noſtro, quod inde ſumptum eſt, præcipitur nobis, ut elevemus. Quin & plures ſunt Religionum Ordines, in quibus non præcipitur elevari, ſed ne ab Eccleſiis Sæcularium diſſideant, illum elevant.* Atque inde eſſe puto, quod olim in Ordinario FF. Prædicatorum, tunc tantum præſcribebatur Calicis elevatio, cum celebrans eſt conſecraturus; eaque fieri non videtur, ut a Populo adoretur; ſic enim ibi legitur: *Collata Hoſtia, Sacerdos Calicem detegat; & dum dicit: ACCIPIENS ET HUNC PRÆCLARUM CALICEM, ipſum modicum elevet ab Altari cum utraque manu, poſtmodum ad BENEDICIT deponat, & faciat deſuper ſignum Crucis, tenens cum manu ſiniſtra; ſtatimque iterum levet, & teneat eum, ſicut prius; quumque dixerit IN REMISSIONEM PECCATORUM, reponat, & operiat corporali.* Ubi notandum obiter morem operiendi Calicem palla, & non corporali, noviſſimum eſſe, necdum a Carthuſianis receptum. In pluribus Miſſalibus ultimorum ſæculorum, & ſignanter in quodam Romano anni 1507., ne verbum quidem legitur de elevatione Calicis poſt conſecrationem. *Dicto HOC EST CORPUS MEUM, & adorato Corpore Domini cum mediocri inclinatione, illud elevat reverenter.....poſtea deponit in loco ſuo; deinde coopertum Calicem accipit cum duabus manibus, & parum elevat, dicens; ACCIPIENS HUNC PRÆCLARUM CALICEM...., & deponit iterum ſuper Altare..... Item elevans, dicit: ACCIPITE, ET BIBITE.... deinde depoſito Calice dicit: IN MEI COMMEMORATIONEM FACIETIS.*

Utramque hujuſmodi hoſtiæ, & calicis elevationem poſt exortam Berengarii hæreſim cœpiſſe plerique putant.

Elevatio hæc tum Hoſtiæ, tum Calicis poſt conſecrationem cœpit fortaſſe ſæculo XI., quum realem in Euchariſtia Chriſti præſentiam negare auſus eſt Berengarius, poſt cujus hæreſim ſolemne fuit pluribus Sanctis expreſſam, & peculiarem realis præſentiæ profeſſionem emittere; ſic Sanctus Bruno paulo antequam moreretur, anno 1101.; *Credo* (dixit) *quod panis, & vinum, quæ in Altari conſecrantur, ſunt verum Chriſti Domini Corpus, & verus ejuſdem Sanguis.* Hincque fieri potuit, quod fidelibus poſt conſecrationem oſtendi ſacra dona Eccleſia præſcripſerit, ut ii nimirum illa adorando, hanc eamdem profeſſionem taciti emitterent. Primum hujuſce ritus inſtitutorem fuiſſe Hildebertom ex Epiſcopo Cœnomanenſi Turonenſem Archiepiſcopum conjicit le Brun Tom. I. p. 4. art. 8. pag. 477., cui ſubſcribit Clar. D. Cajetanus Meratus Comment. in Gavantum Tom. 1. parte 1.. Is enim poſtquam Berengarii erroribus viſus eſt ſaviſſe, edidit ſtricta oratione Explicationem myſteriorum Miſſæ ſub titulo *Concordiæ antiqui, & novi ſacrificii*, ubi aſſerit: peracta conſecratione elevari a Sacerdote Hoſtiam, & Calicem, ut oſtendatur, hæc eſſe *alimentum alimentorum omnium præſtantiſſimum*, ut ſupra dictum eſt nota 4. Robertus Paululus, a nonnullis creditus Hugo a Sancto Victore circa annum 1170. quæ Hildebertus ſcripſerat, ſoluta oratione perſtringit, duaſque donorum in Altari elevationes diſtinguit. Alteram, quando eadem dona adhuc nondum conſecrata, nihil aliud ſunt, quam *communis eſca*, quæ fit ad illa canonis verba: *accepit panem: accipiens calicem*: alteram poſt conſecrationem, ut oſtendatur eſſe naturæ longe excellentioris. Accedit, quod Carthuſiani elevationem, & adorationem fecere temporibus Sancti Brunonis eorum Inſtitutoris, anno nempe circiter 1101.. Et quamvis in antiquis illorum Ritibus per Vener. *Guigonem* quintum eorum Generalem vulgatis, nulla fiat elevationis mentio, quia in illis de cæremoniis Miſſæ vix forma eſt; in veteribus tamen illorum ſtatutis anno 1259. confirmatis, legitur *Dicto autem: HOC EST CORPUS MEUM, elevatur Hoſtia, & pulſatur campana &c.* Statut. antiq. cap. 43. §. 36., & 37.. Quin & in Statutis anno 1368. editis parte I. cap. 5. ita præſcribitur: *In elevatione Corporis Chriſti ad Miſſas conventuales aperiuntur portæ Chori, & in his, ac etiam in privatis cereus accendatur, & caſula elevetur*; Quod & in antiquis Cœleſtinorum Provinciæ Galliæ Conſtitutionibus legi teſtatur Edm. Martene de Ant. Eccl. Rit. Tom. 1., ſeu lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 22.. Cæterum Carthuſiani, ut ait Franc. Am. Pouget Inſtit. Cathol. Tom. 2. pag. 861.

Duas proinde donorum elevationes nonnulli diſtinguunt.

„ Carthuſiani peracta conſecratione Corpus
„ quidem Domini ſtatim oſtendunt adoran-
„ dum, ut facimus. Sed non oſtendunt Ca-
„ licem, illum Eccleſiæ Romanæ morem
„ ſecuti, qui tunc vigebat, cum eorum Ordo
„ inſtitutus eſt.

Eodem fere tempore, quo elevatio Sacramenti præſcripta, Campanulæ pulſatio introducta.

Idem quoad Campanulæ pulſationem obſervatum fuiſſe videtur in origine Ordinis Præmonſtratenſis ann. 1120. inſtituti. In primo ejus Ordinis Ordinario præſcribitur, ut ad Hoſtiæ elevationem pulſetur campana, qua audita aſtantes omnes, exceptis Diacono, & Subdiacono Altaris, omneſque, qui ſonitum audierint, proſternant ſe ſe, ubicumque fuerint, uſque dum recitata ſit Oratio Dominica. In Camaldulenſium Conſtitutionibus correctis, & auctis annis 1105. 1254., & 1520. præſcribitur, ut quum campana pulſabitur ad Corporis, & Sanguinis Chriſti elevationem, quicumque fuerint in cellulis, clauſtris eremi, vel etiam extra, audito ſonitu procumbant in genua, ubicumque id fieri decenter poterit, ad adorandum, rogandumve Deum, ſicque permaneant quouſque Nolæ ſonitus deſierit. Ordinarium Præmonſtrat., & Statutum Capi-

tuli

Digitized by Google

Apud nonnullos Regulares in eorum antiquis Ritualibus nulla elevationis Calicis mentio.

tuli Generalis Ciſtercienſis anno 1215., & Ordinarium Gullielmitarum anni 1279. de elevatione Hoſtiæ tantummodo loquuntur; Item apud PP. Prædicatores nulla mentio elevationis Calicis, præterquam in ſupplemento eorum Ordinarii Salamanticæ compoſito, & approbato ann. 1576., in quo legitur: *Nota, quod Calix non elevatur, in verbis rubricæ ſtando, ſed ſtatim poſt conſecrationem deponitur, & cooperitur corporali*. Verumtamen jam uſus habet, quod elevetur, ſed diſcoopertus, ſicut etiam modo Clerici omnes faciunt quotquot recitant ſecundum Ordinar. novum Roman. cum Adnot. Joannis de Palentia Venetiis 1583.. Idem affirmat ſupra laudatus Dominicus Soto loco jam indicato. In Miſſali Verodunenſi anni 1481. nulla fit mentio elevationis Calicis: *ratio eſt* (ait Le Brun. Tom. 1. 4. part. art. 10.) *quia fideles, ut viderant ſanctam Hoſtiam, procumbebant, proſtratique adorabant uſquedum peracta eſſet Calicis conſecratio, ut faciunt etiamnum Carthuſiani, & idcirco neceſſaria non erat Calicis elevatio ad excitandam fidelium adorationem*. Hoc idem confirmat verbis Ordinarii Romani, ſeu Cæremonialis Gregorius X. ſec. 13., in quo legitur: *In elevatione vero Corporis Chriſti, quum antea parum debeant ſurgere, proſternant ſe ad terram, & adorent reverenter in facies cadendo, & ſic proſtrati ſtent uſque ad PER OMNIA ante AGNUS DEI, & dent pacem*. Ita Ordin. Rom. XIII. apud Mabillonium Muſæi Italici p. 235. In pluribus Eccleſiis palla, ſeu corporali plicato coopertus Calix elevabatur, nunc autem detectus. Meurier Decanus Rhemenſis ſerm. 24. ſuper Canonem Miſſæ p. 310. *In Cappella Pontificis, & in pluribus aliis Eccleſiis detectus elevatur*. Grunes Tract. de Miſſa: *non elevant Calicem ultra caput*. Ivo Carnot. Epiſt. 167. *Nolam pulſari elevationis tempore*, ait, *ad imitationem Levitarum in veteri Teſtam., qui Sacrificii tempore monebant tubis Populum, ut Deum adoraret, preceſque funderet*. Id autem præſcribitur a Concilio Vinceſtrienſi anno 1240. *Quum Corpus Domini erigetur in altum, campanella pulſetur, ut per hoc devotio torpentium excitetur, ac aliorum charitas firmius inflammetur*.

(9) *Et tenet exaltans illum juxta Pontificem*). Micrologus Corpus cum Calice, tunc levatum fuiſſe dicit in cap. 15., ubi nulla alterius poſt conſecrationem levationis mentionem facit. De Ritu elevationis Hoſtiæ, quo tempore is primum cœperit, erudite ſcripſit Johannes Baptiſta Thierſius lib. de expoſitione Euchariſtiæ cap. 5., & 6., præſertim ſecundæ Editionis, qui tamen Cardinalis noſtri ſententiam ibi fruſtra convellere nititur, fretus auctoritate Miſſalis Mozarabici, in quo peracta conſecratione, præſcribitur tum Hoſtiæ, tum Calicis elevatio, ut mox dicetur; etenim, ut erudite obſervat Petrus Le Brun Tom. 2. Differt. quinta Explicat. Cærem. Miſſæ pag. 302. in Miſſali Mozarabico præfato juſſu Cardinalis Franciſci Ximenii edito inſerta fuere non pauca a veteri Gothico Ritu prorſus aliena, inter quæ facile locum obtinet elevatio Sacramenti. Contendit quidem Pinius, cui diſplicuit Gallici Scriptoris obſervatio, nihil in hac parte additum Miſſali Mozarabico, ſed nullum argumentum profert, quod Bruni ſuſpicionem evertat. Accedit, quod cum elevatio Calicis elevatione Hoſtiæ longe recentior ſit, & a quibuſdam Eccleſiis initio tantum ſæculi 15. adhibita, dubitari merito poteſt, num illa Miſſali Mozarabum addita fuerit, quemadmodum ex Epiſtola Dedicatoria Alphonſi Ortizii ad Card. Ximenium apud eumdem Pinium pag. 51. deprehendi poteſt. Alio argumento Bonæ ſententiam impugnat Renaudotius in Commentario ad Liturgiam Copticam Sancti Baſilii pag. 268. *poteſt ſane fieri*, inquit, *ut quamvis elevatio obſervaretur in Latina Miſſa, nullum tamen ejus veſtigium extet in Miſſalibus, qui rubricas antiquitus non recipiebant*: ſed quis ſibi perſuadeat ſacros Romanos Ordines omnes ſæculo duodecimo vetuſtiores, Amalarium, Rhabanum, Micrologum, alioſque, qui minimos etiam Miſſæ ritus expoſuerunt, & illuſtrarunt, hanc cæremoniam obruiſſe ſilentio, ſi jam in Eccleſia Latina recipiebatur? Demus in antiquis Miſſalibus defuiſſe rubricas, an eas ignoraſſe credendi ſunt diligentiſſimi illi Liturgicorum Rituum Scriptores? At ſubdit Baſnagius Annal. Polit. Eccleſ. Tom. 2. ad an. 232. num. 4., cujus hæc verba ſunt: *Cum ergo de elevato Sacramento Liturgicorum illi Scriptores ſilentium egerint non incerta conjectura ducimur ad credendum id moris Latinorum in ritibus nondum fuiſſe ſuſceptum anno* 1080. Verum nedum incertam eſſe, ſed falſam Baſnagii conjecturam non incertis argumentis demonſtramus; diſertam quippe hujus cæremoniæ mentionem facit, ut diximus, Miſſa Mozarabum, cujus uſum ſæculo XI. Gregorius VII. abrogavit: *prolatis verbis conſecrationis, hic elevetur Corpus, & poſt hic elevetur Calix coopertus cum filiola*: Elevationem etiam memorat Rhabanus lib. 1. de Inſtit. Clericorum cap. 33. *Elevatio Sacerdotis, & Diaconi Corporis, & Sanguinis Chriſti, elevationem ejus ad Crucem inſinuat pro totius mundi ſalute*; ſæculo itaque nono jam audiebatur in Occidente elevatio Euchariſtiæ, ut a Populo adoraretur.

Et præcipue Sam. Baſnagius confutatur.

At dato etiam, quod mos Euchariſtiam attollendi peracta conſecratione in Latinorum ritibus nondum anno 1080. ſuſceptus fuerit, uti Baſnagius oſtendere nititur, an idcirco ſuperiora illa Eccleſiæ ſæcula Euchariſtiæ adorationem non agnovere? Hoc nobis confidenter ingerit Calvinianæ ſectæ Miniſter; „ Incognita (inquit num. 5.) multis ſæculis „ elevatio fuit, igitur & adoratio, cum qua „ tam apte, tamque concinne conjungitur „ Hoc Baſnagii commentum uno, & quidem acutiſſimo telo confodimus, Auguſtini ſcilicet, & Ambroſii teſtimonio: *Nemo*, inquit Auguſtinus in pſalmum 98., *illam carnem manducat, niſi prius adoraverit*. Illuſtris ſane locus, quem nulla Vitiligatorum ars umquam obſcurare valebit, ex quo etiam phyſica, & realis Chriſti in Euchariſtico Sacramento præſentia invicte probatur; ſi enim fideles, quod manducabant, adoratione proſequebantur, neceſſe eſt, ut ab eis verum Chriſti Corpus ſumptum fuiſſe dicamus, ſecus idololatriæ cri-

Vindicatur Card. Bona a nonnullorum Eruditorum cenſura.

mine

mine notari deberent, quem profecto errorem illis non adſcribit Hypponenſis Antiſtes. Ambroſius item lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12., *Caro Chriſti*, inquit, *quam hodie quoque in Myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu, ut ſupra diximus adorarunt*. Videat Baſnagius, quem clypeum hiſce telis opponat, & ſi non habet, acquieſcat. Intoleranda quoque profecto eſt impudens Franciſci Burmanni temeritas, & arrogantia, qui in Synopſi Theol. lib. 7. cap. 10. §. 26. hæc mendaciorum portenta congeſſit; „ Quamquam, ait, „ apud veteres poſt plura demum a Chriſto „ nato ſæcula conſecratus panis religioſo ri„ tu in altum levaretur ..... adgeniculatio „ tamen, & adſtantis coronæ religioſa incli„ natio non ante Honorii Papæ III. tempo„ ra obtinuit. „ Honorium III. intelligit, qui vixit ſæculo XIII. Hæc virum Hiſtoricum, & Theologum ſcribere? Hæc Genevenſem Miniſtrum auditoribus ſuis, atque Lectoribus obtrudere? At illum ſic iniqua loquentem obſtruit Amalarius, qui ſæculo nono ſcribebat de Divinis Officiis lib. 3. cap. 22., & 23. *Ab initio Canonis*, inquit, *inclinans ſe, qui retro ſtant, & qui in facie, venerando ſcilicet Majeſtatem Divinam, & Incarnationem Domini .... perſeverant retro ſtantes inclinati uſque dum finiatur omnis præſens Oratio, ideſt uſque dum dicatur poſt Orationem Dominicam*: Sed libera nos a malo. Impugnatur item a Joanne Abrincenſi Epiſcopo, qui 140. ante Honorium III. annis floruit, atque idem, quod Amalarius, confirmat.

Euchariſtiæ adoratio ob omnibus Eccleſiæ Patribus tum Latinis, tum Græcis aſſerta.

Hos itaque audaciſſimos Euchariſtiæ Hoſtes, præter Ambroſium, & Auguſtinum memoratos, reliqui refellunt antiqui Patres tum Græci, tum Latini; ex Græcis, Chryſoſtomus pluribus in locis, videlicet hom. 28. ad Populum Antiochenum, hom. 1. in Iſaiæ viſionem, & præcipue lib. 6. de Sacerdotio cap. 4., ubi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hanc piam fuiſſe conſuetudinem luculenter oſtendit; Cyrillus Hieroſolym. Catech. 5. myſtagog. jubet ibi, ut ad Euchariſtiam ſumendam fidelis accedat *pronus, & adorationis in modum*. Theodoretus Dialog. 2., quem *Inconfuſus inſcribit*, ſic loquitur: *ſymbola myſtica .... intelliguntur ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur*. Ex Latinis ultra dictos, iterum Auguſtinus Epiſtola 120. ad Honoratum cap. 27. in illud Pſalmi: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites Terræ, & ipſi*, inquit, *adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de Corpore, & Sanguine ejus, ſed adorant tantum, quia non imitantur*. Reliquos ſileo, quos omnes afferre nimium eſſet, quorum etiam plures attulimus Tomo I. ad lib. I. cap. IV. §. 4. At pro his ad oſtendendam perpetuam hanc religioſam Eccleſiæ conſuetudinem Liturgiarum omnium auctoritas illos obruet, quibus ex Eccleſiæ univerſalis voce tam evidens eſt Euchariſtiæ adorationem præſcribi, quam meridie diem eſſe. In exemplum pro Græcis ſit Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi apud Goar in Græc. Euchol. ibi: *Dehinc adorat Sacerdos, & Diaconus, in quo eſt loco, ter ſecreto, dicentes: DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI, & Populus ſimiliter cunctus cum devotione adorat*; Et poſt pauca: *Diaconus accedit, & adorat ſemel, dicens: ECCE VENIO &c.* Item *Diaconus adorans ſemel &c.*; deinde poſt nonnulla; *Sacerdos adorans, & ſanctum Calicem accipiens &c.*. Hinc niſi Sacramentarii toties imperatam, ac repetitam Euchariſtiæ adorationem agnoſcant, deploratæ cæcitatis eos eſſe oportet; ejuſdem porro normæ, ac formæ ſunt, omnes quotquot in diverſis Orientis partibus Liturgiæ obtinent. Ita Alexandrinorum, Copitarum, Syrorum, Neſtorianorum, Æthyopum, Armenorum, Moſcovitarum, & aliorum denique omnium in his diverſiſſimis regionibus Libri Rituales ſine diſcrimine ullo præſcribunt, unde certo eruitur, concordiam hanc non hæreſum, aut ſchiſmatum fœtum eſſe, ſed ab Apoſtolica traditione deſcendere. De Romana porro, Latinaque Eccleſia neceſſe non habeo dicere; hanc enim ab antiquo ſemper Chriſtum in Euchariſtia præſentem adoraſſe, & etiam nunc adorare ipſi Sacramentariorum Anteſignani confeſſi ſunt; unumque illis ad ejus temere elevandam hujuſmodi perpetuam traditionem, & authoritatem perfugium fuit idololatriæ accuſatio; *quum doceant*, inquiebat Eraſmus in Epiſtola ad Fratres inferioris Germaniæ, *ſummam impietatem, & idololatriam eſſe adorare Euchariſtiam, quod factum eſt ante ætatem Auguſtini, ac Cypriani, &, ut eſt credendum, ab ipſis traditum Apoſtolis, nonne damnant totam Eccleſiam? confugiant ipſi ad illam nulli cognitam Eccleſiam, ſub cujus titulo cuique licet, quod lubet*.

Quare hanc debitam Chriſto Domino adorationem ab Apoſtolica traditione deſcendere credendum eſt.

Urgeret fortaſſe Pelagii II. Decretum anno 557. a Martino Polono relatum in ejuſdem ſummi Pontificis vita, quod apud ipſum ita ſe habet: *ut memoria defunctorum in omni Miſſa fieri debeat poſt elevationem hoſtiæ*: Quod Pelagii ſtatutum magni fecit magni nominis Cardinalis Perronius lib. 3. de Euchariſtia cap. 4., illud tamen viri eruditi rejiciunt, nec immerito: quis enim credat hujuſmodi Decretum tot Miſſæ Expoſitores latere potuiſſe, qui omnia Pontificum ſtatuta ad Liturgiam pertinentia, ſive genuina, ſive apocrypha ſuis Operibus inſerebant, & ab uno Martino Polono poſt octingentos, & decem annos eſſe detectum? Cum ergo ante ſæculum XI. nullum hujus cæremoniæ veſtigium appareat, merito ſtatuunt doctiſſimi Rerum Liturgicarum Expoſitores, non ante illud ſæculum in Latinorum ritibus fuiſſe receptam, inter quos videndus Jo. Bapt. Thierſius in Tract. de Expoſit. Ss. Sacram. cap. 6. Qua autem occaſione introductus fuerit in Eccleſia Latina mos Sacramentum elevandi, ſe ignorare ingenue fatetur Cardinalis Bona hoc loco D. De-Vert non approbandas ſuper hunc rituum conjecturas ſuas ponit Tom. 3. pag. 261., quas a Petro Le Brun ſolide refutatas hic dedignamur exponere. Placet nobis ejuſdem Petri ſententia (inquit Clar. D. Cajetanus Maria Meratus Commentar. ad Gavantum parte 2. tit. 8. n. 21., cui & nos ſubſcribimus), quæ ſtatuit morem elevandi Euchariſtiam in Eccleſia Latina, originem a Berengariana hæreſi duxiſſe, uti jam ſupra inſinuatum eſt. Cum enim Berengarius realem

Neque obſtat Pelagii II. Decretum, quod in contrarium opponi poſſet.

Chriſti

Chriſti Domini in Euchariſtia præſentiam impugnaſſet, plures viri ſanctitate præſtantes, varios ritus invexerunt, ut fideles publice profiterentur Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam a Berengario impetitam; cui rei mirum, quantum elevatio Sacramenti conveniat. Hinc ſtatutum eſt a Gregorio IX., ut notat etiam Gavantus ſupra, & a Guillelmo Epiſc. Pariſienſi Tom. 7. Concil.* Binii, ut ad elevationem Euchariſtiæ campanula pulſaretur, quo ſonitu monita plebs Chriſto præſenti adorationem impenderet; cujus ritus meminit etiam Ivo Carnotenſis, qui eodem floruit ævo Epiſt. 142. Morales hujus Cæremoniæ (nempe elevationis Euchariſtiæ in Miſſa) rationes plures afferunt Authores Myſtici a Gavanto ſupracit., inter quos D. Bonaventura &c.. Videri poſſunt quæ de hoc Ritu ſcribunt cum Card. noſtro Hugo Menardus ad Sacram. Gregorii, Bellotte in Obſerv. ad Rituale Laudun. Eccleſiæ pag. 566. Petrus Le Brun Tom. I. Explic. Cærem. Miſſæ, Grancolas Tom. 1. vet. Liturg., & Auctor Gallici Tractatus de Miſſa Parochiali, ac denique Pagius Junior Brev. Geſt. Pontif. Rom. io Innocentio III. num. 109., & Gregorio IX. num. 44.

(10) *Commemorans in verſibus de Sacrificio Miſſæ.*) Vide quæ ſupra jam dicta ſunt nota 5., & 8.

(11) *In altiſſimo ſilentio proſtratas venerari*). Ita præ cæteris in Cæremoniali Gregorii Papæ X. edito apud Mabillonium Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 235. præſcribitur, ut Miniſtri, & Sacrificio Aſſiſtentes *in elevatione Corporis Chriſti proſternant ſe ad terram, & adorent reverenter in facies cadendo, & ſic proſtrati ſtent uſque ad* Per omnia *ante* Agnus Dei, *& dent pacem, & iterum ſe proſternant, & ſtent ſic proſtrati quouſque Sacerdos Corpus, & Sanguinem ſumat.* Quem ritum adorationis Euchariſtiæ adhuc retinent Carthuſiani. Idem etiam præſcribit ibi pag. 285. Jacobi Cajetani Ordinarium, ubi pariter habetur mentio elevationis, & adorationis auguſtiſſimi Sacramenti.

(12) *Deus, a quo ſancta deſideria*). Pro coronide hujus religioſiſſimi Ritus hoc loco obſervandum eſt, ſacram Euchariſtiam ſtatim poſt conſecrationem pallio olim, aut velo aliquo obvolutam fuiſſe, uti ex Gregorio Turonenſi de Mirac. Sancti Martini lib. 2. cap. 25., ubi hæc leguntur: *dum ſancta ſolemnia agerentur, oblatis ſuper Altare ſacris muneribus, myſterioque Corporis, & Sanguinis Chriſti palla ex more cooperto &c.* Idque in uſu erat uſque ad ſæculum duodecimum, quo ineunte Guibertus Abbas de pign. ſanct. lib. 1. cap. 2. teſtis eſt; *ſtatim poſt elevationem demitti Sacramentum, & operiri Syndone.* Quod hodie quoque fere in uſu eſt apud Carthuſianos, nempe, ut hoc ritu teſtaretur Sacerdos ſe conſpectu tanti Sacramenti indignum eſſe; unde rejectum traditur a Sancto Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo, quoddam *cooperiorium ſarmaticum* (apud dictum Gregorium Turon. de vitis PP. cap. 8. num. 11.) *quia rarum eſt, ac tenue, non ponatur ſuper munera altaris, quia non exinde plene tegebatur myſterium Corporis, & Sanguinis Domini*: Idque etiam comprobatur ex Miſſali Francorum apud Mabillonium Litur. Gallic. lib. 3. cap. 12. pag. 315., ubi habetur *Præfatio linteaminum*, in qua hæc oratio deſcribitur: *Sanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc linteamina in uſum Altaris tui ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit &c.* Porro de hujuſmodi ſacroſanctæ Euchariſtiæ tegumento videndus idem laudatus Mabillonius indicato Opere lib. 1. cap. 5. num. 10., & 11., ubi de eodem plura eruditiſſime diſſerit.

Sacra Euchariſtia olim poſt Conſecrationem ſtatim pallio, aut velo obvoluta.

Ex his autem clariſſimus Aſceta in Epiſtola, quam ſub nomine Euſebii Romani ad Theophylum Gallum de cultu Sanctorum ignotorum primum ſcripſerat, non admodum caute, prudenterque apud nonnullos concludere viſus fuit (uti hac de re illum notat Alexander Plovvierius Tornacenſis Presbyter in ſua Apocriſi ad dictam Epiſtolam Romæ editam anno 1700. num. XII. pag. 76., & ſeqq., ex qua paucis adjectis hæc delibanda cenſemus). Ibi itaque Euſebius, ſeu religioſus Scriptor non Romanus, ſed Gallus in priore editione Pariſienſi num. 8., in ſecunda vero anni 1705. §. XVII. in fine, ut corrigeret eos, qui in honorem Sanctorum incognitorum Miſſas celebrant, divina officia perſolvunt, laudatorias recitant orationes, ac publica Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitione illorum feſtivitatem complent, in dubium penes aliquos vocat, an nunc pro fidelium devotione expediat idem ſummi in nos divini amoris pignus omnium maximum Populis ſic frequenter adorandum oſtendere, *Cum certe olim*, inquit, *Sacramentum a Sacerdote operiri ſindone ſolitum fuerit*, ut mox dictum eſt; deinde allatis nonnullis ex ſupra deductis in hæc verba proſequitur: *quam longe tunc aberant a noſtris moribus, qui quibuſvis oculis paſſim divinum illud Sacramentum exponimus! Verum, quod tunc abſcondi ſuadebat religioſa pietas, hoc nunc exponi pia fidelium devotio forte exigit, quæ varios uſus inducit pro locorum, ac temporum varietate.*

Nonnulla proferuntur ab aliquot recentioribus ſcripta circa publicam expoſitionem SS. Euchariſtiæ Sacramenti.

Ad hæc reponens Plovvierius „ Quid ſibi „ volunt, inquit, Euſebi *To olim, & forte?* „ an velles renovari quæ olim obſervabantur, & in dubium vocare, quæ nunc probantur? ſi primum poſtulabis, certe olim „ invaluit uſus, ut ſacroſancta Euchariſtia „ in manus etiam Laicorum daretur, quibus „ liberum erat eam ad proprias ædes deferre, ut fidem facit S. Cyprianus Serm. de „ lapſis. Non ſolum tempore perſecutionis „ id ſervatum eſt, ſed etiam cum Eccleſia pace frueretur tranquilliſſima, ut teſtis eſt „ S. Baſilius Epiſtola ad Cæſariam Patriciam. „ Olim non licebat Corpus Dominicum vaſculo quantumvis pretioſo excipere, ſed „ ſolis manibus in crucis formam decuſſatis, „ ut ſcribit S. Cyrillus Hieroſol. Catech. „ myſtag. 5., viris quidem nudatis manibus „ antea mundatis, mulieribus vero in linteo „ mundo, quod Dominicale vocabatur, ut „ præcipiebat Concilium Antiſſiodorenſe can. „ 36. olim Infantibus etiam lactentibus Sanguis Chriſti ſugendus præbebatur, ut tradunt

„ omnes

„ omnes Hiſtorici Eccleſiaſtici. Olim denique in diverſis regionibus Euchariſtia vel mortui donabantur, ut poſtea prohibuit relatum Concilium Antiſſiodorenſe Can. 12. Hæc tamen omnia exolevêrunt. Si igitur S. Mater Eccleſia hos omnes uſus abrogandos eſſe ſapienter judicaverit, prudentiſſime etiam Græcis, ac ſolis Carthuſianis inter Occidentales hoſtiam poſt conſecrationem palla tegendam reliquit, medium ponens ab Urbani IV. Pontificatu inter primorum Eccleſiæ ſæculorum nimiam in Corpus Chriſti Sacratiſſimum familiaritatem, & ſubſequentium temporum nimis ſeveram ab eo remotionem, quod in eo ſitum eſt, ut non ſolum poſt conſecrationem pio viſui Sacerdotis aperta remaneat Hoſtia, ſed etiam cæteris Chriſti fidelibus, quandoque in Oſtenſorio repoſita exponatur adoranda. Quod ut fiat majori cum animarum lucro Pontifex Max. ſolet largiſſimas concedere indulgentias, quibuſcumque illud Myſterium adorantibus. Et revera multum ædificationis inde provenire quotidiana docet experientia in hac Alma Civitate totius Orbis Metropoli, ubi per XL. horarum ſpatium ſine intermiſſione colitur, ac maximo quidem Romæ incolarum omnis conditionis, & ſexus, ac peregrinorum concurſu. Hac expoſitione fidem augeri, ſpem erigi, charitatem perfici, ac nobilem de Hæreticis illud adorabile Sacramentum negantibus reportari triumphum, ita nunc apud omnes conſtat, ut conſultius viſum fuiſſet, ſi hæc verba dubium moventia de tam laudabili Eccleſiæ praxi omiſſa fuiſſent: *Quam longe tunc aberant &c.* Prohibet enim S. Auguſtinus de rebus jam univerſali Eccleſiæ uſu probatis dubitantem omnem locutionem proferri his verbis Epiſtola 118. *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſt diſputare, an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit*. Verum enim vero Chriſtiana Religio, nec Pyrrhoniorum, nec Academicorum eſt Secta, quæ aut de omnibus vel certiſſimis dubitabat, aut inquirebat, quin unquam ad certitudinis ſcopum pertingeret „: Hucuſque Plovverius cujus integram ad hunc perſonati Euſebii articulum reſponſionem attulimus, tum ut veteres Eccleſiæ conſuetudines circa Euchariſtiæ Sacramenti adminiſtrationem, de quibus fuſius ſuis locis nobis iterum diſſerendum erit, & nunc obſoletæ, ſummatim uno ictu conſpicerentur, tum etiam, ut quid in hac parte eidem, pſeudonymo licet, doctiſſimo tamen Scriptori reponebatur, innoteſceret.

Soli Carthuſiani inter Occidentales Hoſtiam poſt Conſecrationem palla contegunt.

Et excuſatur Mabillonius ab Alexandri Plovverii cenſura, quoad dictam publicam Expoſitionem Sacramenti.

Cæterum eruditus Tornacenſis Cenſor, & revera æquiſſimus Romanæ ſacrarum Reliquiarum circumſpectionis vindex in Religioſiſſimum, ac celebrem toto literario orbe Scriptorem mitius agere, ejuſque verba, ac ſenſum benignius interpretari poterat; neque enim ex duabus voculis adverbialibus exceſſive ad exprimendam noſtrorum temporum ab antiquis differentiam plus juſto adhibitis, quæ interdum calamo plura ſcribente menti abſque conſideratione præterfluunt, quod juxta Dionyſii Longini ſententiam *in magnis labi generoſum peccatum eſt*, de tanto viro, pioque Cœnobita jure præſumendum cenſetur, ipſum ſcilicet contra prolatum Auguſtini documentum voluiſſe diſputare, *an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit*; cum idem paucis ante editam ſub Euſebii nomine Epiſtolam annis, in Commentario ad Ordinem Romanum edito Pariſiis anno 1689. §. XXI. pag. 142. adverſus eos, *qui vel antiquos novis, vel e contrario novos antiquis ritus ſemper præferendos, volunt*: Hæc pro ſua ſententia firmet dicens, *neutrum ſine delectu placet, ubi regnant antiqui ritus, hi conſtanter retinendi, ubi novi præ antiquis prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non rejicere*; deinde poſt allatam pluribus exemplis novorum aliquot Rituum Miſſæ Pontificalis ab antiquis diſcrepantiam, ſubdit pag. 145. *Hæc autem non eo animo referimus, quaſi veterum hujuſmodi Rituum uſus privata authoritate revocari velimus, aut recentiorum* (quod abſit) *induci contemptum*.

Nonnulla alia ibidem in eumdem ſenſum leguntur, quæ quidem Plovverio non ignaro veri, ac genuini illius Epiſtolæ ad Theophylum Gallum Authoris ſub Euſebii Romani nomine, uti ſe illum noſſe ſatis exprimit ſuæ Apocriſis pag. 12., & 13. attendenda, aut ſaltem obſervanda fuiſſe crediderim, antequam ipſe reſponſionem ſuam efformaret; Et ſane Romæ ſcribens, ſi hac de re intentionem, & animum ſuum clariſſimo viro Eruditis omnibus noto, meique amantiſſimo R. P. Thomæ Minorelliò Ord. Præd. Magiſtro, & Caſanatenſis Bibliothecæ Præfecto patefeciſſet, ipſe ex ingenua, qua erga omnes ad ſe accedentes pollebat, benignitate, illi ejuſdem Euſebii, ſeu Joannis Mabillonii Epiſtolam Commonitoriam ſuper alia ejuſdem Authoris de cultu SS. Ignotorum Lutetia Romam anno 1698. (duobus ſcilicet annis, antequam ipſe Plovverius Apocriſim ederet) ſcriptam ad D. Claudium Stephanotium Procuratorem Generalem Congregationis Sancti Mauri facile communicaſſet, ex cujus tenore dictus Tornacenſis Presbyter penitius certe præclariſſimi Aſcetæ animum introſpicere valuiſſet; quem poſtea eumdem eſſe, ac in dicto Commentario ad Ordinem Romanum mox ſignificatum ipſe declaravit, in alia ſubſequenti mox memorata Editione Pariſienſi anno 1705., cui in admonitione ad Lectorem proprium præfixit nomen, eamque ſic clauſit his verbis, quæ & in dicta Epiſtola ad laudatum ſuum Romæ Procuratorem Generalem expreſſit: *Cæterum* (ait), *quæ ſive in prima, ſive in ſecunda hac editione a me ſcripta ſunt, hæc omnia citra cujuſquam offenſam dicta velim, & cum intima obſervantia in Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, cujus judicio, ut alia omnia ſcripta mea, ita hanc Epiſtolam, prout a me recognita, & aucta eſt, ea, qua par eſt animi demiſſione ſubjicio*.

Non autem de tanto viro exiſtimandum, uti non nihil ſuſpicatur Plovverius pag. 14. ipſum in prima Epiſtola, ubi pene eadem ſcribit, voluiſſe illudere, ac proinde in facto contradicere, nec implere promiſſa, nam præ-

præterquamquod ſatis omnibus nota eſt quanta fuerit, & adhuc ſit, Benedictini Annaliſtæ fama, ejuſque dum in vivis ageret ingenuitas, ac probitas, id expreſſe teſtantur hac de re æqui, bonique judices, inter quos vel ipſe ſacrarum Reliquiarum Cuſtos Canonicus Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Marcus Antonius Boldettus olim in Vaticana Bibliotheca Collega noſter, & Hebraicæ Linguæ Profeſſor Præfat. in Obſervat. ad ſacra Martyrum Cœmeteria lib. 1. cap. 45. pag. 239. & 472. ubi eruditiſſimum virum Joannem Mabillonium Epiſtolæ ſub nomine Euſebii Romani de Anonymorum ſanctorum cultu Authorem a pluribus, & inter noſtrates Catholicos, vel non bene intellectum, vel in alium ſenſum a Scriptoris mente plane diverſum, male traductum fuiſſe non diffitetur; Haud propterea mirandum, ſi & apud exteros ab Orthodoxa fide, veluti Joannem Albertum Fabricium in Bibliographia antiqua cap. 23. pag. 648., ubi ejus authoritate perperam diſtracta ad elevandum nobis ſanctorum Martyrum cultum abutitur, id præjudicium vir eximius paſſus ſit, & fortaſſe adhuc a nonnullis ejuſdem farinæ intemperantioribus Criticis patiatur.

Quo vero ad Expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti, cujus frequentiam non admodum aliquibus collaudare videtur idem Mabillonius, is profecto non alio uſu ſcripſiſſe dicendus eſt, niſi quo & alii celebres Eccleſiæ Gallicanæ Alumni Sorbonici Doctores, ac S. R. E. addicti, ejuſdemque Benedictini Cœnobitæ amiciſſimi conſignarunt, Natalis Alexander Theolog. Dogm. Moralis Tom. 5. lib. 2. de Sacr. Euchariſtiæ cap. 2. art. 3. conſect. 8. Merbeſius ſummæ Chriſt. tertia parte J. B. Thierſius pecul. Tract. de Expoſit. Ven. Sacram. Gaſpar Ivenin de Sacram. Diſſ. 4. de Euch. quæſt. 4. cap. 3. art. 4. §. 3. concluſ. 3., qui omnes ex Concilii Tridentini ſeſs. 13. cap. 5., & Can. 6. aliarumque Synodorum Provincialium Conſtitutionibus, ac Cleri totius Gallicani Statutis, apud ipſos Authores relatis, concludunt; quod ut frequens Auguſtiſſimi Sacramenti Expoſitio fiat, neceſſe eſt, ut ita ferat laudabilis conſuetudo, quæ nimirum poſt Epiſcopi judicium augendæ fidelium pietati, ac devotioni conferat; Ita inter cæteros Ivenin loco citato. Hæc autem conditio confirmari poteſt ex regula; quam S. Auguſtinus Ep. 118. ad Januarium his verbis tradit: *Totum hoc genus rerum, quæ per loca Terrarum, regioneſque variantur, liberas habet obſervationes, nec diſciplina eſt in iis melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſia, ad quam forte devenerit*: Hinc ubi exigente pia fidelium devotione idem divinum Sacramentum publice adorandum frequenter, & paſſim exponitur, hujuſmodi religioſa conſuetudo laudetur, dummodo eadem ſevatis ſervandis vigeat; *Non enim* (ut inquit Card. Bellarminus Tom. 3. lib. 4. de Euchariſt. cap. 4.) *quod creverit honor externus Sanctiſſimi Sacramenti, præſertim devotione interna decreſcente nemini diſplicere poteſt, niſi hoſtibus Chriſti, & Religionis*; Quod longe ſit cogitare de religioſiſſimo Scriptore. Ubi vero moris non eſt ita paſſim, ſed raro idem Altaris Sacramentum palam exponere, utpote antiquorum uſui accedens, ritus iſte conſtanter retinendus erit, ac pariter collaudandus, juxta Mabillonii ſenſum loco indicato ad Ord. Rom. Utrique porro iſtiuſmodi conſuetudini apprime conſonat illud Tertulliani lib. de velandis Virgin. cap. 2. *non poſſumus*, inquit, *reſpuere conſuetudinem* (ſive hanc, ſive illam) *quam damnare non poſſumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis una nobis, & illis fides &c.* Recole, quæ dicta ſunt parte 1. ad cap. 6. §. 1. ubi de variis Ritibus in diverſis Eccleſiis ſalva fide obſervatis fuſe diſſeritur. Atque huc uſque ſatis ad Mabillonii vindicias; unde digreſſi regrediamur.

§. III.

Explicantur reliqua uſque ad commemorationem Defunctorum.

Chriſti Domini mandatum, ut ipſum Sacrificium in ejus memoriâ faciamus, in omnibus Liturgiis memoratum.

PEracta Conſecratione in omnibus Liturgiis Chriſti mandatum commemoratur præcipientis, ut ipſum Sacrificium in ejus memoriam peragamus. *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis* (1). (1)
Quis enim auderet ad Altare Dei accedere, & auguſtiſſimum myſterium celebrare, niſi Dominus tanti Sacramenti inſtitutor præcepiſſet? Ideo, ait Gaudentius *Tract.* 2. *de Paſchate*, Diſcipulis mandavit, *quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, ut indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt a cunctis Sacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari, uſquequo iterum Chriſtus de Cœlis adveniat, quo & ipſi Sacerdotes, & omnes pariter Fidelium Populi exemplar Paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, & gerentes manibus, ore etiam ſumentes ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoria teneamus.* Propterea

pterea

pterea Eccleſia Domini mandato obſequens ſequentia verba recitari conſtituit : *Unde & memores Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta*, fidelis ſcilicet, & in Eccleſiæ gremio conſiſtens; ſancta, non quidem actu, cum non omnes ſancti ſint, ſed vocatione, debito, & profeſſione; quæ vel præſens adeſt Sacrificio, vel in unitate Eccleſiæ, ubique degens particeps eſt Sacrificii, *ejuſdem Chriſti Filii tui Domini noſtri tam beatæ Paſſionis, necnon & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in Cœlos glorioſæ Aſcenſionis, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis, ac datis hoſtiam puram*, & quæ ſequuntur (2). Eadem hoc loco expreſſit (2)
Chryſoſtomus in ſua Liturgia his verbis. *Memores igitur ſalutaris hujus mandati, & omnium, quæ pro nobis facta ſunt, Crucis, Sepulchri, triduanæ Reſurrectionis, in Cœlos Aſcenſionis, a dextris ſeſſionis, ſecundi & glorioſi rurſus adventus, tua ex tuis tibi offerimus per omnia, & in omnibus*. Auctor libri Pontificalis in vita Alexandri I., ait, *Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur*. Ad quæ verba notat in ſcholiis ineditis Petrus Urbevetanus, *ibi videlicet, tam beatæ Paſſionis*. Alii etiam paſſim ſcribunt hanc orationem. *Unde & memores* ab Alexandro inſtitutam. Sed ſi præciſe de memoria paſſionis ſermo ſit, ſive iſtis, ſive aliis verbis fiat, ea certe non fuit ab hoc ſancto Pontifice inſtituta, ut præclare obſervat Baronius *anno* 132. *n.* 3. Habemus enim hac de re expreſſum in Evangeliis præceptum Domini: & Paulus I. *ad Cor. cap.* 11. luculentum ejuſdem rei teſtimonium præbet dicens; *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*; Quia nimirum durabit hoc Sacrificium, uſque ad ſecundum Chriſti adventum in fine mundi. Extat apud Ambroſium hæc oratio *lib.* 4. *de Sacramentis*, ſimul cum ſequenti, qua propitium Dei vultum ſuper munera noſtra precamur, quatenus noſtra ſunt, ne forte propter iniquitates noſtras minus grata ſint Deo, quæ alioquin ex parte rei oblatæ, & ex parte primarii offerentis, qui eſt Chriſtus, ſemper illi placita ſunt (3). Similia habentur in Liturgia Ja- (3)
cobi & Baſilii, & ad ea verba, quibus Melchiſedech ſummus Sacerdos nuncupatur, reſpexit auctor Quæſtionum veteris, & novi Teſtamenti ſupra a nobis citatus Cap. II. §. 2. (4). Anaſtaſius in Vita Leonis Ma- (4)
gni refert eum conſtituiſſe, ut intra actionem Sacrificii diceretur *ſanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam*, quæ ſunt poſtrema verba hujus orationis. An vero hæc ſola verba huic orationi, an ipſam integram orationem Canoni Leo addiderit, Pamelius noluit definire *Tom.* 1. *Liturgicorum pag.* 572. At ego cenſeo nihil addidiſſe niſi prænotata verba; ipſius enim orationis memoratus auctor Quæſtionum utriuſque Teſtamenti mentionem fecit, qui Leone antiquior fuit. Maronitæ quoque in ſua Liturgia veterum Patrum ſacrificia commemorant hac oratione. *Deus, qui acceptaſti Sacrificium Abel in planitie, & Noë in Arca, & Abrahæ in ſummitate montis, & Davidis in area Doſon Jebuſæi, & Heliæ in monte Carmelo, & quadrantes viduæ in gazophylacio, tu Domine Deus accipe oblationes iſtas, quæ offeruntur tibi per manus meas infirmas & peccatrices, & fac in eis Domine Deus memoriam bonam vivis, & defunctis, pro quibus offeruntur, & benedic habitationem offerentium eas. Amen*.

(1) *In mei memoriam facietis*:) Petrus Le-Brun Tom. 1. 4. part. art. 10. pag. 491. Multa congerit in notis ſuper hæc verba: Et primo quidem adnotat, quod in aliquibus Eccleſiis, verba hæc pronunciata ſunt ſuper calicem, ſicuti verba Conſecrationis. In Miſſalibus Narbonenſibus anno 1528., & 1572. non præſcribitur elevatio, niſi poſt verba:

Hæc quotleſcumque, quæ immediate excipiunt illa Conſecrationis, iiſdemque caracteribus picta conſpiciuntur. In Miſſali Antonii de Longueil Epiſcopi S. Pauli Laudunenſis circa ſæculum 15. exarato legitur: *Super os Calicis hic dicendum eſt uſque ad verbum facietis*. Secundo in plurimis Eccleſiis pronunciata ſunt in ipſo elevationis inſtanti, ſicut, & nunc fit in Eccleſia Senonenſi Miſſali Senon. 1556. 1575., & 1715. Apud Carmelitas Miſſ. 1601. Cærem. 1616. part. 2. rubrica 53., & Mediolani Miſſale Ambroſianum 1669., ut in pluribus Miſſalibus, quæ idem Le Brun ſupracit. refert. Tertio juxta XIV. Ord. Rom. apud Mabillonium MS. Ital. pag. 305. hæc verba recitabantur poſt elevationem, quem ritum ſequutæ ſunt variæ in Germania Eccleſiæ, Trevirenſis, & Tullenſis. Idem ritus præſcribitur in quodam Ordine Miſſæ 300. circiter annorum pro Eccleſiis Germaniæ edito, & penes Patres Nazarenos Pariſienſes aſſervato. Item in Miſſali Trevir. anni 1547. In Miſſali, & Pontificali MSS. Tullenſi, & in Miſſali ejuſdem Eccleſiæ ante annum 1500. edito, ſicut, & in Miſſali Dominicanorum anni 1687. Huncque ritum fortaſſe ſequuta eſt Romana Eccleſia, quum primum calicis elevationem inſtituit. Poſt finem vero ſæculi 15. Rom. Eccleſia hæc verba poſuit Calicis Conſecrationem inter, & elevationem: Ord. Miſſæ per Burchardum Wormatienſem.

Variæ apud diverſos formulæ Orationis: Unde & memores.

(2) *De tuis donis, ac datis hoſtiam puram, & quæ ſequuntur.*) In Conſt. Apoſtolicis, ſic refertur iſta oratio lib. 8. cap. 12. *Quare memores paſſionis ejus, & mortis, ejuſque Reſurrectionis a mortuis, & reditus in Cælum, atque Adventus ejus ſecundi, qui futurus eſt .... offerimus tibi Regi, & Deo panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum*. In Liturgia S. Petri: *Unde, & memores ...... Chriſti tui Domini autem noſtri, & Dei*: Et poſt verba: *Glorioſæ Aſcenſionis*, Sacerdos elata voce dicit: *Tua ex tuis offerimus venerandæ Majeſtati tuæ de tuis donis, ac datis hoſtiam &c.* Micrologus cap. 23. refert, & improbat abuſum in quibuſdam Miſſalibus. Ejus hæc ſunt verba: *Unde, & memores Domine nos tui ſervi. Nativitatem Domini quidam commemorant, quum juxta Apoſtolum in ejuſdem Sacrificio, non Nativitatem Domini, ſed mortem ejus annunciare debeamus. Unde & memores .... ejuſdem Filii tui Domini noſtri*. In Sacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano, & in Miſſalibus Carthuſianorum, Carmelit., & PP. Prædicatorum, & in omnibus Pariſienſibus uſque ad 1615. legitur: *Domini Dei noſtri*, quæ vox *Dei* a Miſſalibus excidit poſt annos 300. ob inadvertentiam forte ad verba Miſſalis Rom. & aliquorum Miſſalium Germaniæ, in quibus vocula hæc deſideratur, ut in MSS. earumdem Eccleſiarum annorum circiter 300., & in Baſileenſis anni 1501. Deſideratur item in Sacramentario Bobienſi, & in Miſſalibus Francorum. Quare cum diu, multumque ſit ex quo ea vox abeſt a Miſſali etiam recognito, & Summorum Pontificum authoritate emendato, inquit Anonymus, ac nuperus Scriptor Enchiridii de Sacrificio Miſſæ ex Opere Benedicti Papæ XIV. de eadem re conflato, & Patavii edito an. 1747. pag. 91. concludi poſſe videtur eam vocem, licet optimam, ei qui Ritum Romanum ſequatur, omittendam, iis autem dicendam, qui peculiaribus utuntur Ritibus, quos Romana Eccleſia non improbat. Crucis autem ſigna, quæ ſuper ſacra dona in hac Oratione efficiuntur, non ideo fiunt, ut illa benedicantur, quippe quæ benedictione non indigent, ſed ut oſtendatur illa eſſe Corpus ipſum, & Sanguinem Jeſu Chriſti, & ut in memoriam revocetur Celebrantibus, & Aſtantibus idem eſſe Sacrificium Altaris, ac fuit Crucis Sacrificium: *Oblata non benedicit*, (inquit Stephanus Æduenſis lib. de Sacram. Altaris), *ut eum, a quo eſt omnis ſanctificatio, vel de cujus plenitudine omnes nos accepimus, ſanctificet, eſſet enim abſurdum*: Et S. Thomas: *Non quod eum, qui præſens eſt Sanctum Sanctorum ſanctificemus*.

Atque in eamdem Variorum Obſervationes.

Durandus Ration. lib. 4. cap. 44. num. 4. plures memorat Eccleſias, quæ ſigna Crucis omittebant ad illa verba *Corpus & Sanguinem* in Oratione: *Supplices te rogamus*, & Maldonatus in Tract. ſuo ſuper Miſſæ Cæremoniis, (qui an impreſſus fuerit, ignoro, hoc unum ſciens, quod apud aliquos manuſcriptus reperitur) omnia Crucis ſigna poſt conſecrationem improbat, ut inutilia, & prorſus ſuperflua, aſſerens inſuper illa fore abolenda. *Si hodie* (ait) *Eccleſia vellet repurgare cæremonias, quæ minus decent rem ſacram, aut adeo ſunt omnino inutiles, libere, ingenue dicerem meam opinionem eſſe, ut Concilio Oecumenico decerneretur nullum ſignum adhiberi poſt Conſecrationem*. Porro pene ſingula verba prædictæ Orationis: *Unde & memores* ſubtiliter ac doctiſſime explicat inſignis Theologus ſupra laudatus Dominicus Soto in 4. Sent. Diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. ubi ſic ait: *Ut ante conſecrationem petitur, ut materia fiat benedicta, adſcripta, & rata, ſic & conſecrata hoſtia, nempe Chriſtus offertur tamquam Hoſtia pura, ad differentiam Sacrificiorum Gentium, quæ impura erant, & corrupta: Sancta, ad differentiam oblationum veteris Legis, quæ non erant eatenus ſanctæ, ut animam ſanctificarent, ſicuti hæc noſtra, quæ tollit peccata Mundi; & ideo ſubditur, immaculatam, ob id enim quod Chriſtus agnus fuit innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod eſt homines ſanctificare. Eſt ergo Hoſtia pura, & purificans, ſancta, & ſanctificans, immaculata, & maculas tergens. Quod vero demum adjungitur* Panem vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ, *definitio, & explicatio ejuſdem eſt Hoſtiæ; ut enim Sacerdotes veteris Legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem ſuſtentabant, ſic Chriſtiani eſu, & potu ſacroſancti Sacrificii ſpiritualem, atque adeo æternum ſalutem ſibi comparant*. Hæc Sotus. Sed & ante ipſum D. Thomas 3. parte quæſt. 83. art. 5. ad 4. ait dicendum, quod Sacerdos poſt conſecrationem non utitur Crucis ſignatione ad benedicendum, & conſecrandum, ſed ſolum ad commemorandam virtutem Crucis, & modum Paſſionis Chriſti. Unde ex hoc inutilis, ac ſuperflua evincitur Maldonati obſervatio quoad repurgandas hu-

Superflua evincitur quædam Maldonati Obſervatio.

juſmodi

juſmodi Eccleſiæ cæremonias . Sane de iis quidam non parum miratur (inquit Gaufredus Neuſtrienſis Can. Regul. alias memoratus apud Edmundum Martene Theſ. Anecdot. Tom. 1. pag. 532.) „ quod jam confectis Sa„ cramentis , ſignum Crucis apponitur ; ubi enim dicitur : *Hoſtiam puram* , *Hoſtiam San„ ctam* , *Hoſtiam immaculatam* , *Panem ſanctum* , „ *vitæ æternæ* , *&* *Calicem ſalutis perpetuæ* ; „ quinarium Crucis ſignaculum panis , & vini „ myſteriis imprimens Chriſto ſedenti ad dex„ teram Patris veraciter concorporate eruditum „ contemplatorem rerum ad illam beatam Paſ„ ſionem mittit . Hæc ergo ſunt illa viventis „ petræ foramina , in quibus formoſa eſt , & „ immaculata columba , ſcilicet Eccleſia , in„ quibus nunc certius nidificat , cum inter ver„ ba prædicta per quinque Dilecti plagas , vi„ delicet duas manuum , totidemque pedum , „ & unam lateris fida contemplatur memoria. Idem tradit , ac docet Innocentius III. lib. 5. myſt. Miſſæ cap. 3.

(3) *Semper illi placita ſunt* .) Atque hac vera , & Catholica interpretatione refellitur Hæreticorum præcipue noſtri temporis audax nimium perfidia , inter quos noviſſime Joſephi Binghami Angli Presbyteriani Orig. Eccleſ. lib. 15. cap. 3. §. 32. pag. 365. , ubi illa verba , & preces poſt Conſecrationem ſequentes, ait, *abſurda eſſe, & primitivæ intentioni contraria* ; ſed de hac re infra .

(4) *Cap.* 11. §. 2.) Procopius quoque Gazæus ad hanc ipſam precationem alludit ad cap. 8. verſ. 28. Levitici dicens „ Pater pa„ catus per mortem Filii , eum , ceu gratiſſi„ mum accipiebat odorem ; ſiquidem benigno „ vultu , quemadmodum Sacrificium Abelis , „ aſpexit Sacrificium Filii.

§. I V.

Error Græcorum Schiſmaticorum perſtringitur .

POſt hæc Sacerdos externo geſtu ſummam indicans animi demiſſionem (1) ſupplex Deum rogat , ut perferri jubeat , non ipſa Cor- (1)
poris & Sanguinis Chriſti myſteria ; ſed vota , fidem , & preces Fidelium in ſublime Altare ſuum (2) , de quo Irenæus ait lib. 4. cap. 34. (2)
Eſt Altare in Cœlis , illuc preces noſtræ , & oblationes diriguntur ; per manus Sancti Angeli ſui , cujus miniſterio fidelium orationes in Cœlum deferri teſtatur Scriptura . *Tobiæ* 12. *&* *Apoc.* 8. Unde Tertullianus *lib. de Orat. cap.* 12. eorum irreverentiam acriter reprehendit , qui ſedendo orant , *ſub conſpectu* , inquit , *Dei vivi* , *Angelo adhuc orationis aſtante* . Id autem a Deo poſcit Sacerdos , ut quotquot Chriſti Corpus, & Sanguinem ex ea Altaris participatione ſumpſerint , omni benedictione cœleſti , & gratia repleantur . Nam cum olim , qui aderant communicarent , pro illis eſt hæc deprecatio : & hinc deducitur eam antiquiſſimam eſſe , cujus etiam meminit Ambroſius *lib. cit. de Sacramentis* (3) (3)
(extat etiam ejus particula diſt. 2. de Conſecrat. cap. 72. ex Auguſtino, ſed jam ſupra notavi caput illud eſſe Paſchaſii, non Auguſtini) . Ex hac oratione Scriptor Schiſmaticus Nicolaus Cabaſilas in Expoſitione Liturgiæ Latinis appingit recentioris Græciæ peſſimum ac deteſtandum errorem , Conſecrationem ſcilicet non fieri verbis in perſona Chriſti a Sacerdote prolatis , ſed precatione ejuſdem Sacerdotis poſtea orantis & dicentis : *Fac hunc panem pretioſum Corpus Chriſti tui* , quæ poſt verba Conſecrationis extat in Liturgia Chryſoſtomi (4) : ac ſi verba Chriſti ad conficiendum (4)
Sacramentum inefficacia forent , aut forma Euchariſtiæ deprecatoria ſit . Sed præſtat verba Cabaſilæ audire , quibus Latinos hujus hæreſis aſſertores efficere conatur ex verbis orationis , *Supplices te rogamus* , de qua nunc agimus , perperam intellectis , & ad pravum ſenſum violenta explicatione pertractis . Poſtquam enim *cap.* 29. dixit verba Chriſti narrative tantum proferri , & non ſufficere ad donorum ſanctificationem , ſubdit cap. 30. *Quod autem os eis* , qui contradicunt , *omnino obſtruit* , *eſt quod etiam Latinorum Eccleſia* , *ad quam ſe referre videntur* , *poſt verbum Domini pro donis orare non recuſat* . *Ii autem ideo falluntur* , *quod Latini non ſtatim poſt Domini prolatum ſermonem orant* , *&* *quod*

non

*non aperte petunt ſanctificationem , & mutationem in Corpus Dominicum ,
ſed aliis utuntur nominibus eo ferentibus , & quæ tantumdem valent . Quæ
eſt autem oratio ? Jube ſurſum ferri dona hæc in manu Angeli aa ſu-
percœleſte tuum Altare . Dicant enim quid eſt hoc , ſurſum dona defer-
ri ? Vel enim localem eis translationem precantur a terra , & inferiori-
bus locis in cœlum , vel dignam aliquam , & ab humilioribus ad altiora mu-
tationem* (5) . Et paucis interjectis . *Unde manifeſtum eſt eos omnino ſcire* (5)
*ea adhuc eſſe panem & vinum , quæ ſanctificationem nondum ſuſceperunt ,
& propterea pro ipſis quidem orant , quæ oratione adhuc indigent . Orant
autem , ut ea ſurſum ferantur , ut quæ adhuc inferius ſita ſint ; & ad
Altare , ut quæ nondum ſint ſacrificata , ut illic poſita ſacrificentur .* Hæc
Cabaſilas Latinæ Eccleſiæ catholicam deprecationem ad ſuam hæreſim
diſtorta interpretatione detorquens (6) . At Græci orthodoxi veterum (6)
Patrum ſuorum ac fidei ſententiæ adhærentes hac de re in Concilio
Florentino a Latinis interrogati , aperte profeſſi ſunt panem & vinum
in Corpus & Sanguinem Chriſti per ipſius verba tranſubſtantiari : illam
vero orationem ; *Fac hunc panem pretioſum Corpus &c.* quam poſtea
adjungunt , hunc ſenſum habere , ut quod jam conſecratum eſt verbis
Chriſti , fiat ſuſcipientibus in ſalutem . Hæc ipſorum verba ſunt *Seſſ.* 25.
Concilii . *Fateri nos diximus , per hæc verba* Hoc eſt Corpus meum ,
*tranſubſtantiari ſacrum panem ; & fieri Corpus Chriſti : ſed poſtea quem-
admodum , & vos dicitis ;* Jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui
in ſublime Altare tuum ; *Ita nos quoque oramus dicentes , ut Spiritus
Sanctus deſcendat ſuper nos , & efficiat in nobis panem hunc pretioſum
Corpus Chriſti ſui , tranſmutetque ipſa* dona *Spiritu Sancto ſuo , ut fiant
communicantibus in purgationem animæ , in remiſſionem peccatorum , &
non fiant in judicium , aut condemnationem noſtram* (7) . (7)

Deprecatio poſt Conſecrationem in Liturgia Chryſoſtomi a Græcis Orthodoxis contra Schiſmaticos Catholice interpretata.

(1) *Summam indicans animi demiſſionem .*) Micrologus cap. 25. inclinat ſe juxta Altare, dicens : *Supplices &c.* Idem fere habet Amalarius lib. 3. cap. 25. Sacerdos Orationem hanc recitans olim non innitebatur Altari , ſed brachia in crucis formam componebat , ut faciunt etiamnum Carthuſiani. Ord.Carthuſ. Statuta cap. 27. Carmelitæ Cærem. Carmel. pag. 336. & PP. Prædicatores , Miſſ. anni 1687. Ord. Rom. XIV. pag. 305. *cancellatis manibus ante pectus .* Omnia Miſſalia Pariſienſia uſque ad 1615. habent : *manibus cancellatis , quaſi de ipſis crucem faciens .* Et Miſſale Aquiſgran. annorum circiter 300. *ſuperpoſitis brachiis in modum crucis ,* & aliud ejuſdem Eccleſiæ ſæculi 9. *cancellet manum ſiniſtram ſuper dexteram .* Extenduntur etiam hic manus, ut geſtu corporis repræſentetur Chriſti Paſſio, ut tradit laudatus Micrologus cap. 26. Conſonat Innocentius III. lib. 5. cap. 3. ubi quærit cur ſuper hoſtiam & calicem ſtatim poſt eorum conſecrationem fiant ſigna crucis ? Et reſpondet nonniſi ad recolendam Chriſti Paſſionem , quem ſequitur Alexander Halenſis de Off. Miſſæ mem. 3. art. 2. cum S. Thoma parte 3. quæſt. 83. art. 5. ad 4.

Verba Jube hæc perferri *in Oratione :* Unde & memores *quomodo intelligi debeant .*

(2) *Sed vota , fidem , & preces fidelium in ſublime Altare ſuum .*) Innocentius III. de Myſt. Miſſæ loco citato *ſalvo tamen occulto Cœleſtis oraculi Sacramento , poſſunt hæc verba ſimplicius , tamen ſecurius intelligi ; Jube hæc , ideſt vota fidelium .* Remigius Antiſſiodor. in Expoſit. Miſſæ monet ne quis inferat ex hac oratione eſſe in Cœlis materiale Altare , ſuper quod deferant Angeli , Deoque exhibeant Miſſæ oblationem , ſed intelligendum adſtare Sacrificio Angelos , ſicut adeſt Deus ipſe , qui eodem tempore a Chriſto in Cœlis , quo a Sacerdote ab Altari eamdem victimam excipit . Uno verbo , ſignificari unionem Cœlum inter , & Terram in ſacris Myſteriis ; Hoc autem probat verbis SS. Auguſtini , & Gregorii . *B. Gregorius* (ait) : *Quis fidelium haberet dubium in ipſa immolationis hora ad vocem Sacerdotis Cœlos aperiri in illo J. C. Myſterio Angelorum Choros adeſſe , ſummis ima ſociari , terrena cœleſtibus jungi . . . . . . Uno & eodem tempore , ac momento in Cœlum rapitur miniſterio Angelorum conſociandum Corpori Chriſti , & ante oculos Sacerdotis in Altari videtur . . . .* . . . B. quoque Auguſtinus de eodem ſublimi Altari , ait : *In conſpectu Divinæ Majeſtatis eſt quoddam inviſibile , ad quod non accedit injuſtus , ille ſolus accedit , qui ad iſtud ſecurus accedit , illic inveniat vitam ſuam , qui in iſto diſcernit cauſam ſuam .* Et quidem Angelorum Choros adeſſe Sacrificio , idque in ſcripturis tradi affirmat Ven. Petrus Bleſenſis Carm. de Euchariſtia cap. 24. verſibus illis :

Nam

Nam ſi forte fidem Scripturis vis adhibere,
Quæ nos ſæpe ſolent de Chriſto vera docere;
Tempore quo Chriſtus Genitori Victima chara
Presbyteri manibus ſublimi fertur in ara
Sanctorum polus omnis adeſt, polus hic referatur,
Præſentemque Deum grex Angelicus comitatur.

Grancolas vet. Liturg. Tom. 1. pag. 659. aſſerit in antiquis quibuſdam Miſſalibus poſt verba: *Supplices te rogamus omnipotens Deus,* hanc legi Rubricam: *Hic orat quodcumque voluerit*. Si autem vera ſint hæc, jam ſatis Cabaſilæ factum duxerim; tunc enim, *jube hæc perferri*, de precibus, & votis fidelium intelligendum eſſe nemo non videt.

(3) *Ambroſius lib. cit. de Sacramentis.*) Excerpſit ex Conſtitution. Apoſtol. lib. 8. cap. 22., loco tamen: *Per manus S. Angeli,* legitur: *Per manus Angelorum*, quod idem fere eſt, quoad delationem noſtrarum precum ad Deum.

(4) *Extat in Liturgia Chryſoſtomi.*) Eadem ferme leguntur in divina Miſſa Sancti Baſilii apud Goar in Euchologio Græcorum pag. 169., quæ non advertit Eminentiſſimus Author, vel conſulto id omiſit, motus fortaſſe ex iis, quæ diſertiſſime obſervat clar. vir Horatius Juſtinianus in ſuo Concilio Florentino illuſtrato parte 2. col. 22. pag. 329. nota 27. in fine, ubi ait præfatum verbum imperativum *fac* in Liturgia Baſilii non legi in vetuſtiſſimis Euchologiis, quæ extant in Bibliotheca Vaticana, cujus ipſe erat primarius Cuſtos, ſub numeris 1215., 1554., 1811., 1872., & 1875. Immo non legi in impreſſis Venetiis anno 1526. in eadem Bibliotheca num. 1225., nec in impreſſis ann. 1616. n. 5961., nec in impreſſo anno 1570., quod eſt penes me, (ut ipſe ait): nec in Liturgia impreſſa ex vetuſtis Codicibus a Claudio de Sainctes Ebroicenſi Epiſcopo. Hinc eſt, quod paulo ante affirmavit, intolerabili modernorum Schiſmaticorum audacia id eſſe additum in noviſſimis Euchologiis Græcorum Venetiis impreſſis. Et ſane non improbabile videtur; hoc enim verbum *fac* in Liturgia Baſilii non legit Card. Beſſarion Opuſc. de Euchariſtia, ſed & ipſe Marcus Epheſius Schiſmaticus adducens in ſui opinionem verba Liturgiæ, tam Chryſoſtomi, quam Baſilii non refert hoc verbum *fac*. Quare mirandum, quod Goar, alias in his eruditiſſimus, hæc non adnotaverit.

Verbum imperativum fac quod extat in Liturgia Baſilii non legitur in vetuſtiſſimis Euchologiis Bibliothecæ Vaticanæ.

(5) *Et ab humilioribus ad altiora mutationem.*) Neutrum ex his, quæ Cabaſilas intelligit in hac Oratione precatur Sacerdos, etſi in ſenſu obvio ſumantur Orationis verba, ſed orat tantummodo, ut Deus Filium ſuum mittat, qui propriis ſeſe manibus offerat, ut gratior, acceptiorque ex dignitate offerentis reddatur oblatio; neminem enim latet poſſe, multipliciter acceptum eſſe munus aliquod, vel ratione muneris, vel ratione perſonæ illud offerentis; Si enim, puta, munus Regi offeratur a Rege, acceptiſſimum erit munus ſi a ſubdito erit acceptum, ſi autem a Cive perduelli munus idem offeratur, reſpuetur; Quis autem aſſerat munus hoc in ratione muneris, additionem, vel mutationem, vel quid ſimile paſſum eſſe? Ita Sacerdos, qui æterno Patri offert Sacrificium, ſe profitens indignum contrectandi, manibuſque propriis offerendi Hoſtiam tam puram, tam ſanctam, metuenſque, ne ob offerentis defectus minus accepta ſit oblatio, majoris reverentiæ ergo æternum Patrem deprecatur, ut mittat Angelum, ideſt Filium ſuum, Chriſtum Dominum, qui ſe ſe ipſe offerat, ut oblatio immaculata, quæ ex ſe gratiſſima eſſe debet, accepta etiam ſit ratione offerentis. Similia in hunc eumdem ſenſum profert noviſſimus Author Enchiridii ex Opere Benedicti XIV. Pont. Max. de Sacrificio Miſsæ parte 2. cap. 19. pag. 93. his verbis: „ Etſi „ Oblatio hæc Deo non placere nullo modo „ poſſit, ſive rem, quæ offertur, ſive offe„ rentem præcipuum, qui quidem Chriſtus „ eſt, ſpectemus; tamen cum fieri poſſit, „ ut ea, habita Sacerdotis, vel populi ra„ tione minus placeat; ideo Sacerdos Deum „ orat ut *propitio, ac ſereno vultu* oblata reſ„ piciat „. Quæ ſi ita ſint, ut certiſſime ſunt, tota mutatio, quam aſſerit Cabaſilas, non ſupra oblationem, ſed ſupra perſonam offerentem caderet.

Explicatur contra Cabaſilam quid vere in hac Oratione apud Latinos precetur Sacerdos.

Quod autem Sancti Angeli nomine intelligendus ſit Chriſtus, præter ſexcenta Scripturarum teſtimonia, vel ipſa nos edocet nominis ethymologia, cum nihil aliud ſonet Angelus, quam Legatum, Miſſum; Cui porro magis competit miſſi nomen, quam Chriſto, qui ſe a Patre miſſum in Evangeliis teſtatur? *Sicut miſit me Pater &c.* Ivo Carnot. de Reb. Eccl. *Quis eſt iſte Angelus, niſi Angelus magni Conſilii, qui propriis manibus, ideſt ſingulari dignitate præditis operibus Cælos meruit aſcendere, & in ſublime Altare, ideſt ad dexteram Patris, pro nobis interpellans, ſe ipſum ſublevare?* Et Liturg. Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. 12. *Verbum Dei* Angelum tui & magni Conſilii Pontificem tuum &c. Denique S. Ambroſius lib. 1. de Offic. cap. 48. *Ante Agnus,* inquit, *offerebatur, & vitulus, nunc Chriſtus offertur quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, ut peccata dimittat.* Neque vero latet nos equidem in Liturgia deſcripta in Tract. de Sacram. inter Opera ejuſdem S. Ambroſii legi *per manus Angelorum* in plurali. Aſt quemadmodum Chriſtus in Altari juxta veterum SS. Patrum doctrinam adeſt Angelorum Choris ſtipatus, ut ſupra dictum eſt, ſicut in Aſcenſione ad Cœlum, credibile eſt Eccleſiam in hac oratione honoris cauſa Miniſtros potius, quam Dominum nominare voluiſſe. Nihilominus haud obſtat (inquit nobiſcum Franc. Amatus Pouget Inſtit. Cathol. Tom. 2. Parte 3. ſect. 2. cap. 7. num. 23. pag. 866.) quominus per Sanctum Angelum hunc, per quem petimus immaculatam Hoſtiam ad Altare Dei perferri, intelligamus Chriſtum ipſum, qui dicitur in Scripturis ſecundum verſionem 70. Interpretum, magni Conſilii Angelus, eſtque ſimul

Sancti Angeli nomine hoc loco videtur intelligendus ipſe Chriſtus Dominus.

&

& Altare, & Victima, Sacerdos & mediator; Sacerdos item ſuæ victimæ, & victima ſui Sacerdotii, uti ſunt S. Paulini verba Epiſt. 5. ad Severum; Per quem unum habere poſſumus acceſſum ad Patrem. Deinde idem juxta allata divinam hanc precationem exponit, his verbis: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube ut qui ſe ipſum per manus noſtras hic tibi obtulit, qui ſe ipſum offert pro nobis jugiter in Cœlis Jeſus Chriſtus, Sanctus ille tuus magni conſilii Angelus, perferat ad ſublime Altare tuum in conſpectu Divinæ Majeſtatis Tuæ, quam nos in hoc Altari fecimus Corporis, & Sanguinis ejus oblationem, ſimulque exponat tibi qua mente, quo flagranti deſiderio obtulerimus, ut quotquot ex hoc Altari &c.* Conſonant hæc cum iis, quæ jam antea tradidit Card. Bellarminus Controv. lib. 3. tit. 6. de Miſſa cap. 24. in ſecunda Reſponſione contra Lutherum: „ Etſi enim oblatio (inquit) conſecrata ex „ parte rei, quæ offertur, & ex parte Chri„ ſti principalis offerentis ſemper Deo pla„ ceat; tamen ex parte Miniſtri, vel populi „ adſtantis, qui ſimul etiam offerunt, poteſt „ non placere. Id igitur eſt, quod petimus, „ ut Deus benigne reſpiciat hoc munus, ut „ a nobis offertur.

(6) *Diſtorta interpretatione detorquens.*) Ita etiam ante Eminentiſſimum Authorem nigro theta Cabaſilam notavit Gentianus Hervetus Eruditis notiſſimus ad hunc locum in ipſius Cabaſilæ latina interpretatione, *Delirat*, inquit, *Græcus iſte. Schiſmaticus; verum fœdum iſtum Græcorum errorem egregie confutarunt Beſſarion Card. Nicænus, & alii innumeri Orthodoxi.* Cabaſilæ, a quo totus dependet, ſubſcribit Marcus Epheſius, & ipſe Schiſmaticus in Diſſertatione, quam de hoc argumento adverſus Latinos inſtituit, in qua probare nititur, uti ex ejuſdem inſcriptione: *Divina munera non ſolum recitatione verborum Dominicorum ſanctificari, ſed & Sacerdotis, quæ ſequitur precatione, & benedictione, per virtutem Spiritus S.* Ipſoque Diſſertationis exordio male intellecta veterum PP. expoſitione Liturgiæ; perperam ait: *Non ab ipſis verbis ſolum Dominicis ſanctificari, ac perfici Euchariſtiæ donum, & in ipſum Corpus Domini, & Sanguinem transmutari, ſed precationem, quæ poſtea conſequitur, & benedictionem Sacerdotis revera transmutare, quæ jam erant dona in ipſum prototypum Corpus & Sanguinem Domini.* Idem ſenſit etiam Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Cenſura Lutheri cap. 10. Confer ad hanc rem Richardi Simonis notas ad Gabrielis Philadelphienſis Opuſcula p. 146. uſque ad 182., ubi hanc quæſtionem fuſe pertractat.

(7) *Aut commendationem noſtram.*) Atque hanc fuiſſe eorum ſententiam fatetur, vel ipſe Silveſter Sguropolus Latinorum acerrimus hoſtis in ſua Hiſtoria Concilii Florentini cap. 4. Ubi enim Græcos in oratione, quam ad Papam Imperatoris, & totius Græcorum Synodi nomine habuit Nicænus Epiſcopus, ita ſub illius finem locutum fuiſſe refert: *Quidquid ſentit ſancta Romana Eccleſia de Conſecratione divinorum munerum hoc & nos quoque ſentimus*; Et mox, ubi vim omnem conſecrationis in Chriſti Domini verba cum Latinis retulit, iterum addit, *& in hoc etiam vobiſcum conſentimus, non enim aliud ſentimus præter id, quod dicitis, & ſentitis.* Ita etiam pleræque Liturgiæ Orientalium, tum apud Renaudotium, tum apud Patrem Bougeant infra citat. pag. 219. p. 2. Atque inde etiam confutatur Joſeph Bingamus Hæreticus Anglo-Calvinianus, qui Orig. Eccl. lib. 15. c. 3. §. 12. huic Græcorum Schiſmaticorum erroneæ opinioni cum cæteris ſuis ſymmiſtis Calvinianis Albertino, Dallæo, Claudio, aliiſque adhærens idem probare irrito conatu nititur, formulam ſcilicet conſecrationis ſemper compoſitam fuiſſe ex recitatione verborum inſtitutionis, & oratione ad Deum pro ſanctificandis per Spiritum Sanctum donis. *Græci, & Bingamus iis adhærens confutantur.* „ Non fuit autem, inquit, hæc antiquis tem„ poribus nuda repetitio verborum: *Hoc eſt* „ *Corpus meum*, quæ per multas ætates vul„ garis Romanenſium, ut ait, doctrina fuit, „ ſed recitatio hiſtoriæ inſtitutionis una cum „ precibus ad Deum, ut ſuum Sanctum „ Spiritum ſuper dona mittere, eaque Cor„ pus, & Sanguinem Chriſti fieri juberi vel„ let, non immutando naturam, & ſubſtantiam (exhorreſce Catholice, & Orthodoxe Lector blaſphemiam), ſed qualitates; & „ efficaciam, exaltandoque ea de ſimplici„ bus elementis panis, & vini, ut eſſent „ Typi, & Symbola Carnis, ac Sanguinis „ Chriſti, & efficacia inſtrumenta, per quæ „ digne recipientibus omnia mortis, & paſ„ ſionis ipſius beneficia conferentur. Ita ma„ nifeſto proponitur in Conſtitutionibus Apo„ ſtolicis &c. Deinde ad ſuum pravum ſenſum detortos refert nonnullos Sanctos Patres, poſt quos inani faſtu, inquit; „ Huic Te„ ſtium nubi Romanenſes non habent, quod „ ſolide opponant, niſi pauca quædam male „ intellecta loca veterum, quæ Lector cum „ idoneis reſponſionibus in excellentiſſimo „ (lege lutulentiſſimo) Albertini libro de Sa„ cramento Euchariſ. poteſt evolvere. Nos „ hic unum tantum producemus in medium „ maximam habentem ſpeciem ex Chryſo„ ſtomo, qui in homilia quadam ſua 30. „ de proditione Judæ, de conſecratione lo„ quitur in hunc modum: *Non homo, qui* „ *propoſita de Conſecratione Menſæ Domini Cor*„ *pus Chriſti facit, & Sanguinem, ſed ille,* „ *qui Crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacer*„ *dotis ore verba proferuntur, & Dei virtute* „ *conſecrantur, & gratia: Hoc eſt, ait, Cor*„ *pus meum, hoc vero propoſita conſecrantur:* „ *Et ſicut illa vox, quam dixit: Creſcite, &* „ *multiplicamini, & replete terram ſemel quidem* „ *dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum* „ *ad generationem operante natura, ita & vox* „ *illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes* „ *menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem,* „ *& uſque ad ejus adventum præſtat Sacrificio* „ *firmitatem*: Senſus hujus loci non eſt, „ uti Romanenſes falſo quidem opinantur (ait Bingamus, mirare interpretem, apage fas ſit dicere, ſtolidiſſimum, qui ſua ſe jugulat interpretatione), quod horum verbo„ rum pronunciatio per Sacerdotem res ſit, „ quæ Sacrificium faciat, ſed quod Chriſtus

„ hæc

,, hæc verba primum loquutus hominibus faciendi Corpus ſuum ſymbolicum, uti per verba: *Multiplicamini, & replete terram* ſemel dicta poteſtatem eis dederit procreandi liberos. Chriſti verba ſunt cauſa principalis conſecrationis, precatio autem non nuda horum verborum recitatio cauſa inſtrumentalis eſt, per quam hæc ſanctificatio perficitur. Hæc ille:

Sic autem arguo contra ipſum, & primo per eumdem Chryſoſtomus dicit: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia: hoc eſt, ait Corpus meum, hoc vero propoſita conſecrantur*. Vides inde perſpicue, quod ſtatim poſt prolata Chriſti verba, *propoſita*, ideſt elementa panis, & vini *conſecrantur*, atque in Corpus, & Sanguinem Chriſti tranſmutantur, neque ulla in hoc Chryſoſtomi textu ſpecialis, aut expreſſa invocatio, ſeu oratio ad Deum, ut Spiritum Sanctum ſuum ſuper dona mittat, eaque Corpus, & Sanguinem Chriſti fieri jubeat, ut cum Græcis Binghamus vult, reperitur, dum prolatis verbis: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix Sanguinis mei, hoc propoſita conſecrantur*. Præterea Chriſtus ex Binghamo ,, hæc verba primum loquutus hominibus faciendi Corpus ſuum Symbolicum, uti per verba *Multiplicamini, &c.* ſemel dicta poteſtatem eis dedit procreandi liberos ,, ; at per hæc utique non dedit poteſtatem procreandi liberos ſymbolice, ſed vere, & tealiter, ut per ſe patet, quis enim mentis compos dicat homines naſci ſymbolice? Si ergo, (repetam ad Binghami confuſionem) Chriſtus Dominus eodem pariter modo dedit poteſtatem faciendi Corpus ſuum ,, uti per allata verba *Multiplicamini, & replete terram* ſemel dicta poteſtatem eis dedit procreandi liberos ,, quemadmodum per illa non dedit poteſtatem procreandi liberos ſymbolice, ſed vere, & realiter, ita per hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Calix Sanguinis mei*, dedit profecto poteſtatem faciendi Corpus ſuum, & Sanguinem, non ſymbolicum, ſed verum, & reale. Vertant ſe, & invertant Sycophantæ iſti Novatores, ac Sanctos Patres ubicumque voluerint, diſtrahant, procul dubio quidquid contra hanc æternam, & catholicam veritatem dicent, adverſus ipſos retorquebitur; ſic inde permaxime dolendum eſt, quod hujuſmodi homines ſuis ita præjudiciis implicati conſiſtant, ut nec in meridie lumen videant. Stat igitur, ac ſtabit Romanenſium, ut Binghamus ait, ex ipſius Chryſoſtomi ſenſu ſententia: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia, HOC EST, ait, CORPUS MEUM, hoc vero propoſita conſecrantur*: Et quidem ad conſecrationem etiam ſuo modo operante natura, videlicet per verborum Chriſti prolationem a Sacerdote in ejus perſona factam, & quemadmodum ſi ad generationem non operaretur natura, non fieret, ſeu naſceretur homo, quantumcumque id homo cuperet, & exoptaret, aut etiam ipſum Dominum invocaret, cum id ita ipſe inſtituerit homines non procreari, niſi & operante natura; eo pariter modo quantumcumque Sacerdos id vellet, & Spiritum Sanctum invocaret, cum idem Dominus ita etiam inſtituerit, ut nonniſi ex ejus verborum prolatione ſacroſanctum ejus Corpus, & Sanguis conficeretur, ſi Sacerdos verba Chriſti non profert, utique non conſecrabit, nec fiet Chriſti Domini Corpus in Euchariſtia, cum per illa verba: *Hoc eſt Corpus meum* Sacerdotis ore prolata, propoſita in ſacra menſa conſecrentur, ut ſupra ait Chryſoſtomus.

Id confirmat idem S. Doctor hom. 2. in Epiſtolam 2. ad Timotheum probans hodierni Sacrificii unitatem cum eo, quod obtulit Chriſtus in ultima cœna, probans, inquam, ex unitate hoſtiæ, tum ex unitate formæ, ſeu verborum, quibus conſecratur: *nihil*, ait, *habet iſta, quam illa minus; cur id? quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus eſt Chriſtus eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita, & oblatio eadem eſt*. Item hom. 83. in Matth. loquens de verbis Chriſti Domini, ſive conſecrationis, ait, *credamur Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit*; & infra: *nam verbis ejus defraudare non poſſumus; ſenſus vero noſter deceptui facillimus eſt. Quoniam ergo ipſe dixit: HOC EST CORPUS MEUM, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus id perſpiciamus*. Ubi vides nihil hic de invocatione Spiritus Sancti enunciari. Si igitur, ut mox ex eodem didicimus, Sacerdotum oblatio eadem eſt, ac Chriſti, cum eadem ipſius verba pronuncient, & poſt quam ipſe dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, credere debemus, ita & poſtquam Sacerdotes id dixerint, ex Chriſti perſona credere debemus abſque ullo alio addito. Hæc Chryſoſtomi teſtimonia tanti ſunt, ut Græci paſſim fateantur eumdem Sanctum Doctorem ſibi contrarium extitiſſe, quod nefas eſt de tanto Viro ſentire. Hinc Hieremias Patriarcha ſuperius allatum Chryſoſtomi teſtimonium ex hom. 2. in 2. Epiſt. ad Tim. producens adverſus caput octavum Confeſſionis Auguſtanæ omiſit conſulto illud: *quemadmodum enim verba &c.*, ut refert Arcudius, & ex ipſo Card. de Lugo, eo quod prævideret jugulari ſimul eiſdem verbis hunc Græcorum errorem circa Conſecrationem, cui & ipſe mordicus adhærebat. At hæc Catholica veritas fuſius in peculiari diſſertatione contra Novatores demonſtrabitur, eorumque diluentur perfugia.

§. V.

Latini a Græcorum calumnia vindicantur.

Quamvis in aliquibus Occidentis Eccleſiarum Liturgiis poſt Conſecrationem brevis Oratio legatur, qua invocatio Spiritus Sancti præſcribitur, hæc tamen catholicum ſenſum non excludat.

HAnc autem veram, & orthodoxam eſſe illorum verborum: *Fac hunc panem, &c.* explicationem, hunc legitimum ſenſum, quem Græci Antiſtites profeſſi ſunt; quarumdam etiam in Occidente Eccleſiarum conſenſus evincit. Ritus enim Mozarabicus, quo omnes Hiſpaniæ, & Galliarum Eccleſiæ olim utebantur, ut lib. I. Cap. XI., & XII. oſtenſum eſt, poſt conſecrationem brevem ponit orationem, quæ *Poſt pridie*, ſive *Poſt Secreta* inſcribitur: & in ea Sacerdos precatur, ut deſcendat Spiritus Sanctus, & dona benedicat, atque ſanctificet, ac ſi nondum benedicta, & ſanctificata forent (1). Ita legimus in Miſſa S. Germani, (1) quam ex veteri Codice MS. tranſcripſimus ſupra Cap. XII. *Deſcendat ſuper hæc, quæ tibi offerimus, verbum tuum ſanctum: deſcendat inæſtimabilis gloriæ tuæ ſpiritus, ut fiat oblatio noſtra hoſtia ſpiritalis.* Ita ſæpius in Mozarabico. In die Natalis Domini: *In Altare tuum panis, ac vini holocauſta proponimus, rogantes ut has hoſtias Trinitas indiviſa ſanctificet.* Dominica ſecunda poſt octavam Epiphaniæ: *Quæſumus ut oblationem hanc Spiritus tui permixtione ſanctifices, & corpus, ac ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti plena transformatione conformes.* Dominica V. *Ut has hoſtias intendas propitius, ſanctifices, & benedicas.* Dominica I. Quadrageſimæ: *Emitte ſpiritum tuum de ſanctis cœlis tuis, quo ſanctificentur oblata.* Dominica III. *Digneris hæc oblata ſanctificare.* In die Paſchatis: *Ut hic panis cum hoc calice in Filii tui corpus, & ſanguinem te benedicente diteſcat.* Dominica III. poſt Paſcha: *His ſacrificiis propitiatus illabere, hiſque benedicturus deſcende.* Hæc, & alia plura his ſimilia in Miſſali Mozarabico legimus jam peracta conſecratione. At ea prorſus eumdem ſenſum orthodoxum habere, quo Patres Græci in Synodo Florentina ſuam orationem *Fac hunc panem pretioſum Corpus Chriſti tui* explicarunt (2), ut nimirum hoſtia jam conſecrata nobis, noſtræque ſaluti San- (2) cti Spiritus illapſu ſanctificetur, ipſimet Mozarabicæ Miſſæ inſtitutores in hac ipſa oratione *Poſt pridie* evidenter declarant. Nam Dominica III. Adventus hoc modo concepta eſt: *His quoque te quæſumus ſacrificiis noſtris ita ſanctificationem tuam infunde, quo ex his ſumpturi nullo decidamus in crimine, ſed ſanctificati tuum mereamur adventum impavidi ſuſtinere.* Dominica VI. poſt Paſcha: *Oramus ut hæc libamina Spiritus tui ſancti benedictione reſpergens ſumentium viſceribus ſanctificationem accommodes.* Dominica I. poſt Pentecoſten: *Impoſita hæc Altaribus tuis munera benedicere nobis, & ſanctificare digneris.* Nobis, inquit, ideſt pro noſtra ſalute, & ſanctificatione. (3) Et hæc quidem vera, & catholica expoſitio (3) eſt, ſed recentioribus non eſt viſa ſufficiens ad vindicandam Græcorum precationem ab omni nota, & ſuſpicione erroris: Ritum autem Mozarabicum, & veterum Gallicanum in hoc convenire cum Græco nemo hactenus obſervavit. Ideo nonnulli exiſtimarunt Græcos ab initio ea precatione uſos ante conſecrationem; poſtea ad eum locum translatam, in quo nunc eſt. (4) (4) Sed huic conjecturæ obſtant antiqui Codices MSS., in quibus legitur eo ipſo loco, in quo hodie reperitur. Omnes autem corruptos fuiſſe nefas eſt ſuſpicari (5). Deinde eadem extat eodem loco in Liturgiis Jacobi, (5) Marci, Clementis, & Baſilii, paucis verbis additis, vel immutatis, ſenſu tamen integro permanente. Extat etiam in Liturgia Armeniorum, quæ, dum hæc ſcribo, data eſt mihi examinanda a S. Congregatione de Pro-

Propaganda Fide in Latinum translata a Sacerdote illius nationis Baſilio
Barſech. Verba eorum hæc ſunt. *Adoramus, rogamus, & petimus a te
benefactor Deus, mitte in nos, & in propoſita hæc munera conſempiternum
tuum, & coeſſentialem S. Spiritum. Per quem panem hunc benedicens cor-
pus vere facies Domini noſtri, & Redemptoris Jeſu Chriſti*, & dicitur
ter. *Et calicem hunc benedicens ſanguinem certe facies Domini noſtri, &
Redemptoris Jeſu Chriſti*. Et dicitur ter. Alii ipſam ſic intelligendam
putant, ut reſpiciat non tempus, quo profertur, ſed quod conſecratio-
nem antecedit: ac ſi Sacerdos tanti myſterii ſublimitate extra ſe raptus,
ſuæque memor fragilitatis, id quod jam ſactum ex fide credit, quaſi
efficiendum conſideret, ac propterea oret, Fac panem hunc pretioſum
corpus Chriſti tui: neque enim abſurdum videtur, quod jam conceſſum
eſt, ac ſi nondum conceſſum foret, iteratis precibus poſtulare (6). Alii (6)
dicunt corpus Chriſti duplex eſſe, verum quod ipſius verbis conficitur;
& myſticum quod eſt Eccleſia, ſupra quod Sacerdos Spiritum Sanctum
jam facta conſecratione deſcendere precatur, ut participatione Sacramenti
unum corpus Eccleſia cum Chriſto efficiatur (7). Alias aliorum expli- (7)
cationes omitto, ne actum agam. Tractant de hac controverſia Beſſarion
Cardinalis *lib. de Euchariſtia*, Sixtus Senen. lib. 6. Biblioth. Annot. III. Bel-
larminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 14., Goar *ad Liturgiam Chryſoſtomi
num.* 139.. Allatius *lib. 3. de perpetua utriuſque Eccleſiæ conſenſione cap.* 15.
Et exercit. 25. ad hiſt. Con. Floren.. Diffuſiſſime autem Petrus Arcudius
lib. 3. ſuæ concordiæ cap. 27., & novem ſequentibus (8). (8)

Diverſæ variorum Explicationes verborum invocationis Spiritus Sancti referuntur.

(1) *Ac ſi nondum benedicta, & ſanctificata forent.*) Moris Eccleſiæ Catholicæ eſſe res præteritas tamquam futuras reſpicere innumeris probari poſſet exemplis, ex quibus aliquot proferre juvat ex Feriis Adventus, in quibus orat: *Ut nubes pluant juſtum, ut terra germinet Salvatorem, ut excitet Dominus potentiam ſuam, & veniat*. Quis autem eo dementiæ pervenerit, ut Eccleſiam cum Synagoga Meſſiam venturum præſtolari arbitretur? Sed de his iterum infra.

(2) *Corpus Chriſti tui explicarunt.*) Ad hunc locum Euſebius Renaudotius in Notis ad Liturgias Syriacas Eminentiſs. noſtrum reprehendit, quod indiſcriminatim ſententiam Latinæ Eccleſiæ Græcis Patribus conformem adtribuerit. *Patres Græci*, inquit, *dici non poſſunt Epiſcopi ſex, qui Imperatore, & aliis Epiſcopis neſcientibus, & poſtea reclamantibus talem expoſitionem dederunt*; Sed Renaudotium invicte confutat, atque Emin. Authorem eximie vindicat Clar. P. Joſeph Auguſtinus Orſi in eruditiſſima ſua Diſſertatione Theologica de Liturgica Sancti Spiritus Invocatione pag. 162., ubi Beſſarionem Archiepiſcopum Nicenum ſuo, ac aliorum PP. Eccleſiam Orientalem repræſentantium nomine, comprobantibus aliis Græcis, uno forſan excepto Marco Epheſino, qui ſemper contrarius extitit, hanc confeſſionem Latinæ Eccleſiæ ſenſui conformem publice expoſuiſſe luculenter oſtendit. Renaudotium item talia falſo opinatum egregie refellit Cl. Joſeph Simonius Aſſemanus in ſua Biblioth. Orient. Tom. 2. pag. 200., ubi ejus vanos labores in excuſandis recentioribus Græcis, Jacobitis, Coptis, & Neſtorianis, invocationem Spiritus Sancti peſſime interpretantibus irritos reddit, ipſumque eorum ſententiam comprobantem exſibilat, & a catholico ſenſu deficientem demonſtrat.

Vindicatur a pleriſque Card. noſter contra Renaudotii in ipſum cenſuram.

(3) *Ideſt pro ſalute, & ſanctificatione.*) Ita S. Thomas 3. part. quæſt. 83. art. 4. ad 7. Item legitur in Miſſali Gothico apud Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. 3. pag. 214. in Miſſa Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Oratione poſt *myſterium* dicta, ideſt poſt *conſecrationem*: *Deſcendat Domine in his Sacrificiis tuæ benedictionis coæternus, & cooperator Paraclitus Spiritus, ut oblationem, quam tibi de tua Terra fructificante porregimus cæleſti permuneratione* (ſive ut legendum judicat ex ſequentibus Mabillonius permutatione) *te ſanctificante ſumamus, ut translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis*. Item ibidem pag. 227. in Cathedra Sancti Petri Apoſtoli eadem oratione: *Poſt Myſterium*, legitur: *Hæc igitur præcepta ſervantes ſacroſancta munera noſtræ ſalutis offerimus obſecrantes, ut immittere digneris Spiritum Sanctum tuum ſuper hæc ſolemnia, ut fiat nobis legitima Euchariſtia in tuo, Filiique tui nomine, & Spiritus Sancti in transformatione Corporis, ac Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Unigeniti tui edentibus nobis vitam æternam, regnumque perpetuum conlaturam bibituris. Per ipſum Dominum*. Quod & legitur in Miſſa de Sancto Leodegario. Item in Miſſali Francorum de Ordinatione Presbyterorum num. 8., ac Miſſali Gallicano num. 17.

Hæc Catholica interpretatio invocationis Spiritus Sancti poſt conſecrationem pluribus exemplis demonſtratur.

Neque Occidentales tantum Liturgiæ, ſed & Orientalium, pleræque hoc ſenſu conſcriptæ ſunt, uti videre eſt apud Renaudotium præfatum, & poſt ipſum infracitandum Patrem Bougeant ſect. 3. cap. 2. Partis ſecundæ

ſui

ſui Tract. de Euchariſt. conſecr., quas recenſere nimium eſt. Fatetur & ipſe Renaudotius ad Liturgiam Jacobitarum Chryſoſtomi: *Ex iſta* (invocationis) *diverſitate ſi quis conjiciat Authores Liturgiæ credidiſſe, antequam invocatio pronuncietur jam panem eſſe Corpus, & vinum Sanguinem Chriſti, non erit admodum repugnandum, neque enim quibus hæc conjectura diſpliceret, habent aliquid, quo ſe tueantur*. Et ſane ita vel ipſe credidit Dionyſius Barſalibi Syrus inter Jacobitas Neſtorianos celeberrimus in Explicatione ſacræ Liturgiæ, ubi de conſecratione loquens, ita ait, apud Aſſemanum Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 188.: *Poſtea Sacerdos profert verba illa, quæ Dominus noſter in Cœnaculo dixit cum Sacramentum perfecit, ut per hæc oſtendat ipſum* (Chriſtum) *etiam nunc eſſe, qui ſpecies haſce ſuper Altare impoſitas voluntate Patris, & operatione Spiritus per Sacerdotem, qui cruces format, & verba profert, conſecrat; non enim qui miniſtrat, ſed qui ſuper Sacramenta invocatur conſecrationem efficit*. Prædicta omnia confirmantur, nam in Miſſa de Natali Domini, ut ſupra diximus, in Miſſali Gothico apud Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. 3. pag. 192. legitur poſt ſecreta, ſeu conſecrationem. *Credimus &c. Corpus tuum in peccatorum noſtrorum remiſſione confractum, Sanguis ſanctus tuus in pretium noſtræ redemptionis effuſus eſt*. Præterea in Miſſali Mozarabum poſt conſecrationem ſtatim præcipitur elevatio Corporis, & Sanguinis Chriſti: Poſt illa verba: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, habetur: *Hic elevetur Corpus*: Et poſt illa: *Hic eſt Calix novi teſtamenti in meo ſanguine: hic elevetur Calix coopertus cum filiola &c.* Hinc evidentiſſime conſtat, quod quamvis poſt verba evangelica ad obtinendum deſcenſum Spiritus Sancti, pro benedictione, ſanctificatione, & transformatione donorum Mozarabes orarint, certa nihilominus fide tenuerint ſtatim virtute verborum Chriſti peragi conſecrationem.

Et quidem ante invocationem Spiritus Sancti ſtatim poſt prolata verba Chriſti peragi conſecrationem pleroſque crediſſe tum Orientales, tum Occidentales demonſtratur.

(4) *In quo nunc eſt.*) Ita Petrus Arcudius lib. 3. concord. Eccleſ. Occid., & Orient. cap. 26., & noviſſime G. H. Bougeant Soc. Jeſu in ſuo Tract. gallice ſcripto de forma conſecrat. Euchar. pag. 200. partis ſecundæ.

(5) *Omnes autem corruptos fuiſſe nefas eſt ſuſpicari.*) Et revera idem invocandi Spiritus Sancti modus in omnibus Orientalis Orbis Liturgiis reperitur; & ſi quid diſcrepantiæ ſit, ea in verbis potius, quam in rebus poſita eſt, eadem in ſenſu forma, licet diverſimode concepta, & expreſſa apparet, uti manifeſto probant illarum gentium Libri Miſſales cum manuſcripti, tum editi, & quibuſdam exemplis demonſtrat Ricardus Simon in notis ad Apologiam Gabrielis Severi pag. 148. & ſeqq., & licet, ut ſupra advertimus, Horatius Juſtinianus in pleriſque Codicibus Vaticanis afferat non legi verbum illud imperativum *fac*; non negat tamen ibi legi invocationem præfatam, quamvis alio ſimili verbo non imperativo, ſed deprecatorio expreſſam.

Idem invocandi Spirit. Sancti modus, ac forma in omnibus Orientalibus Liturgiis reperitur.

(6) *Iteratis precibus poſtulare.*) Ita ex recentioribus Euſebius Renaudotius, cumque ipſo mox laudatus Scriptor S. J. G. H. Bougeant Tract. de forma conſecrat. Euchar. pag. 232. partis ſecundæ, ubi & ait: vetuſtiſſimam, omnibuſque Eccleſiis etiam Occidentalibus communem diſciplinam dudum fuiſſe, ut inter ſacra officia, non modo ante Sacramentum perfectum, ſed poſtea preces fiant ad Deum, quaſi nondum, quod Eccleſia poſtulat, factum fuiſſet. Item ante ipſos Ricardus Simon in notis ad Apologiam Gabrielis Severi Philadelph., aliique ab eo citati pag. 180., & ſeqq. Atque omnium prior Joannes Carolus Bovius Epiſcopus Oſtunenſis, (de quo vide Toppi Biblioth. Neapolit. Additionum pag. 118.) Scholiis in Conſtitutiones Apoſtolicas, quæ Clementis Romani nomine circumferuntur, bene monuit his verbis: *Conſtans, & perpetua fuit omnium Patrum ſententia verbis Domini tantum myſterium adminiſtrari: quod vero hoc loco dicitur* (videlicet de invocatione Spiritus Sancti, quam refert Clementis Miſſa poſt verba conſecrationis) *ad ſuperiora verba reſpectum habet, & ad illa referri debet; ut enim quæ ante conſecrationem dicuntur ad oblationem Corporis, & Sanguinis Chriſti dirigenda ſunt, ſic quæ poſt conſecrationem myſtice precatur, & facit Sacerdos, ad unum peractæ conſecrationis actum trahuntur. Sacerdos ante conſecrationem tenens manu patenam, & Calicem dicit ſe offerre Hoſtiam immaculatam pro peccatis, & Calicem ſalutaris: quæ actio reſpondet oblationi temporis & Sanguinis faciendæ, tunc anticipatione quadam Sacerdotis mente, atque propoſito conceptæ. Ita poſt conſecratam Euchariſtiam invocatur Spiritus Sanctus illorum munerum ſanctificator, & peracti Operis una cum Patre effector; quæ invocatio non eſt ſeparanda a prima actione, qua Sacerdos verba Domini proferens panem, & vinum conſecravit, ſed ad eumdem actum revocari debet, immo ad idem temporis momentum, quo illa admirabilis converſio facta eſt; nam cum omnia ſimul, atque uno tempore fieri non poſſint, ordine, ac temporis intervallo diſponuntur. Quæ vero ſermone, & tempore dividuntur, cogitatione, & intelligentia ſunt in unum conjungenda*. Hæc Clariſſimus Præſul, cui ſubſcribunt Fauſtus Naironus in Evoplia pag. 159., ejuſque Conterraneus Joſeph. Sim. Aſſemanus Bibl. Orient. Tom. 2. pag. 201., cujus etiam ſententiæ verba, ſi probe teneantur, totum iſtud Litigium, quod plerique moleſtum, & magnis difficultatibus implexum, experti ſunt, facili negotio conficient.

Antiquiſſima, & communis dudum fuit Eccleſiæ diſciplina ut preces fierent ad Deum etiam poſt completum Sacramentum quaſi peractum non fuiſſet.

Et ſane quot, & quanta ſunt in ſacris Eccleſiæ Ritibus, officiis, & cæremoniis, quæ non niſi per retrotractionem, vel tranſpoſitionem temporis, ad quod reducenda ſunt, intelligi debent. Non immoror his ſigillatim exprimendis, cum ſatis Eruditis nota ſint, & cuique indicent Libri Miſſales, & Breviaria, in quibus ea paſſim occurrunt. Atque id unum exprimit præ omnibus jam allatum nota 1. exemplum; ſuſpirat Eccleſia a prima Dominica Adventus uſque ad Nativitatem Domini ejuſdem Meſſiæ, ac Salvatoris noſtri Incarnationem, eumdemque venturum expectat, quaſi nondum advenerit, & tamen ipſum jam primo veniſſe firmiſſime, & catholice credit. Sic de reliquis dicendum. Vide ſupra quæ

Et plura in hanc rem afferuntur exempla.

dicta

Digitized by Google

dicta ſunt cap. 9. num. 3., ſed ne Lectorem uno tantum exemplo dimittamus, præſtat hue alia in hanc rem rationum momenta adferre. Et primo hujuſmodi invocatione, aliiſque id genus orationibus vehemens Eccleſiæ erga Chriſtum Dominum corporaliter præſentem amor exprimitur, quo pia mater ad Deum precandum movetur, non ut ſubjectam materiam in Corpus, & Sanguinem Chriſti convertat, hoc enim divinitus edocta jam ſe conſecutam intelligit, ſed ut mirabilem hanc, vereque divinam liberalitatem confirmet, ſtabiliatque, ſæpe enim contingit, ut quæ ardenter deperimus, etiam poſtquam iis frui datum eſt, pari pene impatientia poſtulemus, ac ſi nondum eſſemus aſſecuti; cujus rei exemplum opportunum nobis præbet Regius Propheta, qui cum pſalmo quarto ſtatim ab initio exauditum ſe a Deo conteſtatus foret his verbis; *Cum invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ*, continuo ſubjicit quaſi nondum voti compos effectus: *Miſerere mei, & exaudi orationem meam*. Sic & Angeli, ac Beati in Cœlo Deum videntes non amplius per ſpeculum in ænigmate, ſed ipſum, ſicuti eſt, in eum nihilominus deſiderant proſpicere; hinc mirum videri non debet, quod militans Eccleſiæ triumphantis exemplo ſponſum, quem realiter præſentem habet in Eucharistia adhuc deſideret, indeque poſt conſecrationem oret pro conſecratione; ſponſa enim non ſatis ſe putat ſponſum poſſidere, quem diligit, niſi & amplius poſſidere deſideret; *Deum* (inquit Gregorius Magnus Moral. lib. 18. cap. 28.) *Angeli vident, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri, & intuentur; ne autem ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur; & ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant*. Quidni idem ſentiat Eccleſia Chriſtum Dominum in Euchariſtiæ Sacramento præſentem contemplando?

Non ſolum in conficienda Euchariſtia, ſed & in aliis Sacramentis.

Atque ut hoc ipſum ſit, quod ipſa intendat, id videre eſt in aliis Sacramentis, in quibus etiam ſacramentalem gratiam poſtulare conſuevit, quam prolata forma ſe impetraſſe pro certo habet. Ita in Baptiſmo ante, & poſt prolata ea verba: *Ego te baptizo* poſtulatur a Deo, ut baptizato gratiam Spiritus Sancti concedat, cum tamen in dubium revocare nemo queat, quin Baptiſmi effectus per dicta verba perfecte conferatur: Idem dicendum de Sacramento Ordinis, cujus omnes orationes ab initio uſque ad finem eo ſpectant, ut ordinato, non modo ſanctitatem miniſterio convenientem Deus largiatur, verum etiam poteſtatem, authoritatemque tribuat, quam per manuum impoſitionem, materiæ traditionem, ac verba Sacramentalia eum jam conſecutum fuiſſe haud ambigitur. Sic in aliis Sacramentis rogat Eccleſia, ut id fiat, quod prolata forma factum fuiſſe extra controverſiam eſt, quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos pœnitentem a peccatis abſolvit per illa verba: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, deinde dicit. *Paſſio Domini noſtri &c., ſit tibi in remiſſionem peccatorum &c.*, & tamen hanc peccatorum remiſſionem pœnitens jam conſecutus eſt per dicta verba formæ *Te abſolvo &c.* paulo ante a Sacerdote prolata. Atque ut ad Euchariſtiæ Sacramentum redeamus, in Canone Latino ante conſecrationem poſtulat Eccleſia, *ut fiat Corpus, & Sanguis Chriſti*; in Liturgia Gallicana veteri, in Gothica, in Mozarabica, & aliis poſt conſecrationem, ut ſupra dictum eſt, orat Sacerdos, *ut fiat Euchariſtia legitima in transformatione Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* Uti pridem obſervarunt Emin. Author, Mabillonius ſupracitatus, Renaudotius Liturg. Orient Tom. 2. pag. 92., & nuper Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 2. pag. 202. Et hoc fere ſenſu Eccleſia Romana etiam poſt conſecrationem orat, & benedictiones format ſuper dona, petitque ea perferri in ſublime Altare Dei: hæc nimirum omnia *humano more ſumenda ſunt, ſecundum quem ſucceſſio, & temporis aliquod intervallum* (ut ait idem Renaudotius Tom. 1. pag. 249.) *cogitatione ſaltem intercipi poteſt in transmutatione, quæ per miraculum facta, momento fieri intelligitur, ſed non niſi ſucceſſive verbis exprimitur*.

His omnibus ſana mente perceptis, plane conſpicuum eſt, quomodo intelligendi ſint Patres, qui dicunt Euchariſtiam perfici precibus Sacerdotum, inter quos ex Græcis *Euchariſtia* (inquit S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 3. myſtag.) *poſt Sancti Spiritus invocationem non eſt amplius panis communis, ſed Corpus Chriſti*. *Hic panis* (ait S. Gregorius Nyſſenus Orat. catech. cap. 37.) *per verbum Dei, & orationem ſanctificatur*. Ex Latinis S. Hieronymus Ep. 85. ad Evagrium, loquens de Diaconis: *Quis patiatur*, inquit, *ut menſarum, & Viduarum Miniſter ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti Corpus, Sanguiſque conficitur*? Et Sanctus Auguſtinus de Trinit. lib. 3. cap. 4. *Euchariſtia eſt id, quod prece myſtica conſecratum ſumimus ad ſalutem*. Denique ipſorum plerique Miſſæ Canonem, non aliter, quam *precem catholicam* appellabant, uti videre eſt apud Paulum Diaconum in vita Sancti Gregorii Magni. Siquidem precum nomine Evangelica verba ab ipſis ſignificari comprobatur; Etenim quando dicunt Sancti Patres Euchariſtiam confici precibus Sacerdotum, hoc unum ſignificant ad verborum Domini prolationem præmitti aliquas preces, alias conſequi, quæ ad Liturgiam ſacram pertineant, quibuſque fideles ad percipiendos divinæ Euchariſtiæ fructus, & digne Sacrificium offerendum diſponantur; Cæterum his ipſis precibus Euchariſtiam formaliter, ut Schola loquitur, conſecrari, quaſi ab illis pendeat panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti mutatio nullibi expreſſe dicunt; immo contrarium, ſi bene attendimus, aperte declarant. Sic ex antiquis S. Martyr Juſtinus affirmat in ſecunda pro Chriſtianis Apologia ſuo tempore in ipſis Evangelicæ prædicationis primordiis, Euchariſtiam magno orationum, & laudum apparatu fieri ſolitam. *Ei*, inquit, *qui fratribus præeſt* (ideſt Sacerdoti) *offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem prolixe exequitur*: ibidem vero

Sancti Patres quando dicunt Euchariſtiam confici precibus Sacerdotum, hoc unum ſignificant ad verba Domini preces præmitti, & ſubſequi.

in ſolis

in ſolis Evangelicis verbis Euchariſtiæ conſecrandæ virtutem agnoſcit: *Eam*, inquit, *in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ alimoniam, incarnati illius Jeſu Carnem, & Sanguinem eſſe edocti ſumus*; Quid enim eſt verbum ab ipſo Chriſto profectum, niſi: *Hoc eſt Corpus meum*: *Hic eſt Sanguis meus*. Et revera quando ad unum negotium peragendum actiones multæ concurrunt; etſi ab illis rei exitus diverſimode pendeat; ſingulis tamen vulgari more loquendi tribui ſolet. Sic E. G. licet Baptiſmi eſſentia in ſolius aquæ infuſione, & verborum Evangelicorum enuntiatione conſiſtat; quia tamen ſolemnem Baptiſmi ritum alia multa præcedunt, comitantur, & conſequuntur, haud inepte dixerit aliquis, Baptiſmum fieri exorciſmo, impreſſione ſigni Crucis, manuum impoſitione, deguſtatione ſalis, & aliis denique ritibus, qui in ſolemnitate Baptiſmatis obſervantur. Ita porro ſe res in præſenti habet: ajunt Patres, *Euchariſtiam confici precibus Sacerdotum*, Miſſæ Canonem, *Catholicam precem* appellant, vereque hoc dicunt, cum multarum precum continuatione Sacrificium abſolvatur; nec tamen hinc ſequitur ex eorum mente Euchariſtiam formaliter, & eſſentialiter, ut Scholæ verbis utar, precibus conſecrari; non enim per quid fiat, ſed quid fiat, in Euchariſtia his locis expendunt, nec in mente habent formam Sacramenti ſcrupuloſius more Scholaſticorum inquirere, atque adeo ſi quid obſcurum in eorum verbis occurrit, debet ex aliis clarioribus, ut prædiximus, explicari.

Et quidem ea ratione poſt Conſecrationem invocatur a Græcis Spiritus Sanctus, ut Eccleſia participatione Euchariſtici Sacramenti unum Corpus cum Chriſto efficiatur.

(7) *Unum Corpus Eccleſia cum Chriſto efficiatur.*) Et hæc quidem communior, & verior eſt antiquorum ſententia. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus lib. 2. ad Monimum de Sacrificii oblatione, Spiritus Sancti miſſione loquens cap. 6., & ſeqq.: *Jam nunc*, ait, *illa nobis eſt de Spiritus Sancti miſſione quæſtio reſolvenda, cur ſcilicet ſi omni Trinitati Sacrificium offertur, ad ſanctificandum oblationis noſtræ munus Sancti Spiritus tantum miſſio poſtulatur*. Et reſpondet: *Cum ergo Sancti Spiritus ad ſanctificandum totius Eccleſiæ Sacrificium poſtulatur adventus, nihil aliud poſtulari mihi videtur, niſi ut per gratiam ſpiritualem in Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, charitatis unitas jugiter indiſrupta ſervetur: Hæc eſt enim principale Spiritus Sancti donum*. Item ibidem cap. 9. *Dum itaque Eccleſia Spiritum Sanctum ſibi cælitus poſtulat mitti, donum ſibi charitatis poſtulat a Deo conferri; quando autem congruentius, quam ad conſecrandum Sacrificium Corporis Chriſti ſancta Eccleſia, quæ Corpus eſt Chriſti, Spiritus Sancti depoſcat adventum? .... Et ob hoc neceſſarium nobis eſt, ut ſicut ex Spiritu Sancto natus eſt Chriſtus, ſic Eccleſia dono Spiritus Sancti adhæreat Chriſto, tamquam mulier viro ſuo, & tamquam corpus capiti ſuo &c. Virtus enim ipſa*, ait S. Auguſtinus Serm. 57. in Matth., *quæ ibi* (in Euchariſtia) *intelligitur, unitas eſt, ut redacti in corpus ejus, effecti membra ejus ſimus, quod accipimus*. Hæc ex Patribus Latinorum ſententia, cui & Græcos conſenſiſſe demonſtramus. Cum enim in Concilio Florentino, uti ex ipſius Actis conſpicitur Collat. 22. quæſitum eſſet a Græcis, quare ad Chriſti verba preces illas adjicerent; *Et fac panem quidem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui &c.* Quaſi nondum foret Sacramentum completum? Reſponderunt habere ſe ſententiam cum toto Chriſtiano Orbe communem, & fateri ſe dixerunt *per verba evangelica tranſubſtantiari ſanctum panem, & fieri Corpus Chriſti, ſed poſtea quemadmodum & vos Latini dicitis*: Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ, ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur. *Ita nos quoque oramus dicentes ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & faciat in nobis panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui, & quod eſt in Calice iſto pretioſum ejus Sanguinem, tranſmutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut fiant accipientibus in emundationem animæ, in remiſſionem peccatorum, non vero in judicium, aut condemnationem*. Ita has preces in Sanctorum Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiis conſcriptas a Latinis etiam intelligi ſignificavit apud Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſec. XV., & XVI. Differt. X., art. 2. num. 12. Card. Turrecremata ea de re in Synodo juſſu Eugenii IV. diſſerens: *Oratio illa* (inquit) *non eſt ut conficiatur quod confectum eſt, ſed ut conſequamur effectum Sacramenti, ſcilicet uniri cum Chriſto, & eidem incorporari, ac dicamus cum Apoſtolo*: Vivo ego jam non ego vivit vero in me Chriſtus. Plura in hunc ſenſum profert dictus Nat. Alexander, quæ ibi ſtudioſus Lector perſpiciet. Ex ſupradictis, aliiſque SS. PP. teſtimoniis, ac documentis, quæ alibi, & maxime apud Vincentium Ricardum in Procli Analecta pag. 590., & ſeqq. videri poſſunt, liquido conſtat illis precibus non aliter implorari Spiritus Sancti acceſſum, niſi ut ejuſdem præſentia manifeſtum fiat nobis ipſum Chriſti Corpus, & Sanguis, & quomodo? Impertiendo remiſſionem peccatorum, augendo fidem hujus myſterii, ejuſque aperiendo veritatem, quod proprium ejus munus eſt: *Spiritus, qui a Patre procedit, ille vos docebit omnia*; Declaret re id, quod Chriſtus huic Sacramento ineſſe dixit, demonſtret nobis re ipſa hunc conſecratum Panem, & Sanguinem illum ipſum eſſe, vitam tribuendo ſpiritualem, ut maneamus in Deo, & ipſe in nobis.

Quod autem ſupradicta vera ſint, & iſte Eccleſiæ Græcæ Catholicæ ſenſus ex ipſa Chryſoſtomi Liturgia demonſtratur.

Denique quod hæc vera ſint omnia, quæ ſupra diximus, atque ita ſit Eccleſiæ Græcæ Catholicæ ſenſus luculentiſſime ex ipſamet Chryſoſtomi Liturgia demonſtratur; nam prolatis a Sacerdote Chriſti verbis, antequam recitet invocationem Spiritus Sancti, eſt rubrica quædam dicens: *Diaconus accedit ad Sacerdotem, & adorant ambo ter ante ſanctam menſam*: At vero ſi non eſſet ibi Corpus Chriſti, non ſe proſternerent, & adorarent. Atque etiam ante hanc adorationem Chorus dicit: *Te glorificamus, Te benedicimus, Tibi gratias agimus Domine, & deprecamur Te Deus*: quæ utique verba Chriſtum Dominum præſentem indicant. Inſuper poſt Chriſti verba ante hanc orationem Sacerdos dicit: *Offerimus etiam*

tibi

tibi rationale hoc, & incruentum obſequium: Id autem Chriſtus eſt. Item in Miſſa Æthiopum, quæ ex Græcis deſumpta eſt, illico ac Sacerdos ſacra Chriſti verba ſuper panem protulit, nimirum: *Hoc eſt Corpus meum*; additur: populus dicit: *Amen, amen, amen: Credimus, & confidimus, & laudamus te o Domine Deus noſter: hoc vere Corpus tuum eſt*; Et prolatis verbis: *Hic eſt Calix &c.* itidem populus dicit: *Amen, amen, amen &c. hic vere Sanguis tuus eſt*: Conſimilem ritum in Eccleſia Græca obſervavit Cardinalis Beſſarion in ſuo libro de Sacram. Euchariſtiæ; ait enim, quod ſtatim ac Sacerdos verba Chriſti conſecratoria protulit populum Sacrificio præſentem reſpondere: *Amen*, quaſi dicat; *vere ita eſt, ut tu dicis, certe Corpus, & Sanguis Chriſti ſunt munera iſta propoſita, ita credimus, ita confitemur*: Et Diaconus ſtola duobus primis digitis tacta, Panem, & Calicem oſtendit; *nihil certe aliud ſignificans*, inquit, *niſi Panem illum Chriſti eſſe Corpus, & quod in Calice eſt, eſſe Sanguinem ejus, quemadmodum verbis illis aſſeritur. Et hæc ſane oſtendens, Diaconus non mentitur, & non mentiens, cum iis ſentit, qui ſola Domini verba ajunt hoc ſacrum perficere Sacramentum, neque enim tales fruſtra inſtitutæ ſunt ab Eccleſia Cæremoniæ*. Hæc Beſſarion, quem certe Græcorum rituum perititſimum fuiſſe, nemo eſt, qui neget. Beſſarioni conſonat Arcudius de Sacram. Euchariſtiæ lib. 3. cap. 25., ubi hujuſmodi piam, & religioſam inter Græcos ſuos conſuetudinem eſſe affirmat, antiqua utique, & immemorabili illius Eccleſiæ traditione firmatam unumquemque ſcilicet fidelium, ſtatim ac Sacerdos pronunciavit verba conſecrationis, apud ſe hæc, aut ſimilia dicere: *Credo Domine, & confiteor, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui veniſti in hunc mundum ſalvos facere peccatores, quorum primus ego ſum*. Ita & affirmat Renaudotius. Hinc luce clarius, & certo certius conſtat Euchariſtiæ conſecrationem, & ab Eccleſia Græca credi, non precibus Sacerdotis, ſed Chriſti Domini verbis ab eo prolatis fieri.

(8) *Diffuſiſſime autem Petrus Arcudius lib. 3. ſuæ concordiæ &c.*) Antequam cæteros Authores referam, qui de hac celebri controverſia diſſerunt, præſtat ejuſdem hiſtoricam Chronotaxim proferre, id quod Lectori injucundum non erit. Et quidem eamdem diſceptationem jam diu fere ſopitam, & quaſi penitus extinctam denuo nuper excitavit in Gallia Antonius Auguſtinus Tonttæus noviſſimus Editor, & illuſtrator Operum S. Cyrilli Patriarchæ Hieroſolymitani in tertia ex ſuis Diſſertationibus, quas eorumdem Operum editioni præmiſit Pariſiis 1720. Rurſus hanc ipſam quæſtionem paulo poſt agitandam reaſſumptit Petrus Le Brun Congr. Oratorii Presb. Tom. 3. Explicat. Cærem. Miſſæ pag. 212., ubi dicti Touttæi opinionem ſectatus, eamdem acerrime, & fuſiori calamo propugnavit, ac totis viribus perſuadere contendit formam Euchariſtiæ perfectam, non tantum conſiſtere in verbis Chriſti, verum etiam in precibus ab Eccleſia inſtitutis, ita ut ex duplici illa forma partiali, & inadæquata, Chriſti ſcilicet verbis, & Eccleſiæ precibus moraliter conjunctis coaleſcat forma totalis, & eſſentialis Euchariſtiæ. Adverſus hunc nuperum Scriptorem Gallum inſurrexit & alter, nempe G. H. Bongeant e Soc. Jeſu, qui in hanc rem duo Opuſcula edidit eodem ferme anno, quo Brunus, Pariſiis ſcilicet 1727., & Lugduni 1729., atque in hoc poſtremo dicti Adverſarii ſui opinionem validis rationum momentis, necnon SS. Patrum authoritatibus funditus evertit, ac profligavit. Contra vero primum ex præſatis Scriptoribus, Touttæum nempe, Theologicam, doctiſſimamque Diſſertationem evulgavit Mediolani 1731., quam inſcripſit: *De invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium*. Clariſs. vir Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Prædicatorum, nunc S. Palatii Apoſtolici Magiſter. Hanc porro communem Latinorum ſententiam, præter jam dictos, & Cardinalem noſtrum hoc loco, tuentur alii Theologi doctrina, atque eruditione inſignes, videlicet Card. Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 12. 13., & 14. Item Card. Peronius Tract. de Sacram. Euchariſtiæ. Quibus aſſentiuntur Sixtus Senenſis Biblioth. Sanctæ lib. 6. annot. 3. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. XV., ubi de Concilio Florentino, Horatius Juſtinianus in idem Concilium, Edmundus Martene de Antiquis Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 4. art. 8. num. 20, Gaſpar Ivenin Diſſert. 4. de Sacram. Euchar. quæſt. 3. cap. 2. Itemque ex Gallis Honoratus Tournelly in ſuis Prælectionibus Theolog. de Sacram. Euchar. art. 8. Joſeph Sim. Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 2. pag. 194., ac ſeqq. Poſtremo D. Cajetanus Maria Meratus Comm. in Gavantum parte 1. tit. 3. Rubr. 5. num. 4., ac recentiſſime Card. Proſper Lambertinus nuper Archiepiſc. Bononienſis, nunc Summus Pontifex Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ, Annot. in Feſta SS. Parte 4. ſect. 1. num. 250. uſque ad 259. aliique multi. Denique & inter Græcos, qui iſtam Latinorum traditionem propugnant, præter a Card. noſtro laudatos, noviſſime Nicolaus Comnenus Papadopoli in ſuis Prænot. Myſtagog. Reſp. 5. ſect. 5.. Atque hæc pro nunc de hujuſmodi tamdiu agitata quæſtione dicta ſint ſatis.

Indicantur Authores, qui de hac quæſtione pro, & contra ſcripſerunt.

CAP. IV.

CAP. XIV.

Refertur, & rejicitur quædam interpolatio. Memoria Defunctorum recitatis eorum nominibus. Cur Dionyſius ſola Diptycha mortuorum commemoret. Specialis ritus Mozarabum. Quare cum mortuis nomina ſimul Sanctorum recenſeant. Qua ratione Sacrificium oblatum pro Sanctis. De oratione Nobis quoque peccatoribus. *Olim poſt eam benedictiones frugum, & aliarum rerum fieri ſolebant. Omnes ſacræ, & Eccleſiaſticæ functiones intra Miſſarum ſolemnia. Finis Canonis.*

§. I.

Refertur, & rejicitur quædam interpolatio. Memoria defunctorum recitatis eorum nominibus.

In antiquis Miſſalibus nonnullæ lectæ quædam interpolationes ex privata Scriptoris licentia.

IN Miſſali Bibliothecæ Vaticanæ *num.* 4770. ante annos ſexcentos ſcripto poſt orationem *Supplices te rogamus*, ante commemorationem defunctorum interponitur hæc oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus dignare ſuſcipere hanc oblationem, & hoc Sacrificium, quod ego peccator præſumo offerre in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti: in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis ejus: in honorem Beatæ, & glorioſæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, Sanctorumque omnium, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, & omnium Sanctorum tuorum, & eorum, ad quorum honorem in iſto Altari reliquiæ habentur, & cujus hodie feſta celebrantur, & pro me miſero peccatore, & pro omnibus meis parentibus, & pro omnibus benefactoribus meis. Ut & ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Conſtat autem vel ex ipſius orationis textura, privata alicujus Scriptoris licentia eam hic alieno loco inſertam eſſe. In alio item Miſſali paris antiquitatis *num,* 4772. eodem loco ſequens deprecatio ſcripta eſt, cujus meminit Durandus lib. 4. Rationalis cap. 45. *Memento mei quæſo peccatoris, Domine Deus miſericors, & miſerere mei, licet hæc ſancta indigne tibi, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, meis pollutis manibus offeruntur ſacrificia, qui nec invocare ſanctum, ac venerabile nomen tuum dignus ſum: ſed quoniam in honorem, & memoriam glorioſiſſimi, & dilecti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti tibi offeruntur, quæſo Domine tibi placeant, & ſicut incenſum in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ in odorem ſuavitatis accendantur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Sed & hæc inconſulto hic poſita eſt, nam Sacerdos pro ſe orare debet, cum fidelium viventium meminit ante conſecrationem (1). In eodem codice poſt hanc orationem hæc leguntur. *Sequuntur nomina. Ingizo Præpoſitus, Petrus Presbyter,* & alia nomina in ſequenti oratione: *Memento etiam Domine*, recitanda. In aliis Codicibus hæc ipſa oratio ſic inſcribitur: *Super diptycha*. Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inſcribere, & intra Miſſarum ſolemnia recitare, ut ſupra indicavi, antiquiſſima conſuetudo eſt, & Apoſtolicum (1)

inſtitutum.

inſtitutum. Habent mortuorum commemorationem omnes Liturgiæ, & de hac ſalubri inſtitutione teſtimonium perhibent omnes fere antiqui Patres, quos recenſui in *tract. de Divina Pſalmodia cap.* 13. Chryſoſtomus hom. 69. ad Pop. Antioch. *Non temere*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio.* S. Monica moritura filio Auguſtino, ut idem refert *in fine lib.* 9. *confeſſionum*, mandavit memoriam ſui fieri ad Altare Dei. Et ipſe Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 1. univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem eſſe teſtatur, ut in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habeat commendatio mortuorum. Serm. item 32. de verbis Apoſtoli ait, *Hoc a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum Sacrificium ſuo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur* (2). Epiphanius quoque *hær.* 75. antiquum morem fuiſſe teſtatur Defunctorum nomina proferendi, & pro eis orandi. Hinc aliquem poſt mortem excommunicari nihil aliud erat, quam nomen ejus e ſacris diptychis eradi, & a ſuffragiis Eccleſiæ excludi, ut oſtendit Pamelius *ad Epiſt.* 66. *Cypriani* (3). Florus Magiſter in explicatione Miſſæ, cujus duo exemplaria MSS. vidi in Bibliotheca Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ *num.* 927., & 1348., ex quibus ſuppleri poſſunt multa, quæ in editis deſunt. *Uſus*, inquit, *antiquorum fuit, ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitarentur ex diptychis, ideſt tabulis, nomina defunctorum; atque ita poſt lectionem nominum ſubjungerentur verba ſequentia;* Ipſis Domine &c. *Ipſis videlicet, quorum nomina memorantur, & cæteris omnibus in Chriſto quieſcentibus.*

Commemoratio Defunctorum Fidelium in omnibus Liturgiis deſcripta.

(2)

(3)

(1) *Cum fidelium viventium meminit ante conſecrationem.*) Conſimilem huic orationem recitat Petrus Le Brun Tom. I. Explic. Cærem. Miſſæ pag. 524. ex Codice antiquo Bibliothecæ Monaſterii SanDionyſiani circa an. 1040. ſcripto, in qua Sacerdos item orat pro ſe, ac deinde ſequitur: *Memento etiam Domine mortuorum*. Ex qua conjunctione ſuſpicati ſunt nonnulli poſt 600., vel 700. annos immediate ante hanc orationem debuiſſe aliam fieri commemorationem præter primum *Memento* vivorum, quod tantum diſtat. Et revera in pluribus Sacramentariis, & antiquis Miſſalibus legitur commemoratio pro Sacerdote, ut refert Durandus ab Emin. noſtro citatus, qui addit eos, qui hanc commemorationem rejiciebant, rejeciſſe & particulam *etiam*, utpote ſuperfluam. Aſt neque admittenda ibi particularis illa commemoratio, neque eradenda particula *etiam*, quæ conjunctionem notat, non ſolum cum prima vivorum commemoratione, ſed & cum Oratione immediate præcedenti, in qua petit Celebrans, ut viventes fideles cœleſtibus benedictionibus repleantur. Pro quibus vero mortuis hic ſpecialiter oret Eccleſia, refert Le-Brun 4. p. art. 14. pag. 528., & ſeqq. morem hunc ex veteri Teſtamento probans, quem conſule, ſi opus fuerit. Cæterum in Miſſa orat Sacerdos primum pro iis, pro quibus ſpecialiter, & expreſſam agere memoriam debet, deinde pro iis omnibus, qui in Purgatorio detinentur ad expiationem, quod ſignificat per illa verba *omnibus in Chriſto quieſcentibus*. Poſtulat autem iis *locum refrigerii*, ut ſcilicet igne quo cremantur, liberentur; *locum lucis*, ut e tenebris eruantur, in quibus verſantur, *locum pacis*, ut ab anxietate illa, qua conflictantur, tandem ex Dei miſericordia translati reſpirent. Quo triplici pœnarum genere purgantur. Proinde non ſolum orat Eccleſia pro iis, quos Sacerdos ſpecialius commendat Deo, ſed pro omnibus omnino Defunctis in pace Chriſti quieſcentibus, quod expreſſum habetur in hac Canonis oratione, ut mox dictum eſt. Nullam ergo animam purgantem prætermittit Eccleſia; nulla eſt, cujus non faciat in Sacrificio mentionem, neque ulla derelicta dici, aut exiſtimari debet, ut non raro plebs ignara loquitur: omnes participant, omnes hac memoria ſublevantur. Quamvis autem veriſſimum ſit hunc ritum habendæ Defunctorum memoriæ in Miſſæ Sacrificio antiquiſſimum eſſe, & in omnibus Liturgiis reperiri, uti recte docet Card. noſter; attamen quis præciſe Author fuerit hujus obſervandæ piiſſimæ deprecationis ignoratur, cum valde ſint inter ſe diſcrepantes Scriptores, tribuentes uni, aut alteri, Sixto nempe I., vel Pelagio I. Papæ hanc inſtitutionem; quapropter ejuſdem laudabilis Defunctorum recordationis non primos inſtitutores, ſed approbatores tantum fuiſſe cenſendum eſt; ab Apoſtolico enim tempore hunc morem in Miſſa orandi pro fidelibus defunctis, ſemper ab Eccleſia obſer-

Sacerdos non ſolum orat pro iis, quos ſpecialiter commendat Deo, ſed pro cæteris omnibus omnino defunctis in Chriſto quieſcentibus.

vatum fuiſſe conſtat; tum ex antiquis omnibus Liturgiis, tum etiam ex Sanctis Patribus bene multis, ut ſupra ſatura lance oſtenſum eſt ad lib. 1. cap. 15. §. 4., ubi de Sacrificio pro Defunctis ex Apoſtolica traditione oblato, non admodum currenti calamo adverſus noſtri temporis Novatores Miſoliturgos, qui hoc Catholicum dogma de ſuffragiis Defunctorum negant, lubenti ex animo diſſeruimus. Ex his advertere eſt concentum plane mirabilem Eccleſiæ militantis cum Eccleſia triumphante, & Eccleſia patiente, ſeu purgante. Eccleſia militans offert ſe Deo in Sacrificium cum Chriſto, & omnibus Sanctis ejus, ideſt cum tota Eccleſia triumphante, ſimulque petit, ut Eccleſia patiens locum refrigerii, lucis, & pacis obtineat, ut tandem adunatæ ſub Chriſto capite tres illæ Eccleſiæ omnes ſimul uno corde, uno ore Deum ament, laudent, benedicant, & glorificent in æternum. Hic unus ſcopus Miſſæ Sacrificii, huc tendunt cæteræ omnes rationes, & cauſæ ejuſdem Sacrificii offerendi.

(2) *Ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*) Idem legitur in Collatione 5. Carthaginenſi cap. 230. *In Eccleſia ſumus, in qua Cæcilianus Epiſcopatum geſſit, ejus nomen ad Altare recitamus; ejus memoriæ communicamus, tanquam memoriæ fratris &c.* Hæc autem Defunctorum memoria eodem pariter modo, ac ritu fiebat, quo vivorum paulo ante facta fuit commemoratio, ita ut primum omnes propriæ Sedis commemorarentur Epiſcopi, unde in Codice Colbertino, quem citat Martene de ant. Eccl. Rit. Tom. 1. cap. 4. art. 8. num. 23. poſt hæc verba: *Memento etiam, Domine, famulorum &c.* additur *Epiſcoporum præſentis Eccleſiæ*. Deinde ſubdebantur aliarum Sedium Antiſtites, qui in fide Catholica, & Eccleſiæ ſinu defuncti erant; nam hæretici, aut ſchiſmatici, ſi forte diptychis inſcriberentur, eorum nomina ſtatim ab iis expungebantur, uti recte obſervat Card. noſter, *& merito quidem; neque enim apud Altare Dei* (inquit S. Cyprianus Epiſt. 66. ad Clerum, & Populum Furnenſem) *meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Miniſtros voluerit avocare*. Porro de hujuſmodi recitatione nominum ex Diptychis in Miſſa recole, quæ ſuperius dicta ſunt ad Cap. XII. atque etiam inter cæteros vide noviſſimum præclaræ eruditionis Scriptorem Franciſcum de Berlendis Cler. Reg. Theat. in peculiari Opere de Oblationibus ad Altare communibus §. XII. num. 2. & ſeqq. ubi plura docte in hanc rem proferuntur.

(3) *Ut oſtendit Pamelius ad Ep. 66. Cypriani.*) Synodus Helenenſis II. habita circa an. 1027. de hujuſmodi excommunicatis loquens, *nec inter fideles mortuos eorum nomina ad ſacrum Altare recitentur*. Sed multo ante

Defunctorum etiam Epiſcoporum, qui ab Eccleſia excommunicati erant, nomina e Diptychis expuncta.

de hac mortuorum etiam Epiſcoporum excommunicatione, ſeu eorum nominum e ſacris Diptychis eraſione, atque inde a ſuffragiis Eccleſiæ excluſione nonnulla ſuppetunt in antiquis monumentis exempla. Unum adſeram, quod pro omnibus ſufficiat, peractum in condemnatione impii Theodori Mopveſteni hæretici olim dictæ Civitatis Epiſcopi, cujus a longo tempore defuncti nomen ex ſacris Diptychis jam multo ante Quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ Oecumenicæ tempora expunctum fuerat; quemadmodum conſtat ex Actis Synodi Provincialis Mopveſtenæ, ut hoc in factum inquireret, congregatæ. In ea vero ſeniorum Clericorum, & Civium teſtimoniis publice firmatis probatum eſt Theodori Mopveſteni nomen in ſacris Diptychis non fuiſſe recitatum ex quo vivebant; neſciri autem tempus, quo ex iis expunctum erat; id unum certum eſſe S. Cyrilli Alexandrini nomen ipſi ſubſtitutum fuiſſe, quod ſe a majoribus accepiſſe juraverunt, & quod ex Diptychorum Eccleſiæ inſpectione ita ſe habere compertum fuit; qua de re ſynodicæ relationes tum ad Vigilium tunc Papam, tum ad Juſtinianum Imperatorem miſſæ fuere. Ex quibus colligere eſt Theodorum Mopveſtenum poſt mortem habitum fuiſſe ut hæreticum, ejuſque propterea memoria e ſacris Diptychis deleta. Enim vero ſi S. Athanaſius in Apologia, quam pro S. Dionyſio Alexandrino prædeceſſore ſuo ſcripſit, ipſum rectæ fidei fuiſſe probat, quia *ejus memoria haſtenus cum Patribus celebrata eſt, & in Catalogum relata*, recte probatur a contrario Theodorum Mopveſtenum pro hæretico habitum fuiſſe, quia ejus nomen ex Eccleſiæ tabulis, in quibus Catholicorum Epiſcoporum nomina tantum conſcripta erant, & ex quibus in Miſſarum ſolemniis ea recitabantur, expunctum erat, ipſique S. Cyrilli Alexandrini, a quo fuerat illius impietas reprehenſa, & confutata, nomen ſubſtitutum: unde etiam confirmatur, quod paulo ante advertimus, ſcilicet aliarum quoque Sedium inſigniores Antiſtites in ſacris Diptychis commemoratos fuiſſe. Porro de hujuſmodi publica Theodori poſt mortem excommunicatione præter dictæ Synodi Mopveſtenæ relationem, quæ in Actis quintæ Synodi collat. 5. deſcripta eſt, fidem faciunt Epiſtolæ Vigilii Papæ, ac Juſtiniani Imper. hac de re ſcriptæ, quas referunt Henricus Card. Noriſius de Synodo V. Oecumenica cap. 4. & Stephanus Baluzius in nova Conciliorum Collectione, ubi ejuſdem Synodi Acta recitat; videndus item Pagius Junior Brev. Geſt. Pont. Rom. in Vigilio num. 32., aliique Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. Neque vero tantum Hæretici hujuſmodi nigro theta confixi erant, ſed & etiam eorum fautores, atque ſchiſmatici conſimili nota diſpuncti fuere, itemque eorum nomina e ſacris Eccleſiarum tabulis deleta, quamvis ipſi jam defuncti fuiſſent.

Geminum hac de re nobis exhibetur exemplum in duobus Patriarchis Conſtantinopolitanis, Arſacio nempe in dictam Sedem poſt S. Joannis Chryſoſtomi expulſionem intruſo, de quo inter cætera hæc ſcripſit Innocentius Papa I. ad Arcadium Imperatorem (Tom. 1. Epiſt. Rom. Pontif. num. 17.) quæ item referunt Baronius, & Spondanus ad an. 407. *Arſacium*, inquit, *quem pro magno Joanne in thronum Epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitum exauctoramus, ano cum omnibus, qui conſulto cum eo communicarunt, Epiſcopis: cujus etiam nomen ſacro Epiſcoporum albo non inſcri-*

batur

batur &c. Idem pariter factum fuiſſe conſtat in Acacio dictæ item Sedis Epiſcopo Hæreticorum fautore, & ſchiſmatico, cujus cauſa tot Romani Pontifices deſudarunt, & præcipue S. Gelaſius I., qui Epiſtola ad Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum data, ipſum acriter reprehendit, quod Acacii Prædeceſſoris ſui nomen e Diptychis non expunxiſſet, ſed pateretur ipſum cum aliis Epiſcopis Catholicis in ſacris publice recitari, ideoque dictum Euphemium, alioſque Orientis Epiſcopos nequaquam communionis Catholicæ honoribus donare voluit, niſi Acacii nomen ab Eccleſiarum tabulis eraſiſſent. Quod poſtea per Hormiſdæ Legatos ſolemniter factum eſt, uti ex eorum reſponſione ad eumdem Papam conſtat apud Labbeum Concil. Tom. 4. col. 1486. his verbis: *Acacii prævaricatoris anathematizati nomen de Diptychis Eccleſiaſticis, &c. ſub noſtro conſpectu ſignificamus eraſum.*

§. II.

Cur Dionyſius ſola Diptycha Mortuorum commemoret, ac nonnulla ad hæc ſpectantia.

HUnc autem ritum orandi pro aliquibus, prolatis eorum nominibus, & pro reliquis generali commemoratione commendat Auguſtinus eodem libro de cura pro mortuis dicens: *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi.* In Monaſteriis viguit olim hic mos, & in pleriſque adhuc manet, ut mitterent ſibi invicem Fratrum, amicorum, & benefactorum defunctorum nomina, ut diptychis inſcriberentur. Poſtquam vero diptychorum uſus deſiit, in libro, quem Necrologium vocabant, ſcribebantur, & quotidie poſt lectionem Martyrologii ex ipſo Codice eorum nomina legebantur, qui ipſa die obierant, & pro ipſis pſalmus *De profundis* cum oratione competenti cantari ſolebat, ſicut hodie fit in cœnobiis bene inſtitutis poſt generalem defunctorum commemorationem. Ven. Beda *lib. 4. hiſt. Anglic. cap.* 14. loquens de obitu Oſuvaldi Regis, *Quærant*, inquit, *in ſuis codicibus, in quibus defunctorum eſt adnotata depoſitio, & invenient illum hac, ut diximus die raptum eſſe de ſæculo*. Plura ejuſdem conſuetudinis teſtimonia exhibent Epiſtolæ S. Bonifacii Martyris: nam *epiſt.* 24. Fratrum defunctorum nomina ſe mittere ſcribit Aldherio Abbati: & *epiſt.* 52. ſcripta nomine trium Monaſteriorum ait, *Nomina noſtrarum defunctarum ſororum ego Cneuburg memorialiter te habere, a Vuitbertc Presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaque amicis tranſmittere, quarum prima fuit Quongyth ſoror mea germana, & Ellu.* epiſt. item 74. *Nomina Presbyterorum veſtrorum, Diaconorumque ac Monachorum, vel Monacharum per Monaſteria, & Eccleſias noſtræ Diœceſis direximus*. Et ſic alibi ſæpe, *ut epiſt.* 62. 84. 95. 106. Similia leguntur in antiquis Statutis, & Ritualibus Monachorum (1). Non eſt autem hoc (1)
loco prætermittendum, quod Dionyſius *cap.* 3. *Eccleſ. Hierarchiæ* divinæ Liturgiæ myſteria ediſſerens nuſquam meminit nomina viventium recitata tunc fuiſſe, ſed mortuorum dumtaxat, idque ante conſecrationem. Hoc in Scholiis tanquam dignum obſervatione a S. Maximo notatum eſt. *Notandum*, ait, *mortuorum tantum eo Pontifice recitari ſolita fuiſſe nomina*. Cujus rei cauſam inveſtiganti, illud venit in mentem, in ea Eccleſia, cui præfuit Dionyſius, omnes fideles, qui pauci erant, nondum extincto ethniciſmo ſacris ſolemniis interfuiſſe: atque ideo defunctorum, qui ſoli aberant, factam dumtaxat commemorationem. At ubi poſtea vel aucto

Nomina Defunctorum per Eccleſias, & Monaſteria tranſmiſſa, ut in Diptychis deſcriberentur, & cum aliis recitarentur.

fidelium numero, vel diminuto fervore, plures abeſſe cœperunt (2), illorum quoque nomina recitata ſunt, vivorum quidem ante conſecrationem, & poſt illam defunctorum. Sunt qui ſcribunt a Pelagio II. ſancitum, ut mortuorum memoria poſt conſecrationem fieret, ſed hi recentiores ſunt, nec ullam afferunt ex antiquis Scriptoribus ſui dicti confirmationem.

(1) *Et Ritualibus Monachorum*) Videndus hac de re Clariſs. Joannes Mabillonius Præfat. 1. in ſæcul. 3. Benedict. obſervat. 100., & ſeqq., itemque Tom. 3. Analct. vet. pag. 485., & ſeqq., ubi fuſe, ac erudito ſuo more de hujuſmodi mutuis Societatibus in commendationem vivorum, & præcipue mortuorum, atque anniverſariis perpetuis a ſæculo octavo fieri cœptis, differit. Vide etiam ſupra ad lib. 1. cap. 15. §. 4. nota 3. circa finem, ſcilicet Tom. 1. pag. 313. Præterea de hujuſmodi Societatibus, ſeu Fraternitatibus Monaſticis, ſic dictis, agunt Bened. Hæftenus diſquiſ. Monaſt. lib. 8. tract. 1. diſqu. 4. Dom. Guill. Marlot Hiſt. Remenſis cap. 14. 21., & pag. 648. Edm. Martene de ant. Monach. Rit., ac recenter Carolus Dufreſne ex noviſſima recenſione Monach. S. Mauri Gloſſar. med., & inf. Latinitatis Tom. III. verbo *Fraternitas* num. 3. & 5.

(2) *Plures abeſſe cœperunt*) Hujuſmodi Card. conjectura iſthic locum non habere aliquibus fortaſſe videbitur, cum apud ipſos ſupponat commemorationes in Miſſa pro abſentibus tantum fuiſſe inſtitutas, cui contrarium apparet ex ipſa praxi Eccleſiæ, quæ in primo *memento* ſpecialiter circumſtantes nominat, nulla facta abſentium mentione.

§. III.

Specialis ritus Mozarabum. Qua ratione Sacrificium oblatum pro Sanctis.

Ritu Mozarabum nomina eodem contextu leguntur paulo poſt Offertorium, primo quidem vivorum, deinde defunctorum; Sacerdos enim generaliter Eccleſiam Catholicam, omneſque lapſos, captivos, infirmos, & peregrinos Deo commendat: tum Sacrificium offerri ait pro univerſa fraternitate dicens, ut ſuo loco notavimus: offerunt Papa Romenſis, & reliqui pro ſe, & pro omni Clero. Item offerunt univerſi Presbyteri, Diaconi, Clerici, ac populi circum adſtantes in honorem Sanctorum pro ſe, & ſuis. Et Chorus reſpondet: *Offerunt pro ſe, & univerſa fraternitate*. Hic vero recitabantur nomina vivorum offerentium, ſeu pro quibus ipſe Celebrans offerebat. Deinde præmiſſa commemoratione Beatæ Virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, & reliquorum Apoſtolorum, atque Evangeliſtarum, & omnium Martyrum, ait Sacerdos: *Item pro ſpiritibus pauſantium*. Et recitat nomina Hilarii, Athanaſii, Martini, & aliorum plurimorum, ex quibus nonnulli Sanctorum catalogo adſcripti ſunt, alii non item: quibus recitatis ait Chorus, *& omnium pauſantium*. Tum ſequitur oratio in ſingulis Miſſis diverſa, in qua ſæpe mentio fit offerentium, itemque defunctorum, & omnium nominum ipſorum: ex quo palam fit ante hanc orationem ipſa nomina ex tabulis lecta fuiſſe. Inſcribitur autem *Poſt nomina*, ejuſque formula hæc eſt. Dominica III. Adventus. *Tu offerentium nomina illuc adſcribe, quo ipſe præceſſiſti in corpore, ut quos hic adventus primi gratia redemiſti, in ſecundi adventus examinatione nulla exurantur pœna ſupplicii: ſicque nunc pro defunctorum quiete exaudiamur, quo te opitulante æterno cum illis pariter fruamur conſortio Beatorum*. In Miſſa S. Andreæ Apoſtoli, *Nominibus Sanctorum Martyrum, offerentiumque fidelium, atque eorum, qui ab hoc ſæculo tranſierunt, a Miniſtris jam ſacri ordinis recenſitis, te Dominum Deum noſtrum per interceſſum Sancti tui Andreæ Apoſtoli, & Martyris deprecamur, ut, & Martyrum patrocinia nobis ſemper opitulentur, & offerentium obſequia a te clementer accipiantur, ac defunctorum fidelium animabus cœle-*

ſtium

ſtium receptacula manſionum, & ſempiterna quietis tutamina tribuantur. In Miſſa Circumciſionis, in fine orationis. *Offerentium Sacrificia ſanctificanda ſuſcipias, atque ſpiritus quieſcentium, quorum eſt facta commemoratio nominum, in requiem electorum perducas*. Dominica ante Cineres. *Recenſita, Domine, tuorum Fidelium nomina, quæſumus, ut liber vitæ æternæ contineat, & defunctos eruas a tenebroſa infernali caligine*. In feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Quorum nomina ore prolata ſunt recitantium*. Et ſic alibi ſæpe. Nullibi autem clarius diſtinctio nominum, quæ legebantur, apparet, quam in Miſſa Dominicæ quartæ Adventus, cujus orationem *Poſt nomina* hic exhibeo. *Sanctorum tuorum, Domine, communicantes memoriæ, Patriarcharum, Prophetarumque tuorum non ſumus immemores, ipſis enim renunciantibus adventus tuus claruit mundo. Memoramus etiam Apoſtolos tuos, qui adventum tuum a Prophetis, Patriarchiſque prædicatum oculis ſuis cernere meruerunt. Facimus quoque & tuorum Martyrum mentionem, qui te Dominum Redemptorem jam veniſſe confeſſi, ad mortem uſque ſunt certati pro veritate. Fidelium præterea tuorum in hac adhuc peregrinatione degentium nomina recenſemus proteſtantes; ut eorum vitæ curſum, & perfectionem conſummes, quos Sanctos tuos apud te in cœleſti habitaculo cautos, perfectoſque jam retines* (quos ſcilicet ad vitam æternam prædeſtinaſti) *Non obliviſcimur quoque defunctos naturæ noſtræ, ac fidei ſocios: ſed precamur te Dominum ampliſſimæ pietatis, ut eis refrigeria tribuas ſempiternæ quietis*. In Miſſali item antiquiſſimo Reginæ Sveciæ, de quo ſupra actum eſt Lib. I. cap. XII. extant hujuſmodi orationes *poſt nomina*, ex quibus idem ritus probatur; nomina enim offerentium, & defunctorum audita, & recenſita multoties commemorantur: oratque Sacerdos, ut ea Dominus in libro vitæ inſcriptione ſempiterna figere dignetur. (1) (1)

Quomodo nomina ſive viventium, ſive mortuorum ad Altare recitarentur.

(1) *Ut ea Dominus in libro vitæ inſcriptione ſempiterna figere dignetur*) Quomodo autem nomina, ſive viventium, ſive defunctorum ad Altare recitarentur, nos docet Baluzius in notis ad Capitularia Reg. Franc. Tom. 2. col. 1129. *Ponebant*, inquit, *ſuper* „ Altare nomina, quæ recitanda erant, ut „ patet ex veteri Codice Colonienſi, quem „ Pamelius laudat in Tom. 2. Liturgicon Ec„ cleſiæ Latinæ pag. 180., ubi ita legebatur: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & eorum, quorum nomina ad memorandum conſcripſimus, ac ſuper Sanctum Altare tuum conſcripta adeſſe videntur*. Iſtud etiam comprobatur ex vetuſtiſſimo Codice Sacramentorum Monaſterii Gellonenſis in Septimania, ubi cap. 316. ita legitur: *Prætende, Domine, miſericordiam tuam famulis, & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, vel quorum nomina ante ſancto Altario tuo conſcripta adeſſe videntur, quorum numerum, & nomina tu ſolus Dominus cognoſcis, dexteræ cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, adſequantur, & animabus famulorum, famularumque tuarum omnium fidelium Catholicorum Orthodoxorum, qui tibi placuerunt, quorum commemorationem agimus, vel quorum nomina ante ſancto Altario tuo ſcripta adeſſe videntur, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum &c.* Ex quibus locis colligit Baluzius præfatus non conſueviſſe recitari nomina ſingulorum, ſed omnium in averſione, eorum videlicet, qui in Altari conſcripti erant, ut Presbyter celebrans de his præcipue cogitaret in oblatione Sacrificii. In Eclogis tamen Amalarii legimus ævo Caroli Magni conſuetum in Eccleſiis recitari nomina fidelium vivorum, & mortuorum in ea Miſſæ parte, quam Canonem appellamus, non quidem in averſione, ſed pronunciatis ſingulorum nominibus. Aliquando nominum recitatio fiebat a Subdiacono retro Altare, probatur iſtud ex libro Sacramentorum Eccleſiæ Rom. in editione Menardi pag. 264. *Subdiaconi a retro Altari, ubi memoriam, vel nomina vivorum, & mortuorum nominaverint, vel recitaverint per Diaconum*. Auctor Exegeſeos in Canonem Miſſæ, qui Florus Lugdunenſis creditur: *Cum primum dicitur: Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & ſic deinde ſubjungitur, & omnium circumadſtantium, manifeſtum eſt, quod quaſi quidam locus ſit, ubi aliquibus ſpecialiter nominatis, etiam cæterorum, qui aſſiſtunt in Eccleſia, commemoratio adjungatur, in quo utique loco, aut liberum eſt Sacerdoti, quos deſideraverit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare, aut certe illud ab antiquis obſervatum eſt, ut ibi offerentium nomina recitarentur*.

Quandiu autem hæc praxis recitandi defunctorum nomina in Eccleſia viguerit, & quando ceſſaverit, non ſatis conſtat. Jam ſupra cap. II. §. 5. in fine, & cap. 12. §. 1., ſæculo nono, anno ſcilicet 867. adhuc viguiſſe ex Adriani Papæ II. Epiſtola commonitoria ad Synodum Tricaſſinam didicimus. Idem etiam obtinuiſſe in Eccleſia Rhemenſi ſub finem ſæculi X. teſtatur Adalbero ejus Urbis Archie-

Archiepiſcopus apud Fulcuinum de Geſtis Abbatum Laubienſium cap. 7. apud Acherium Spicilegii Tom. 6., immo ſæculo XI. paſſim in uſu fuiſſe patet ex Concilio Helenenſi, ſeu Tulugienſi ex Micrologo cap. 13., & ex Leone Oſtienſi lib. 2. Chronici Caſſinenſis cap. 73. At vero Hermannus Monachus S. Martini Tornacenſis, qui in ſequenti ſæculo ſcribebat in lib. de reſtauratione Monaſterii, innuere videtur hunc ritum ſuo tempore in deſuetudinem abiiſſe. Vigebat tamen adhuc in Eccleſia Ambianenſi, in cujus diptychis Gervinus, qui ſæculo XII. diem clauſit extremum, commemoratur; quæ diptycha refert Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. I. cap. 4. artic. 8. num. 24.

Nominum Defunctorum in Miſſa recitari deſiiſſe admodum probabile, cum anniverſaria perpetua pro Defunctis celebrari cæperunt.

Tandem nominum recitationem in Miſſa tunc deſiiſſe exiſtimo, cum anniverſaria perpetua pro defunctis ab omnibus utriuſque ſexus fidelibus celebrari conſueverunt, quæ ſæculo decimo tertio in Alemannia frequentata fuiſſe obſervat Melchior Goldaſtus ad Rerum Germanic. Script. vet., ubi de Manegoldo Monacho, & Decano Sangallenſi, etſi pleriſque in locis jam a ſæculo nono invaluiſſe conjiciat Mabillonius loco ſuperius in nota antecedente citato. Scio quidem, & a primis Eccleſiæ ſæculis defunctorum extremum diem anniverſariis precibus proſecutum fuiſſe; patet id ex Tertulliano lib. de Corona militis cap. 3, & de Exhortatione caſtitatis cap. II., ex Conſt. Apoſtolicarum Authore lib. 8. cap. 48., ex Origene in Job., aliiſque pluribus, de quibus vide ſupra ad lib. 1. cap. 15. §. 4. nota 3., ſeu Tom. 1. pag. 313., & ſeqq. An vero illa anniverſaria officia pro mortuis, ſemel tantum, aut iterum, vel perpetuo onere recurrerent, id in ambiguo eſt, nec certo quidquam ſtatui poſſe videtur. Sane Candidus Monachus in vita Sancti Ægilis Abbatis Fuldenſis apud Mabillon. Act. SS. Ord. S. Benedicti ſæcul. IV. Part. 1. pag. 240. n. 25. narrans quomodo dictus Abbas anniverſariam memoriam fratrum defunctorum faciendam inſtituerit, ſatis innuit rem tam vulgatam non fuiſſe, ut proinde eam tueri, & exemplo comprobare neceſſarium duxerit his verbis: *Hujus rei ſiquidem conſtitutio, dum cunctæ Congregationi perlecta eſſet, ac deinde ſi placeret, interrogatum fuiſſet, reſpondebatur ab omnibus, placet; ſed ne cui fortaſſe hæc celebratio ſuperſtitioſa, & caſſa eſſe videatur, legat Collationes Sanctorum Patrum, & ibi reperiet hujus feſtivitatis exemplum.* Hinc patet rem iſtam iis in partibus Ægilis Abbatis tempore, qui ſæculo nono ineunte floruit, haud uſitatam fuiſſe, cui ne ſuperſtitioſa videretur, exempli authoritas præſtruenda fuerit; e contra Amalarius lib. 3. de divinis officiis cap. 44. hunc eumdem ritum jam in morem ſæculo nono tranſiiſſe indicat dicens: *Anniverſaria dies ideo repetitur, quia neſcimus qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita.* Sed item utrum iſta repetitio anniverſariæ diei pro unica vice, ſeu pro uno dumtaxat anno, an vero perpetuo fieret, id denuo incertum apparet.

Primum, quod occurrat anniverſarium defunctorum ſingulis annis in perpetuum celebrari indictum illud videtur, quod apud Ordericum Vitalem legitur in Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ libro tertio, ubi Oſbernus Abbas Uticenſis dicitur conſtituiſſe *generale anniverſarium* pro patribus, & matribus, pro fratribus, & ſororibus omnium Monachorum Monaſterii Uticenſis quotannis celebrandum: *In rotulo quidem*, inquit, *longiſſimo omnium fratrum dum vocante Deo ad ordinem veniunt, nomina ſcribuntur, deinde patrum, & matrum eorum, fratrumque, & ſororum vocabula ſubſcribuntur, qui rotulus penes aram toto anno ſervatur, & ſedula commemoratio inſcriptorum in conſpectu Domini agitur, dum ei a Sacerdote in celebratione dicitur, animas famulorum, famularumque tuarum, quorum nomina ante ſanctum Altare tuum ſcripta adeſſe videntur, electorum tuorum jungere digneris conſortio: Anniverſarium vero, de quo loquimur, ſexto Kal. Julii, ſic agitur: omnia ſigna ſero, & mane ad officium defunctorum diu pulſantur, volumen mortuorum ſuper Altare diſſolutum palam expanditur, & deprecatio pro defunctis, poſtea vero pro vivis parentibus, & benefactoribus cunctis fidelibus Deo offertur. Miſſa vero matutinalis ab Abbate celebriter canitur.* Eodem, quo Oſbernus ſæculo, nempe undecimo Sanctus Petrus Damiani ſuo tempore in Monaſteriis Italiæ ſalubriter inſtitutum fuiſſe tradit Opuſc. 33. cap. 7., *ut anniverſaria octavæ pro carioribus quibuſcumque defunctis fierent*: Huc ſpectat commemoratio generalis omnium defunctorum, quam Sanctus Odilo Abbas eodem ſæculo in ſuo Monaſterio Cluniacenſi inſtituit, & univerſa poſtmodum acceptavit Eccleſia.

§. IV.

De Oratione pro Defunctis. Quare cum iis nomina ſimul Sanctorum recenſeant.

QUia vero inter defunctos, pro quibus hoc ritu Sacrificia offerri dicuntur, illi etiam enumerantur, quos Catholica Eccleſia Sancti Spiritus infallibili magiſterio edocta cum beatis æternæ patriæ civibus veneratur; legentium ſcrupulo occurrendum eſt, ne mores antiquos ex præſentis ævi uſu æſtimantes in ſuſpicionem erroris trahant, quod a ſanctis, & orthodoxis Patribus inſtitutum fuit. Tempora igitur diſtinguenda

ſunt,

ſunt, ut omnis offenſionis occaſio præcidatur. Quamvis enim tempus præciſum ignoremus, quo a Sanctis Hiſpaniæ Epiſcopis hæc Miſſa inſtituta fuit, credimus tamen ejus originem illi ævo adſcribendam, quo ſolis Martyribus (1) publicus, & ſolemnis cultus concedi ſolebat: reliqui (1)
autem, præſertim Epiſcopi, qui in pace Eccleſiæ, etiam cum opinione ſanctitatis decedebant, ſacris defunctorum tabulis inſcribi, eorumque nomina promiſcue legi conſueverant; ita ut nullum diſcrimen eſſet inter illos, qui poſtea Sancti nuncupati ſunt, quales fuerunt Hilarius, Athanaſius, Martinus, Ambroſius, Auguſtinus, Fulgentius, Leander, Iſidorus, & cæteros, quibus hic titulus nunquam tributus fuit. Cum igitur eo tempore utrorumque par cauſa eſſet, nec ulla Eccleſiæ declaratione conſtaret quemquam ex illis Dei viſione perfrui, & conſequenter viventium non indigere ſuffragiis, pro omnibus indiſcriminatim preces, & Sacrificia offerebantur: eadem prorſus ratione, qua nunc ſolemus pro ſingulis defunctis orare, tametſi aliqui ex illis cum opinione ſanctitatis deceſſerint: nec tamen erramus, quia donec a ſummo Pontifice Sanctorum numero adſcripti ſint, certo ſcire non poſſumus in quo ſtatu reperiantur. Eccleſia autem per Sacerdotem miniſtrum ſuum Sacrificium offert pro mortuis intentione conditionata, ut ſi quidem eo indigent, illis proſit; alioquin aliis indigentibus applicetur. Illud inſuper advertendum, quod veteris Eccleſiæ phraſi etiam pro juſtis, & ſanctis, atque adeo pro ipſis Martyribus Sacrificium offerri dicebatur, non quidem pro eis orando, non enim ignorabant antiqui Patres ſuperfluum id fore, cum perſuaſiſſimum omnibus eſſet Martyres Chriſti ſtatim poſt obitum ſupernæ patriæ felicitate frui, ſed pro illorum honore, & commemoratione. Teſtatur hoc Cyprianus *epiſt.* 34., in qua diſſerens de Martyribus, qui *palmas a Domino, & coronas illuſtri paſſione meruerunt*, ait: *Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus:* quod pro illorum commemoratione intelligendum eſſe idemmet clarius ediſſerit *epiſt.* 37. dicens, *Dies eorum*, qui ſcilicet in carcere, & vinculis propter Chriſtum detenti deceſſerant, *quibus excedunt, annotate; ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Et infra. *Celebrentur hic a nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum*. Aliter explicat hanc phraſim, qua etiam in Liturgia utuntur Græci, Nicolaus Cabaſila in ejuſdem Liturgiæ Expoſitione *cap.* 33., ut offerri dicatur Sacrificium pro Sanctis in gratiarum actionem Deo pro donis ab ipſo eiſdem collatis. *Hi enim*, ait, ideſt Sancti, *ſunt Eccleſiæ agendarum Deo gratiarum cauſa. Pro iis offert rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & præ cæteris omnibus pro Beata Dei Matre, ut quæ omnem ſanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, ſed potius eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad ſupplicationem, ſed ad gratiarum actionem, ut dictum eſt, facit pro ipſis donorum oblationem*. Sic Cajus Papa, ut refert Baronius *an.* 295. *num.* 9. a die, quo Suſanna virgo neptis ejus martyrio coronata fuit in loco, ubi percuſſa eſt, jugiter obtulit Sacrificium pro ejus commemoratione. Innocentius quoque Tertius *c. cum Martha, de celebr. Miſſarum* ſecretam orationem S. Leonis, prout legitur in antiquis Codicibus, videlicet: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, ita explicat, ut proſit illi ad honorem, adeo ut magis a fidelibus glorificetur, quod fit ejuſdem annua commemoratione. Sive igitur in commemorationem, ſive in gratiarum actionem, ſive in honorem modo explicato Sacrificium pro Sanctis offerri dicatur, nihil in hoc vel Fidei Catholicæ, vel Eccleſiaſticis ritibus diſſonum eſt (2). (2)
Sed ex hoc diverticulo in ſemitam redire oportet. (1) *Qua*

(1) *Quo ſolis Martyribus &c.*) Vide ſupra lib. 1. cap. 15. §. 2., & noſtras ad ipſum notas n. 1. Tom. 1. pag. 303.

Explicantur quomodo intelligi debeant nonnulla verba ab antiquis adhibita quoad Sanctorum cultum.

(2) *Nihil in hoc vel fidei Catholicæ &c.*) In hoc quidem omnes fere conveniunt Theologi, quos inter Suarez Diſp. 78. ſect. 3. Eſtius Diſt. 12. §. 15. Sylvius in 3. Partem D. Thomæ quæſt. 83. art. 3. Operum Tom. 4. Ven. edit. pag. 229., ac præ cæteris Bellarminus de Miſſa lib. 6. cap. 8. Licet autem in pluribus antiquis Liturgiis Græcorum, ac Syrorum, aliorumque Orientalium, præcipue apud Authorem Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 12., & 41. legantur, & fiant ſupplicationes pro Sanctis, ut eos ſcilicet beata retributio comitetur, ut illis Sacrificia proſint ad gloriam, ut ipſorum animabus donetur requies; quibus etiam ſimilia olim recitavit Eccleſia Romana in feſtis Ss. Leonis, & Marcelli Pontificum, uti ex antiquis ejuſdem Sacramentariis conſtat: Pluraque etiamnum extent id genus in hodierno Miſſali Romano, ut in ſecreta memorati S. Leonis, quæ non fuit cum priori oratione immutata; in ea ſiquidem ita leguntur ad diem XI. Aprilis: *Ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet*: quæ etiam verba in ſecunda Miſſa de communi Confeſſoris Pontificis exprimuntur; quotidie item in Canone Miſſæ deprecamur ut omnibus in Chriſto quieſcentibus, & dormientibus in ſomno pacis lucis locus, ac refrigerii detur; quibus omnibus videatur Sanctos etiam cum reliquis fidelibus defunctis viventium indigere ſuffragiis, uti nobis ad eliminandum ipſorum cultum, quem negant, Proteſtantes objiciunt, inter quos noviſſime Joſeph Binghamus Orig. Eccl. Lib. XV. cap. 3. §. 16. quem egregie confutat Clariſs. Vir Ludov. Ant. Muratorius Diſſert. de Rebus Liturg. cap. 22. col. 260. His tamen haudquaquam obſtantibus verum eſſe demonſtratur in dictis, aliiſque veteribus Liturgiis non orari pro Sanctis in Cœlo degentibus, ſed illis peti gloriam accidentalem, majorem nempe in Eccleſia cultum, nominis exaltationem, rerum geſtarum præconia, imitationemque virtutum. Eſt enim gloria, ut plerique definiunt, frequens de aliquo fama cum laude, quam fere omnes appetunt, (inquit Cicero lib. 2. Offic.) hanc jure vocant Græci *Doxam* quaſi exiſtimationem, & opinionem. Hinc de manifeſtatione ſui nominis ait Chriſtus Dominus Joan. 17. 5. *Clarifica me tu Pater.* Iſtam ergo claritatem, iſtam frequentem laudem, iſtam gloriam ſanctis Martyribus, ac Beatis omnibus adprecamur; immo & Auguſtiſſimæ Trinitati dicimus: *Gloria tibi Trinitas*, ideſt gloria laudis, & in quotidiana oratione Dominicali precantes Deum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*: his autem petitionibus non dicimur orare pro Deo, nec cum pro gloria extrinſeca Dei offerimus, poſſumus dici offerre pro Deo, dum ipſe bonorum noſtrorum non egeat, & ſanctificatio divini Nominis, adventus regni ejus, ac ſuæ voluntaris effectus, quem petimus, non in ipſius Dei, ſed in noſtram utique ſalutem, utilitatem, & commodum redundet; ſic eadem proportionali ratione eum oramus, vel offerimus pro gloria extrinſeca, ſeu accidentali Sanctorum, oramus, aut offerimus, non pro ipſis, quia in Cœlo fruentes ſummo bono, ideſt intuitiva viſione Dei, ulterius non indigent ad eorum ſummæ beatitudinis eſſentiam intrinſecam; oramus itaque, aut offerimus pro nobis ipſis, & proximis noſtris, in quorum beneficium illa oratio cedit, ac Sacrificium, quatenus eodem excitamur ad glorificandum Deum, & Sanctos ejus; quæ glorificatio, prout a nobis per extrinſecum cultum Sanctis præſtatur, eſt utilitas, & meritum noſtrum, quamvis etiam indirecte illis cedat in ipſorum ſcilicet gloriam accidentalem, majoremque venerationem in terris. Hoc modo, licet improprie, dici poſſe videtur Sacrificium offerri Deo pro Sanctis, hoc eſt pro beneficiis in ipſos collatis, pro eorum ſcilicet triumphis, & gloria, ſub quo reſpectu dici pariter poteſt Sacrificium laudis, & gratiarum actionis Deo in ipſorum memoriam, ac venerationem, ut eorumdem interceſſionibus preces noſtras idem Deus ſuſcipere dignetur. Quare Auguſtinus Tract. 84. in Joannem, ait de Sanctis loquens: *Ad ipſam Menſam non ſic eos commemoramus, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis.*

Atque hoc ſenſu Sancta Mater Eccleſia Spiritu Sancto edocta, in Miſſa, ad Offertorium dicit: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem &c.* Ac commemoratis Sanctis ſubdit: *ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Item alibi in quadam collecta ad Communionem, *ut ſicut Sanctis ad gloriam, ita nobis proſit ad veniam.* In hac igitur Sanctorum præcepta veneratione intendit Eccleſia laudare Deum in Sanctis ſuis, ad ipſius amorem Fideles promovere, eidem Deo gratias agere pro beneficiis per merita, & interceſſionem Sanctorum obtentis, eorum exemplo ad virtutes exercendas excitare, ipſos Beatos colere tanquam excellentes perſonas, & amicos Dei, ac propterea eorum ſuffragia expoſtulare, id quod præcipue intendit eadem Eccleſia, uti patet in omnibus fere Collectis Miſſæ, in quibus Sanctorum interceſſionem interponit, & hic eſt finis principalis ipſius operis, & præcepti. Porro quamvis nonnulli tum ex Ss. Patribus, tum ex Scholaſticis Scriptoribus quandoque dixerint fieri in Altari oblationes pro Martyribus, aut aliis Sanctis, uti hoc in §. ait Card. noſter ex veteris Eccleſiæ phraſi etiam pro juſtis, & Sanctis; atque adeo pro ipſis Martyribus Sacrificium offerri dictum eſſe, & Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 8. titulum poſuit his verbis: *Sacrificium Miſſæ recte celebrari pro Sanctis*; nihilominus nunquam Eccleſia vetus, aut Patres, vel Orthodoxi Scriptores ſenſerunt pro illis celebrari Sacrificium Miſſæ eo ſenſu proprio, quo pro viatoribus in terris, ac Defunctis in Purgatorio exiſtentibus celebratur, quibus tantum prodeſſe poteſt. Hinc iidem Patres, ac veteres Theologi benigne, & late

inter-

interpretandi ſunt, nec rigide, aut ſtricte intelligendi, ſed in ſenſu hactenus explicato; qui item ſenſus ipſorum triplex eſſe poteſt ex Cacherano Theol. Aſſert. Tract. IX. cap. 4. §. 5. num. 83. Primus, quod illa particula *pro* referatur ad utilitatem noſtram, quatenus redundantem pariter in honorem, & gloriam accidentalem Sanctorum modo jam indicato. Secundus, quod eadem particula *pro* dirigatur ad Sanctos, non juvandos, ſed invocandos, ut nos adjuvent, qua ratione, ſicut & ad ipſos modo præfato honorandos, & glorificandos poſſe Miſſas pro Sanctis celebrari probat, & explicat laudatus Card. Bellarminus loco indicato. Tertius, quod ly *pro* idem ſit ac *loco*, & pro Sanctis dicantur offerri Sacrificia, quæ nos loco, & vice ipſorum offerimus Deo in laudem, & gratiarum actionem beneficiorum illis ex divina largitate collatorum. Quinam vero ex his ſenſibus ſit in qualibet locutione præferendus, judicandum eſt ex verborum contextu, quorum nonnulla exempla videri poſſunt apud Vaſquez in D. Thomam Diſp. 227. cap. 5. num. 37., & ſeqq. Denique (inquit noviſſimus ſcriptor Clar. Jo. Laurentius Berti Ord. Sancti Auguſtini de Theol. Diſcipl. Tom. I. cap. 9. pag. 261. „ Deprecamur & aliquando Sanctis requiem, dum indiſcriminatim pro omnibus vita functis oramus, cum in horum complexu ſint animæ Purgatorii. Clariſſimum (ait idem Author) inter alia occurrit exemplum orationis Willelmi Abbatis, quod refert ex Monachis Benedictinis Congr. S. Mauri in Gallia ad lib. IX. Confeſs. Sancti Auguſtini cap. 13. „ Si vero etiam Sanctis precatur Eccleſia requiem, quæ orationis forma jam pene exolevit) petit gloriam corporis, cujus reſurrectionem animæ ſeparatæ ita vehementer expetunt, ut non omnino quieſcant: quod ſequenti capite declarat laudatus Author. Sed & ante ipſum hac de re vide ſupra memoratum Card. Bellarminum Controv. Tom. 1. de Sanct. Beat. lib. 1. cap. 5., ubi de eadem doctiſſime diſſerit.

§. V.

De Oratione Nobis quoque peccatoribus. *Olim poſt eam benedictiones frugum, & aliarum rerum fieri ſolebant. Omnes Sacræ, & Eccleſiaſticæ functiones intra Miſſarum ſolemnia. Finis Canonis.*

ORationi pro defunctis alia ſubnectitur incipiens, *Nobis quoque peccatoribus* (1), qua ſeipſum, & adſtantes Deo Sacerdos commendat, (1)
ut ſibi, & aliis Sanctorum ſocietatem, & partem aliquam beatitudinis donare dignetur. Rurſum autem aliquot Sancti hic recenſentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non eſt. Et primo quidem loco nominatur Joannes, non Evangeliſta, ut putat Alexander Alenſis in expoſitione Miſſæ, non Marcus item Evangeliſta, qui & Joannes ex quorumdam ſententia dictus eſt, ut Honorius aſſerit *lib.* 1. *Gemmæ cap.* 107. Sed Joannes Baptiſta Præcurſor Domini, quem etiam commemorant poſt con-
ſecrationem Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ (2). Cæteri ex diverſis Or- (2)
dinibus ſelecti ſunt, ut idem Honorius obſervat *ibidem cap. ſequenti*, ex Diaconis Stephanus, ex Apoſtolis Matthias, ex diſcipulis Barnabas, ex Epiſcopis Ignatius, ex ſummis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex Clericis minorum Ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas, & Perpetua, ex Virginibus, quas a Gregorio Magno Canoni adjunctas ſcribit Aldelmus Epiſcopus *lib. de Virginitate cap.* 25. Agatha, Lucia, Agnes, Cœcilia, Anaſtaſia. Florus magiſter poſt Marcellinum, & Pe-
trum addit Hilarium, & Martinum (3), & in quibuſdam Codicibus Va- (3)
ticanis adjungitur Auguſtinus, in aliis Juliana, & Euphemia: ſed ſolos Martyres in Canone admitti, nec ulli licere aliquid adjicere, jam ſupra oſtendimus, *alioquin*, ut ait Honorius, *præſumptioni*, *non devotioni adſcri-
betur* (4). Finita hac oratione poſt illa verba *Largitor admitte*; ſi novæ (4)
fruges, aut quælibet alia humanis uſibus inſervientia benedicenda erant, ante Altare collocari olim ſolebant, & hic a Sacerdote benedici, & ter-
minata benedictione ſolita clauſula (5) *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, (5)
ſequentem addebant orationem, *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas:* quæ, ut notat Lucas Dacherius in præfatione ad Lectorem
tomo 4. ſui ſpicilegii præfixa, non ſolum referuntur ad oblata (6), ſed (6)

Sancti Martyres in hac oratione ex diverſis Ordinibus ſelecti.

 etiam

etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuo creat, ſive producit, eaſque petimus ejus benedictione ſanctificari noſtris uſibus profuturas. In libro antiquiſſimo Sacramentorum Reginæ Succiæ ponitur hoc loco benedictio iſta novarum frugum in die Aſcenſionis Domini: *Benedic, Domine, & has fruges novas fabæ, quas tu, Domine, rore cæleſti, & inundantia pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobiſcum gratiarum actionem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem hæc omnia Domine* &c. In antiquo item Miſſali Vaticano *num.* 4770. inſerta eſt eodem loco benedictio Agni in die Paſchatis, quæ legi poteſt in Ordine Romano. In aliis pleriſque tam Vaticanæ, quam Barberinæ Bibliothecæ lac, & mel benedicuntur pro Cathecumenis in Miſſa Sabbati Sancti hac oratione: *Benedic, Domine, & has creaturas fontis lactis, & mellis, & pota famulos tuos de hoc fonte perenni, qui eſt ſpiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte, & melle. Tu enim, Domine, promiſiſti patribus noſtris Abrahæ, & Iſaac, & Jacob dicens, Introducam vos in terram fluentem lacte, & melle. Conjunge, Domine, famulos tuos ſpiritu charitatis, & pacis, ſicut conjunctum eſt hoc lac, & mel in Chriſto Jeſu Domino noſtro, per quem hæc omnia* &c. Antiqua ſtatuta Monaſterii Cluniacenſis edita a Dacherio *tomo* 4. *Spicilegii* alterius benedictionis mentionem faciunt, *lib.* 1. *cap.* 35. quæ olim communis erat in die Natalis S. Sixti Martyris, uvarum ſcilicet, ſi tamen ea die eſſent maturæ. *Sed ſi nondum ſint maturæ*, inquiunt ſtatuta, *cuſtos Eccleſiæ obſervat quando primo matureſcant, ut faciat eas ad Eccleſiam deferri: allatas Armario repræſentat, & Armarius Sacerdoti inter canonem ad horam competentem, & prænotatam, ut eas benedicat, poſtea in Refectorio per Sacerdotem diſtribuuntur*. Porro Armarius voce barbara is dicebatur, cui Armarii, id eſt cellarii cura commiſſa erat, quem Latini promum condum vocant. Eadem benedictio uvæ in die S. Sixti in libro Sacramentorum S. Gregorii legitur apud Menardum, a quo quædam adduntur in notis (& commemoratur in duobus Miſſalibus MSS. Bibliothecæ Barberinæ n. 1858. & 1859. Hanc ipſam habent Græci die item ſexta Auguſti in Euchologio edito a Goar *pag.* 695. Ritus autem ejus ſic deſcribitur ipſa die S. Sixti in Miſſali Lugdunenſi. *In canone Miſſæ antequam Sacerdos dicat,* Per quem hæc omnia, Domine, bona creas, *ponantur a Diacono ſuper altare ad partem dexteram prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vaſo mundo, & Sacerdos dicat*: Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cœli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad uſus noſtros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Deinde Sacerdos aſpergat acinos uvarum aqua benedicta, & poſtea ſubjungat*, Per quem hæc omnia. *Diaconus vero elevet vas acinorum de altari, & tradat Vicemagiſtro chori, quo accepto, ipſe videlicet Vicemagiſter chori diſtribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro exiſtentibus, & omnibus aliis laicis in Eccleſia*. Hæc nimirum majorum noſtrorum religio fuit, ut omnes ſacræ, & Eccleſiaſticæ functiones, Sacramentorum adminiſtrationes, & quæcumque benedictiones intra Miſſarum ſolemnia peragerentur, omnium enim, ut diximus ſupra Lib. I. Cap. III. ultima perfectio, & conſummatio Euchariſtia eſt, a qua vim energeticam, & ſanctitatem accipiunt. Sive fœdus ſanciendum foret, ſive ineunda concordia, ſive aliquid Deo offerendum, ſive hæretici excommunicandi, ſive Sanctorum natalitia, aliæque Feſtivitates denunciandæ, ſive indicenda jejunia; & Litaniæ, ſive reconciliandi pœnitentes, ſive impo-

imponendæ manus ſuper initiandos, ſive Epiſcopi conſecrandi, ſive Reges inungendi, ſive Chriſma conficiendum; hæc & alia ejuſdem generis ab Euchariſtia auſpicari ſolebant, nec quidquam ſine Sacrificio recte inſtitui exiſtimabant. Sed tepeſcente ſucceſſu temporis fervore multa ex his, ne Miſſa prolixior evaderet, ab ea paulatim ſejuncta ſunt; adeo ut etiam ipſa communio poſt Miſſam differatur, non ſine magna rituum Eccleſiaſticorum perturbatione; quia Orationes, quæ poſt communionem a Sacerdote dicuntur, pro ipſis communicantibus ſunt (7). Porro Eccle- (7)
ſia finem Canoni imponit hac Oratione; *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas*, qua veluti Epilogo ſupremam Chriſti excellentiam ſtrictim commendat, quia *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria* (8). (8)
Primam hujus partem putant nonnulli apud Cyprianum reperiri *Serm. de Cæna Domini*, ſed dudum obſervarunt Eruditi tractatum illum, qui de operibus Chriſti cardinalibus inſcribitur, perperam tribui Cypriano, cum ſit Arnoldi Abbatis Bonævallis.

(1) *Nobis quoque peccatoribus.*) In Miſſali Mozarabum Sacerdos percutiens pectus, ait. *Pone Domine finem peccatis noſtris*. Innocentius III. lib. 5. Myſteriorum Miſſæ rationem affert, cur Sacerdos ad verba: *Nobis quoque* vocem elevet, pectuſque percutiat: *Quum ventum eſt ad id Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, Sacerdos paululum expreſſa voce percuſſo pectore ſilentium interrumpit, repræſentans contritionem, & confeſſionem Latronis in Cruce*. Vocis mutationem in Oratione hac notant Beda Tract. in Lucam, Amalarius lib. 3. cap. 26. & Micrologus cap. 17. Temporibus autem citatorum Authorum hanc elevandæ vocis conſuetudinem non ubique viguiſſe probant antiqua Chartuſienſium Statuta an. 1259., & eorum Ordinata anno 1582., & 1641. præſcribentia, ut hæc verba, ſicut, & cætera ſubmiſſa voce pronuncientur, ſicuti etiamnum ab iis obſervatur.

Rationes aliquot cur nonnulli Sancti in hac Oratione nominentur.

(2) *Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ.*) Atque comprobatur ex eo quod paulo ante præmiſſum eſt: *Cum tuis Sanctis Apoſtolis, & Martyribus*, jam antea in prima commemoratione nominatis, inter quos S. Joannes Evangeliſta. Hic igitur poſt Apoſtolos, Joannes, ſcilicet Baptiſta Præcurſor Domini, non alius memoratur juxta probabiliorem Walafridi Strabonis ſententiam, quam fere omnes noſtri temporis Liturgici Scriptores amplectuntur, atque hoc loco ex Prophetis recenſetur, & quidem primus, quia paulo ante Domini paſſionem capite truncatus occubuit; Cur autem Matthias Apoſtolus hoc loco recitetur, non vero cum aliis Apoſtolis ad *Communicantes* jam ſupra in notis ad cap. 12. §. 2. in fine dictum eſt, videlicet quia Paſſionis tempore S. Matthias ad Apoſtolatus dignitatem nondum evectus erat, uti ex Actis Apoſtolorum conſtat cap. 1. 26. Cur item Stephanus hoc loco ante Matthiam nominetur ratio eſt, quia ante ipſum poſt paſſionem Domini ille primus omnium Martyrum triumphavit; Eccleſia quippe in hac Oratione non ad dignitatem, ſed ad martyrii ordinem reſpicit; ſicuti e converſo in prima Sanctorum commemoratione ante Conſecrationem, ob excellentiam Apoſtolatus Divus Paulus nominatur, quamvis paſſionis tempore & ipſe nondum eſſet Apoſtolus, nec inter eos in Evangeliis recenſeatur, idque ne a B. Petro ipſius collega ſejungeretur. Cur autem tum ante, tum poſt Conſecrationem Sanctorum commemoratio fiat, declarandum eſt: Ante Conſecrationem ideo fit, ut eorum obtineamus ſuffragia, ipſorum communionem conſequamur, virtutes denique adipiſcamur, & gratias, quas nobis ex Sancto Sacrificio poſſumus polliceri; fit vero etiam poſt Conſecrationem, quia Deum oramus, ut in dictorum Sanctorum cætum nos adſcribere dignetur. Ac propterea prima commemoratio non inepte dicitur *ad ſuffragium*, ſecunda *ad conſortium*. In hac itaque Sacerdos poſtquam ante Conſecrationem petiit a Deo, ut Eccleſiam militantem in terris ad conſortium Eccleſiæ triumphantis in Cœlis admitti benigne largiatur; poſtquam idem poſt dictam Conſecrationem, pro Eccleſia purgante, omnibus ſcilicet in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis concedi deprecatus eſt, idem pariter nunc poſtulat pro ſe, atque omnibus circumſtantibus, quorum nomine Sacrificium offert, ut Deus famulis ſuis de multitudine miſerationum ſuarum ſperantibus veniam impertiri culparum non dedignetur; adeoque hujus Orationis initium elata paululum voce profert, ut eidem preci populus circumſtans ſe adjungere poſſit; pectus item ſuum percutit ad hæc verba: *Nobis quoque peccatoribus*, ut hac tunſione pectoris Publicanum imitetur Evangelicum, ſimulque & ſigno, ac voce exprimat quanta cordis contritione, & humilitate fateatur ſe eſſe peccatorem. Quo vero ad Sanctos Martyres in hac precatione recenſitos, quorum ipſe Sacerdos, ſecum omnis adſtans populus auxilium implorat, obſervandum eſt, (quod præteriit Card. noſter, forte ex brevitatis gratia) ſanctam Felicitatem Martyrem iſthic invocatam, non eſſe matrem ſeptem filiorum Mart. (ut nonnulli putant cum Gabriele Biel lec. 59.)

cujus commemoratio ſit die 23. Novembris, ſed eſſe ſororem perpetuæ, cui conjungitur; de quibus memoria eſt die 7. Martii, & quæ a S. Auguſtino pleriſque ſuorum Operum in locis ſummis laudibus celebrantur. Ita ſentiunt Baronius in Martyrologio ad dictum diem 7. Martii, nonnulli Scriptores relati a Clar. Petro Poſſino Soc. Jeſu, cum Teſtimoniis Veterum de præfatis SS. Martyribus ad Acta & Paſſionem earum, quæ ipſe edidit adjunctis Notis poſthumis Lucæ Holſtenii, idemque ibi expreſſit; item Gavantus ad Rubr. Miſſalis Rom. Parte 2. tit. 9. aliique.

(3) *Addit Hilarium, & Martinum.*) Nono ſæculo in aliquibus Galliæ Eccleſiis intruſa fuere in hanc orationem nomina Confeſſorum, qui ſpecialiter in illis colebantur; at reſtitutus poſtmodum fuit vetus mos nominandi in Canone ſolos Martyres, qui proprii Sanguinis effuſione perfectius repræſentant effuſionem Sanguinis Chriſti in Cruce, & nunc myſtico modo in Sacrificio. Alicubi porro præter deſignata SS. nomina, & alia eidem Canoni inſerta fuiſſe mox dicemus.

Ritu Ambroſiano nonnulli Sancti additi Canoni leguntur.

(4) *Præſumptioni, non devotioni adſcribetur.*) Ritu tamen Ambroſiano plures adjiciuntur, eorumque nomina recitantur Ordine a Romano diverſo, ubi item prætermittuntur tres Sancti, videlicet SS. Matthias Apoſtolus, Ignatius Epiſcopus, & Martyr, & Alexander Papa, quorum loco ſequentes invocantur; Et quidem denuo S. Joannes Evangeliſta, S. Andreas Apoſtolus, poſtea S. Euphemia Virgo, & Martyr, quam Ambroſiano Canoni adjecit S. Senator Mediolanenſis Epiſcopus, qui cum a S. Leone Papa Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Chalcedonenſe Concilium, quod in Templo ejus nomini dicato, ubi & dictæ Martyris venerandum Corpus quieſcebat, celebratum fuit, Mediolanum reverſus eſſet, in dictæ Virginis, ac Martyris memoriam, & honorem, ibi Baſilicam erexit, ejuſq; nomen Ambroſiano Canoni adjecit. Item S. Juſtina Patavina Virgo, & martyr, & S. Sabina Romana, Sancta Thecla, cui Mediolani hyemalis Baſilica dicta paulo poſt ejus mortem erecta eſt. Sancta Pelagia, atque ultimo loco Sancta Catharina Virgo, & Martyr, quæ cum aliis quatuor Sanctis Fæminis Canoni Miſſæ a Sancto Ambroſio additæ fuere. *Intra quorum nos conſortium &c.* Quæ ſunt poſtrema hujus orationis verba, huc alluſiſſe videtur D. Hieronymus in Explicatione poſtremi verſus Pſalmi 172. *Ad capeſcendam futuram beatitudinem cum electis ejus, in quorum nos conſortium inſpector, ſed veniæ largitor admittat Chriſtus Dominus. Amen.* Item Alcuinus de Div. Offic. cap. de celebratione Miſſæ: *Ut quia Sanctorum Societati per noſtrum meritum non poſſumus, per indulgentiam conjungamur:* Cæterum, etſi in toto Canone Miſſæ nulla fiat mentio Confeſſorum, aut Virginum non Martyrum, ut alibi dictum, & item obſervat Auguſtinus lib. de Virgin. cap. 45. implicite tamen continentur etiam cæteri, tum ob illa verba. *Et omnibus Sanctis tuis, intra quorum &c.* Tum ex eodem Auguſtino lib. 20. de Civit. Dei cap. 10., qui *ideo,* inquit, *tantummodo Martyrum animas commemoravit Eccleſia, quia ipſi præcipue regnant mortui, qui uſque ad mortem pro veritate certarunt. Sed accipientes a parte totum, cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt Regnum Chriſti.*

SS. Confeſſores in Canone quamvis non expreſſi, implicite tamen continentur.

(5) *Terminata benedictione ſolita clauſula &c.*) Huic Orationi finem imponunt verba: *Per quem hæc omnia &c.*, quæ olim ſuper terræ fructus tunc benedicendos proferebantur. In Liturgia Gallicana, quum fructuum primitiæ benedicendæ offeruntur, dicit Sacerdos: *Benedic Domine, & hos fructus novos...... In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Per quem hæc omnia &c.* Idem refert Uldaricus in ſuis Vet. Cluniacen. uſibus lib. 1. cap. 35. Ita porro verba: *Per quem hæc omnia &c.* Varie interpretantur Odo Cameracenſis, Innocentius III. de Myſt. Miſſæ lib. 4. cap. 9. Alexander de Ales, Albertus Magnus, & Gabriel Biel lect. 60. Sed præ iſtis longo verborum tractu Alcuinus, eoque brevius Amalarius Fortunatus de Eccl. Offic. lib. 3. cap. 26. poſtque hos Jo. Stephanus Durantus de Rit. Eccl. Cathol. lib. 2. cap. 44. nu. 10. & noviſſime Card. Proſper Lambertinus, nunc Benedictus Papa XIV. feliciter regnans de Sacrificio Miſſæ ſect. 1. num. 299. & ſeqq. Hujus autem antiquæ conſuetudinis benedicendi novas fruges, ac terræ fructuum primitias, aliaque comeſtibilia, ad Altare in Miſſa dicitur Author S. Eutychianus in deteſtationem hæreſis Manichæorum, qui fructus omnes a malo principio, ob lapſum primorum parentum, productos eſſe affirmabant, ac propterea an idem inter fideles ſerperet error, dictus Summus Pontifex quoſcumque fructus terræ propria oratione benedici, per Verbum Dei ſanctificari, Deoque gratias pro illis datis, & conſervatis agi tamquam vero rerum omnium Creatori, ac Domino decrevit, ad Miſſam hoc loco poſt illa verba: *Largitor admitte.* Hujus benedictionis munus quamvis in Ordinatione Lectoris, eidem ab Ordinante imponatur, ſolus tamen nunc poſt Miſſam illud Sacerdos obit, uti ſcite obſervat Joſeph Catalanus in Notis ad Pontif. Rom. Tom. 1. pag. 83. §. 6. Porro per hanc item orationem benedicit Epiſcopus Oleum Infirmorum Fer. 5. in Cœna Domini, ut notatur in Sacramentario S. Gregorii ſub finem Canonis. Tunc offertur Pontifici Oleum, & benedicit (eum) ad ungendum Infirmum his verbis: *Emitte Domine..... Per quem hæc omnia &c.* Sicque tria illa crucis ſigna, quæ ſuper Hoſtiam, & Calicem nunc fiunt, tunc ſuper infirmorum oleum, & ſuper cætera, quæ benedicenda offerebantur, fiebant. Hæc eadem benedictio habetur in Rituali Romano impreſſo tempore Gregorii XIII. pag. 595., videatur etiam de benedictione hujuſmodi Edmundus Martene de Ant. Eccleſiæ Diſciplina in Div. Offic. celebr. pag. 568. 574. 575. ubi nonnulla de eadem proferuntur monumenta.

(6) *Non ſolum referuntur ad Oblata.*) *Si* fas eſt ſentire cum Grancolaſio Vet. Liturg. Tom. 1. pag. 663. Hæc oratio nullam habere videtur connexionem cum Sacrificio, quod non poteſt intelligi per bona hæc, quæ *Deus*

ſan-

ſanctificat, vivificat, & benedicis, quum Corpus, & Sanguis Chriſti fons, & origo ſint omnis ſanctificationis vitæ, & benedictionis. Hinc eſt quod alii ea verba ad Euchariſtiam ſimul, & novas fruges referri exiſtimant. Alii ad novas fruges tantum; verum quidam refellunt, ea ratione quod nonnullæ Eccleſiæ dictas fruges benedicerent ante conſecrationem peculiari adhibita oratione. Præterquamquod cum exploratum ſit, non in omnibus Miſſis novarum frugum benedictionem fieri potuiſſe, in quaque autem Miſſa dici conſueviſſe: *Per quem hæc omnia &c.* cum item noſtris hiſce temporibus nulla ad Miſſam frugum benedictio fiat, neque tamen ea ipſa verba omittamus, inde proclive eſt intelligere dicta verba explicanda fore nulla frugum habita ratione. Hæc autem Oratio dicebatur olim quidem ſuper fructuum primitias, ſed expoſitæ ad Altare in fine Canonis benedicendæ offerebantur. Hæc porro omnia verba nono ſæculo ab Amalario, Floro, & Remigio Antiſſiod. minute fuerunt explicata: Per Jeſum Chriſtum, aiunt ipſi, Deus Pater hæc omnia creavit (*omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: *Joan.* 10. *In ipſo condita ſunt univerſa*, *Coloſſ.* 1.) Panem ſcilicet, & vinum in Corpus, & Sanguinem Chriſti tranſubſtantiata non ſolum ea initio Mundi creando, ſed continuo renovando, efficiendo ſcilicet, ut Terra quotannis novum triticum, novaſque producat uvas. Hinc dicit Jeſus Chriſtus (ſubdit Florus) *Pater meus uſque hodie non ceſſat operari, & ego etiam operor*: ex Joan. cap. 5.17. In Jeſu Chriſto hæc dona ad Altare oblata efficiuntur ſacra a communi uſu ſejuncta: *Sanctificas*. Per Jeſum Chriſtum. Deus ea vivificat, tranſmutando ea in Corpus, & Sanguinem pretioſum, quæ ſunt verum vitæ alimentum. *Vivificas* per Jeſum Chriſtum ſanctificantem, & vivificantem. Deus Pater ſuper panem vitæ Cœleſtes effundit benedictiones, poſt quas illum nobis dat, ut in nobis vera noſtra vita ſit: *Benedicis, ac præſtas nobis*. His poſitis nos ſequimur (ait Le-Brun Explic. Precum & Cærem. Miſſæ 4. par. art. 6. in notis) fere ſemper explicationem vetuſtiorum Authorum. Et hoc præſertim in loco eorum neceſſe fuit uti verbis; Recentiores enim aliqui in ea ſunt opinione hæc verba: *Per quem &c.* non fuiſſe Canoni inſerta, niſi ad benedicendas fructuum primitias, ſive Agnum Paſchalem. Hi vero hallucinantur; melius enim dixiſſent alias in quibuſdam Eccleſiis creditum fuiſſe novas fruges benedicendas ante finem precum Conſecrationis Corporis Jeſu Chriſti, per quem omnia benedicuntur; ſicut, & hoc in loco benedicitur Oleum Sanctum Fer. 5. in Cœna Domini. Aſt benedictio illa non fiebat per verba: *Per quem omnia*; Sed per particularem orationem, quæ claudebatur, ut reliquæ omnes, Concluſione: *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, propter quam connectebatur etiam verbis ſequentibus: *Per quem hæc omnia &c.*, quæ ſemper dicebantur, etiamſi nullæ forent fruges benedicendæ. Inconveniens autem foret, quod Eccleſia retinuiſſet ſemper in Canone verba, quæ juxta novam hanc opinionem ad

Veterum aliquot Explicationes hujus Orationis Per quem hæc omnia &c.

quaſdam tantummodo res referuntur, quæ bis, aut ter, ut ſummum, quotannis benedicebantur, & quæ pene nullibi nunc benedicuntur: Sed de his fuſius ſe alibi dicturum pollicetur Le-Brun, quod tamen feciſſe, mihi non videtur.

(7) *Pro ipſis communicantibus ſunt.*) Permanſit autem priſca conſuetudo in collatione Sacrorum Ordinum, in Epiſcopi Ordinatione, in Abbatis, Abbatiſſæ, & Virginum benedictione, Regis, ac Reginæ, atque in Chriſmatis, Oleique ſacri Feria V. majoris hebdomadæ conſecratione. Hæc enim omnia, ut notum cuique eſt, ex Romano Pontificali, nunquam fiunt ſine Miſſæ celebratione.

(8) *In unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria &c.*) Hic a Sacerdote ad verba: *Omnis honor, & gloria*, elevatur Calix cum Hoſtia, de qua elevatione loquitur Ordo Romanus poſt hæc verba: *Et quum &c. Per ipſum cum dixerit: Per quem hæc omnia Domine, erigit ſe Archidiaconus ſolus, & quum dixerit: Per ipſum, & cum ipſo, levat cum Offertorio Calicem per anſam, & tenet exaltans illum juxta Pontificem*. Idem refert Micrologus cap. 15., qui nullam de prima elevatione (ideſt ſtatim poſt conſecrationem) mentionem facit: *Per quem dicimus*. Per omnia ſæcula ſæculorum: *Corpus cum Calice levamus*. Mabillon. Comm. in Ord. Rom. pag. 50. poſt ea, quæ hic retulimus, habet: Orientales id præſtant paulo ante communionem. „ Porro elevatio poſt „ conſecrationem in Gallia poſt medium ſæ„ culum XI. videtur fieri cæpta haud ſcio, „ an paulo ſerius in Eccleſia Romana, ta„ metſi utrobique ad conſecrationem ſacra „ myſteria adorarentur. Huc ſpectat Ivonis „ Epiſtola ad Reginam Matildem &c., ubi „ nulla mentio elevationis, uti nec in Uſuum „ Ciſterc. cap. 53. „. De qua elevatione vide jam ſuperius dicta. Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinop. tria memorat crucis ſigna elevationem hanc præcedentia in Theoria Rerum Eccleſiaſt. ubi hæc ait: *Quod autem Sacerdos panem attollit, & ſignum crucis ter facit in aere, cum venerando, & vivificante pane &c.* Ivo Carnot. Epiſtola 233. myſtice explicat crucis ſigna, quæ ſupra, & extra calicem fiunt, cum hoſtia, & elevationem, quæ eodem tempore fit Calicis, & Hoſtiæ: *Quum vero* (inquit) *Hoſtia jam conſecrata intra, vel ſupra Calicem ſignum crucis imprimitur a latere calicis Orientali, uſque ad Occidentalem, & a Septentrionali uſque ad Auſtralem, hoc figurari intelligimus, quod ante Paſſionem Domini Diſcipulis ſuis prædixit. Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Quæ Ivonis verba coincidunt cum verbis Germani ſupracit. in Theoria, quod Sacerdos tria crucis ſigna faciat cum ſacra Hoſtia. Primum alte, minus alte alterum, tertium ſuper Patenam, ut intelligat nimirum fidelis Populus, Cœlum, Aera, & Terram per venerabile Salvatoris Corpus ſanctificari.

De Calicis, cum Hoſtia elevatione.

De ſignis Crucis quæ ſupra, & extra Calicem fiunt cum Hoſtia, ac variæ de iis veterum explicationes.

Hugo a Sancto Victore Canonem explicans, quinque affert crucis ſigna. Primum extra calicem; ſuper calicem alterum; tertium in calice; quartum, ut primum; quin-

tum

tum autem ante calicem : *Prima crux ex utraque parte ultra calicem protendit ; ſecunda calici coæquatur , tertia infra calicem coarctatur , quarta eadem eſt cum prima , quinta ante calicem depingitur .* Micrologus cap. 17. de quatuor hiſce ſignis loquitur , quæ cum hoſtia fiebant ſuper calicem , quintum vero ad calicis latus , morem improbans ter ſupra , & bis extra calicem ſignandi , eo quod unicus Salvator noſter in latere vulnus habuerit ; Hocque ſe didiciſſe profitetur ab Anſelmo Lucenſi Epiſcopo , cui Gregorius Papa VII. ita præſcripſerat : *Cum Corpore* (ait) *Dominico quatuor cruces ſuper calicem facimus , dicendo ſuper ipſum . . . . . . quintam in latere calicis , videlicet vulnus Dominici lateris ſignificando . Unde , & calicem ex eodem latere cum oblata tangimus juxta Ordinem Romanum . Multi tamen tres tantum cruces ſuper calicem , & duas in latere ejus faciunt , ſed videtur incongruum , cum Chriſtus nullum vulnus in latere habuerit , niſi unum . Sed R. memoriæ Gregorius Papa fecit , ut prædiximus , quod B. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus ita ab eo ſe didiciſſe teſtatus eſt , nobiſque obſervandum firmiſſime inculcavit .* Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 2. de Div. Offic. cap. 15. tria tantum admittit crucis ſigna ſuper calicem , duo autem ut ſignificentur ſanguis , & aqua , quæ a Chriſti latere fluxerunt : *Ter in calice , bis extra calicem* . Hæc calicis elevatio a Sacerdote ſimul fiebat , & a Diacono in Miſſa ſolemni teſte Ivone Carnotenſi : *Quum autem panis , & calix adhibito Diacono elevatur* . In Miſſa vero Ratoldi ſolus Diaconus Calicem elevat , Sacerdote interim poſt crucis ſigna hoſtiam ſuper calicem elevante : *Diaconus præcavens , quod ſuper calicem Epiſcopus faciat ſignum crucis , & præveniat ſibi ſublevans calicem in conſpectu Domini , unicamque videtur crucem innuere* , quam monente Diacono faciebat Sacerdos . Joannes Abrincenſis Epiſcopus in Tract. de Officiis Eccl. quem notis illuſtravit Prevotius , hanc elevationem ita deſcribit , *ubi ad hæc verba Sacerdos venerit* (ſcilicet per quem hæc omnia) , *tunc Diaconus accedat , & dextra manu dextrum cornu Corporalis accipiat , cum Sacerdote diſcooperiat ; Sacerdos* per ipſum *dicendo , oblata quatuor partes calicis tangat ; immolatione enim Corporis Chriſti redempta ſunt quatuor elementa Mundi ; Item oratione finita uterque calicem levent , & ſimul ponant , & cooperiant* : Per has autem quatuor calicis partes oblata tangendas intelliguntur quatuor crucis ſigna conſecrato pane ſuper calicem facienda , quæ juxta Ivonem ſupra laudatum Epiſtola 233. a latere Orientali uſque ad Occidentalem , & Septentrionali ad Auſtralem ſunt protendenda , uti Grancolaſius autumat Vet. Liturg. Tom. 1. pag. 663. & ſeqq.

Multiplicia efformandæ crucis ſuper hoſtiam , & calicem ſacroſanctum Ritum audivimus , noſcamus myſterium . Quamvis autem noſtri inſtituti non ſit in myſticas Liturgicarum omnium rerum ſignificationes inquirere , Symbolica enim earum explicatio a pluribus haberi poteſt , qui de illa copioſe ſcripſerunt ; Nihilominus haud ingratum ſtudioſo Lectori futurum eſſe confido , ſi nonnulla hac de re præ cæteris ſeligam , quæ in hunc locum doctiſſime profert Clar. Cajetanus Maria Meratus Comment. ad Gavantum Par. 2. tit. 11. edit. Ven. in fol. pag. 234. Sic ergo ait noviſſimus de Liturgicis cæremoniis Scriptor :

„ Cur autem Sacerdos triplicem efformet cru-
„ cem ſuper calicem dicendo *Per ipſum &c.*
„ nempe per *Dominum Jeſum Chriſtum* , &
„ duas cruces efformet extra calicem quan-
„ do nominat Perſonam Patris , & aliam
„ Perſonam Spiritus Sancti ratio optima eſſe
„ poteſt , quia cum ſolus Chriſtus Dominus
„ mortem ſubierit , & Calicem Paſſionis po-
„ taverit , ideo optime ſuper , & intra cali-
„ cem efformantur cruces , quando ipſe no-
„ minatur a Sacerdote ; efformantur autem
„ tres cruces , quia idem Chriſtus Salvator
„ noſter paſſus eſt in Corpore , paſſus eſt in
„ Anima , paſſus eſt in honore , & gloria ;
„ ut ait D. Thomas *par. 3. quæſt. 46. art. 5.*
„ dicendo . *Paſſus eſt in Corpore per vulnera ,*
„ *& flagella ; paſſus eſt in Anima per triſti-*
„ *tiam , tædium , & timorem ; paſſus eſt in*
„ *honore , & gloria , per irriſiones , & con-*
„ *tumelias ei allatas* . E contra vero quia
„ quamvis in vero , & Catholico ſenſu , ob unio-
„ nem hypoſtaticam humanæ naturæ , cum
„ Perſona Verbi Divini in Chriſto Domino ,
„ dici poſſit , Deus paſſus eſt , Deus pro nobis
„ mortuus eſt ; non poteſt tamen dici : Pa-
„ ter divinus paſſus eſt , ſicuti erronee aſſe-
„ ruerunt heretici illi , qui ideo Patriſpaſſiani
„ appellati ſunt ; ſic etiam , quia non poteſt
„ dici , quod Spiritus Sanctus mortem pro
„ nobis ſubierit , & paſſus ſit : Hinc duæ illæ
„ cruces , quæ fiunt nominando prædictas
„ duas perſonas Patris , & Spiritus Sancti ,
„ efformantur extra Calicem ; Per duas au-
„ tem cruces , quæ fiunt extra calicem ,
„ quando nominatur perſona Patris , &
„ Spiritus Sancti juxta ſententiam Alexandri
„ de Ales *par. 4. quæſt. 83. mem. 5.* ſignifi-
„ catur ſeparatio Animæ a Corpore in mor-
„ te Domini : Quamvis enim in Chriſto Do-
„ mino fuerint tres ſubſtantiæ , nimirum
„ Corpus , Anima , & Divinitas ; in ejus
„ tamen morte Corpus quidem ab Anima ,
„ & Anima a Corpore fuerunt ad invicem
„ ſeparatæ ; Sed neutra illarum ſeparata re-
„ manſit a Divinitate , licet enim Princeps
„ hujus ſæculi in Dominum gloriæ , quem
„ crucifixere , omnes immanitatis , poſt homi-
„ nes natos , inauditæ vires effuderin , nunquam
„ tamen unionem hypoſtaticam attingere ,
„ nedum dirimere potuerunt : Unde ſemper ,
„ etiam poſt Chriſti mortem , ejus animam ,
„ ejuſdemque Corpus conſervarunt hypoſta-
„ ticam unionem cum Perſona Verbi , ejuſ-
„ que Divinitate ; & ita verificatur illud com-
„ mune effatum Sanctorum Patrum , loquen-
„ do de Verbo Divino Incarnato : *Quod ſe-*
„ *mel aſſumpſit , nunquam dimiſit .*

„ Denique poſſet etiam dici prædictas duas
„ cruces extra calicem ſignificare duas natu-
„ ras Chriſti Domini , Humanam , & Divi-
„ nam : In quarum prima paſſionis dolores
„ perſenſit ; in ſecunda vero , quamvis paſ-
„ ſionis dolores non ſenſerit propter ſuam
„ eſſentialem beatitudinem ; Paſſionis tamen

„ in-

„ injurias, ut ait Vigilius Tapſenſis *lib.* 2. „ *contra Eutychetem*, etiam ejus Divinitas perˏ„ tulit; Paſſionem vero ſola ejus caro perˏ„ ſenſit. Quia autem ejus caro hæc omnia „ & pertulit, & ſenſit, merito, ac jure diˏ„ cimus, Deum his omnibus paſſionum conˏ„ ditionibus, ſenſibiliter affectum in carne „ ſua, ſine ſenſu, vel mutatione Divinitatis „ ſuæ: Ergo perferre paſſionem naturæ eſt „ utriuſque: Sed cedere paſſioni non eſt „ utriuſque naturæ, cum ſit unius, ejuſdemˏ„ que Perſonæ „. Ita Vigilius Tapſenſis, ex quo Meratus, qui & alibi fuſe, videlicet in Diſſertationibus Polemicis Italice ſcriptis par. 2. Diſſert. 19. ubi de ſacroſancto Paſſionis, & mortis Dominicæ myſterio loquens, hoc argumentum egregie pertractat. Porro hoc caput claudimus obſervantes, quod ad illa ultima verba hujus orationis: *Omnis honor, & gloria* elevatur hoſtia, ut diximus, & calix juxta peritiores Rituum Magiſtros ultra quatuor circiter digitos erigi, ſeu extolli non debet, ac proinde hæc parva elevatio dicta eſt, poſtquam major illa poſt conſecrationem in uſu eſſe cæpit; ante ipſam enim in hac elevatione Corpus, & Sanguis Chriſti Populo oſtendebatur. In quibuſdam Eccleſiis ad hanc elevationem pulſatur campanula, & in aliquibus, ſi Miſſa ſolemnis ſit, Sacramentum thure adoletur, & adoratur. Atque his ſex Orationibus hucuſque pro tenui modulo exploratis, ſacro Canoni Miſſæ nonnulli veterum, & recentiorum plerique ſuum finem nobiſcum imponunt, dum ad plenariam ejus concluſionem, quæ in Dominicæ Orationis recitatione conſiſtit, devote procedimus.

CAP. XV.

De priſco uſu Orationis Dominicæ in Sacrificio. Gregorii Magni hac de re ſententia expenditur. Ipſius Orationis Præfationes. Olim interdicta Cathecumenis. Brevis ejus expoſitio. Addita oratio Libera nos, *quæ Embolismus nuncupatur. Hoſtiam frangi, & particulam in Calicem mitti mos eſt omnium Eccleſiarum. Horum Rituum antiquitas.*

§. I.

De priſco uſu Orationis Dominicæ in Sacrificio. Gregorii Magni hac de re ſententia expenditur. Ipſius Orationis Præfationes.

Uſus recitandi Orationem Dominicam in Miſſæ Sacrificio ab Apoſtolica traditione, & ex eorum more derivatus.

DIgnum, & conveniens fuit poſt actionem ſanctiſſimam Sacrificii, Orationem recitari quam Chriſtus docuit, ut ejus acerbiſſimæ Paſſionis præmiſſa commemoratione Fidelium petitiones facilius a Deo Patre exaudiri mereantur. Errant autem qui putant hoc a Gregorio Magno ſtatutum fuiſſe; veterem quippe, & Apoſtolicam conſuetudinem eſſe ipſemet Gregorius teſtatur *lib.* 7. *Epiſt.* 64. dicens, *Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent.* Quæ verba, qua ratione intelligenda ſint ſupra explicavimus lib. 1. cap. v. §. 3. Deinde illa dictio exceptiva *ſolummodo* aut irrepſit in textum Gregorii, aut ad alias Orationes reſtringenda eſt, quæ conſecrationem antecedunt, & ſubſequuntur. Nam verba, quibus Chriſtus hoc Sacrificium inſtituit, Apoſtoli proculdubio recitabant non omiſſa memoria Paſſionis ejus, ſicut ille præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hieronymus etiam ait *lib.* 3. *Adv. Pelagianos* Apoſtolos quotidie Orationem Dominicam ſolitos dicere in Sacrificio, ſed non addit ſolam (1). De priſco autem (1) ipſius uſu in Miſſæ celebratione teſtimonium perhibent tum omnes Liturgiæ, tum Sancti Patres Gregorio antiquiores. Optatus Milevitanus lib. 2. *Inter vicina momenta dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad Altare converſi Dominicam Orationem prætermittere non poteſtis.* Quia nimi-

nimirum abſolutio Pœnitentium, de qua loquitur, fieri ſolebat ante Orationem Dominicam, & Communionem. Auguſtinus *Epiſt.* 59. *ad Paulinum* explicans de Sacrificio Miſſæ obſecrationes, & orationes, quas Apoſtolus commendat 1. *ad Timoth. cap.* 2. Orationes tunc fieri dicit, cum id quod eſt in Dominica menſa benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur: *Quam totam petitionem*, inquit, *fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit*. Idem Hom. 42. inter 50. *In Eccleſia ad Altare Dei quotidie dicitur Oratio Dominica, & audiunt illam Fideles* (2). Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. Myſtag. 5. *Poſt hæc*, inquit, nempe poſt commemorationem Fidelium Defunctorum, *dicimus Orationem illam, quam Salvator ſuis Diſcipulis tradidit*. Cæſarius Arelatenſis Hom. 22., quæ eſt de Sacrificio Miſſæ ait; *Quando Oratio Dominica dicitur, quis eſt, qui humiliter, aut veraciter clamet:* Dimitte nobis debita noſtra? Ejuſdem meminit Ambroſius *lib.* 6. *de Sacram. cap. ult.* Illique addita ait hæc verba, quibus caret hodiernus Ritus; *Audi quid dicat Sacerdos. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in quo tibi eſt, cum quo tibi eſt honor, laus, gloria, magnificentia, poteſtas, cum Spiritu Sancto a ſæculis, & nunc & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum*. Quod ſi uſus univerſæ Eccleſiæ a temporibus Apoſtolorum fuit hanc Orationem in ſingulis Miſſis recitare, neſcio cur Gregorius in præcitata Epiſtola dicat, inconveniens ſibi viſum eam omittere, ac ſi ſuo tempore in uſu non eſſet: Nec video cur hac de cauſa a quibuſdam reprehenſus fuerit, ac ſi novos & Græcanicos Ritus introduxiſſet. An forte in quotidianis Miſſis omittebatur, ipſe autem priſtinum morem reſtituit? Sane hunc abuſum in Eccleſiis Hiſpaniarum invaluiſſe, eodem ſæculo quo Gregorius deceſſit, Concilium IV. Toletanum nos docet cap. 9. *Nonnulli*, inquit, *Sacerdotum in Hiſpaniis reperiuntur, qui Dominicam Orationem, quam Salvator noſter docuit, & præcepit, non quotidie, ſed tantum die Dominica dicunt*. Id autem vetat deinceps fieri, & ſingulis diebus dici conſtituit; eum vero qui præterierit, ordinis ſui honore mulctari jubet (3). Verum ſi attentius verba Gregorii conſiderentur, & cum iis conferantur, quæ de illo Joannes Diaconus ſcribit *Vitæ ejus lib.* 2. *cap.* 20. Nihil aliud a Gregorio ſtatutum fuiſſe conſtat, niſi ut loco congruo recitaretur. *Orationem Dominicam*, ait Joannes, *mox poſt Canonem ſuper Hoſtiam cenſuit recitari* (4). Notat autem Gregorius in eadem Epiſtola, apud Græcos ab omni Populo (5), apud nos a ſolo Sacerdote dici, qui mos etiam hodie in utraque Eccleſia Græca, & Latina perſeverat. Præmittitur item ab omnibus brevis Præfatio, qua Sacerdos ſe indignum & degenerem Dei Filium agnoſcens proteſtatur ſe non audere Deum Patrem compellare, niſi Chriſtus monitis & præceptis fiduciam præbere dignatus eſſet. *Dignos nos redde Domine*, ajunt Græci (6), *qui cum fiducia abſque condemnatione auſimus invocare te Deum Patrem cœleſtem, & dicere*: Pater noſter. Maronitæ hac formula utuntur. *Aperi Domine Deus ora noſtra, & labia noſtra, ſanctifica corpora noſtra, atque animas omnium noſtrum, & purifica intellectus, ac mentes noſtras, adeo ut ſuppliciter clamemus ad te Deus Pater miſericordiarum, atque oremus, & dicamus*: Pater noſter &c. Mozarabes diverſas habent formulas in ſingulis Miſſis, ut in die Natalis Domini. *Quod via, ut ſequeremur, oſtendit: quod vita, ut loqueremur, edocuit: quod veritas, ut teneremus, inſtituit; tibi ſumme Pater cum tremore cordis proclamamus e terris*. Pater noſter. In die Reſurrectionis. *Chriſte Jeſu bone, qui ad Patrem de Cruce clamaſti, tu nos in hac die, qua ipſe de tumulo ſurrexiſti, ad te clamantes exaudi:* *quo*

Variæ referuntur ipſius Dominicæ Orationis Præfationes.

(2) (3) (4) (5) (6)

quo Reſurrectionis tuæ bilaritate, gaudentium ora replcantur jubilo laudis, & corda effectum percipiant exorationis, cum nunc exoraverint ea, quæ præcepiſti, clamantes, atque ita dicentes e terris, Pater noſter, qui es in Cœlis. In Aſſumptione B. Mariæ. *Domine Jeſu Chriſte, qui ſic Virginem Matrem honorificaſti, quo uſque Aſſumptionis gratia eam coram te evexiſti ſuffragatricem incomparabilem, indigni quæſumus divinitatis tuæ clementiam, quatenus per obtentum illius Beatiſſimæ Genitricis emundati ab univerſis contagiis audeamus exclamare; & dicere e terris*; Pater noſter, qui es in Cœlis (7). Romana Eccleſia uno ſemper tenore dicit; (7)
Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere, Pater noſter. Conveniunt ſemper cum Romanis Ambroſiani, excepto die Cœnæ Domini, quo hac formula utuntur. *Ipſius præceptum eſt Domine quod agimus, in cujus nunc te præſentia poſtulamus. Da Sacrificio authorem ſuum, ut impleatur fides rei in ſublimitate myſterii, ut ſicut veritatem cœleſtis Sacrificii exequimur: Sic veritatem Dominici Corporis, & Sanguinis hauriamus, per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum dicentes*, Pater noſter. Diſcrepant etiam aliquantulum in die S. Paſchæ, nam dicunt: *Divino magiſterio edocti, & ſalutaribus monitis inſtituti audemus dicere*, Pater noſter. Hujus autem formulæ antiquitatem indicat Hieronymus lib. 3. adv. Pelagianos: *Sic docuit Apoſtolos ſuos, ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui*, Pater noſter. Ad eamdem alludit Chromatius Aquilejenſis *Tract. de octo Beatitudinibus:* Deum nobis indulſiſſe dicens, ut ipſum Patrem dicere audeamus.

(1) *Solitos dicere in Sacrificio, ſed non addit ſolam.*) Non enim (ait Illuſtriſſimus Comes Nicolaus Antonellus in ſua Diſſertatione de Titulis ab Evariſto diſtributis pag. 172.) in hunc ſenſum verba Gregorii accipienda ſunt, ut alias orationes Apoſtoli non adhibuerint, quas prolixas in Sacrificio habere conſueviſſe teſtantur, Proclus in Tradit. Divinæ Liturgiæ, & ante ipſum Chryſoſtomus Homil. 27. in Epiſt. ad Corinthios, & præcipue Evangelica verba, quæ ad conſecrationem adhibita ſemper fuiſſe impium eſt dubitare, uti & ſupra loco ab Eminentiſſimo citato dictum eſt; Immo vero Sanctum Dei Evangelium, viventibus adhuc Apoſtolis, in Miſſa lectum fuiſſe teſtatur Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 15., ubi de Evangelio Marci precibus Romanorum ſcripto hæc ſcribit: *Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio librum illum authoritate ſua comprobaſſe dicitur, ut deinceps in Eccleſiis legeretur*: Ut item ſupra cap. 7. §. 1. hujus Libri ab Eminentiſſimo dictum eſt; His tamen non obſtantibus (ſubdit laudatus Antonellus) & non placet, inquit, ut dicamus cum Eminentiſſimo Cardinali Bona hoc loco mendoſum fortaſſe textum eſſe, & adverbium *ſolummodo* irrepſiſſe, aut Apoſtolos in celebrando Sacrificio duplicem formulam, brevem, & prolixam diverſis temporibus adhibuiſſe, brevem quidem pro temporis anguſtia, vel perſecutionis metu, prolixam vero cum opportunitate licebat; nam etſi probabile admodum eſt id fuiſſe factum, non tamen huc Gregorii verba ſpectare videntur; Etenim Sanctiſſimus Pontifex, cum accepiſſet aliquos quaſi ſub zelo S. R. Eccleſiæ de ſuis diſpoſitionibus murmurare, inter cætera, quod ſtatuiſſet, ut poſt Canonem oratio Dominica diceretur, in litteris ad Joannem Syracuſanum datis ſe excuſat, quod id fecerit morem Apoſtolorum ſecutus, qui, ut ait Hieronymus, hanc Orationem ſolam acceperant a Chriſto Domino, quam in Sacrificio ſuper ſanctificata recitarent; cui tamen plures alias, non negat, Apoſtolos addidiſſe; atque hunc intellectum exigere videntur Gregorii verba, quæ proxime ſubſequuntur, quibus valde inconveniens eſſe dicit, *ut precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, diceremus, & ipſam, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus Corpus, & Sanguinem non diceremus*. Hæc Antonellus, qui dum vult recedere ab Eminentiſſimi ſenſu, ſecum pugnare videtur clariſſimus Cenſor.

Et ſane ſi negemus adverbium *ſolummodo* irrepſiſſe in Gregorii textu, ut ita probabilius eſt, quomodo hac dictione exceptiva admiſſa, quæ cæteras excludit, & quidem geminata expreſſione iis verbis: *ad ipſam ſolummodo Orationem*, quomodo, inquam, dici poterit, hoc ſenſu Apoſtolos alias Orationes addidiſſe, cum ipſa *ſolummodo* Oratio Dominica ſic expreſſa, nullam aliam Orationem profecto in ſua propria, & obvia ſignificatione admittat, ut conſideranti patet? Quomodo ſtatim ſui oblitus Antonellus inficiabitur ſubſcribere Eminentiſſimo admittenti Apoſtolos duplicem formulam brevem, & prolixam habuiſſe, cum prolixam ipſe paulo ante ex Chryſoſtomo & Proclo teſtatam fateatur, ac brevem ſatis ſuperque ſupra loco citato Eminentiſſimus oſtenderit, & ipſa temporis anguſtia, necnon perſecutionis metus Eccleſiæ initio id invicte ſuadeant,

Card. Bona a Clar. Nic. Antonelli cenſura quoad intelligentiam verborum S. Gregorii Magni vindicatur.

deant, neque idem a Gregorii mente alienum ſit, qui certe conſecrationis verba ab Apoſtolorum Sacrificio excludere unquam intendit. Standum igitur Eminentiſſimi Scriptoris judicio, & dictionem illam *ſolummodo*, vel irrepſiſſe fatendum, vel ad alias Orationes, quæ conſecrationem antecedunt, & ſubſequuntur, reſtringendam eſſe proculdubio affirmandum eſt. Huic Cardinalis irrefragabili ſententiæ lubenti calamo ſubſcribit præclarus ac recens noſtri ſæculi Scriptor Franc. de Berlendis Cler. Reg. Theat. Tract. de Oblationibus peculiaribus §. 1. noviſſimæ edit. Ven. pag. 285. ubi obiter adnotans oppido eos falli, qui Miſſas Apoſtolorum ævo admodum breves fuiſſe contendunt, innixi verbis ipſius Gregorii Magni dicentis, quod Apoſtoli ad ſolam Orationem Dominicam conſecrarent, hæc pro ſui argumenti ratione inquit: „ Nam dictus Pontifex ibi aliud non „ dicit, niſi quod Apoſtoli conſecrationi illam „ Orationem adjungebant, quod & nos factitamus; & tantum illis verbis eos con„ venit, qui contenti Canonis recitatione „ eam omittebant, quam Apoſtoli in Sacri„ ficii celebratione recitabant: non vero quod „ Apoſtoli Hymnos, Lectiones, & plures „ Orationes non dicerent, ſicuti produnt „ S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto, & S. „ Joannes Chryſoſt. homil. 27. in 1. ad Co„ rinth. Hactenus eruditiſſimus Scriptor Theatinus. Poſſem & alia ad id probandum ſubdere, ſed jam bene multa dicta ſunt in hanc rem Tomo 1. ad lib. 1. cap. 5. §. 3. nota 1. & ſeqq., quæ Lectori recolenda dimitto. Quibus omnibus nihilominus, & in dictorum confirmationem ſubdenda puto, quæ nuperrime protulit Andreas Baſſanus in Enchiridio ex Opere Excellentiſſimo feliciter regnantis Summi Pontificis Benedicti XIV. de Sacrificio Miſſæ Parte 2. cap. 22. pag. 108. „ Incredibile eſt, inquit, quantum ea opinio (loquitur de Oratione Dominica, an ea ſola vetus Apoſtolorum Miſſa conſtiterit) apud „ Hæreticos præcipue invaluerit, Apoſtoli„ cis temporibus Miſſam totam conſtituiſſe „ ex conſecratione, Oratione Dominica, & „ Sacerdotis, eorumque, qui adeſſent, com„ munione, idque initium Sacrificii, finem„ que fuiſſe. Sed ex Juſtini Mart. Apologia 2. „ apparet ſub ipſis Apoſtolorum temporibus „ Liturgiam ad Sacrificium Miſſæ conficien„ dum conditam fuiſſe; Ibi enim habetur „ Sacerdotem, qui celebraret, accepto pane „ & calice æterno Patri Sacrificium, nomi„ ne Filii, & Spiritus Sancti offerre conſue„ viſſe; debitas Sanctiſſimæ Trinitati laudes „ tribuere, multumque temporis in agendis „ gratiis, & precationibus conſumere „. Atque hæc ſatis pro Cardinalis vindiciis ad docti Scriptoris Antonelli in eumdem, officioſam licet, inopportunam tamen hoc loco animadverſionem.

(2) *Et audiunt illam fideles*.) Et clarius recitatam Orationem Dominicam, poſtquam Sacerdos incruentæ hoſtiæ oblationem fecerit, demonſtrat Serm. 227., ubi hæc habet: *Ecce ubi eſt peracta ſanctificatio diximus Orationem Dominicam, quam accepiſtis, & reddidiſtis*.

(3) *Ordinis ſui honore mulctari jubet*.) Eodem modo, quo Concilium Tolet. IV. reſtituit morem recitandi ſingulis diebus Orationem Dominicam, quæ nonniſi die Dominica in Hiſpania recitabatur, ita dicendum eſt morem illum reſtitutum a Gregorio fuiſſe in Sicilia. Patet ex ejus verbis: *Dominica Oratio apud Græcos ab omni Populo dicitur, apud nos a ſolo Sacerdote*. Hunc autem Græcorum morem in plures Occidentis Eccleſias invectum jamdiu fuiſſe liquet ex S. Auguſtini Serm. 53. ad Populum, quem hortatur, ut quotidie interſit Sacrificio, ne Orationis illius obliviſcatur. *In Eccleſia ad Altare Dei quotidie dicitur iſta Dominica Oratio, & audiunt illam fideles; ne ergo timamus, ne minus diligenter eam teneatis; quia, etſi quis veſtrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie, tenebit*. Et Serm. 56. alias de diverſ. 48. cap. 7. n. 11. loquens de peccatorum confeſſione, quæ percuſſione pectoris emittitur ad illa verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, nobis exhibet Epiſcopum, omneſque Sacrificio adſtantes percutientes pectora, ſeque peccatores profitentes, quod applicat Orationi Dominicæ; *Nobis enim*, inquit, *debita dimitti poſtulamus; Debitores enim ſumus, non pecuniarum, ſed peccatorum. Dicis modo forte: Et vos? Reſpondemus, & nos, & vos Epiſcopi ſancti debitores eſtis? Et nos debitores ſumus. Et vos? Abſit Domine, noli tibi facere injuriam. Non injuriam facio, ſed verum dico: debitores ſumus*. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. (Joan. 1. 8.) *Et baptizati ſumus, & debitores ſumus; non quia aliquid remanſit quod nobis in baptiſmo non dimiſſum fuerit, ſed quia vivendo contrahimus quod quotidie dimittatur &c.*

(4) *Canonem ſuper hoſtiam cenſuit recitari*.) Et ſane veriſimile non eſt (inquit Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum Tom. 2. Muſæi Ital. pag. 51.) „ Orationem illam „ divinam, quam in omnibus aliis Liturgiis „ tam Orientalibus, quam Occidentalibus, „ Gallicanis, Hiſpanicis, & Mediolanenſi, & „ quidem Apoſtolorum exemplo in ſacris fre„ quentatam fuiſſe conſtat, a ſola Romana Ec„ cleſia, quæ Apoſtolicam præ aliis traditio„ nem ſemper ſecuta eſt, prætermiſſam fuiſſe.

(5) *Apud Græcos ab omni populo*.) Nedum apud Græcos, ſed & apud Latinos olim in aliquibus locis, non a ſolo Sacerdote, ſed etiam ab adſtante populo Oratio Dominica recitabatur. Id docet Gregorius Turonenſis lib. 2. de mirac. S. Martini cap. 30. *Quadam die Dominica, dum Miſſarum ſolemnia celebrarentur*, (quædam fæmina muta in Baſilica) *cum reliquo Populo ſtabat. Factum eſt autem cum Dominica Oratio diceretur, hæc aperto ore cœpit ſanctam Orationem cum reliquis decantare*. Ita quondam in Eccleſia Gallicana ante Carolum Magnum. Apud Mozarabes Populus ad ſingulas fere Dominicæ Orationis partes reſpondebat *Amen* tantum. Noverat hunc ritum Boherius, qui in ſecundo Commentario in Regulam S. Patris Benedicti ad cap. 11. ita habet; Unde legitur, quod Iſidorus „ Hiſpalenſis condens Miſſæ Officium, ordi„ navit, ut in qualibet petitione *Pater noſter* „ Clerus reſponderet *Amen*: Sed ibi in quarta „ petitione: *Panem noſtrum quotidianum da*„ no-

Non ſolum apud Græcos, ſed & apud Latinos olim alicubi ab adſtante Populo Dominica Oratio recitabatur.

„ *nobis hodie*, reſponderet *qui es Deus*: quod „ hodie quoque in Toletana Eccleſia ex ve„ tuſto ritu obſervatur „. Mos iſte adhuc legitur in novo Miſſali Mozarabico juſſu Cardinalis Ximenii edito. Neſcio tamen an hujuſmodi ritus in Liturgia Hiſpanica antiquitus obtineret, nam in Canone decimo Concilii Toletani IV. ſexto labente ſæculo celebrati de quo jam ſupra, hoc decretum legitur: *Nonnulli Sacerdotes per Hiſpaniam reperiuntur, qui Dominicam Orationem, non quotidie, ſed tantum die Dominico dicunt .... ergo ſicut præcepit Chriſtus, ſicut Apoſtolus admonuit, & quemadmodum Doctores Eccleſiaſtici inſtituerunt, quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc Orationem effundere in conſpectu Dei debemus. Quiſquis ergo Sacerdotum, vel ſubjacentum Clericorum, hanc Orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato Officio prætezierit, propter ſuperbiam judicatus Ordinis ſui honore mulctetur.* Quibus evincitur nedum a Sacerdote, ſed & a reliquis Clericis fuiſſe Orationem Dominicam exinde recitatam, quam nonnulli antea omittebant.

(6) *Dignos nos redde Domine, ajunt Græci.*) In Liturgia S. Baſilii celebrans hanc dicit Præfationem: *Dignare Domine nos te Patrem Cæleſtem invocare, & dicere Pater noſter &c.*

Antiquitus uſus recitandi Orationem Dominicam in Eccleſia ad Miſſam cum illius Præfat. comprobatur.

(7) *Pater noſter, qui es in Cælis.*) In Liturgia Sancti Petri dicta Celebrans alta voce canit Præfationem; *Præceptis ſalutaribus &c.* Et Populus canit *Pater noſter*, & in fine reponit alta voce idem Celebrans *quoniam tuum eſt Regnum, & poteſtas, & gloria.* Hæc autem Præfatio vetuſtior eſt, quam plerique arbitrantur (inquit ex Duranto de Rit. Eccl. Cath. Gavantus in Rubr. Miſs.) Ejus quippe diſerte meminit Alcuinus de Div. Offic. his verbis: *Oremus Præceptis ſalutaribus moniti; Hoc enim præceptum nobis eſt ſalutare, ideſt ad ſalutem noſtram proficiens, quo nos Unigenitus Filius per lavacrum regenerationis, & Spiritum adoptionis Dei Filios effectos dicere monuit, & non humana, ſed Divina inſtitutione, ut Deo audeamus dicere* Pater noſter, *informavit dicens: ſic vos orabitis*, Pater noſter &c. Quod & confirmat Amalarius lib. 3. de Offic. Eccl. cap. 29. „ Præcepta porro ſalutaria (idem „ ſubdit) dicimus Evangelicam doctrinam, „ dicimus inſtitutionem, traditionem, quam „ ipſe Dominus dignatus eſt tradere in con„ ficiendo Sacramento ſui Corporis, & San„ guinis &c. Illius quoque Præfationis meminerunt Odo Cameracenſis, & Florus Magiſter in Expoſit. Miſſæ, nec non S. P. Bernardus lib. de diligendo Deo cap. 7. Sed ante hos omnes antiquiorem eſſe hanc Præfationem, atque Apoſtolicis temporibus referendam ſatis ſuperque colligitur ex S. Cypriano lib. de Orat. Dominica, ubi ſic inquit: *Inter cætera ſalutaria ſua monita* (loquens de Chriſto Domino), *& præcepta divina, quibus Populo ſuo conſuluit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam dedit*, & poſtea *quod nomen* (ſcilicet Pater noſter) *nemo noſtrum in oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare &c.* Hunc porro Tractatum vere Sancti Cypriani eſſe conſtat ex S. Auguſtini teſtimonio pleriſque in locis, videlicet Epiſt. 47. & 107. Vet. edit. Item lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 13. ac lib. 2. contra Julianum, denique lib. de Bono perſeverantiæ cap. 2. Nec propterea refragantur aſſentiri critici noſtri temporis Scriptores. Hæc poſtmodum Oratio paſſim a Sanctis Patribus Dominica dicta, quia ab ipſo Chriſto Domino compoſita, & nobis tradita, a quibuſdam *legitima* dicitur, & nominatur, veluti a Tertulliano lib. de Fuga in perſecut. ibi: *Sed in legitima Oratione cum dicimus ad Patrem: Et ne nos inducas in tentationem*: Et lib. de Orat. cap. 9. in hæc verba: *Præmiſſa legitima, & ordinaria Oratione quaſi fundamento &c.* Item Auguſtinus Serm. 126. de Tempore: *Moneo vos clariſſimi, ut precem legitimam Patri, & Deo offerendam ante diſcatis.* Ab eodem etiam hæc Oratio *cæleſtis* appellatur dicens ſerm. 129. *O vere cæleſtis Oratio.* Et S. Gregorius Magnus loco ſupra citato: *Deinde* (ait) *Eccleſia poſt Conſecrationem, & Canonem, hanc Dominicam, & cæleſtem Orationem dici præcepit.*

Dominica Oratio a quibuſdam antiquis PP. legitima, & cæleſtis dicta.

Eadem Dominica Oratio olim etiam clara, & alta voce recitata, & quare.

Hæc denique Oratio in Miſſæ Sacrificio non tacita, aut ſubmiſſa voce, ſed clara & elata, etiam ab antiquo dicenda præſcribitur, nimirum ut audiant illam Fideles, quemadmodum innuit mox laudatus Auguſtinus lib. 50. Homiliarum, hom. 42. & ante ipſum Cyprianus de Orat. Dom. poſt multas rationes ex ipſa Dominica Oratione petitas: *Publica*, inquit, *eſt nobis & communis Oratio, & quando oramus, non pro uno, ſed pro Populo toto oramus, quia totus Populus unum ſumus.* Eamdem etiam rationem affert Amalarius lib. 3. de Eccl. Off. cap. 29. Aliam vero affert Belethus pariter de eadem re cap. 120. ideo nempe alta voce hanc Orationem in Miſſa recitari, *ut vel eo pacto adhortentur, qui in fraterno ſunt odio, & ad concordiam diſcordes excitentur antequam communicent.* Recentiores tamen nonnulli inſignes Liturgici Scriptores, inter quos Franc. Amatus Pouget Congr. Oratorii Gallicani Presb. & Sorbonicus Doctor Theol. Inſtit. Cath. Tom. 2. Parte 3. cap. 7. §. 22. pag. 871. poſtque ipſum Card. Proſper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. feliciter regnans de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. num. 308. putant hoc factum eſſe ex veteri ritu, ſeu ex arcani diſciplina propter Catechumenos, & infideles, quibus olim, ut alias dictum eſt, nefas erat Myſteria noſtra propalare, qui cæteroquin a ſola Miſſa fidelium, non autem a reliquis Eccleſiæ Conventibus arcebantur. Cum itaque a Miſſa fidelium abeſſet quiſquis nondum ſacris erat myſteriis initiatus, cum cantu recitabantur olim, ut nunc fit, intra Miſſarum ſolemnia dimiſſis Catechumenis, Symbolum, & Oratio Dominica; Ferebat enim vetus diſciplina, ut nihil de iſtis Catechumeni audirent, niſi poſtquam ad Competentium claſſem commigraſſent. Contra vero cum dicti infideles, & Catechumeni reliquis officiis adeſſe poſſent, ideo in his Dominica Oratio & Symbolum, ſubmiſſa voce, & ſecreto recitabantur a ſingulis fidelibus intra ſe, ut nunc etiam fit, ne a non initiatis audirentur. In Oratoriis autem Monachorum, quæ extraneis clauſa erant, a quibus proinde ſemper aberant præfati infideles, & Ca-

techumeni, Oratio Dominica alta voce recitabatur ad Laudes & Veſperas; Qui ritus viget etiamnum apud Monachos omnes ſub Regula S. Patris Benedicti militantes, penes quos eadem divina Oratio clara ſemper voce recitatur a Prælato, ſive a Sacerdote hebdomadario, quem etiam ritum ſequitur nunc Romana Eccleſia in Adventu & Quadrageſima, uti obſervat Cardinalis noſter Div. Pſalm. cap. 16. §. 1. num. 4. ubi & de eadem Dominica Oratione, ejuſque præſtantia doctiſſime ſcribit.

§. II.

Oratio Dominica olim interdicta Catechumenis. Brevis ejus expoſitio. Addita Oratio Libera nos, *quæ Emboliſmus nuncupatur.*

HAnc olim Orationem recitare ſolis initiatis licitum erat; *Qui enim nondum initiatus eſt*, inquit Chriſoſtomus hom. 21. in Matth. *non poteſt Patrem appellare Deum*. Ideo competentibus tradi conſueverat feria 4. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ut ex Ordine Romano conſtat, & in Africa feria 2. majoris hebdomadæ, ut oſtendit Auguſtinus *hom.* 42. ſuperius citata, quam dixit illa die. Tradebatur autem brevi, & nervoſa expoſitione adjuncta, quæ in Ordine Romano, & in antiquis Codicibus MSS. extat: Neque extra propoſitum meum erit, aut legenti inutile, eam hic tranſcribere.

Pater noſter, qui es in Cælis. Hæc libertatis vox eſt, & plena fiduciæ. Ergo nobis his moribus eſt vivendum, ut & Filii Dei, & fratres Chriſti eſſe poſſimus. Nam Patrem ſuum Dominum, qua temeritate dicere præſumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Unde vos dilectiſſimi dignos exhibite adoptione divina; quoniam ſcriptum eſt: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.

Sanctificetur nomen tuum. Non quod Deus noſtris ſanctificetur orationibus, qui ſemper eſt Sanctus; ſed petimus, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis, ut qui in baptiſmate ejus ſanctificamur, in eo quod eſſe cœpimus, perſeveremus.

Adveniat Regnum tuum. Deus namque noſter quando non regnat maxime, cujus regnum eſt immortale? Sed cum dicimus; Adveniat regnum tuum, regnum petimus advenire a Deo nobis promiſſum, Chriſti Sanguine & paſſione quæſitum.

Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in Terra. Ideſt, in eo fiat voluntas tua, ut quod tu vis in Cœlo, hoc nos in Terra poſiti irrepræhenſibiliter faciamus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hic ſpiritalem cibum intelligere debemus. Chriſtus enim panis eſt noſter, qui dixit, ego ſum panis vivus qui de Cœlo deſcendi. Quem quotidianum dicens, ita nos ſemper immunes præcipit eſſe peccati, ut digni ſimus cœleſtibus alimentis.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hoc pactum eſt ſignificans nos non aliter peccatorum poſſe veniam promereri, niſi prius nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, ſicut in Evangelio Dominus noſter dicit: Niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec vobis Pater veſter dimittet peccata veſtra.

Et ne nos inducas in tentationem. Id eſt, ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat pravitatis auctore: Nam dicit Scriptura, Deus enim intentator malorum eſt, diabolus vero eſt tentator, ad quem evincendum Dominus dicit, Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Sed libera nos a malo. Hoc ideo ait, quia dixit Apoſtolus; Neſcitis quid vobis oporteat orare. Unde Deus omnipotens ita a nobis orandus eſt, ut quicquid humana fragilitas cavere non prævalet, hoc ille propitius

pitius nobis conferre dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui vivit, & regnat cum Deo Patre & Spiritu Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. (1). (1)

Hactenus antiquus Paraphraſtes, qui in petitione 4. ſubobſcure loquitur de Sacramento Euchariſtiæ, quod ante baptiſmum non licebat Catechumenis clare explicare. Sequutus eſt autem in hujus petitionis expoſitione illorum ſententiam, qui putant hic peti Panem Spiritualem, ſive Euchariſticum. Et hunc quidem principaliter petimus, ſecundario autem
quicquid pertinet ad vitæ ſuſtentationem (2). Sacerdotes Græci recitata a (2)
Populo hac Oratione dicunt elata voce: *Quia tibi convenit regnum, & virtus & gloria Patri & Filio & Sancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.* Qua exclamatione a Græcis omnes Orationes terminantur. Poſtrema petitio latius extenditur ſequenti deprecatione; *Libera nos*, quam priſci rituum Expoſitores Græca voce Emboliſmum vocant, Latine interpretationem, ſive excreſcentiam, aut ſuperaugmen-
tum (3). Ea ſiquidem magis exprimitur, a quibus malis liberari peta- (3)
mus, a præteritis ſcilicet, præſentibus, & futuris, intercedente B. Virgine, cum Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, atque Andrea, qui primus ad
Apoſtolatum vocatus fuit (4). Uſus erat antiquus hic addere plures San- (4)
ctos ad arbitrium Sacerdotis. Ita Micrologus aſſerit cap. 13. *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt* Pater noſter *in illa Oratione* Libera nos, *ubi juxta Ordinem quorumlibet Sanctorum nomina internumerare poſſumus.* Honorius in Gemma *lib.* 1. *cap.* 109. idem teſtatur. Vetus Miſſale MS. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ *nu.* 483. poſt hæc verba, *atque Andrea*, ait: Hic nominat quotquot Sanctos voluerit. In aliis pleriſque MSS. additos legimus Patronos illius Eccleſiæ, ad quam Codex ille per-
tinebat (5). Ambroſiani addunt Ambroſium. Nonnulli teſte Schultin- (5)
gio *To.* 4. *Biblioth. Eccl. Parte* 1. *pag.* 74. Poſt hanc Orationem, perperam uſurpata licentia, ſequentem recitant, *Reſpice Domine Jeſu Chriſte Deus noſter de Sancto habitaculo tuo, & de ſede gloriæ regni tui, & veni ad ſanctificandum nos, qui ſurſum cum Patre ſedes, & hic nobiſcum inviſibiliter ades, & dignare potenti manu tua participes nos facere immaculati Corporis tui, & pretioſi Sanguinis, & per nos omnem Populum. Qui vivis.*

(1) *Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*) Quamplurimæ ſunt, ut vix eas facile numeres, veterum, recentiumque hujus ſacratiſſimæ Orationis expoſitiones. Bene multas inter cæteros noſtri temporis Scriptores collegit ex SS. Patribus mox laudatus Pouget dicto Tom. 2. Catech. Parte 3. ſect. 2. cap. 4. §. 1. & ſeqq. a pag. 664. uſque ad 699., ubi poſt ſingulas petitiones, earum proprias explicationes myſticas etiam atque ſymbolicas, appoſitis ipſorum veterum Doctorum teſtibus aptiſſime profert. Suam pariter ſingularem laudem meretur brevis ejuſdem Orationis Dominicæ expoſitio, quam ex nonnullis item antiquis Scriptoribus, aliiſque medii, ac recentis ævi Theologis, necnon clariſſimis ſacræ Scripturæ Interpretibus exegetice illuſtrat nuperus inſignis Scriptor Auguſtiniani Ordinis alumnus, publicuſque in celebri Piſana Academia Sac. Facultatum Magiſter Jo. Laurentius Berti de Theologicis Diſciplinis Tom. 4. lib. 23. cap. 13. Sunt & alii ejuſdem ſublimiſſimæ orandi formulæ nobis divinitus a Chriſto traditæ præclari Explanatores, & Paraphraſtæ, ſed recenſitos indicaſſe ſufficiat. Interim tamen præſtat obſervandum cum memorato Pouget, quod circa ſeptem petitiones in illa contentas, tres priores ad Deum, quatuor poſteriores ad nos pertinent, uti ex pleriſque S. Auguſtini locis apud ipſum comprobatur, quod & ſubobſcure indicat Hildebertus Cenomanenſis Epiſc. de Myſt. Miſſæ his verſibus, ubi de hac Oratione Dominica:

Jam quaſi cum Populo (Sacerdos)
Septem ſibi dona precatur.
Quæ Chriſtus vult, inſtituitque peti.
Illorum tria prima quidem ſine fine manebunt;
Sed reliquis finem ſpondet amara dies.

Quamquam autem, ut diximus, tres priores petitiones expreſſe ad Deum ſpectent,

nihil-

nihilominus & proprie loquendo, nos pariter reſpiciunt, cum nulla ex iiſdem ſit, quæ ad noſtram ſane utilitatem non referatur, dum refertur ad gloriam Dei, qui finis noſter eſt, & a quo bona cuncta procedunt. Vide Card. noſtrum de Div. Pſalm. loco ſupra cit. Sed ante ipſum legendus Magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus Serm. 56. alias de diverſis 48. in Matth. cap. 6. de Orat. Dom. cap. 14. num. 19. *Tres iſtæ petitiones,* inquit, *ſunt propter vitam humanam, ſemper enim in nobis ſanctificatum debet eſſe nomen Dei, ſemper in regno ejus eſſe debemus, ſemper voluntatem ejus facere debemus &c.* Quod & in aliis quibuſdam ſermonibus confirmat. Porro hanc Dominicam Orationem fere omnes Liturgici Scriptores ſuis utcumque obſervationibus aſceticis interpretantur.

(2) *Quidquid pertinet ad vitæ ſuſtentationem.*) Petrus Le-Brun, qui & hanc Dominicam Orationem per ſingulas partes explicat Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 556. in notis ad hanc petitionem ſupponit primo in Scripturis panis nomine intelligi, nunc quidquid neceſſarium eſt ad vitam corporalem, quandoque, quæ ad vitam ſpiritualem, aliquando Euchariſtiam ipſam, quæ panis per excellentiam nuncupatur. Hæc omnia jure, meritoque panem quotidianum appellari concedit, aſſerens præterea Euchariſtiam quotidianum eſſe panem pro Eccleſia, licet talis non ſit pro ſingulis fidelibus. His poſitis quærit quid in hac petitione poſtulemus, & definit non peti hic præcipue ad corporis egeſtates pertinentia, ut *victus, indumenta &c.* cum Matth. 6. 31. & 33. id expreſſe prohibeatur, neque ſpecialiter ſermonem haberi de Euchariſtia, quum Sacramenti hujus inſtitutionem longe præceſſerit hæc Oratio, quæ propterea non a ſolis communicantibus, neque ſolo communionis tempore, ſed ab omnibus fidelibus pluries in die eſt recitanda, ſed peti, inquam, concludit, hujus panis nomine, omnia bona ſpiritualia ad vitam æternam conducentia, quibus nutrienda eſt anima noſtra, ut ſemper in Chriſto vivat. Interea dum recitabatur Dominica Oratio, qui communicaturi erant, accedebant ad Altare. In Regula Sancti Pauli, & Stephani Abbatum apud Holſtenium Cod. Reg. tom. 2. pag. 71. *In qua hora Sanctum Corpus, & Sanguinem Domini communicaturi ſumus, præſentes eſſe feſtinemus ad dicendum Libera nos a malo.* In aliis Eccleſiis Subdiaconus, & deinceps Diaconus patenam elevabant, quo ſigno monitus Populus ad communionem ſe diſponeret. Varios hujus monitionis in Galliis ritus refert Grancolas Vet. Liturg. Tom. 1. p. 671. poſtquam reſpondit Populus: *Sed libera nos a malo*, voce ſubmiſſa Sacerdos dicit *Amen*, quod non habetur in vetuſtiſſimis Sacramentariis, non in Gregoriano apud Menardum, neque in Wormatienſi verſus annum 900. ſcripto, & hoc fortaſſe, quia ſequens Oratio *Libera nos*, quæ vocula *Amen* concluditur, habebatur, ut præcedentis orationis pars, ſive ſequela; nihilominus, quia in Evangelio hac vocula concluditur Dominica Oratio, ſatis ductum eſt, ut hac quoque clauderetur in Miſſa, ſic autem terminatam communiter fuiſſe ſæculo nono, conſtat ex Floro, & Remigio Antiſſiodorenſi.

(3) *Sive excreſcentiam, aut ſuperaugmentum.*) Zuvinglius apud Joannem Hoffmeiſter Ordinis S. Auguſtini Sacr. Theol. Magiſtrum in Expoſitione precum, & Cæremoniarum Eccl. dicit hanc Orationem in vetuſtis Canonibus Miſſæ non haberi, quod ſe ignorare idem Hoffmeiſter fatetur; Verum impudenter mentitur peſſimus Hæreſiarcha, nam illa deprecatio reperitur in Ordinibus Romanis I. II., & III., qui continent ritus ante ſæculum decimum in Eccleſia Romana adhibitos. Edidit Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Eccl. Rit. cap. 4. art. 11. Expoſitionem Miſſæ Romanæ ante annos nongentos conſcriptam, in qua pag. 448., illa Oratio Dominicalis cum Appendice ſua legitur, & explicatur. Non eadem tamen ſemper eſt hæc oratio in Miſſali Mozarabico, & veteri Gallicano, ſed variatur pro diverſitate Miſſarum. Porro hanc Orationem *Libera nos* ab antiquis Emboliſmum vocatam fuiſſe recte obſervat Card. noſter, quia ut ait S. Cyprianus Serm. 6. & ex ipſo Amalarius lib. 3. de Eccl. Off. cap. 29. *In conſummatione Orationis venit clauſula univerſas petitiones, & preces noſtras collecta brevitate concludens*: Eamdem hanc habet, ut dictum eſt, Ord. Rom. & in memorata veteri Miſſæ Romanæ Expoſitione apud laudatum Martene pag. 451. per ſingulas partes poſt Orationem Dominicam explanata legitur. Quis vero Pontificum Rom. hanc Emboliſmalem Orationem Dominicali addiderit inquirendum eſt; Volunt aliqui, (ait Gavantus) additam eſſe a S. Gregorio Magno cum Præfatione *Oremus, Præceptis &c.* Id innuit Radulphus de Rivo Tungren. de Eccl. Off. Propoſ. 23., & expreſſe docet Honorius Auguſtodun. in Gemma Animæ lib. 1. cap. 90. Verum non levi anachroniſmo hallucinantur Scriptores iſti; nam in Sacramentario Gelaſii I. Papæ, qui multo ante Gregorium præceſſit, integro ſcilicet ferme ſæculo, apud Muratorium de Liturgia Romana veteri lib. 1. pag. 555. dicta Præfatio ad Dominicam Orationem, ac ſubſequens Oratio *Libera nos* perſpicue indicantur recitandæ, & in Canone Actionis ibidem pag. 697. 698. utraque per extenſum deſcripta legitur; inde etiam Gelaſio ipſo fortaſſe antiquiores has duas precandi formulas eſſe non ſine rationabili fundamento cenſerem; utpote quod ambæ in Liturgia S. Petro Apoſtolorum Principi tributa exaratæ conſpiciantur. Licet autem hæc, aliæque ſimiles, eorum non ſint, quorum nominibus circumferuntur, ab Apoſtolica tamen traditione illas derivari ſatis ſuperque oſtendimus Tom. 1. ad lib. 1. cap. 8. §. 1. nota 2. pag. 125. Utcumque ſit, conſtat certe dictas preces antiquiſſimas eſſe, & Apoſtolicis temporibus, aut ſaltem vicinis referri poſſe.

(4) *Qui primus ad Apoſtolatum vocatus fuit.*) Speciatim nominatur in hac Oratione S. Andreas, quia eum, ut S. Petri fratrem ſpeciali ſemper veneratione coluit Sacroſancta Romana Eccleſia, ut conſtat ex antiquis ejuſdemque Ordinibus, in quibus præſcribitur, *Feſtum S. Andreæ olim æquali ſolemnitate ac S. Petri celebratum in Eccleſia Romana.*

ut

nt S. Andræ feſtum eadem, qua Sancti Petri ſolemnitate celebretur: *In feſtivitate Sancti Andreæ debet eſſe D. Pontifex, cum omnibus Scholis ad Sanctum Andream in Vaticano, ibique honorifice, ſicut in feſtivitate Sancti Petri Veſperas, & Vigilias celebrare, matutinum vero ad fratrem ejus facere, ideſt ad Altare Sancti Petri*. Vide Odinem Rom. XI. apud Mabillonium MS. Ital. pag. 152. Non ſolum autem quia primus ad Apoſtolotum vocatus fuit S. Andreas, aut quia uti germanum Petri ſpeciali ſemper honore ipſum coluerit Romana Eccleſia, ſed & quia eidem in Paſſione ſocius in Cruce cum Petro, & Chriſto obiit, uti recte ad hunc locum obſervat Gavantus, ipſe ſolus cum Petro, & Paulo in Oratione nominatur. Hæc vero Andreæ nominis adjectio, non item a Gregorio Magno, uti perperam plerique cum Gavanto arbitrantur, facta fuit; nam in dicto Sacramentario Gelaſiano S. Andreæ nomen poſt dictos Apoſtolorum Principes expreſſum habetur. Gregorius quidem erga S. Andream Apoſtolum propenſiſſimus fuit, ipſius quippe nomine Monaſterium ad clivum Scauri ædificavit, & fortaſſe ipſe ejuſdem S. Andreæ feſtum pari ſolemnitate ac S. Petri fratris, ut ex Ordine Romano didicimus, inſtituit celebrandum, quod admodum probabile putaverim; at in Miſſæ Canone ſpeciale aliquid addidiſſe de Sancto Andrea certo non conſtat.

Olim alicubi poſt S. Andream additi nonnulli Sancti.

(5) *Ad quam Codex ille pertinebat.*) Ita in Codice Sacramentorum Reginæ Sueciæ ante annos octingentos ſcripto, uti affirmant Benedictini Patres Editores Operum S. Gregorii Magni Præfatione in lib. Sacram. num. 4. poſt Orationem *Libera nos* recitatis nominibus Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, adduntur hæc: *Nec non & Beato Dionyſio Martyre tuo, atque Pontifice, cum Sociis, & Eleutherio, & B. Chlodoardo*, cujus Eccleſiæ in Agro Pariſienſi erat hic Codex; ſervatur item inter MSS. Bellovacenſis Eccleſiæ Sacramentarium ſcriptum ſub Lothario Ludovici Pii filio, qui obiit anno 840., in quo poſt S. Andream legitur, & SS. *Luciano*, *Quintino &c.* In quodam Miſſali MS. de Urbe antiquiſſimo teſtatur ſupra laudatus Gavantus ſe legiſſe additum tribus Apoſtolis, & quartum, videlicet Bartholomæum. In Codice Tiliano poſt S. Andream SS. Gervaſius, & Protaſius Martyres nominantur. Et ſane olim ex antiqui Ritus permiſſione, (ut ajunt Micrologus cap. 23. & Radulphus de Can. obſerv. item cap. 23.) poterat Sacerdos nominare quotquot Sanctos voluerit; Nunc autem ex novo ritu, quia Concilium Tridentinum Seſs. 22. & S. Pius V. Bulla initio Miſſalis poſita hoc tradit (utor dicti Gavanti verbis in Rubricas Parte 3. tit. 9. Rubr. 2.) ut ſecundum ritum, normam & modum a ſe præſcriptum Miſſam decantent omnes, ac legant, non licet quidquam addere, quod expreſſius id ibi cautum eſt. Dum autem Sacerdos ad hanc Orationem *Libera nos* pervenit, patenam in manus accipit, eamque tenet uſque ad illa verba, quibus hæc Oratio deſinit, ac conſueta clauſula: *Per Dominum* terminatur, ipſa patena ſe in modum Crucis ſignat, quod per Crucem Chriſtus ea omnia disjecit, quibus pax noſtra perturbatur; tum eam oſculatur, quia vas eſt, ubi ſacra ponitur Euchariſtia, quæ vera eſt pax Fidelium Chriſtianorum. In Miſſis ſolemnibus Subdiaconus patenam velo involutam tenet ab Offertorio uſque ad finem Orationis Dominicæ, tunc autem evolutam Sacerdoti tradit ſuper Altare. Hæc cæremonia in Eccleſia Pariſienſi non a Subdiacono, ſed ab Acolytho peragitur. In quibuſdam Eccleſiis uſus invaluit, ut antequam patenam ſuper Altare velo nudatam Diaconus ponat, eam Populo oſtendat, idque ideo fieri creditur, quo ſigno ad communionem Populus invitetur.

§. III.

Fractio Hoſtiæ. Hoſtiam frangi, & particulam in Calicem mitti. Mos eſt omnium Eccleſiarum.

Hoſtiæ fractio in Miſſa ex ritu antiquiſſimo.

ORationi *Libera nos* conſueta clauſula apponitur *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, quam dum profert Sacerdos, Hoſtiam frangit ritu antiquiſſimo, & cum ipſa hujus Sacramenti inſtitutione exorto. Chriſtus enim in myſtica Cœna accepit panem, benedixit & fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens; *Hoc eſt Corpus meum*. Et quia præcepit Apoſtolis, ut idem in ejus commemorationem ſacerent, eumdem morem & ipſi ſequuti ſunt, & Eccleſiæ tradiderunt. Ideo in actis ipſorum legimus *cap.* 20., quod die Dominico conveniebant cum Fidelibus ad frangendum panem: Ipſique Fideles ſupra cap. 2. perſeveraſſe narrantur in communicatione fractionis panis. Non utique panis communis, ſed Euchariſtici, de quo ait Apoſtolus 1. *ad Cor. cap.* 10. panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui Paſſionem ſuam mox futuram ea

fra-

(1) ſractione deſignavit (1). Ideo Eccleſia, quæ hoc Sacrificio incruento eamdem paſſionem quotidie repræſentat, corpus ejus ſub ſpecie panis immolatum quotidie frangit, quia quæ fiunt in ſpeciebus panis, in Chriſti corpore dicuntur fieri, quod ſub illis reipſa exiſtere non dubitamus. Frangitur autem, & dividitur ad diviſionem ſpecierum, ipſo in ſe integro permanente, & in qualibet particula exiſtente; ſicut anima rationalis, ut præclare dixit Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Et in toto corpore tota eſt, & in qualibet ejus parte tota eſt.* Apte id explicat Cæſarius lib. 3. dialog. Interrog. 169. *Credimus ſecundum ſermonem divinum id eſſe corpus dominicum, quod in divina menſa ſancte conſecratur, & univerſo cœtui ſacro abſque ſectione dividitur, & abſque defectu participatur.* Hoc ſenſu Chryſoſtomus *hom.* 24. *in* 1. *ad Corinthios* exponens Pauli verba, *Panis, quem frangimus*, ait: *Hoc licet videre fieri in Euchariſtia, in cruce autem non item, ſed utique ei contrarium, os enim, inquit, ejus non conteretur: Sed quod non eſt paſſus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat.* Dividitur enim, ut ſcite dixit Cæſarius, ſine ſectione; frangitur incruenta fractione, eodem modo, quo Chriſtus in cœna corpus ſuum fregit abſque ſciſſura, & dolore: quod multo magis nunc fit, cum ejus corpus immortale eſt, nullique paſſioni obnoxium. Sed hæc obiter dicta ſint: nam fuſior hujus myſterii explicatio ad Theologos ſpectat. Hujus fractionis tamquam in Eccleſia ſemper, & ubique a temporibus Apoſtolorum uſitatæ mentionem faciunt Sancti Patres, & alii Eccleſiaſtici Scriptores. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Cum Euchariſtiam, ut mos eſt, diviſerint, permittunt unicuique ex populo ejus partem ſumere*, Dionyſius cap. 3. Eccl. Hierarch. §. 13. *Pontifex obtecta munera in apertum producit, ipſorumque unitatem in plura dividit.* Gregorius Nazianzen. epiſt. 240. ad Amphilochium. *O Dei cultor ſanctiſſime, ne cuncteris orare, & intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei, quando incruenta ſectione corpus, & ſanguinem Dominicum ſecas, vocem adhibens pro gladio.* Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum loquens de Pane Euchariſtico, *Cum benedicitur*, inquit, *& ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur.* Omitto alios innumeros, præſertim recentiores: Liturgiæ quoque quæcumque extant, hanc fractionem præſcribunt, ejuſque myſteria ediſſerunt ſacrorum rituum expoſitores, Amalarius *lib.* 3. *cap.* 31. Vualfridus *cap.* 22. Micrologus *cap.* 18. & 23. (Guitmundus Averſanus *lib.* 1. de Corpore Chriſti, Stephanus Eduenſis de Sacram. Altaris *cap.* 18.) Ivo Carnotenſis *tract. de convenientia vet. & novi Sacrificii prope finem.* Hugo a S. Victore *lib.* 2. *de Eccl. off. cap.* 39. Honorius in Gemma *lib.* 1. *cap.* 63. Germanus in expoſitione Liturgiæ; quibus addi poſſunt S. Thomas 3. *parte, qu.* 83. *art.* 5. Ernulfus Roffenſis Epiſcopus *epiſt.* 2. *to.* 2. *ſpicilegii quæſt.* 2. & alii paſſim.

Nonnulli veterum textus afferuntur de modo, quo Chriſtus Dominus exiſtit realiter præſens in Euchariſtia.

(1) *Qui paſſionem ſuam mox futuram ea fractione deſignavit.*) Ad hunc locum nuperus Scriptor heterodoxus Joſeph Binghamus Orig. Eccleſ: lib. 15. cap. 3. §. 35. Sacros Romanæ Eccleſiæ ritus, & cæremonias, ejuſdemque hyperaſpiſtem Eminen. noſtrum ſive nata, ſive quæſita occaſione identidem, uti aſſolet, carpens, poſtquam varias Eccleſiarum conſuetudines Euchariſticum panem in plures, pauciореſque partes frangendi, prout antiquis viſum eſt, breviter adnotaverit, præcipue Mozarabum ritum, quo in novem particulas illum dividunt, dein, de eo loquens, hæc egerit dicteria; „ quæ quidem aberratio, (ait) „ a veteris Eccleſiæ ſimplicitate eſt, non ita „ tamen vituperabilis, uti præſentis Eccleſiæ „ Romanæ praxis, quando loco fractionis pa„ nis communicantibus diſtribuendi, unam „ dumtaxat oblatam in tres particulas divi„ dunt, de quibus nemini datur, modo ut „ umbram antiquæ retineant conſuetudinis. „ Bona quidem hoc vocat fractionem panis, „ ſecundum inſtitutionem Chriſti, vel potius „ fractionem Corporis Chriſti, ſub ſpecie

Joſephi Binghami Heterodoxi Scriptoris Angli Cenſura in ſacram hujuſmodi fractionem expenditur.

„ panis

„ panis immolati, cum tamen ſecundum doctrinam ipſorum Corpus Chriſti non frangatur; nec panis ſit, ſed ſpecies panis, nec panis communis, ſed Hoſtia, cujus ſpecies tantum frangitur, non ſubſtantia, & id non pro communicantibus, ſed ut hominibus perſuadeant ſe veteris conſuetudinis eſſe cuſtodes „. Hæc Binghamus, qui mox ſubdit nonnullos ex noſtris Catholicis, primos prætenſæ ipſorum reformationis oppugnatores factam in Eccleſia Romana mutationem libere profeſſos fuiſſe; ne ſcilicet in fractione panis periculum aliquod intercederet, & micæ aliquot, vel particulæ perirent; tum quia Pontifex poteſtatem habeat variandi ornamentum, & accidentia Sacramenti; prout vel temporis, vel loci ratio requirat, quaſi ipſe Chriſtus haud ullum iſtiuſmodi periculum potuiſſet prævidere, vel non ita ſapienter, uti quidem Præſul Romanus, de ſua ipſius inſtitutione præcipere, ita malignus iſte Romanæ Eccleſiæ cenſor, & hoſtis, cujus annotator, & ſymmiſta Johannes Henricus Griſchovius pro hac illius aſſertione citat Salmeronem Tract. 30. in Acta Apoſtolorum; ſed falſo, non enim ibi, ſed Tract. 12. in illa verba: *Cœnantibus autem eis &c.* Operum Tom. 9. pag. 77. & 78. legitur ejuſdem textus, quem tamen mutilum, & non integrum refert Griſchovius. At ad ſingula reſpondeamus.

Ad ſingula objecta reſpondetur.

Tria igitur nobis temere objurgat Anglus ille Eccleſiæ, ut ipſi videtur, antiquitatum Collector, quod ſcilicet unam tantum oblatam in tres ſolum particulas dividamus; quod hæc fractio pro communicantibus non ſit, cum de illis particulis nemini detur, quodque hæc hujuſmodi diviſio ſit ſecundum inſtitutionem Chriſti. Quoad primum judicet pius, & æquus Lector, an Binghamo ſic nequiter aſſerente magis vituperabilis ſit præ cæteris Romanæ Eccleſiæ praxis, qua Sacram Hoſtiam in tres tantum particulas dividimus, non in quatuor, uti Græci, neque in novem, uti Mozarabes, quaſi aliquod extet Chriſti Domini præceptum de eadem in tot, non plures, aut pauciores partes dividenda, idemque ab eodem Salvatore noſtro Eccleſiæ Sponſæ ſuæ relictum non fuerit pro ſuo libito diſponendum, quemadmodum ex Auguſtini Epiſtola ad Januarium 118., nunc 54. de Ritibus Eccleſiarum cap. 6., ubi de Euchariſtia, ait: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos; numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur?* Et poſt pauca: *Et ideo non præcepit Chriſtus Dominus, quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſiis diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum; nam ſi hoc ille monuiſſet . . . . . credo, quod eum morem nemo variaſſet.* Paulo ante dicit: *Si quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, deinde Epiſtola ſequenti ad eumdem cap. 18. *Una in his ſaluberrima regula retinenda eſt, ut quæ non ſunt contra Fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur.* Hæc magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, ex quo ſatis quoad ritum fractionis Hoſtiæ in tres partes confutatus videtur acatholicus Scriptor.

Et quidem ex ipſo Binghamo, itemque ex clariſs. Scriptoribus.

Ipſe porro Binghamus dict. Orig. Eccl. lib. 15. cap. 7. §. 8. ex Gregorio Nazianzeno aſſerit non neceſſe eſſe omnem Chriſti actionem imitatione . . . . . exprimi; inter alia enim ait Orat. XI. de Bapt. *Chriſtus Paſchatis myſterium Diſcipulis in Cœnaculo tradidit, & a cœna, & unico ante paſſionem die, nos in Templis, & ante cœnam, & poſt reſurrectionem*: uti de facto ex vario ejuſdem pro diverſitate locorum præſcripto, & antiquitus ſervato ritu Latini in tres, Græci in quatuor, ut diximus, Mozarabes in novem particulas dividunt; quod autem in plures, aut pauciores partes Hoſtia dividatur, id non pertinet ad integritatem Sacrificii, cum vel ipſam Hoſtiæ fractionem ad ejus eſſentiam non pertinere communior ſit Theologorum ſententia, uti inter cæteros doctiſſime probat D. Joſeph Cacheranus in ſua Theolog. Aſſertiva Tract. 9. lib. 3. cap. 2. §. 2. Præterea ſi Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituens Apoſtolis mandavit, & per Apoſtolos nobis dicens: *Hæc quotieſcumqae feceritis, in mei memoriam facietis*, quomodo aptius, convenientius, ac melius ejus memoriam repræſentare potuit Eccleſia Romana, niſi per triplicem Hoſtiæ partitionem, quæ Sanctiſſimam Trinitatem in hoc auguſtiſſimo Myſterio operantem denotaret, ut Stephanus Eduenſis ait de Sacramento Altaris cap. 18., qua tres in Chriſto ſubſtantias, Divinitatem, Animam, & Corpus, qua triplicem ejuſdem ſtatum, cum aliquando fuerit mortalis, aliquando mortuus, & nunc ſit immortalis, demonſtraret, qua diviſionem Chriſti Corporis in paſſione exprimeret; Chriſtus enim vulneratus fuit in manibus, pedibus, & latere, ut ex D. Thoma 3. parte quæſt. 83. art. 5., & opuſc. 59. cap. 7., qua denique triformem myſtici ejus Corporis ſtatum, Eccleſiæ ſcilicet militantis, purgantis, & triumphantis ſignificaret, ut ex Sancto Bonaventura in Expoſit. Miſſæ cap. 4., aliiſque; hinc vulgati verſus:

Chriſti Domini memoria in triplici hoſtiæ fractione convenientius cæteris repræſentata.

Hoſtia dividitur in partes; tincta beatos
Plene ſicca notat vivos, ſervata ſepultos.
Vel ut aliis ſic exponi placet.
Tres partes factæ de Chriſti Corpore ſignant,
Prima ſuam carnem, ſanctoſque ſecunda ſepultos,
Tertia viventes: hæc eſt in Sanguine tincta.

Atque hanc Eccleſiæ Romanæ ſententiam, videlicet inter cætera fractionem Chriſti Corporis ſub ſpecie panis immolati in Euchariſtia, ut notat Eminentiſſimus Author fractionem ejus, ac lacerationem in paſſione ſignificare, quam tunc Dominus voluit per Corporis ſui ſub accidentibus Euchariſticis fractionem Apoſtolis repræſentare, vel ipſi Syri confirmant, uti ex Dionyſio Barſalibi magno eorum Doctore compertum eſt (apud.

Renaudotium obſerv. in Liturg. Syriac.) qui de oblatæ fractione diſſerens, hæc habet: *Accipit oblatam Sacerdos, eamque frangit in duas partes, quo ſignificet Verbum paſſum eſſe in Carne, immolatamque, & fractum fuiſſe in Cruce*. Mitto alias rationes, quas præter Authores infra ab Eminentiſſimo indicatos videri poſſunt apud Johannem Baptiſtam de Bertis Sacrificii Miſſæ Reſol. Moral. quæſt. 9. art. 9., alioſque nuperos Liturgicos Scriptores, quos hic recenſere non vacat: atque hæc de diviſione Hoſtiæ in tres partes, quibus etiam ſatis reſpondetur ad illatam objectionem, quod hujuſmodi diviſio ſit ſecundum inſtitutionem Chriſti, cum diviſio in tot partes facienda juxta Auguſtinum a Chriſto Domino Eccleſiæ Sponſæ ſuæ relicta fuerit cum cæteris ritibus diſponenda.

Reſpondetur ad ſecundum Binghami objectum.

Quod vero de illis particulis nemini detur, ſecundum in nos Binghami dicterium, jam ſupra ſatis ſuperque diſſiatum eſt; cum de Miſſa privata ſine alio communicante præter Sacerdotem diſſeruimus lib. 1. cap. 14., ubi nedum laudabilem, ſed & perpetuo antiquitus in Eccleſia obſervatam hanc conſuetudinem Miſſæ, ſcilicet privatæ, in qua ſolus Sacerdos communicat, etiam ſi plures interſint, nec communicare velint, invictis argumentis demonſtratum eſt. Quod autem, ſi aliquis communicandus ſit, Eccleſia non utatur fractione ex eodem pane, ut pro ſingulis conſecret, ſed unicuique ſuum panem parvum conſecratum tribuat, nulla ratione reprehendi poteſt; Id enim facit, ut commodius totum populum communicet, non enim neceſſaria eſt fractio ex eodem pane, ſed commodius Sacramentum etiam pluribus miniſtratur ſine illa, cum neque Chriſtus Dominus ea uſus eſſet, niſi pluribus Euchariſtiam adminiſtraturus fuiſſet; præterea, ſi etiam apud eos, qui ſchiſmatice ſub utraque ſpecie communicant, non bibunt omnes de eodem vaſculo, immo nec de eodem vino, uti ex Huſſitarum, & Bohemorum Hiſtoria apud Æneam Sylvium, Cochlæum, Dubravium, alioſque illarum rerum Scriptores, non eſt cur nobis objurgent de pane Euchariſtico, quod & ipſi de Calice factitant adverſarii. Aſt quid ab aliis petimus? antiquitatem ipſam interrogemus, quam nobis obtrudit Binghamus; & quidem ipſe eodem libro 15. cap. 2. §. 5. oſtendit elementa Euchariſtiæ e populi oblationibus ſumi ſolita, videlicet populum panem, & vinum antiquitus offerre, atque in uſum Euchariſtiæ de illis ſumi conſueviſſe, uti etiam luculenter evincit Eminentiſſimus Author lib. 1. cap. 23., & ſeqq. Si igitur varii erant panes a populo oblati, cum unuſquiſque ſuum panem Sacerdoti conſecrandum offerret, non utique omnes de eodem communicabant, nec Sacerdos de ſuo, quem cum aliis pro ſe conſecrabat, omnibus poterat diſtribuere. Notum eſt illud Auguſtini ſermone 215. de Temp. *Oblationes, quæ in altario conſecrentur, offerre, erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*. De ſua igitur quiſque, ut poterat, oblatione communicabat.

Non enim antiquitus de Sacerdotis proprio pane conſecrato participabant fideles, ſed unuſquiſque de ſuo, quem antea eidem conſecrandum obtulerat, communicabat.

Quia vero poſt prima adoleſcentis Eccleſiæ ſæcula paulatim remiſſa fidelium devotione, ſive ex divitum avaritia, vel ex pauperum inopia, panis, qui ad Altare conſecrandus offerebatur, albus non erat, ac nitidus, uti decebat, nec omnium æqualis; hinc ſalubri providentia ab Eccleſiæ Patribus antiquitus ſtatutum, *ut non aliter panis in Altari Domini benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat*, uti ex Canone ſexto Concilii XVI. Toletani ann. 693. celebrati habetur, ex quo nonnulla obſervatu digna occurrunt, primo, quod panis conſecrandus eſſet *integer, ac nitidus*, ſiquidem contra quoſdam Presbyteros, qui *cruſtulam in rotunditatem* e pane ſuo cibario, & communi detrahebant, quo ſcilicet formam oblatarum ſacrarum, quæ tum in uſu erant, exprimerent, editus fuerat ſupradictus Canon; deinde rem fuiſſe ubique Eccleſiaſtica conſuetudine receptam, *ut panis integer, nitidus, & ſtudio præparatus, non grande aliquid, ſed modica tantum oblata Sacrificio adhiberetur*, & hæc, rotundæ quidem, ſeu ſphericæ figuræ, uti ex Epiphanio in Anchorato num. 57. ex Cæſario Gregorii Nazianzeni fratre Dial. 3. quæſt. 169. in Biblioth. PP. Edit. Lugdun. Tom. 5. pag. 797. Iſone Monacho de miraculis S. Othmari, aliiſque colligitur, non vero *cruſtula in rotunditatem*. Denique panem ipſum *non grandem, ſed modicum*, nec tamen fractum, ſed integrum fuiſſe, quod enim fractus panis, ſeu *cruſtula in rotunditatem ex eodem ſuis uſibus præparata*, uti faciebant illi Presbyteri, de quibus agit Concilium, in Altari offerretur, *id factum nequaquam in ſacræ authoritatis hiſtoria perpenditur*, uti dicti teſtantur Toletani Patres primis Eccleſiæ ſæculis (ut diximus) unuſquiſque ſuum panem integrum Sacerdoti conſecrandum offerebat. Quibus omnibus pene ob oculos ponitur ſpecies, & forma oblatarum noſtrarum, ad quam certe reſpexiſſe videtur Concilium Arelatenſe quintum medio ſexto ſæculo celebratum, ubi Canone I. decernitur: *Ut oblatæ, quæ offeruntur Altario a Comprovincialibus Epiſcopis ad formam Arelatenſis Eccleſiæ*: videlicet: *ut panis ſit, non cruſta*, uti expoſuit Concilium Calchutenſe in Anglia ſæculo octavo celebratum cap. 10.; Neque vero in Eccleſia tantum Latina Occidentali id antiquitus uſitatum legimus, ſed & in aliquibus Orientalium; Humbertus enim Cardinalis ſcribens contra calumnias Michaelis Cerularii, ibique reprehendens Græcos, qui *Coronulam panis*, communis ſcilicet, & uſualis in re ſacra *ferro levare* ſoliti ſunt, ut ita declinarent moroſam in ſacro pane præparando Latinorum diligentiam, eos provocat ad eamdem in Hieroſolymitana Eccleſia ſervatam, quam *tenues oblatas ex ſimila præparatas, integras, & ſanas* antiquitus habuiſſe teſtatur.

Poſtea vero, ut panis pro ſingulis communicandis eſſet integer, nitidus, atque uniformis, inſtitutæ modicæ oblatæ, hodiernis ſimiles.

Denique hujuſmodi tenues oblatas, ac eaſdem ferme, quas nunc habemus, jam inde ab Eccleſiæ ſæculo ſecundo in uſu Euchariſtiæ fidelibus miniſtrandæ fuiſſe, præſertim in Eccleſia Romana pro ſtabili eſt argumento Zephy-

Quas jam inde a ſæculo ſecundo in uſu fuiſſe penes Eccleſiam Romanam demonſtratur.

Digitized by Google

Zephyrini Papæ decretum apud Anaſtaſium in libro Pontificali : *Hic fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patenas vitreas Miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret*, quas patenas diſtribuendæ populo Communioni, non Sacrificio deſerviſſe putat Eminentiſſimus Author ſupra lib. 1. cap. 25. §. 1. Si igitur vitreæ erant patenæ ad continendas oblatas, has utique tenues fuiſſe manifeſtum eſt, immo ſi non fuiſſent tenuiſſimæ plures (uti neceſſe erat pro pluribus communicandis) in fragili inſtrumento, ſeu vaſe, caute offerri, deferrique non potuiſſent. Sed de his parvis oblatis, ſeu, ut vulgo dicimus, particulis, iterum ſermo erit, cum de Communione loquemur. Varias inſuper trium Divinæ Hoſtiæ partium ſignificationes, præter jam indicatos Authores in fine hujus paragraphi a Card. deſcriptos, Albertus Magnus de off. Miſſæ lib. 2. Radulphus Tungrenſis de Can. obſerv. prop. ult. Durandus Rationalis Div. Off. lib. 4. Sed præ cæteris Innocentius Papa III. lib. 6. Myſt. Miſſæ cap. 3., qui omnes circa ſæculum XII. floruere. His addi poteſt Sylvius in tertiam Partem D. Thomæ quæſt. 83. art. 5., ubi optime de illis diſſerit. Quamvis autem Occidentalis Eccleſia ſemper in tres partes Hoſtiam diviſerit, non tamen ſemper eadem cæremonia uſa eſt; earum quippe partium alteram in Calicem immittebat Sacerdos, alteram ſumebat pro ſui communione, tertiam vero (cum Hoſtiæ eſſent hodiernis grandiores) in plures particulas diſtribuebat, quibus vel præſentes, vel infirmos communicaret. Hujus ritus etiamnunc extant in Miſſa ſolemni Summi Pontificis quædam veſtigia, & in Miſſa, quæ celebratur in Conſecratione Epiſcopi, Summus enim Pontifex tertiam particulam, altera ſumpta, immiſſa in Calicem altera, in partes duas reſectam Diacono, & Subdiacono præbet: Epiſcopus vero Conſecrator Hoſtiam in tres partes dividens, unam in Calicem immittit, altera ipſe ſe, tertia Epiſcopum, qui conſecratur, communicat. Conſigno denique hanc de Euchariſtica fractione, ejuſque Myſteriis qualemcumque Diſſertationem præclaris verſibus Hildeberti Cenomanenſis primum, dein Turonenſis Archiepiſc. de eadem ſcriptis circa initium dicti ſæculi XII. in Biblioth. PP. Lugd. Tom. XXI.

Antiqui Ritus veſtigia quædam in Miſſa ſolemni Summi Pontificis, & in Conſecratione Epiſcopi adhuc obſervata.

Hinc ſequitur Panis confractio tradita nobis
A Domino quiddam legis & ipſa gerens.
Legis præcepto minui ſimilago jubetur,
Nonniſi fruſtratim ſacrificanda Deo.
Sic ſacrum Panem cœnans fregiſſe Redemptor
Dicitur, & fractum diſtribuiſſe ſuis.
Nos quoque, ut fruſtra legem, Chriſtumque ſequentes,
Apte partimur dona dicata Deo.
Nam tres Eccleſiæ ſunt partes, una laborat
In terris partem, jam foves alta quies
Partem, quæ reſtat, ferventior excoquit ignis,
Excoctæque patet tranſitus ad requiem.
Diviſas meritis, diverſos ſorte locorum
Tres iſtas partes Hoſtia fracta notat.
Pars intincta mero vivis aptatur, opuſque
Sanguinis, & carnis expiat ipſa caro.
Pro bene defunctis, quorum purgatior unus
Hoc interventu non eget, alter eget.
Offerri reliquas ratio jubet, obtinet uſus,
Sed tamen hic idem fructus utrique datur,
Nam cum pro Juſto ſacris aſſiſtitur aris,
Pro Juſto grates ipſe Miniſter agit.
Cum pro ſalvandis nunc pœnam temperat ultor,
Nunc & plena quies acceleratur eis.

§. IV.

Horum Rituum (fractionis ſcilicet) antiquitas.

Varii Ritus circa ſacræ Hoſtiæ fractionem.

LAtini dividunt in tres partes, (1) Græci, & reliqui Orientales in (1)
quatuor (2), Mozarabes in novem (3). Olim fracta hoſtia una (2)
pars ſervabatur uſque ad finem Miſſæ, ut ex Sergio Papa refert Gra- (3)
tianus *de conſecr. diſt. 2. cap.* 22. quam pro infirmis reſervatam fuiſſe
aſſerit Micrologus (4). Ordo quoque Romanus ait particulam oblatæ, (4)
quam frangit Pontifex ab eo relinqui ſuper altare. Maronitæ, dum hoſtiam frangunt; *Credidimus*, inquiunt, *& obtulimus, ſignamus, & frangimus Euchariſtiam hanc, panem cœleſtem, corpus Verbi Dei vivi in calice ſalutis, & gratiarum actionis; ſignamus in face ardenti, propitianti, & plena myſteriis ab excelſo: in nomine Patris vivi in vitam: & Filii Unigeniti, & ſancti, geniti ab eo, & illi conſubſtantialis in vitam: & Spiritus Sancti principii, & finis, & ſigilli totius, quod factum eſt, & fit in cœlo, & in terra. Una virtus, una poteſtas, una voluntas: unus Deus verus, benedictus, & excelſus, in quo non eſt diviſio, a quo eſt vita in ſæcula ſæculorum*: Amen. Græci frangunt ſtatim poſt elevationem hoc modo. Diaconus ſtans a dextris Sacerdotis ait: *Divide, Domine, panem ſanctum*. Sacerdos vero frangit in quatuor partes, dicens,

Frangitur, & dividitur Agnus Dei, Filius Patris; qui frangitur, & non comminuitur: qui ſemper comeditur, & non conſumitur: ſed eos, qui ſunt participes, ſanctificat. Tum accipit partem unam, & in manu tenet, & Diaconus oſtendens ſacrum calicem dicit, *Imple, Domine, ſanctum calicem.* Ait Sacerdos, *Plenitudo fidei Spiritus Sancti.* Et exprimens ſignum crucis immittit in ſanctum calicem. Quid vero per plenitudinem Spiritus Sancti Patres Græci hoc loco intelligant, luculenter ediſſerit Iſaacius Habertus *ad Partem X. Liturgiæ ordin. obſerv.* 4. Ritu Ambroſiano poſt orationem *Per quem hæc omnia*, Sacerdos dividit hoſtiam ſuper calicem dicens: *Corpus tuum frangitur, Chriſte, calix benedicitur* (5). (5)
Tum aliam detrahit particulam dicens, *Sanguis tuus ſit nobis ſemper ad vitam, & ad ſalvandas animas, Deus noſter.* Mox particulam ponens in calicem ait, *Commixtio conſecrati corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti nobis edentibus, & ſumentibus proficiat ad vitam, & gaudium ſempiternum.* Interim Chorus concinit Antiphonam, quam vocant Confractorium, ſtatimque ſequitur oratio Dominica, & poſt eam *libera nos*: deinde, *Pax, & communicatio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſemper vobiſcum.* Et Diaconus ſubdit, *offerte vobis pacem;* Choro reſpondente *Deo gratias.* Romano more Sacerdos fracta hoſtia in duas partes æquales, unaque depoſita ſuper patena, ex altera parte, quam tenet ſiniſtra manu, aliam particulam decerpit, qua ter ſignans calicem dicit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum:* quæ ſalutatio in Ordine Romano, & in omnibus antiquis Miſſalibus reperitur. Illam vero particulam mittit
in calicem dicens (6). *Hæc commixtio, & conſecratio corporis, & ſan-* (6)
guinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æter-
nam (7). Abeſt a quibuſdam codicibus vox *conſecratio*, quæ de exte- (7)
riori quadam conſecratione ex corporis, & ſanguinis mixtione intelligenda eſt: quamvis enim nec corpus ſine ſanguine, nec ſanguis ſine corpore ſit, quia tamen ſeorſum corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini conſecrantur, juſtis de cauſis, quas tradunt Miſſæ expoſitores, ſtatutum eſt, ut corpus ſanguini miſceretur. Extat hæc mixtio in Liturgia Jacobi, & in vetuſtiſſimo Ordine Romano, aliiſque Miſſalibus, ſed oratio, quæ miſcendo dicitur in diverſis codicibus aliis verbis concepta eſt, quæ tamen idem ſignificant, ut ex infraſcriptis formulis apparet. In codice Ratoldi apud Menardum: *Hæc ſacroſancta commixtio corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis, & ad vitam capiendam æternam præparatio ſa-*
lutaris (8). In codice Tiliano apud eumdem: *Sancti ſanguinis commixtio* (8)
cum ſancto corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit omnibus ſumentibus ad vitam æternam. Apud Micrologum cap. 23. *Fiat commixtio, & conſecratio corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti accipientibus no-*
bis in vitam æternam (9). Ritu Maronitarum dum Sacerdos ponit parti- (9)
culam in calice, dicit: *Conjunxiſti, Domine, Divinitatem tuam cum humanitate noſtra, & humanitatem noſtram cum Divinitate tua, & vitam tuam cum mortalitate noſtra, & mortalitatem noſtram cum vita tua. Tu noſtrum tuliſti, & dediſti nobis tuum in vitam, & ſalutem animarum noſtrarum. Tibi gloria in ſæcula. Amen.*

Variæque partitiones in diverſis Eccleſiis de eadem factæ.

(1) *Latini dividunt in tres partes.*) Juxta Ritum Romanum aliqui Epiſcopi, inquit Amalarius Ecloga de Off. Miſs. „ Dividunt „ in tres partes Hoſtiam, ut imitentur fra„ ctionem, quam fecit Jeſus Chriſtus cum „ duobus Diſcipulis ſuis in Emmaus, atque „ enim communiter dividebantur Hoſtia, ſive „ Hoſtiæ in tres partes; ita ex Ord. Rom. idem Amalar. lib. 3. de div. Off. cap. 35. „ quarum partium altera in altari ſervabatur, altera

altera mittebatur in Calicem, tertia communicabat Sacerdos cum miniſtris, & adſtantibus, ut jam dictum eſt.

(2) *Orientales in quatuor.*) Non omnes tamen; Indi enim Malabares, olim Neſtoriani ad Fidem poſtea Catholicam, & S. R. E. obedientiam reducti per Clariſs. Præſulem Alexium Menezium Ord. S. Auguſtini Archiepiſc. Goanum, atque Indiarum Primatem in repurgata ab Neſtorii erroribus ipſius opera veteri eorum Liturgia, quam refert in Hiſtoria Eccleſiæ Malabaricæ, cum ejuſdem Synodo Diamperitana pag. 321. Eruditiſſimus vir Jo. Facundus Raulin dicti Ord. alumnus, duas tantum in partes ſcindunt, ut ibi in dictæ Miſſæ rubrica videre eſt. Græci vero dividunt Hoſtiam in quatuor partes, quibus Crucem ſuper Altare conficiunt, unamque ex his ponunt in Calice. Euchol. Grec. pag. 81. & 147.

(3) *Mozarabes in novem.*) In Miſſali Mozarabum anni 1500., poſtquam Sacerdos Hoſtiam in duas partes æquales diviſerit, primam in quatuor, alteram in quinque ſubdividit; ex quibus novem fiunt, totidem myſteria repræſentantes, Incarnationem ſcilicet, quam Corporationem vocant, ſecundo Nativitatem, tertio Circumciſionem, quarto Transfigurationem, quam & Apparitionem appellant, quinto Paſſionem, ſexto Mortem, ſeptimo Reſurrectionem. Has ſeptem particulas Myſteria repræſentantes, quæ Chriſtus in terris operatus eſt, in Crucis modum componunt. Duabus ultimis a latere hujus Crucis poſitis Regnum, & Gloriam repræſentant hoc pacto: *Corporatio, Mors, Nativitas, Reſurrectio, Circumciſio, Apparitio, Paſſio, Gloria, Regnum.* His autem exprimit Sacerdos in Euchariſtiæ celebratione Myſteria omnia celebrari. Vide quæ jam ſuperius de hac Hoſtiæ partium Mozarabica diſpoſitione dicta ſunt Tom. I. ad Cap. XI. §. 5. pag. 215.

(4) *Aſſerit Micrologus.*) Johannes Abrincenſis Epiſc. lib. de Officiis Eccleſ. triplicem facit Hoſtiæ diviſionem: *Sacerdos Corpus Domini tripliciter dividat, quarum partium unam Sacerdos Calici immittens; Pax Domini alta voce dicendo, protinus ſubdat ſecreto: Fiat commixtio &c. Alia ſe, Diaconum, Subdiaconumque communicet, tertiam Viaticum, ſi opus fuerit in patena uſque ad finem Miſſæ reſervet.* Idem innuit Ivo Carnot. de Div. Offic. *Sacerdos Dominicum Corpus conſecratum, & ſanctificatum in tres partes dividit, quarum unam Calici immittit, dicendo; Pax Domini, aliam ſe, & Diaconus, & Subdiaconus communicent, tertiam ad Viaticum, ſi opus fuerit, in patena uſque ad finem Miſſæ reſervet, ſi autem opus non fuerit, eam Sacerdos, aut unus Miniſtrorum communicationem accipiat.*

(5) *Calix benedicitur.*) Ad hunc locum vide Joſephi Antonii Saxii Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecti Diſſertationem, ſeu Epiſtolam ad Amicum pro vindicanda hac Ambroſianæ Miſſæ formula, quam edidit Mediolani 1731. In eadem præclariſſimus Scriptor vehementer reſiſtit iis, qui e Canone Ambroſiano hanc formulam expungendam contendebant, veluti a Fidei Catholicæ dogmate alienam, verum eximius Ambroſianus Doctor ex veteribus Eccleſiæ monumentis eruditiſſime probat eam loquendi formam ab Humberto Cardinali propoſitam, adhibitam, & recitatam fuiſſe a Berengario anno 1159., cum in Concilio Romano centum, & tredecim Epiſcoporum, præſidente Nicolao II. Summo Pontifice Fidem Catholicam profiteretur. Quam Diſſertationem integram cum quibuſdam notis noſtris, Deo dante, inter cæteras Tom. IV. proferemus.

(6) *Illam vero particulam mittit in Calicem dicens &c.*) Rabanus Maurus lib. I. Inſtit. Cleric. cap. 33. varios affert ritus, quibus fiebat Hoſtiæ immiſſio in Calicem ante Communionem; *Immiſſio panis*, inquit, *in vinum varie apud quoſdam habetur, & agitur. Itali primo mittunt de Sancto Pane in Calicem, & poſtea dicunt: Pax Domini, &c. Aliqui vero reſervant immiſſionem, uſque dum pax celebrata ſit, & fractio panis. Romani, quum dicunt Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittunt Corpus Domini in Calicem, & poſtea fiat commixtio Corporis, & Sanguinis Domini proficiens nobis ad ſalutem mentis, & corporis in vitam æternam;* Concil. Tolet. 4. can. 17. habet *Conjunctio panis, & vini.* In Miſſa S. Gregorii Sacerdos dividit panem, & dimidium in Calicem immittit, dicendo bis *Agnus Dei*, & poſt tertium *Agnus Dei* addit: *Hæc commixtio Sancti, & Sacri Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat autem mihi, & omnibus accipientibus ad ſalutem mentis, & corporis.* Uſus antiqui Ciſtercienſes præſcribunt fractæ particulæ immiſſionem in Calicem tantummodo poſt *Agnus Dei*. Ita cap. 53. *Dicto Per omnia ſæcula faciat ad Pax Domini intra Calicem unam Crucem, aliam ad ſit ſemper, tertiam ad vobiſcum, & poſtquam ter dixerit: Agnus Dei, dimittat particulam in Calicem dicens: Hæc ſacroſancta commixtio &c.*

Immiſſio particulæ in Calicem varie apud quoſdam antiquitus habita.

(7) *Fiat accipientibus nobis in vitam æternam.*) Tria occurrunt explicanda ſuper hæc verba; primo, an intelligenda ſint de ſola mixtione panis, & vini conſecratorum? Secundo, cur miſceantur Corpus, & Sanguis Chriſti? Tertio, cur hæc commixtio conſecratio nuncupetur? Quæritur itaque primo, num oratio hæc inſtituta ſit pro commixtione particulæ Hoſtiæ conſecratæ cum Sanguine, an vero pro ſola commixtione hujus particulæ, ſive aliquot guttarum Sanguinis cum vino non conſecrato? De hac quæſtione nonnulla habet Petrus Le-Brun Tom. I. Cærem. Miſſæ pag. 581., circa quam contendit Claudius De-Vert hanc orationem pro ſola particulâ conſecratæ, ſeu aliquot guttarum Sanguinis cum vino non conſecrato commixtione fuiſſe inſtitutam; aſt contrarium evincunt ipſa orationis verba, in qua non fit ulla mentio admixtionis rei conſecratæ cum non conſecrata; Miſſale etiam Ambroſianum expreſſe habet: *Commixtio conſecrati Corporis, & Sanguinis*, quod idem habent antiqua Galliæ, & Germaniæ, tum MSS., cum edita Miſſalia, Sacramentarium Trevirenſe ſæc. X. ſcriptum: *Miſceat Corpus Dominico Sanguini dicens &c.* in Bibl. Vallic. Congr. Orat. n. 906. Sacramentarium Ratoldi ejuſdem fere temporis; *Hæc ſacro-*

Nonnullæ quæſtiones circa commixtionem particulæ cum Sanguine expenduntur.

ſancta

ſancta commixtio Corporis, & Sanguinis. Pontificale, ſeu Miſſale Sagienſe medio ſæculo XI. ſcriptum: *Hæc ſancta commixtio Corporis, & Sanguinis &c.*, ſive *Sancti Sanguinis commixtio cum Sancto Corpore*. Bibl. Reg. num. 866. Sacram. Arelatenſe circa annum 1100. ſcriptum Bibl. Colb. num. 1969. Miſſale S. Quirici Pruvini verſus annum 1200. Antiqua Miſſalia Cameracenſe, Bruxellenſe, Leodienſe, Aquiſgranenſe &c. habent: *Hæc ſacroſancta commixtio Corporis, & Sanguinis &c.* Sicque lectum eſt (ut ad hunc locum teſtatur Petrus Brunus) in omnibus Pariſienſibus uſque ad ann. 1615., atque etiam nunc apud Carmelitas, & Prædicatores Senonenſes.

In dubium equidem eſt ab annis 800., vel 900. in Miſſis ſolemnibus, quibus maxima aderat communicantium frequentia, præter Calicem Sanguinis, paratum fuiſſe in Altari Calicem cum vino non conſecrato, in quem poſt Sacerdotis communionem guttæ aliquot pretioſi Sanguinis effundebantur, ex quo vinum illud quodammodo conſecrabatur, & ſanctificabatur, ut videre eſt in Ord. Rom. I. II., & III. apud Mabill. Comment. p. 58. Certum inſuper eſt, quod alicubi, uſus ſcilicet antiqui præfati Ord. Ciſt. 53. pro communione Calicis, quæ adſtantibus porrigebatur, ut ſufficeret omnibus, vinum infundebatur in Calicem, ut docent Abbas Panormitanus, & Durandus lib. 4. cap. 42. num. 1. *Unde in quibuſdam locis* (ait) *poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis Chriſti, aliquid de ipſo Sanguine reſervatur in Calice, & ſuperinfunditur vinum purum, ut ipſi communicantes inde ſumant; non enim eſſet decens tantum Sanguinem conficere, nec Calix capax inveniretur.* Hæc autem immixtio per Diaconum fiebat abſque ulla cæremonia, quum immiſſio particulæ, de qua eſt ſermo, fiat per ſolum Sacerdotem. Præterea in immiſſione particulæ conſecratæ in vinum non conſecratum, quæ a Sacerdote fit, in die Paraſceves omittitur iſta oratio, teſte Durando, Ration. lib. 6. c. 77. num. 26. *Hac die, quando particula Hoſtiæ in Calice mittitur, non dicuntur verba illa: Fiat commixtio, quia ibi de Sanguine mentio fit, ſed in Calice Sanguis non eſt, nec hodie conſecratur*; etiamſi verſus ſeculum X. abuſive dicta verba recitata ſint in aliquibus Eccleſiis, in quibus deinde ſublatus eſt hic abuſus. Vide Mabill. in Ord. Rom. nu. 13. p. 86., & Martene de antiq. Eccl. Ritibus cap. 4. art. 10. nu. 11., & 12., ubi præclare, ac diſerte de his agunt. Tandem immixtio particulæ Hoſtiæ conſecratæ, vel aliquot guttarum Sanguinis in vinum non conſecratum fiebat aliquibus tantum anni diebus. Hæc autem oratio in ſingulis Miſſis recitanda eſt, dum fit commixtio Corporis cum Sanguine.

Ad ſecundum, cur nimirum fiat hæc commixtio Corporis, & Sanguinis? Reſpondetur id fieri authoritate Liturgiarum, & Conciliorum, ratione item naturali, ac ratione Myſterii. Et quidem primo, quemadmodum facta ſeparatim utriuſque ſpeciei conſecratione mortem Domini annunciamus, ita facta deinde dictæ ſpeciei utriuſque commixtione, ejuſdem Chriſti Domini Reſurrectionem exhibemus, innuimuſque ſacroſancta Communione ſumi Chriſtum a mortuis ſuſcitatum, uti indicat Micrologus de Eccleſ. obſervat cap. 17. *Unam portionem*, inquit, *in Calicem faciendo Crucem mittere debet* (Sacerdos) *cum dicit*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *ad deſignandam Corporis, & Animæ conjunctionem in Reſurrectione Chriſti*. Hinc & ſcite refert Cl. Jo. Bapt. Scortia de Sacr. Miſſæ Sacrificio lib. 4. cap. 24. in fine: „ Recte igitur, „ inquit, cum ſeorſim Corpus, & Sanguis „ per ſe conſecrata fuerint ad recolendam „ Chriſti Domini mortem, per quam San„ guis ſejunctus eſt a Corpore, ad exprimen„ dum myſterium Dominicæ Reſurrectionis, qua reunita ſunt Sanguis, & Anima Corpo„ ri, ſpecies panis miſcentur ſpeciebus vini, ut explicat D. Thomas 3. parte, quæſt. 83. art. 5. Deinde uſum hunc referunt Liturgia Jacobi, Græcos inter, antiquiſſima, ubi hæc habet: *Unio Sanctiſſimi Corporis, & pretioſi Sanguinis Domini, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, &c.* Vetuſti item duo priores Romani Ordines, Concil. Arauſicanum I. ann. 441. Canone 17. *Quum capſa, & Calix offerendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus*. In MSS. legitur *inferendus* loco *offerendus*. Capſa autem vas erat, in quo aſſervabatur Euchariſtia. Illa initio Miſſæ ad Altare deferebatur, & ante communionem tradebatur Sacerdoti, cui ex illa reſervatam particulam in Calicem immittendam extraheret. Vide inter cæteros poſt Mabillonium Commentar. in Ord. Rom. art. 6. num. 1. Franc. Ant. Pouget Inſtit. Cath. Tom. 1. p. 879. Ut autem melius intelligatur hic ritus, obſervandum occurrit præter particulam, quæ nunc poſt Hoſtiæ fractionem immittitur in Calicem, immiſſam alias fuiſſe aliam particulam, quæ tunc, vel miſſa erat ab Epiſcopis, vel ex antecedenti Sacrificio in hunc uſum fuerat reſervata, quemadmodum infra deſcribetur. Ex Roman. Pontificum Melchiadis, & Siſicii Conſtitutionibus relatis in veteribus Pontificum Catalogis, & ex Epiſtola 29. Innocentii Papæ I. ad Decentium Epiſc. eruimus, quod Pontifex, cæterique Italiæ Epiſcopi mittebant ſingulis Dominicis diebus ad Presbyteros Eccleſiarum Titularium particulam Euchariſtiæ, quam in Miſſa conſecraverant; Presbyteri autem particulam hanc ad verba: *Pax Domini*, mittebant in Calicem ad ſignum communionis.

Commixtio particulæ Hoſtiæ cum Sanguine antiquiſſima.

Epiſcopi item die, quo conſecrabantur, accipiebant ab Epiſcopo conſecrante magnam Hoſtiam, quam per plures hebdomadas ſervabant, & ex ea particula ſingulis diebus immittebant in Calicem dicendo: *Pax Domini* &c. Ex antiquiſſimis inſuper MSS. Cod. Ratiſpon. Mabill. Iter German. Muſ. Ital. Tom. 2. p. 58. eruitur ſervatam fuiſſe partem Hoſtiæ a Pontifice conſecratæ in ſolemnitatibus Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, eamque delatam fuiſſe ad Stationes, quæ anni curſu habebantur, quum Pontifex ſtationibus illis non intererat, immittebant in Calicem ad verba: *Pax Domini*. Idem Pontifex, & Epiſcopi ante quartum ſæculum

Varii antiqui Ritus olim obſervati circa particulam Hoſtiæ in Calice immittendam.

Eucha-

Euchariſtiam accipiebant ab Eccleſiis remotioribus, ut conſtat ex Epiſt. S. Irenæi ad Victorem Pontificem de Eccleſiis Aſiæ; iidemque celebrantes, particulam Hoſtiæ a ſe ipſis conſecratæ, ad ſequentis diei Sacrificium reſervabant. Vide quæ ſuperius dicta ſunt Tom. 1. lib. 1. cap. 25. §. 16., & 17. ubi de eodem ritu agitur.

Hæ porro particulæ ad Eccleſias miſſæ vocabantur *fermentum*. Anaſtaſius Bibl., & ex ipſo Bollandiani Continuatores in Propyl. ad Act. Ss. Maii p. 51. de Melchiade, & p. 53. de Siricio PP. *Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum*) habebantur enim, ut fermentum communionis, & charitatis, quo ſignificabatur idem Sacrificium oblatum a Pontifice, ab Epiſcopis, & Presbyteris, ex quo tum ipſi, tum Fideles omnes participabant juxta illud Apoſtoli I. ad Cor. 10. 17. *Unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*. Hinc juxta duos primos Ordines Romanos, & ex Amalario hæc reſervatæ Euchariſtiæ particula in capſa, ſeu vaſe ferebatur ante Papam ad Altare procedentem; ita Ordo Rom. I. n. 8. *Subdiaconus tenens manum ſuam in ore capſæ oſtendit Sancta Pontifici .... Pontifex ſalutat Sancta, & contemplatur, ut ſi fuerit ſuprabundans, reponatur in conditorio*. Ordo 2. num. 4. *Ad Altare primum adorat Sancta*. Amalarius in Eclog. Mabill. in Ord. Rom. pag. 56. *Epiſcopus veniens ad Altare adorat primo Sancta*. Sancta autem; quæ adorabatur a Pontifice ante Miſſæ exordium; eadem eſt particula, quam in Calice ponebat ad verba: *Pax Domini*.

Evidens eſt ex præfatis Ord. particulam illam non fuiſſe præſentis Sacrificii, in quo nondum facta fuerat novæ hoſtiæ fractio, cujus particula poſtea etiam ponebatur in Calice, cum dicebatur: *Fiat commixtio, &c.* Ordo Rom. I. num. 18., & 19. *Cum dixerit:* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *faciens crucem tribus vicibus manu ſua ſuper Calicem, mittit Sancta in eum ......, tunc Pontifex rumpit oblatam ..... expleta confractione, ... de ipſa Sancta, quam momorderit, ponit ..... dicens in Calice: Fiat commixtio*. Ordo Rom. 2. num. 13. *Cum dixerit:* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *mittit in Calice de Sancta oblata, ſed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori: deinde cæteri per ordinem, & Populus ſeparatim viri, & feminæ. Tum Pontifex rumpit oblatam ...... expleta confractione ..... de ipſa Sancta, quam momorderit, ponit inter manus Archidiaconi in Calicem faciens crucem ter dicendo: Fiat commixtio, &c.* Hæc ultima commixtio facta fuit ſemper, & poſtquam ceſſavit reſervatio particulæ Sacrificii præcedentis, ſuffecta eſt hæc in locum primæ immixtionis. Hæc ex Ordinibus Rom. antiquis, aliiſque ſimilibus principalium aliquot Eccleſiarum uſibus. Mittebatur autem in Calicem particula reſervata. Primo in ſignum communionis cum iis, qui illam miſerant. Secundo, ut præcedentis diei conſecratio cum conſecratione præſentis uniretur, ſicque unitas, & continuatio Sacrificii oſtenderetur, ac propterea id fieri conſueviſſe obſervat Mabillonius ex ſecundo Ordine Romano nu. 12. & 13. *Ut hoc ritu Sacrificii unitas, atque unio Pontificis cum Sacerdotibus, & Epiſcopi cum Pontifice commendaretur*. Tertio; propter rationem naturalem immitti poterat in Calicem illa particula; quum enim antiquæ Hoſtiæ noſtris eſſent ſolidiores, particula illa indurata indigebat humore, ut facilius ſumi poſſet. Hunc ritum ſervatum a Græcis circa Euchariſtiam feriæ V. in Cœna Domini pro ægrotis conſecratam, videre eſt in Epiſtola Leonis Allatii ad P. Morinum de recent. Græcorum Templis. Vide Euſebium lib. 6. Hiſtor. Eccl. c. 36. de Communione ſenis Serapionis, Concil. Carthag. 4. Can. 76., & Acta S. Lucæ Jun. Auct. Biblioth. PP., & apud Bollandum 7. Februarii, hinc particula, quæ in vinum non conſecratum mittitur in die Paraſceves, erit fortaſſe ritus hujuſce reliquia.

Nonnullæ rationes cur mittebatur in Calicem particula reſervata.

Potior autem, ac myſtica ratio immittendi Euchariſtiam in Sanguinem ea eſt, ut deſignetur, nempe renovata unio Corporis, & Sanguinis Chriſti, ejuſque glorioſa reſurrectio, ut jam paulo ante dictum eſt. Et revera ad hunc uſque Miſſæ locum non expreſſit Eccleſia, niſi paſſionem, & mortem Jeſu Chriſti per conſecrationem Corporis, & Sanguinis ſeparatim factam; Certum quippe eſt, ut ait Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3., & ſeſſ. 21. item cap. 3., & ante ipſum Conſtantienſe ſeſſ. 13., quod per virtutem verborum ſacramentalium ſuper panem pronunciatorum, ſolum Corpus conſecratum eſt. Certum itidem, quod per virtutem ſacramentalium verborum ſuper Calicem prolatorum ſolus Sanguis conſecratur. De fide nihilominus eſt hanc ſeparationem non eſſe, niſi myſticam, quum reapſe Corpus non ſit ſine Sanguine, neque Sanguis ſine Corpore; Corpus enim Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt vere Corpus vivum, & glorioſum; quum autem Miſſa ſit renovatio Sacrificii, quod Chriſtus moriens obtulit in Cruce, & offert vivens in Cœlo, expedit, ut in ea illius mors, & vita glorioſa repræſentetur. Corpus, & Sanguis ſejunctim conſecrata, ſunt figurativa mortis. Corpus, & Sanguis iterum unita, figurativa ſunt vitæ, quam reſurgendo recepit. Species enim vini, panis ſpeciem penetrans, nos edocet Corpus, & Sanguinem una reſidere, & unita eſſe, ceu in vivente Corpore. Myſticam hanc rationem explicaverunt Amalar. de Eccl. off. lib. 3. c. 3. *In iſto officio monſtratur Sanguinem fuſum pro noſtra anima, & Carnem mortuam pro noſtro corpore redire ad propriam ſubſtantiam; atque ſpiritu vivificante vegetari hominem novum, ut ultra non moriatur, qui pro nobis mortuus fuit, & reſurrexit*. In Miſſa Maurilli dicta, per particulam oblatæ immiſſæ in Calicem oſtenditur Corpus Chriſti, quod reſurrexit a mortuis. Ritus celebr. Miſſam ejuſdem Maurilli Epiſc. Rotomag., & Joannes Abrincenſis de offic. p. 25., Florus in Can. Miſſæ, Remigius Expoſ. Miſſæ, Alcuinus de Div. offic. *Ut Calix Domini totam plenitudinem contineat Sacramenti*; voce Sacramenti latius

Myſticæ aliæ rationes immiſſionis particulæ Euchariſtiæ in Calicem afferuntur.

accepta

accepta, tametſi alterutra ſpecies poſſit dici integrum, & verum Sacramentum. Vide Theoph. Raynaudum Candelabri Sancti Euch. ſect. 2. cap. 2. num. 8. & 9. ubi hæc luculenter expendit.

Cur hæc particulæ immiſſio in Calicem conſecratio dicatur.

Ad tertium denique, quid nempe conſecrationis nomine ſit in hac Oratione intelligendum. Reſpondetur, quod Conſecratio Corporis, & Sanguinis nihil aliud ſonat, quam Corpus ipſum, & Sanguinem conſecratum, S. Laurentius Martyr ad S. Papam Xiſtum ex Ambroſio lib. 1. Offic. cap. 41. *Experire*, inquit, *utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis conſecrationem*, ideſt Sanguinem conſecratum, cujus diſpenſatio in communione Populi ad Diaconum pertinebat. Corpus conſecratum ſub ſpeciebus panis, conſecratio Corporis; Sanguis ſub ſpeciebus vini conſecratus, conſecratio Sanguinis, utrumque in calice iterum unita, Corporis, & Sanguinis conſecratio nuncupatur, ſumpta conſecratione pro re jam conſecrata. Non enim petimus (inquit Card. Bellarminus lib. 2. de Miſſa c. 17.) ut tunc fiat conſecratio, ſed ut hæc antea facta ſit nobis ad vitam æternam ſalutaris. Vide in hanc vocem, quæ ſuperius dicta ſunt Tomo 2. pag. 306. de qua etiam ſic habet Pelagius Papa I. ſcribens Epiſcoporum in unitate Eccleſiæ eſſe faciendam, ſine qua nulla eſt conſecratio, cum nihil aliud ſit conſecrare, quam ſimul ſacrare, in Epiſt. ad Joan. Patricium apud Holſtenium Collect. Rom. parte 1. pag. 219., ex quo ethymo credidere nonnulli mixtionem duarum ſpecierum Sacramentalium conſecrationem appellari, ut ſignificetur has ſpecies mutuam ſibi conſecrationem quodammodo communicare, at minus appoſite; Nam Eccleſia duplicem hanc conſecrationem non conjungit, niſi ut Symbolum ſit myſterii, quod vult nobis ſignificare. Iſta porro ſacræ commixtionis Oratio, quam legunt antiquiſſimi Romani Ordines, Amalarius, Microl., & innumera prope Manuſcripta Miſſalia Galliæ, Angliæ, & Germaniæ, non dicitur tamen a Carthuſianis, & deſideratur in uſibus Cluniacenſibus, ac forſan apud alios, uti obſervant Franc. Amatus Pouget Inſt. Cath. Tom. 2. pag. 880., & Petrus Le-Brun Liturg. Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 589. In aliquibus Miſſalibus, præter vitam æternam petitur in hac Oratione ſalus Corporis, & Animæ his verbis: *Hæc ſacroſancta commixtio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat mihi, & omnibus ſumentibus ſalus mentis, & Corporis &c.* Sic legitur in Miſſali Arelatenſi verſus an. 1100. ſcripto. In Forojulienſi ſæc. 12. Antiſſiodor. ſæc. 13. S. Arnoldi Metenſi circa an. 1300. In duobus Telonenſibus, altero ſæculi XIV., altero XV. In Miſſalibus Burdegalenſi, Pictavienſi, & Claromont. an. 1491. Lugdunenſi an. 1510. Narbonen. 1528. 1576. præ cæteris vero in Miſſali Romaricenſi circa ſæculum XII. ſcripto apud Edm. Martene Tom. 1. de ant. Eccl. Rit. pag. 418. num. 8., ubi pleræque habentur de hac petitione.

(8) *Æterna præparatio ſalutaris.*) Huic formulæ conſimilis legitur ex veteri ritu in antiquis Miſſalibus, & in impreſſis an. 1584. ad uſum Sacri Ordinis noſtri Ciſtercienſis, videlicet: *Hæc ſacroſancta &c. fiat mihi, & in omnibus ſumentibus ſalus mentis, & Corporis, & ad vitam promerendam, & capeſſendam præparatio ſalutaris*, ubi etiam vides peti in iſta Oratione ſalus corporalis.

(9) *Fiat commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternam.*) Quæ Oratio ſic apud Micrologum concepta legitur in pleriſque Miſſalibus libris ante S. Pium V., quorum duos vidi in noſtro Monaſterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Montis Soractis impreſſos Venetiis apud hæredes Lucæ Antonii Juntæ anno 1559., & 1563. & antiquiorem alterum ibidem impreſſum ann. 1511. in hac noſtra Monaſterii Beatiſs. Virginis Mariæ Conſolatricis Bibliotheca, ubi & alii ſex Miſſales Codices varii Ritus, ac diverſæ veteris editionis aſſervantur, in quibus dicta Oratio, aut eidem fere ſimilis legitur. Cur denique tres portiones de Hoſtia fiant, ſatis eleganter ſcribit Hildebertus Cenomanenſis Epiſc., poſtea Turonenſis apud Edmundum Martene Theſ. Anecdot. Tom. 1. pag. 532. (de quo jam ſupra) his verbis canens.

Pars intincta mero pro vivis orat, opuſque
Sanguinis, & Carnis expiat ipſa caro.
Pro bene defunctis, quorum purgatior unus
Hoc interventu, non eget, alter eget,
Offerimus tibi Chriſte duas, ſed propter eoſdem
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro juſtis, pars eſt pro juſtificandis,
Illa refert Grates, ſupplicat iſta Deo.

CAP. XV.

C A P. X V I.

Benedictiones Epiſcopales ante Communionem, & priſcus earum uſus. De duplici Benedictione in Miſſa. Olim preces indictæ poſt Orationem Dominicam. Mos antiquus denuntiandi feſta, jejunia, aliaſque functiones poſt fractionem hoſtiæ. Ritus dicendi Agnus Dei, *quando & a quo inſtitu us. Orationes ante Communionem. Oſculum pacis. Quædam obiter de oſculo.*

§. I.

Benedictiones Epiſcopales ante Communionem, & priſcus earum uſus.

OLim poſt Orationem *Libera nos*, antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, interponi ſolebat benedictio, quam Scriptores ſacrorum rituum Epiſcopalem vocant, quia ad ſolum Epiſcopum pertinebat. Extant hujuſmodi benedictiones in vetuſtis libris Sacramentorum, & in Romano Pontificali edito ſub Leone X. Sunt etiam ſeorſum MSS. in codicibus Vaticanis. Conſtant tribus capitulis ſeu precationibus, & nonnunquam quatuor, addita concluſione, ut mox videbimus: ſingulis autem reſpondetur *Amen*. Ex recentioribus Pontificalibus expunctæ ſunt, earum tamen uſum in quibuſdam Eccleſiis adhuc vigere teſtatur Menardus in notis ad librum Sacramentorum Gregorii *pag.* 30. (1). (1)
Earum meminit Ordo Romanus in prima Miſſæ deſcriptione his verbis. *Poſt ſolutas, ut in his partibus mos eſt, Pontificales benedictiones, cum dixerit;* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *mittit in calicem de ſancta oblata*. Et in ſecunda ait idem Ordo: *Epiſcopo dicente per omnia ſecula ſeculorum*, nempe poſt libera nos, *accipiat Diaconus benedictionalem librum, & converſus ad populum dicat;* Humiliate vos ad benedictionem, *& Clero reſpondente* Deo gratias, *porrigat Epiſcopo librum. Expleta autem benedictione veniens Presbyter accipiat pacem ab Epiſcopo, eamdem cæteris oblaturus*. Ejuſdem benedictionis ritus ſic fuſius deſcribitur in Miſſali Vaticano MS. Cod. 4743. *Reſponſo* Amen *poſt orationem* Libera, *Pontifex ponit particulam ſuper patenam. Tum Diaconus ad populum converſus cambucam*, ita baculum Paſtoralem vocant medii ævi ſcriptores, *in manibus tenens dicit alta voce:* Humiliate vos ad benedictionem, *& chorus reſpondet* Amen. *Et ſtatim cantat alta voce*, Princeps Eccleſiæ, paſtor ovilis, tu nos benedicere digneris. *Mox Diaconus rurſus ait:* Cum manſuetudine & charitate humiliate vos ad benedictionem. *Chorus dicit:* Humili voce clamantes atque dicentes Deo gratias ſemper agamus. *Quibus dictis Pontifex convertit ſe ad populum ante medium Altaris, & legit benedictionem ſolemnitati congruentem, qua data ait:* Et pax ejus ſit ſemper vobiſcum; *tum particulam mittit in calicem dicens*: Fiat commixtio (2). Idem fere ritus habetur in Pontificali MS. p. 27. Ritu Mo- (2)
zarabum Bibliothecæ Barberinæ *n.* 1866. & in aliis Codicibus apud Menardum non ſolum Epiſcopi, ſed omnes Presbyteri hanc benedictionem in ſingulis Miſſis impertiri ſolent; de qua re loquitur Canon 17. Concilii IV. Toletani: *Nonnulli Sacerdotes poſt dictam Orationem Dominicam ſtatim communicant, & poſtea benedictionem in populo dant, quod deinceps interdicimus, ſed poſt orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis benedictio in populum ſequatur* (3). (3)

 (1) *In*

Benedictio ſolemnis data olim antequam diceretur Agnus Dei, *adhuc nunc in aliquibus Eccleſiis obſervatur.*

(1) *In notis ad Librum Sacramentorum Gregorii pag.* 30.) Item Edmundus Martene de antiq. Eccl. Rit. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. art. 9. num. 6. ait hunc uſum adhuc perſeverare in aliquibus Galliarum Eccleſiis, videlicet Turonenſi, Pariſienſi, Arelatenſi, & in aliis fortaſſe quibuſdam, quæ hunc morem retinuerunt ex antiquo Ordine Gallicano, ex cujus præſcripto poſt Orationem Dominicam Epiſcopus celebrans benedictionem Populo impertiebatur, uti videre eſt apud Mabillonium de Liturgia Gallicana pag. 13. 34. 51. & 189. teſtatur, & idem adhuc in uſu eſſe in Metropolitana Pariſienſi Claudius Caſtellanus dictæ Eccleſiæ Canonicus Epiſt. ad Eminentiſſimum data pridie nonas Februarii an. 1672. *Viget*, inquit, *etiamnum in noſtra Eccleſia Pariſienſi uſus benedictionis, quæ dicto* Libera nos *cum terna Oratione, datur ab Archiepiſcopo; ſtatim ac Diaconus pedum in manu geſtans, cantavit*: Humiliate vos, *tumque dicto*, quod ipſe vobis, & Benedictio Dei, *dicitur*, & pax ejus, *non autem* pax Domini, *nec datur alia benedictio in fine*.

Quæ ſolemnis benedictio cenſebatur finis Miſſæ.

(2) *Fiat commixtio.*) Benedictio hæc ab Epiſcopo ante communionem data, cenſebatur finis Miſſæ. Ita Cæſarius Arelat. loco infra §. ſeq. citando: *Qui vult Miſſam ad integrum celebrare*, (ideſt audire) *uſque quo Oratio Dominica dicatur, & benedictio Populo detur, &c.* Licebat quippe non communicantibus, poſt benedictionem ab Eccleſia diſcedere, ſed de hac re fuſius infra.

Hujuſmodi Benedictiones etſi Epiſcoporum propriæ, quandoque tamen a Presbyteris datæ.

(3) *Et Calicis benedictio in Populum ſequatur.*) Quod benedictiones iſtæ non a ſolis Epiſcopis, ſed & a Presbyteris darentur, eruit Grancolas Vet. Liturg. Tom. 1. pag. 689. primum ex Canone 14. Conc. IV. Toletani *nonnulli Sacerdotes &c.* ex Can. 47. Concilii Agathenſis *Miſſas die Dominico &c.* ex Can. 28. Conc. III. Aurelian. *De Miſſis, nullus Laicorum diſcedat antequam Miſſæ ſolemnitas compleatur, etſi Epiſcopus &c.* . . . . Burchardus lib. 3. cap. 29. aliique loco verborum: *Et ſi Epiſcopus præſens fuerit*, legunt. *Etſi Epiſcopus defuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*. Sed de hujus Canonis interpretatione, vide infra §. 3. Iſtæ benedictiones item in uſu ſunt etiamnum in Miſſis Nuptiarum, ita Grancol., ut ſupra. De his porro benedictionibus Epiſcopalibus hæc habet Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium Gregorii Magni pag. 27. „ Antiqua olim, inquit, „ fuit conſuetudo, ut Epiſcopus antequam „ Euchariſtiam perciperet, Populum benediceret quibuſdam conceptis precationibus, „ ut in toto hoc Sacramentorum Libro videre eſt, nec non in Codicibus Rodradi, „ Remigii, Ratoldi, & Tiliano, atque „ etiam in Ordine Romano, ſicut & in veteri Pontificali Romano dedicato Leoni X. Pontifici Maximo „. Hæc inter cætera Menardus; cui tamen eruditiſſimo viro æque doctus alter refragari videtur Lud. Ant. Muratorius Diſſert. de Rebus Liturg. cap. 6. Præf. ad Liturg. Rom. Vet. Tom. 1. pag. 80. ubi hæc in illius qualemcumque cenſuram habet: „ Rejectas quoque (ad Lectorem loquitur) intueberis ad calcem Liturgiæ Gregorianæ *Benedictiones Epiſcopales*, quas tamen apud Menardum perperam inſertas „ habemus in Textu Gregoriano. Iis in Pontificali Miſſa Epiſcopi olim benedicebant „ Populo ante illa verba *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; fateri enim cogimur ejuſmodi conſuetudinem antiquiſſimam fuiſſe. „ Aderat propterea peculiaris liber, quem „ *Benedictionalem* appellabant „. Sic ille, qui quamvis affirmet *ne has quidem Benedictiones fœtum eſſe Gregorii Magni*; cum in vetuſtis Ordinibus Romanis a Mabillonio editis nullum, ut ait, de iis verbum ſit, & nullæ in Mutinenſis Sacramentarii Gregoriani Codice, nono, aut decimo ſæculo ſcripti, reperiantur; nihlominus ipſe ad calcem ejuſdem Sacramentarii, quem ex Codice Vaticano ante annos 900. ſcripto edidit dicti Operis Liturgici Tom. 2. pag. 361. uſque ad 380. Benedictionum Epiſcopalium bene multas profert formulas in præcipuis ſolemnitatibus adhibendas. Sed longe ante ipſum hujuſmodi Pontificales Benedictiones per totum anni circulum ab Epiſcopo recitandas exhibuit Pamelius Liturgicorum Tomo 2. iſtiſque ſimiles videre eſt (inquit Edm. Martene de antiquis Eccl. Rit. Tom. 1. pag. 414.) in perantiquis Sacramentorum libris, ut in Gellonenſi annorum 900. in Pontificali MS. Eccleſiæ Rotomagenſis, & in Anglicano Monaſterii Gemmeticenſis ejuſdem ætatis. Quæ quidem Benedictiones tametſi propriæ ſint Epiſcoporum, nonnunquam tamen ab Abbatibus, maxime exemptis uſurpatæ reperiuntur, ut diſcimus ex Petri Boherii Commentario in Regulam S. Benedicti cap. 11. Sed de his iterum infra.

§. II.

Variæ harum Benedictionum formulæ.

HArum benedictionum formulam pro ſingulis Miſſis apud Pamelium habemus Tom. 2. Liturgicorum poſt librum Sacramentorum Grimoldi Abbatis, quarum prima hæc eſt in Adventu Domini.

Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum & præteritum creditis, & futurum expectatis, ejuſdem adventus nos illuſtratione ſanctificet, & ſua benedictione locupletet. Reſpondet chorus. Amen.

In præſentis vitæ ſtadio vos ab omni adverſitate defendat, & ſe vobis in

in judicio placabilem oſtendat. Amen. *Quo a cunctis peccatorum contagiis liberati illius tremendi examinis dies expectetis interriti*. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & gloriatur Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Item in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Benedicat vobis omnipotens Deus B. Joannis Baptiſtæ interceſſione, cujus hodie natalitia celebratis, concedatque, ut cujus ſolemnia colitis, patrocinia ſentiatis. Amen.

Illius obtentu ab omnibus adverſis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus agnovit, Matris ſterilitatem naſcendo abſtulit, patris linguam natus abſolvit. Amen.

Quatenus ipſius Agni quem ille digito oſtendit, cujus immolatione eſtis redempti, ita virtutum lanis veſtiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æterna patria ſelicitate poſſitis adjungi. Amen.

Quod ipſe præſtare. Benedictio Dei Patris, ut ſupra. Iſtæ enim clauſulæ ſemper poſtremo loco adjunguntur: & per ultimam, ut patet, connectitur antecedenti benedictioni ſubſequens ſalutatio, *Pax Domini*. Ultima vero clauſula in præcitato Codice Vaticano *n.* 4743. his verbis concipitur. *Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper* Amen. Tum additur hæc notula. *Iſto loco Indulgentia pronuntiatur; & poſtea dicit:* Et Pax ejus ſit ſemper vobiſcum; *faciendo cum hoſtia, ſicut eſt fieri conſuetum*, (ſuper Calicem), *tres cruces*. (Iſta forma, & ſemper in aliis benedictionibus ſervetur.)

Mozarabes hanc benedictionem conferunt hoc ritu. Dicit Diaconus, *Humiliate vos benedictioni*. Tum ait Sacerdos, *Dominus ſit ſemper vobiſcum*. Reſpondet Chorus; *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde Presbyter legit benedictiones; quarum formula hæc eſt. Dominica prima Adventus.

Illuſtret vos Unigenitus Dei Filius lumine adventus ſui, qui vos redimere non dedignatus eſt pretio Sanguinis proprii. Amen.

Accingat vos virtutibus pacis, & ditet muneribus copioſis. Amen.

Ipſumque Dominum ſemper habeatis protectorem, quem omnipotens Pater ſuſcitavit de tribu Juda victorem. Amen.

Per miſericordiam ipſius Dei noſtri, qui eſt benedictus, & vivit, & omnia regit in ſecula ſeculorum. Amen.

In veteri quoque Miſſali, quod Gallicanum ſupra nuncupavimus, ſimiles benedictiones reperiuntur, quæ quatuor vel quinque continent petitiones, ut in Miſſa S. Cæciliæ.

Summe, optime, miſericordioſiſſime Deus, benedic famulos, & famulas tuas. Amen.

Tribue eis per interventum S. Cæciliæ virginis cor in tuo amore ſollicitum, in tuo timore devotum, in tuo fervore perfectum. Amen.

Da eis tranquillitatem temporum, ſalubritatem corporum, ſalutem animarum. Amen.

Mereantur te fide quærere, operibus invenire, gratia promereri. Amen.

Et illa ſtudeant agere te teſte, quæ digna fiant in remuneratione te judice. Amen.

Quod ipſe præſtare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis, dominaris, & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

De hac benedictione loquitur Cæſarius Arelatenſis hom. 8. inter eas quas

nuper edidit Stephanus Baluſius, his verbis: *Quia præmiſſa oratione Dominica benedictio vobis non ab homine, ſed per hominem datur, grato, & pio animo, humiliato corpore, & corde compunctio, rorem divinæ benedictionis accipite, ut fiat in vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Similes benedictiones plura capita continentes leguntur apud Hincmarum in coronationibus Regum Caroli Calvi, & Ludovici in fine Tomi primi. Hujus item benedictionis tamquam communiter tunc uſitatæ mentionem faciunt Acta Concilii Lemovicenſis apud Baronium *anno* 1034. in cauſa Apoſtolatus S. Martialis. *Cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum eſſet, atque ex more Archiepiſcopus benedictionem populo funderet ſuper interinſeruit B. Martialis nominis mentionem, ita dicens*. Benedicat, & cuſtodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc ſui numinis præſentia illuſtrare, atque ſuæ pietatis oculos ſuper eam die ac nocte dignetur aperire. *Amen*. Concedatque propitius, ut omnes qui ad ſolemnitatem anniverſariam hujus Baſilicæ hodierna die conveniſtis, intercedente B. Martiale Apoſtolo, & cæteris Sanctis ejus, quorum Reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiſcum hinc veniam peccatorum veſtrorum reportare valeatis. *Amen*. Quatenus eorum interventione ipſi templum Sancti Spiritus, in quo Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, effecti poſt hujus vitæ labentis excurſum ad gaudia æterna feliciter venire mereamini. *Et cætera quæ Epiſcopali benedictione proferri ſolitum eſt*. Hactenus Acta illius Concilii. Simili benedictione tribus petitionibus concepta claudit Epiſtolam ad Cluniacenſes Petrus Damiani lib. 6. Ep. 5.

§. III.

De duplici benedictione in Miſſa. Olim preces indictæ poſt Orationem Dominicam. Nomen benedictionis quandoque ſumtus pro Collecta, ſive Oratione, quæ in fine Miſſæ recitatur.

Notantur quidam noſtri temporis Scriptores hanc benedictionem Epiſcopalem cum ea, quæ in fine Miſſæ ab omnibus Presbyteris datur, male conſundentes.

HUnc ritum ignorantes quidam Scriptores noſtri temporis, & priſcos mores ex hodierno uſu perperam æſtimantes, confundunt hanc benedictionem Epiſcopalem cum ea, quæ in fine Miſſæ ab omnibus Presbyteris dari cofuevit; & cum legunt in Concilio Agathenſi ſub Symmacho cap. 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit*; vel hunc Canonem intelligendum eſſe ajunt de benedictione extra Miſſarum ſolemnia, qualem Epiſcopi per Eccleſiam incedentes largiri ſolent; vel mendum in eum irrepſiſſe. Id vero confidentius aſſerunt; quia alia ſanctio in eodem Concilio extat cap. 47. priori contraria, ut ipſi putant. *Miſſas*, inquit, *die Dominico ſecularibus totas tenere ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat*. Hoc igitur Canone prior deſtrui, vel corrigi videtur; nam hic præcipit, ut populus non diſcedat ante benedictionem Sacerdotis; ille autem edicit non licere Presbytero benedicere. At nullo modo Concilium duo ſibi adverſantia conſtituit. In priori etenim Canone ſermo eſt de benedictione Epiſcopali intra Miſſarum ſolemnia, & de ſolemni ac publica pœnitentium reconciliatione, quæ duo ad ſolos Epiſcopos tunc pertinebant; & hanc eſſe veram & communem illius Canonis interpretationem aſſerit Micrologus *cap.* 21. Poſterior autem ſanctio, vel nomine Sacerdotis Epiſcopum intelligit, pro ut uſus illorum temporum ferebat; & benedictio de qua loquitur illa eſt, quam dabat Epiſcopus poſt Dominici corporis confractionem, vel ut indicat Micrologus benedictionis nomine intelligi-

tur

tur oratio, quæ poſt communionem dicitur. Porro hoc firmius ſtabilitur,
quia aliunde non conſtat, quod eo tempore benedictio, pro ut hodie
accipitur, in fine Miſſæ dari ſoleret, & nos ſupra oſtendimus nomen be-
nedictionis olim Collectis ſive Orationibus tributum (1). Hanc meam (1)
expoſitionem confirmat Walfridus Strabo *cap.* 22. licet Concilium Aure-
lianenſe nominet pro Agathenſi. Illi adſtipulantur Amalarius & Rabanus,
quorum verba expendens Menardus in notis ad librum Sacramentorum,
licet fateatur in antiquis Miſſis, & Codicibus MSS. nullam reperiri in fine
Miſſæ benedictionem, Canonem tamen Agathenſem loqui exiſtimat de be-
nedictione, quæ datur peracta Miſſa: *Nam ſi hæc benedictio*, ait ille pag.
28. *non daretur in fine Miſſæ, ſed ante communionem, illa data populus
egrediens non intereſſet integræ Miſſæ, quia ante communionem diſcederet*.
Sed hoc erat illi probandum, quod hujuſmodi finalis benedictio tunc eſſet
in uſu, aliquid enim aſſerenti abſque legitima probatione non creditur:
neque ſatis percipio quomodo ſequentia Cæſarii Arelatenſis verba, qui-
bus ad confirmandam ſuam ſententiam utitur, benedictioni in fine Miſſæ
aptari poſſint. *Qui vult Miſſas*, ait Cæſarius hom. 12. *ad integrum cum
lucro animæ ſuæ celebrare, uſquequo oratio Dominica dicatur & benedictio
populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet ſe in Eccleſia
continere*. Sane hic benedictio connectitur cum oratione Dominica, &
de illa proculdubio ſermo eſt, quæ poſt ipſam orationem ab Epiſcopo
dari conſueverat. Idem ſancitum fuit in Concilio III. Aurelianenſi can. 28.
*De Miſſis nullus Laicorum ante diſcedat, quam Dominica dicatur oratio:
& ſi Epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio expectetur*. Ubi vides præ-
ceptum Concilii ad illos primitus dirigi, qui nondum recitata Dominica
oratione ab Eccleſia egrediebantur: tum ſubdit, quod ſi Epiſcopus præ-
ſens fuerit, ipſius benedictio, quæ poſt prædictam orationem dari con-
ſueverat, expectetur. Sed dices, ergo licitum erat ante communionem
diſcedere, Miſſa nondum peracta. Ita plane, ſi mores attendantur illius
ævi, quo omnes qui aderant Miſſæ, communicabant: quicunque enim aut
non poterant, aut nolebant myſteriorum eſſe participes, abſoluto Cano-
ne priuſquam oratio Dominica recitaretur ab Eccleſia diſcedebant, quia
quod reliquum erat, ad communionem pertinebat; ipſa ſcilicet oratio &
benedictio Antiſtitis atque oſculum pacis tanquam diſpoſitio; ut his ex-
piati, puriores ad divinam menſam accederent: mox ipſa communio ſe-
quebatur, & poſt eam gratiarum actio (2). Jubet ergo Concilium, ut (2)
ſaltem permaneant, donec recitata Dominica oratione Epiſcopali benedi-
ctione muniti diſcedant. Idem præcipit, ni fallor, verbis citatis Cæſarius,
quia fortaſſis ea tunc erat in illis regionibus conſuetudo, ſive abuſus. Ob-
ſervo tamen Canonem, de quo ſermo eſt, totidem verbis inſertum eſſe
Capitularibus Caroli Magni *lib.* 7. *cap.* 201. cum hac additione: *Neque
ante Miſſam expletam quis egredi præſumat;* quæ verba aliud mandatum
a Superiori diſtinctum continent, permanendi in Eccleſia uſque ad finem
Miſſæ; at hoc fortaſſis addiderunt Epiſcopi, qui juſſu Caroli Magni Ca-
pitulare compilarunt, trecentis fere annis poſt dictum Concilium, habita
ſuorum temporum conſideratione. Nec obſtat his quæ hactenus dicta ſunt
Concilii primi Aurelianenſis canon. 28. apud Binium. *Cum ad celebrandas
Miſſas in die nomine convenitur, populus non ante diſcedat, quam Miſſæ
ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sa-
cerdotis*. Nam ut teſtatur Carolus le Cointe *Tom.* 1. *Annal. Eccl. Fran-
corum ann.* 511. aliter legitur hic canon in Codicibus MSS. expuncta ſci-
licet negatione, *& ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.*

Quam

Quam ſane negationem idem auctor a Collectoribus canonum adjunctam fuiſſe arbitratur, quia Sacerdotem hoc loco diverſum ab Epiſcopo putarunt, cum idem ſit. Loquitur ergo Concilium de benedictione Epiſcopali poſt Dominicam orationem, quia Presbyteri non benedicebant, nec ulla tunc erat in fine Miſſæ benedictio. Hinc autem liquet eradicandæ pravæ conſuetudini, quæ irrepſerat, exeundi ante communionem illarum partium Epiſcopos ſemper in Synodis incubuiſſe (3). Hæc occaſione (3) Epiſcopalium benedictionum dicta ſunt, quas ſolemnes vocat Guibertus Tornacenſis, qui vivebat an. 1260. lib. de Offic. Epiſcopi cap. 2. *Solemnes*, inquit, *benedictiones ad ſolemnes pertinent Sacerdotes, ſcilicet ad Pontifices, quas ſolemniter per ſolemnes exhibent dies, quæ cauſam, & originem nanciſcuntur ex eis quæ in numeris ſic leguntur*. Loquutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere Aaron, & Filiis ejus, ſic benedicetis Filiis Iſrael, & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te; oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. *Tres igitur clauſulæ in hac benedictione tanguntur, & tres clauſulæ ſimiliter in benedictionibus Epiſcopi ſolemnibus apponuntur*. Et poſt allatas earum myſticas rationes eaſdem ait pro feſtorum, & temporum differentia variari. *Sunt & aliæ*, inquit idem cap. 3. *benedictiones non ſolemnes, quæ in fine Miſſæ conferuntur populo tam per Epiſcopos, quam per minores alios Sacerdotes:* Jam enim ipſo vivente inſtituta fuerat benedictio expleta Miſſa. Alias quoque recenſet benedictiones minus ſolemnes cap. 4. *quæ uſitato, & communi nomine benedictiones dicuntur, & quadrageſimali tempore conferuntur, cum humiliare Deo capita jubemur*. Hinc vero confirmatur quod ſupra dictum eſt, ſumi quandoque nomen benedictionis pro Collécta, ſive Oratione, quæ in fine Miſſæ recitatur.

(1) *Sive Orationibus tributum.*) Hoc libro cap. 5. §. 3. ſeu ſupra pag. 95. & ſeqq.

(2) *Et poſt eam gratiarum actio.*) Et quidem in Miſſali Mozarabico Benedictio ubique præmittitur communioni, itemque in Gallicano paſſim apud Thomaſium, ac Mabillonium, & hactenus Benedictio Epiſcopalis ante communionem datur. Quippe licebat iis (ſubdit Mabillonius de Liturg. Gallic. Lib. 1. cap. 4. num. 14. pag. 35.) „qui non communicabant accepta Benedictone ante Communionem diſcedere, ut ex prædictis locis intelligitur. Immo vero Diaconus ante communionem clamare ſolebat: *Si quis non communicat, det locum*: Id teſtante S. Gregorio Magno Lib. 2. Dialog. cap. 23., quod non tantum de pœnitentibus, ſed & de quibuſvis aliis, qui non communicabant, intelligendum exiſtimat idem Mabillonius loco citato. Cæterum dare locum communicantibus poteſt quis, quin exeat ab Eccleſia; ſufficit enim ut recedat a parte Altari proximiore. Accedit, quod tunc temporis Miſſa cenſebatur expleta ante communionem, cujus rei præclarum exhibet teſtimonium Gregorius Turonenſis lib. 2. de Miraculis Sancti Martini cap. 47. *Cumque expletis Miſſis populus cæpiſſet ſacroſanctum Corpus Redemptionis accipere*. Id etiam, præter ſupra laudatam ab Eminentiſſimo Scriptore Cæſarii authoritatem, evincit Can. 28. Conc. I. Aurelianenſis, quibus concinit Cyprianus in Libro de Lapſis: *ubi vero ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cæpit*: non ergo qui ante communionem ab Eccleſia diſcedebat, tunc putandus erat integræ Miſſæ non interfuiſſe, dum ſolemnia dicerentur expleta, quibus omnibus confirmatur Cardinalis noſtri ſententia.

Olim accepta benedictione ante communionem Miſſa cenſebatur expleta, ac propterea licebat iis qui non communicabant, diſcedere.

(3) *In Synodis incubuiſſe.*) De his Benedictionibus Epiſcopalibus diſerte ſcribit Petrus Le-Brun in ſuis explicationibus Miſſæ pag. 677., & ſeqq., ubi ait hujuſmodi Benedictiones Epiſcopales ante *Agnus Dei* in plerique antiquis Sacramentariis legi, & præcipue in Sacramentario, quod aſſervatur in Eccleſia Meldenſi, & exaratum creditur tempore Drogonis dictæ Eccleſiæ Epiſcopi Caroli Magni Filii naturalis; Cæterum in Sacramentariis Gregoriano, illoque anterioribus Leonino, & Gelaſiano non habentur niſi Orationes, quæ appellantur Benedictiones ſuper Populum poſt communionem; & hinc eſt quod Liturgici Scriptores, qui ſæculo nono floruerunt, nimirum Alcuinus, Amalarius, Florus Magiſter, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, Remigius Antiſſiodorenſis, aliique ejuſdem fere temporis ſacrorum Eccleſiæ Rituum Explanatores, de quibus memoriam egimus in Præfatione generali ad univerſum opus Tomo 1. §. 4. pag. lxxiii., qui Ordines Romanos ſuis adnotationibus illuſtra-

luſtrarunt, nullam mentionem de hujuſmodi Epiſcopalibus Benedictionibus habuerunt, & dumtaxat ultimam Orationem, quam Celebrans dicit poſt communionem ante *Ite Miſſa eſt*, Benedictionem appellarunt; indeque fortaſſe eſt, quod, ut ſcite obſervat Cardinalis noſter hujus paragraphi initio, nonnulli recentiores antiquos Ritus ignorantes, hujuſmodi Epiſcopalem Benedictionem cum ea, quæ in fine Miſſæ ab omnibus Presbyteris dari conſuevit, de qua item infra ſuo loco erit ſermo, perperam confundunt. Sed ad alia procedamus.

§. IV.

Mos antiquus denuntiandi feſta, jejunia, aliaſque functiones poſt fractionem Hoſtiæ.

Pſalmi aliquot olim recitati antequam diceretur Agnus Dei.

NIcolaus III. ad impetrandam pacem inter Principes Chriſtianos ſtatuit in Miſſa ſolemni, poſtquam Sacerdos dixit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ante *Agnus Dei* cantari Pſalmum *Lætatus ſum*, cum aliquot verſiculis & Collecta pro pace. Idemque conſtituit Joannes XXII. pro tollendo ſchiſmate, ut teſtatur Angelus Roccha in Paralipomenis commentarii de campanis. Idem pſalmus cum precibus extat in Miſſali Ciſtercienſi dicendus poſt *Pater noſter* pro pace Eccleſiaſtica & temporali (1). (1) Miſſale Sariſburienſe editum Pariſiis an. 1555. in Quadrageſima & certis feriis tres pſalmos dici decernit, antequam dicatur *Pax Domini*, nempe *Deus venerunt gentes*. *Deus miſereatur*. *Domine in virtute tua*, cum Antiphona *Tua eſt potentia*, & poſt eam precibus ac tribus orationibus, quarum prima eſt pro recuperatione Terræ ſanctæ, altera pro Pontifice, tertia pro Rege. In libro Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ ante annos nongentos ſcripto, quem ſæpe citavimus, poſt ſalutationem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, hæc ex uſu illorum temporum adnotantur: *Poſt hæc commonenda plebs pro jejuniis quarti, ſeptimi, & decimi menſis temporibus ſuis; ſive pro ſcrutiniis, vel aurium apertione, ſive orandum pro infirmis, vel annuntianda Natalitia Sanctorum*. Hæ ſunt autem in hoc codice formulæ Denunciationum.

DENUNCIATIO JEJUNII. *Anniverſaria, fratres cariſſimi, jejunii puritate, qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas, nos commonet illius menſis inſtaurata devotio: Quarta igitur & ſexta feria ſolito convenientes occurſu offeramus Deo ſpirituale jejunium. Die vero Sabbati apud B. Petrum, cujus nos interceſſionibus credimus adjuvandos, ſanctas vigilias chriſtiana pietate celebremus, ut per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, jejuniis & eleemoſynis abluamus. Auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum*. Jejuniorum autem denunciatio neceſſaria olim fuit, quia ſtatam & definitam ſedem non habebant (2). Vetus quidem conſuetudo fuit, ut jejunium æſtivum menſe (2) Junio, autumnale Septembri, hiemale Decembri fieret, in deſignanda autem hebdomada diverſus diverſarum Eccleſiarum mos erat (3), ut (3) notat Sirmondus *ad Epiſt.* 23. *lib.* 3. *Goffridi Vindocinenſis*. Gregorium VII. certam eis hebdomadam aſſignaſſe docet Micrologus, ſed ejus decretum non ſtatim ubique promulgatum fuit: nam Goffridus ibidem, ac ſi res adhuc incerta foret, ab Hildeberto Epiſcopo quærit, qua hebdomada Junii jejunium celebrari deberet.

DENUNCIATIO pro ſcrutinio. *Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite. Ideoque ſollicita devotione illa feria circa horam diei ſextam convenire dignemini, ut cæleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & janua regni cæleſtis aperitur, inculpabili Deo juvante miniſterio peragere valeamus.*

DE-

DENUNCIATIO pro Natalitiis Sanctorum . *Noverit veſtra devotio, Sanctiſſimi Fratres, quod B. in Martyris illius anniverſarius dies intrat, quo diaboli tentationes exſuperans univerſitatis creatori glorioſa paſſione conjunctus eſt. Ideoque Dominum collaudemus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria hanc eandem feſtivitatem ſolita devotione celebremus.*

DENUNCIATIO cum Reliquiæ Martyris ponendæ ſunt. *Dilectiſſimi fratres inter cætera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque præſtitit Martyribus, qui pro nominis ejus confeſſione morte ſuſcepta cœleſtia præmia meruerunt, ut fidelium votis, eorum præclaris Reliquiis collocatis, integritas ſancti corporis eſſe credatur. Et ideo commonemus dilectionem veſtram, quoniam illa feria, illo loco, Reliquiæ ſancti illius Martyris collocandæ ſunt. Quæſumus ut veſtram præſentiam nobis admonentibus non negetis.* Has denunciationes in notis ad librum Sacramentorum commemorat Menardus ex Codice Remenſi *pag.* 164. & 208. ubi etiam teſtatur, poſtquam dixerat Sacerdos, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, eas legi conſueviſſe (4). (4)

Item preces aliquot diei præſcriptæ pro pace Eccleſiæ.

(1) *Pro pace Eccleſiaſtica, & temporali.*) Exiſtimo id additum fuiſſe Miſſali Ciſtercienſi occaſione Pontificiæ Bullæ Joannis Papæ XXII. quam anno 1328. dedit præ cæteris ad Capitulum Generale Ciſtercienſe monens hujus Ordinis Abbates, ut prædictas preces ſuis in Monaſteriis recitari curarent, eaſque in publicis ad Populum concionibus commendarent. Damus hic verba Pontificis (relata apud Chryſoſtomum Henriquez inter Privil. Ord. Ciſtercien. pag. 91. inſerta Bullæ, quam poſtea ad dicti Ordinis Abbates dedit Kalendis Julii): „ Quia in Miſſarum ſolemniis, „ ad Deum conſueverunt preces effundi devotius, de eorum fratrum (Cardinalium) „ conſilio ordinamus, quod in ſingulis Miſ„ ſarum celebrationibus poſt dictum a Ce„ lebrante *Pater noſter*, reſponſioneque ſe„ quuta, anteaquam in Miſſa ulterius pro„ cedamus, illud canticum *Lætatus ſum in* „ *his, quæ dicta ſunt mihi*, totum cum *Glo*„ *ria Patri*, a Religioſis, Clericis, & aliis „ Litteratis præſentibus cum devotione dica„ tur; & poſt dicantur *Kyrie eleiſon, Chri*„ *ſte eleiſon, Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*; „ & poſt iſti verſiculi ſubſequantur: *Domi*„ *ne ſalvos fac Reges. Exaudi nos in die,* „ *qua invocaverimus te. Salvum fac Populum* „ *tuum, & benedic hæreditati tuæ, Rege eos,* „ *& extolle illos in æternum. Fiat pax in* „ *virtute tua, & abundantia in turribus tuis;* „ *Domine exaudi orationem meam, & clamor* „ *meus ad te veniat. Dominus vobiſcum, &* „ *cum ſpiritu tuo*. Orationes vero: *Eccleſiæ tuæ,* „ *Domine, preces benignus admitte, ut deſtructis* „ *adverſitatibus, & erroribus univerſis, ſecu*„ *ra tibi ſerviat libertate*, & illam: *Hoſtium* „ *noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuper*„ *biam, eorumque contumaciam dexteræ tuæ* „ *virtute proſterne. Per Chriſtum Dominum no*„ *ſtrum*. Dicat Celebrans conſequenter: Nos „ enim Chriſti Fideles ad exequendum ſu„ pradicta promptius donis volentes ſpiritua„ libus animare, omnibus vere pœnitentibus, „ & confeſſis tam ipſis Celebrantibus, & eis „ Aſſiſtentibus, obſervantibus ſupradicta, quam „ aliis preces tunc Deo devotas fundentibus, „ pro præmiſſis diebus, & Miſſis ſingulis, qui„ bus hæc fecerint 20. dies de Omnipotentis „ Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & „ Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, „ de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Datum Avenione XII. Kalendas Julii Pontificatus noſtri anu. XII. Extat inſuper hæc Bulla integre deſcripta in Tomo 2. Theſauri novi Anecdotorum Emundi Martene col. 718., cujus etiam idem meminit de Ant. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 9. num. 5. Cauſam porro ob quam Joannes Pontifex has ſolemnes preces univerſis Chriſti Fidelibus indixit, in Miſſa præſertim, ad Deum effundendas, narrat Franc. Pagius Brev. Geſt. Pontif. Rom. Tom. 2. in Joannis Papæ Vita num. 67.

Similes litteras item dedit Joannes XXII. anno 1329. nonis Junii ad Capitulum generale Fratrum Prædicatorum Siſteriaci Congregatum, quas refert Vincentius Maria Fontana Monum. Dominic. Parte 2. pag. 194. Capitulum vero generale obſequens Pontificio mandato, decrevit, ut ab omnibus Fratribus dictæ preces in Conventuali Miſſa recitarentur. Vide Statutum dicti Capituli generalis ab eodem Fontana relatum pag. 195. Meminit harum precum a Joanne XXII. indicatum Albertinus Muſſatus in Ludovico Bavaro pag. 7. Nec eas expectato fructu caruiſſe obſervat. Mirum quid, inquit, poſt edicti hujus decantationem notatur. Evenit enim, ut ejus virtute ſigna per eos dies ſubſequuta ſint, repentina nimirum mors quorumdam Ludovico faventium, & conciliatio Marchionum Eſtenſium cum Romano Pontifice, ex qua Schiſmaticorum potentia imminuta eſt. Lepidum autem quid peccavit Eruditiſſimus Grancolas (antiq. Liturg. pag. 690.) dum ea Joannis verba; *dicat Celebrans conſequenter*, ſic refert: *Benedicat Celebrans conſequenter*, quæ ſic illuſtrat dicens, iſta erant

bene-

benedictio; Atqui Joannes xxii. non de benedictione, ſed de reliquo Miſſæ officio loquitur, quod celebrans poſt preces ab ipſo præſcriptas proſequi debebat, nec Joannis xxii. temporibus Presbyteri benedictionem poſt Orationem Dominicam impertiebantur. Eaſdem preces legere eſt in Miſſali Remenſis Eccleſiæ juſſu Cardinalis Lotharingii emendato anno 1553. cum hac rubrica: „ Nota, „ quod in Eccleſia Remenſi in majori Miſſa „ tantum immediate poſt Orationem Dominicam, antequam Sacerdos dicat *Amen*, „ *Libera nos*, dicit ſubmiſſa voce (Diacono „ ei reſpondente) Pſalmum, Preces, & „ Orationes ſequentes pro pace, & unitate „ Sanctæ univerſalis Eccleſiæ, ſi quis igitur „ in ſua Parochia, aut alius ſimiliter dicere „ eas voluerit (licet in multis locis non habeantur in uſu) laudabile cenſendum eſt. In Collegiis nihilominus omitti non debent Pſalmus *Lætatus ſum*, & aliæ preces. Hanc conſuetudinem abrogavit poſtea Rhemenſis Synodus anno 1583. his verbis: Inter Miſſarum ſolemnia maxima, a conſecratione „ uſque ad Hymnum *Agnus Dei*, & Sanctam „ Communionem cujusvis Pſalmi, etiam „ *Lætatus ſum*, Antiphona, Reſponſoria, „ Suffragia, Preces, aliæ ab iis, quæ in „ Miſſali continentur, non admiſceantur, etſi „ aliqua fuerint hactenus recepta quacumque „ occaſione, vel inſtitutione, ante, vel poſt „ Miſſæ celebrationem recitentur.

Dictas preces recitantibus Indulgentiæ conceſſæ, & confirmatæ.

Indulgentias a Joanne XXII. conceſſas ſuo calculo comprobavit, & ampliavit Clemens VI., ut docet Miſſale Lugdunenſe Athanacenſis Monaſterii apud eumdem Martene loco cit. pag. 413., ubi hæc lego: „ Iſta, „ quæ ſequuntur; debent dici ſemper pro pace „ in majori Miſſa poſt *Pater noſter*, antequam „ dicatur *Libera nos* ..... & omnes dicentes, „ & audientes habent 30. dies Indulgentiæ, „ & D. Papa Joannes XXII. prædicta dici „ ordinavit, & prædictam Indulgentiam dicentibus, & audientibus conceſſit, exceptis „ Oratione *Deus, a quo Sancta*, & decem „ dies Indulgentiarum, quam Orationem, „ & quos decem dies Dominus Papa Clemens VI. confirmando prædictas, adjunxit, &c. „ Multoties etiam Concilia particulares preces in Miſſarum ſolemniis recitari juſſerunt ad evitanda Eccleſiæ diſcrimina; Referam inter cætera ſtatutum Concilii Ebredunenſis an. 1290. celebrati, quod vulgatum eſt Tom. 4. novi Theſauri Anecdot. pag. 210. his verbis: „ Item ſtatuimus, & ordinamus, „ ut pro præſenti tribulatione, & perſecutione, quæ imminet Eccleſiis, mitigandis, „ ſpeciales Orationes, & Preces diebus ſingulis in Miſſis Parochialibus, & Conventualibus poſt *Pater noſter* ad Dominum effundantur ſecundum modum inferius annotatum; dicto *Pater noſter*, ſed *libera nos a malo*, incipiat Presbyter: *Deus in adjutorium meum intende*, & dicatur totus Pſalmus: *Gloria Patri, &c. ſicut erat &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon; Pater noſter; Et ne nos &c.* ℣. *Emitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Syon tuere nos.* ℣. *Domine exaudi Orationem meam.* ℣. *Dominus vobiſcum. Oremus. Protege nos Domine famulos tuos*; & alia Oratio: *Præſta, quæſumus Omnipotens Deus, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur.* Item alia Oratio: *Concede nobis Omnipotens, & juſtiſſime Deus, apud quem nulla eſt iniquitas, ut qui Sanctuarii tui poſſeſſiones, & jura diripiendo invadunt, ſatisfactione celeri corrigantur: Per Chriſtum D. noſtrum: Amen: Libera nos &c.* Et iſtud fiat quotieſcumq; nos id dixerimus revocandum: Videatur, & Can. 16. Conc. Saliſburg. an. 1281. Tom. xi. Conc. Labbei col. 1151.

(2) *Quia ſtatam, & definitam ſedem non habebant.*) De jejunio quatuor Temporum ſic in Libro Pontificali habetur, ubi de Caliſto I. Papa, & Martyre: *Conſtituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratia ſecundum Prophetiam*; In Codice vero Reginæ Svecorum apud Bollandum Tom. I. Aprilis Propyl. idem Decretum ita enunciatur: *Hic conſtituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri frumenti, vini, & olei, ſecundum Prophetam, quarti menſis, ſeptimi, & decimi*; Quam duplicem lectionem perinde componit Iſidorus Mercator, ac ſi legiſſet *jejunium quod ter in anno fieri ſolebat, quater fieri conſtituit*; Sic enim dictum Pontificem ſcribentem in ſua Epiſtola apud Eruditos ſuppoſititia ad Benedictum quendam Epiſcopum inducit: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius, nunc per quatuor Tempora fieri decernimus*: Quatuor anni temporibus feria quarta, ſexta, & Sabbato jejunandi morem in Eccleſia Romana ſaltem quinto ſæculo generaliter receptum eſſe plerique S. Leonis Papæ Sermones fidem faciunt, præſertim Serm. 8. de quo infra, ubi idem de his jejuniis ait: *Quæ jejunia ex doctrina Spiritus Sancti ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus; ſiquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Hunc autem morem a Legalibus inſtitutis deſumptum etiam apud Chriſtianos Apoſtolica auctoritate perſeveraſſe, idem Leo variis in locis docet: *Unde merito*, (inquit, Serm. 9. de Jejunio x. menſis) *diſpoſuerunt Apoſtolicæ Lectiones, ut veterum jejuniorum utilitas permaneret; Et licet Eccleſiæ conſuetudo prolixioribus ſe caſtigationibus exercere didiciſſet, amplecteretur tamen continentiæ ſanctificationem ex lege venientem, quibus enim donatum erat poſſe, quod majus eſt, indecens fuit non celebrare, quod minus eſt.* Et Serm. 8. de jejunio ſeptimi menſis cap. 3. ait: *Licet tempus omne* (jejuniis) *ſit congruum: Hoc tamen habemus aptiſſimum, quod & Apoſtolicis, & legalibus inſtitutis videmus electum.* In Sermone autem 4. cap. 2. hoc jejunium generale, *ac totius Eccleſiæ* eſſe tradit; Quo circa Sermone 3. cap. 2. de eodem prædicat: *Jejunium vero, quod univerſa Eccleſia ſuſcipit, neminem a generali purificatione ſejungit, & tunc ſit potentiſſimus Dei Populus, quando in unitatem ſanctæ obedientiæ omnium Fidelium corda conveniunt.* Alia bene multa S. Leonis teſtimonia in hunc ſenſum refert Card. Cozza de jejunio Parte 2. art. 9. num. 7. pag. 104. &

Jejunium quatuor Temporum ex veteri Lege deſumptum, ex Apoſtolica traditione in Eccleſia retentum.

& ſeqq., quæ ibi videri poſſunt, & ante Ipſum apud Ludovicum Thomaſinum de jejuniis. Itemque apud Grancolaſium Commentar. in Brev.Rom. lib. 2. cap. 9. & ſeqq.

Nonnulli Critici apud clariſſimum Virum Juſtum Fontaninum Diſſert. de Corona Ferrea Langobardorum cap. 8. num. 5. pag. 69. & 70. infelici Minerva evulgarunt quatuor anni Tempora Eccleſiaſtica cum jejuniis ſolemnibus recenter in Parœciam Mediolanenſem irrepſiſſe ſcribunt, & quidem Authore Sancto Carolo Borromæo, illius Archidiœceſis Metropolita, & S. Rom. Eccl. Card. propterea quod ex iis unus Collegii Ambroſiani Doctor, & Criticus in Miſſalibus libris editis, & MSS. a ſe viſis, nulla eorumdem anni temporum, & jejuniorum ante Carolum documenta reperiiſſet, ſcilicet is (inquit laudatus Fontaninus) „ domi ſuæ quodammodo Hoſ-
„ pes nunquam vidit Miſſale Ambroſianum
„ Mediolani impreſſum per Chryſtophorum
„ Ratiſponenſem A. Dom. 1482. ubi menſe
„ Septembris ad diem Feſtum Exaltationis
„ Sanctæ Crucis eadem ſacra anni tempora
„ indicuntur his verbis: *Primus dies Mercurii*
„ *poſt feſtum Sanctæ Crucis ſemper ſunt tem-*
„ *pora*. Non vidit Breviarium Ambroſianum
„ ibidem excuſſum A. Dom. 1487. ubi poſt
„ Decembrem hæc adnotantur. *Iſti ſunt dies,*
„ *& vigiliæ jejunandæ ex præcepto Sanctæ Ma-*
„ *tris Eccleſiæ. Quatuor Tempora anni, ſcili-*
„ *cet vernale, æſtivale, autumnale, hiemale*.
„ Denique non conſuluit Breviarium Am-
„ broſianum per Antonium Zarotum publicæ
„ luce donatum An. Domini 1490., quod
„ Septembri menſe hæc exhibet *prima die*
„ *Mercurii poſt feſtum Exaltationis ſunt Tem-*
„ *pora*. Argumenti mere neganti vitia, &
„ ſallaciæ hominem turpiter labi coegerunt.
Hactenus Fontaninus, cujus rationibus fortaſſe, & victus fuiſſet alias non ignobilis Scriptor, ac prudens Criticus J. Grancolaſius qui Comment. Hiſt. in Brev. Rom. lib. 2. cap. 9. in eumdem errorem impegit.

(3) *Diverſus Diverſarum Eccleſiarum mos erat.*) Et primo aliam ab ea, quam profert Card. noſter, Denunciationis jejunii formulam, ex Sacramentario Gelaſiano exhibet Lud. Ant. Muratorius in Liturgia Rom. vet. Tom. I. col. 603. in hæc verba: „ III. menſis
„ jejunia in hac nobis ſunt hebdomada te-
„ nenda, ideoque hortamur ſanctam Fidem
„ veſtram, ut quarta, ſexta, vel ſeptima
„ ſeria jejunemus, quatenus divinis inhærен-
„ do mandatis propitiationem Dei noſtri per-
„ ſeverantia devotæ ſervitutis obtineat: Per
Dom. &c. Quam formulam puto deſignatam fuiſſe in uſu pro Eccleſiis Romæ Suburbicariis, aut extra illius diſtrictum conſiſtentibus, cum in prædicta a Card. noſtro relata, illique primæ Gelaſianæ, quæ apud memoratum Muratorium legitur loco indicato, fere per omnia ſimili, hæc habeantur: *Die vero Sabbati apud B. Petrum, cujus nos interceſſionibus credimus adjuvandos, ſanctas vigilias Chriſtiana pietate celebremus &c.* Quæ verba alibi extra Romam convenire non videntur. Varium porro in deſignanda hujuſmodi jejuniorum hebdomada fuiſſe Eccleſiarum morem, ex ſequentibus facile conſpicietur. Et quidem S. Leo Papa in variis prædicatis de jejuniis Quatuor Temporum ſermonibus, tempus eorumdem jejuniorum dumtaxat; exprimit, vernum ſcilicet, ut diximus, in Quadrageſima, æſtivum poſt ſolemnitatem Pentecoſtes, autumnale in ſeptimo menſe, & hyemale in decimo; ſed hebdomadam non deſignat. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. de Officiis cap. 39. & 40., ubi de jejuniis hiſce Quatuor Temporum agit, aliter a Romana conſuetudine ea collocat; aliud nempe tribus poſtremis diebus hebdomadæ poſt Pentecoſtem deſignat, quod & in Concilio Gerundenſi an. 517. ſtatutum eſt; aliud menſe Septembris ad illius exemplum, quod a Moyſe decima die ſeptimi menſis præſcriptum eſt, ad publicam Expiationem, uti in libro Levitici cap. 16. habetur; poſtremum vero Kalendis Januarii, qua die olim jejunium ab Eccleſia mandatum erat ut obex poneretur inſanis, atque inhoneſtis ludis, ac jocis, qui Gentilium more dictis Kalendis fieri ſolebant. Synodus etiam Moguntina an. 813. habita ſub Carolo Magno, & Riculpho Archiepiſcopo Can. 34. ſtatuit, *ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio obſerventur, hoc eſt, in menſe Martio hebdomada prima ...... In menſe Junio hebdomada ſecunda ...... In menſe Septembri hebdomada tertia, & in menſe Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, &c.* Quod, & extat in Capitular. Reg. Franc. lib. 6. cap. 186. apud Baluzium Tom. 1. p. 956.

Ex his, aliiſque monumentis, quæ omittuntur, plane liquet in Hiſpaniarum Eccleſiis ſexto ſæculo, atque in Gallia, Germania, & alibi Caroli Magni Imp. ejuſque Filiorum, ac Succeſſorum ævo in dictis Regionibus, earumque Provinciarum Eccleſiis non uniformiter, ac in Romana omnium Matre, hujuſmodi jejunium quatuor temporum obſervatum fuiſſe. Quam varietatem alicubi perduraſſe uſque ad ſæculum XIII. dignoſcimus ex Oxonienſi Synodo circa initium dicti ſæculi habita, in qua ſic diſtributa quatuor anni temporum jejunia leguntur apud Matth. Weſtmonaſterien. Annal. Angl. ex quo Spelmannus in Concil. Britann. *In menſe Martio prima hebdomada jejunandum eſt feria quarta, ſexta, & Sabbato. In Junio in ſecunda, quod dupliciter obſervatur a pluribus, in prima hebdomada poſt Litanias, aut in hebdomada Pentecoſtes. In Septembri per tres dies. In Decembri in proxima ſeptimana integra ante Natalem Domini:* Quæ Synodalis Conſtitutio, uti patet, eadem ferme eſt, ac Moguntina mox relata, & admodum diverſa a conſuetudine olim, & adhuc obſervata in Eccleſia Romana, quæ juxta antiquiſſimam Majorum traditionem eadem ſemper jejunia 4. Temporum, quemadmodum ab initio præſcripta fuere ſervando, nullam unquam hac in re variationem admiſit. Quinimmo, ut hujus pœnitentialis diſciplinæ obſervantia amplius firmaretur, Gelaſius Papa I. labente ſeculo quinto ſtatuit in ſua Decretali Epiſtola numero nono ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam conſtitutos data, ſolemnes & publicas Ordinationes fieri debere dictis jejuniorum diebus, his verbis: *Ordi-*

natio-

nationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed & etiam Quadrageſimalis initii, ac mediana Quadrageſimæ die, Sabbati jejunio circa Veſperam noverint celebrandas. Et hæc eſt prima, quæ nobis relicta eſt, Pontificia Conſtitutio, qua publicæ Ordinationes ad tempora ſolemnium jejuniorum revocantur, iiſque junguntur. Quod poſtea pleriſque tum Pontificum, tum Synodorum Decretis ſtabilitum eſt præcipue in Concilio Claromontano an. 1095. ſub Urbano II. ubi Can. 24. ſtatuitur Ordinationes faciendas non eſſe, niſi quatuor Temporibus, & Sabbato tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Hinc morem illum invaluiſſe exiſtimo, cum denunciationibus jejuniorum, junctas fuiſſe, & Ordinationum denuntiationes, ſi illæ fieri debebant, præſertim menſe Decembri in Eccleſia Romana; feria etenim quarta Temporum dicti menſis ſtatio habebatur ad S. Mariam Majorem, ubi Papa celebrabat, & ad Miſſam pronunciabat eos, qui Sabbato ſequenti ordinandi erant, uti ex Ordine Romano Benedicti Canonici S. Petri, qui illum ſcripſit initio ſæculi XII. apud Mabillonium Muſæi Ital. Tom. 2. pag. 118. cujus verba hic referre ſupervacaneum eſt. Quoad alias Denunciationes pro Scrutinio, pro Natalitiis Sanctorum, & cum Reliquiæ Martyris ponendæ ſunt, habentur iſtis, quas refert Card. noſter, conſimiles formulæ in Rituali Romano juſſu Gregorii Papæ XIII. edito.

(4) *Eas legi conſueviſſe.*) In vetuſtiſſimo Ordine Romano ad uſum Monaſteriorum, quem ex Codice Morbacenſi vulgavit Edmundus Martene Tom. V. Anecdotorum pag. 105. reperio hanc feſtorum denunciationem a Diacono factam fuiſſe poſt Sacerdotum, & Diaconorum communionem, hoc ritu: „ Deinde communicent Sacerdotes, & Levitæ in Ordine ſuo. Poſtea quidem accipiens Diaconus calicem in dextera parte Altaris, elevans eum in manibus ſuis, pronuncians Natalitia Sanctorum in ipſa hebdomada venientia, ita dicendo: Illa feria veniente Natale eſt Sanctæ Mariæ, aut Confeſſoris, vel alius Sancti, cujus evenerit ſecundum Martyrologium. Et reſpondent omnes *Deo gratias*; hujus antiquiſſimi Ritus nullum aliud teſtimonium reperire potui.

Denunciatio feſtorum ex antiquo Ritu facta a Diacono in Miſſa ſolemni.

§. V.

Ritus dicendi Agnus Dei *quando, & quo inſtitutus.*

Confracta hoſtia & immiſſa in Calicem particula, ſequitur deprecatio
ad Chriſtum Agnum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sa-
cerdote immolatum, de quo ad ſe veniente teſtimonium perhibuit Joan-
nes Baptiſta dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ex
quo Præcurſoris elogio mos emanavit pingendi Chriſtum in forma Agni,
quem Synodus Trullana *cap.*82. auſu temerario convellere tentavit, prohibens
ne deinceps Chriſtus Dominus ſub Agni figura pingeretur. Sed Pſeudoſynodi
conatibus reſtitit Romana Eccleſia, quæ veterem uſum ſemper retinuit. Ser-
gius I. Summus Pontifex, teſte Anaſtaſio, *ſtatuit ut tempore confractio-
nis dominici Corporis* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere no-
bis, *a Clero, & Populo decantaretur* (1). Apud Græcos antiquior eſt (1)
Agnus Dei mentio in ſacris ſolemniis, ſed non per modum precationis.
Jacobus in Liturgia: *Ecce Agnus Dei Filius Patris, qui tollit peccata
mundi.* Et in Liturgia Chryſoſtomi Sacerdos diviſurus ſanctum panem di-
cit: *Frangitur, & dividitur Agnus Dei, Filius Patris.* Hac autem Agni
in Græca Synaxi commemoratione quidam decepti, & eam ad Latino-
rum precationem trahentes, ſcripſerunt ante Sergium cœpiſſe, & Conci-
lio Nicœno antiquiorem, vel certe coævam exiſtimarunt. Et Sergius qui-
dem inſtituit ter dici *Miſerere nobis*; ſed multis poſtea ingruentibus Ec-
cleſiæ adverſitatibus (2), ut ait Innocentius *lib.* 6. *de myſteriis Miſſæ cap.* 6. (2)
ſive ad tollendum ſchiſma, alii ſcribunt, ſtatutum fuit ut in tertio dice-
retur, *dona nobis pacem;* qui ritus ubique receptus eſt, excepta Baſilica
Lateranenſi (3), in qua adhuc ſervatur antiqua forma dicendi ter *miſe-* (3)
rere nobis. In antiquis Miſſalibus ante annum milleſimum ſcriptis hæc
oratio tertio reperitur cum clauſula *miſerere nobis*; ex quo apparet præ-
dictam mutationem poſt eum annum contigiſſe, A quo Pontifice ſtatuta
fuerit (4) nuſquam memini me legiſſe. At ſi verax eſt Robertus Abbas (4)
Montenſis in ſupplemento Chronici Sigeberti, hanc pacis poſtulationem

attu-

attulit e cœlo (5) B. Virgo. Apparuit enim, ut ipſe refert *anno* 1183. (5)
cuidam fabro lignario opus facienti in ſylva, deditque illi ſigillum cum
imagine ſua, & Filii ſui, & cum hac inſcriptione, *Agnus Dei, qui tollis
peccata mundi, dona nobis pacem*: juſſitque ut ferret ad Epiſcopum, atque
ei diceret, ut qui vellent pacem Eccleſiæ, facerent hujuſmodi ſigilla, &
portarent in ſignum pacis (6). In quodam Miſſali antiquo ſic interpola- (6)
tam reperi privata quorumdam licentia hanc precationem. Agnus Dei
qui tollis peccata mundi, *crimina tollis, aſpera mollis, Agnus honoris*,
miſerere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *vulnera ſanas, ardua
planas, Agnus amoris*, miſerere nobis. Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
ſordida mundas, cuncta fœcundas, Agnus odoris, dona nobis pacem (7). (7)

(1) *A Clero, & Populo decantaretur.*) Sergius Papa I. conſtituit quidem ut *Agnus Dei* decantaretur, id quod pleriq; veteres Liturgici Scriptores apud Jo. Steph. Durantum, & Jo. Baptiſtam Scortiam de Sacr. Miſſæ alioſque confirmant, quoties autem repetendum eſſet, non ſtatuit; ter deinde repetitum fuit, ut impleretur tempus uſque ad communionem, *ſive tempus ipſum communionis*, ut habet Ivo Carnot. de Convenientia vet., & novi Sacriſ. *Dum Sacramenta ſumuntur, ter Agnus Dei a Choro cantatur*: Cæterum in Miſſalibus Lugdunen. anno 1510., & Arelatenſi an. 1100. Unicum Agnus Dei legitur; in aliis autem omnibus, trinum, uti obſervat Petrus Le-Brun Tom. 1. pag. 592. (ait Mabillonius Comment. in Ord. Rom.) Evacuatn oblationibus Altari, Archidiaconus Scholæ Cantorum innuebat, ut canerent *Agnus Dei*, quod in Confractione Corporis Domini a Clero, & Populo decantari conſtituiſſe fertur. Sergius I. certe in Miſſa Sabbati ſancti, quæ veteri more etiamnum celebratur, omittitur *Agnus Dei* cum Antiphonis ad Offertorium, & ad Communionem, quæ primarii non eſſe inſtituti Valaſridus Strabo, & alii obſervarunt. In Rubricis tamen Sacramentarii Gregoriani ad Officium Sabbati ſancti legitur: *Non cantent Offertorium, neque Agnus Dei*, ex quibus in dubium revocatur, an Sergius I. ann. 687. electus conſtituerit, ut *Agnus Dei* in Miſſa diceretur. Ad Miſſas conſuetas aſſignatur *Agnus Dei*, ſed fortaſſe a ſolis Cantoribus, ut in Libellis noſtris antiquioribus præſcribitur, tum cani mos erat, quod a *Clero*, & *Populo* decantari Sergius præceperit: *Ut dum præparatur ad diſpenſandum Corpus Dominicum rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus eſt innocens, faciat eos pignora ſalutis æternæ percipere*. Valafridus Strabo cap. 22. Hactenus Mabill. Comment. in Ord. Rom. pag. 55. Itaque *Agnus Dei* olim in Miſſa ſolemni & publica non dicebatur a Sacerdote, ſed a Clero, uti etiam teſtantur Ivo Carnotenſis de conven. vet., & novi Sacrificii, Joannes Abrincenſis cap. 48. Micrologus, antiquum Sacramentale Trevirenſis Eccl. ſæc. 10. Et aliud Albienſe ejuſdem ferme ævi, ſed paulo poſt Sacerdotes dicere cæperunt ad Altare, ut conſtat ex Uſibus noſtri Ord. Ciſtetc. Ordinario Præmonſtr. ex Miſſalibus Cameracenſi & Rhemenſi ſæc. 12. Colonienſi an. 1133. atque altero ſuppare Aquiſgranenſi.

Agnus Dei *olim a Clero, & Populo tantum poſtea a Sacerdotibus etiam ad Altare recitatur.*

(2) *Multis poſtea ingruentibus Eccleſiæ adverſitatibus.*) Claudius de Vert Tom. 3. parte 1. cap. 8. pag. 355. hujus formulæ inſtitutionem nec ab Eccleſiæ adverſitatibus, nec ab ullo ſchiſmate repetit, ſed ab antiqua conſuetudine, qua oſculum pacis immediate poſt tertium *Agnus Dei* dari ſolebat, *idque* (inquit latine redditus) *ea ratione, quod oſculum pacis datur præciſe poſt ultimum Agnus Dei*: Conjecturam firmat eruditus vir, ex eo, quod Claromontii Feria V. Cœnæ Domini poſt tertium *Agnus Dei* dicitur *miſerere nobis*, quia eo die pax dari non debet. Addimus eumdem morem olim viguiſſe apud Monachos Burſfeldenſes: *Hodie*, inquit eorum Cæremoniale cap. 36. *Pax Domini* non dicitur, nec datur: *Agnus Dei ter cum miſerere nobis concluditur*.

(3) *Excepta Baſilica Lateranenſi &c.*) Joannes Diaconus de Baſilica Lateranenſi cap. 6. apud Mabillonium Tom. 2. Muſæi Ital. p. 566. *In hac Eccleſia*, inquit, *quia typum gerit Cæleſtis Eccleſiæ, die, noctuque in matutinis, & Miſſa, ſeu Veſperis quotidie feſtive pulſatur. Inde eſt, quod in ea non cantatur ad Miſſas* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, *quoniam ibi ſumma pax juſtorum ipſe Chriſtus erit, ubi perfecta, & conſumata in electis, nec poſtulatione opus erit, nec augmento*. Angelus Rocha in Comment. de Campanis pag. 164. affirmat, quod cum in eadem Lateranenſi Baſilica coram Summo Pontifice, & S. R. E. Card. Miſſa ſolemniter cantatur, tertia vice tam a Celebrante, quam a Schola Cantorum qui Capellæ Pontificiæ deſerviunt, dicitur *dona nobis pacem*. Quod de Schola Cantorum facillime credo. Sic Durandi temporibus, licet in omnibus Urbis Eccleſiis, excepta Lateranenſi, diceretur a Celebrantibus poſt tertium Agnus Dei, *Dona nobis pacem*, Schola tamen Cantorum veterem ſervabat ritum dicendi ter *miſerere nobis*. *Secundum antiquam conſuetudinem*, inquit, *Scholæ Cantorum in Eccleſia Romana, quam adhuc ipſa Schola obſervat, nullatenus variatur, ſed tribus vicibus uniformiter dicitur miſerere nobis ..... Eccleſia etiam Lateranenſis nunquam dicit dona nobis pacem, ſicut nec Schola Cantorum*. Quæ teſtimonio Angeli Rochæ non adverſantur, cum hic de Schola Pontificia, ille de Schola Baſilicæ Lateranenſis loquatur. De eodem ritu apud Monachos Burſfeldenſes etiam adhibito jam dictum ſupra; nunquam tamen id moris in Baſilica La-

Quod Agnus Dei *ſingularis Lateranenſis Baſilicæ Ritus.*

Lateranenſi obſervatum vidi, ſive coram Pontifice, vel coram Cardinalibus ſolemnis Miſſa celebraretur, negant etiam Romani cæremoniarum magiſtri a nobis interrogati Lateranenſem Eccleſiam a conſueto unquam ritu recedere. Vide Macros fratres in Hierolex. verbo *Agnus Dei*, ubi nonnulla de hoc peculiari ritu leguntur.

Notantur Macri fratres, aliique, ac vindicatur Angelus Rocca a nonnullorum cenſura.

(4) *A quo Pontifice ſtatuta fuerit.*) Laudati fratres Macri in dicto ſuo Lexico Joanni XXII. Pontifici hujuſmodi mutationem adſcribunt; hunc autem perſpicuum errorem declinare facile poterant moniti ab Innocentio III. lib. 6. Myſt. Miſſæ cap. 4., cujus teſtimonium huic opinioni contrarium præ oculis habebant, dum id ſcriberent. In eumdem errorem deſcendiſſe Angelum Roccam in Commentario de Campanis, ſcribit Marcellus de Cavalleriis in Statera Sacra, ſed fallitur Vir eruditus; etenim Rocca dicto Comment. cap. 18. ait quidem propter ſchiſma e medio tollendum, & propter pacem Chriſtifidelibus a Deo impetrandam, ad hanc uſque diem remanſiſſe ritum dicendi: *dona nobis pacem* in tertio *Agnus Dei*, dum celebratur Miſſa, ſed hunc a Joanne Papa XXII. inſtitutum non exprimit; quin & ipſe deinde poſt pauca ait: de hoc ritu in celebranda Miſſa ſervato, ac poſtea mutato Innocentius hujus nominis III. ante annos quadringentos mentionem facit in hæc verba: *Porro ſecundum conſuetudinem antiquam Scholæ Cantorum....... tribus vicibus uniformiter dicitur*: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, *propter tria genera peccatorum, quæ petimus nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis*. Et infra: *Poſtmodum autem multis, & variis adverſitatibus, & horroribus Eccleſiæ ingruentibus cœpit ad Dominum clamare de tribulatione, dona nobis pacem*. Hæc ex Innocentio Angelus Rocca, qui etiam ſubdit: *Hanc Innocentii ſententiam recitat Guillelmus Durandus in Rationali Div. Offic. lib. 4. cap. 25. Stephanus autem Durantus in lib. 3. de Rit. Eccl. lib. 2. cap. 53. ſub Innocentii nomine affert in medium eamdem ſententiam, cui aſſentiendum omnino cenſetur qualibet alia conſideratione, aut opinione ſilentio a nobis prætermiſſa*. Hactenus Rocca, cujus verba, uti attente legenti patet, non ſunt profecto affirmantis Joannem XXII. hujus ritus dicendi in Miſſa ad tertium *Agnus Dei*, loco *miſerere nobis*, *dona nobis pacem*, inſtitutorem fuiſſe, cum Innocentii integrum textum referens, illique adhærens, jam multo ante Innocentium, qui longe Joannem XXII. præceſſit, in omnibus fere Eccleſiis, excepta Lateranenſi Baſilica, quæ veterem ritum adhuc ſervet, poſteriorem mox dictum introductum non obſcure fateri conſpiciatur. His etiam refellitur Franc. Pagius, qui in Brev. Geſt. Pontif. ad vitam Joannis XXII. num. 92., ubi perperam eidem Angelo Roccæ hunc errorem a prædictis fortaſſe Scriptoribus hauſtum, hallucinatus impingit.

Hujuſmodi poſtulatio pacis jam in uſu, antequam narrata B. M. V. Apparitio contigiſſet.

(5) *Hanc pacis poſtulationem attulit e cœlo.*) Sed jam ante annum 1183., quo hæc Virginis apparitio contigiſſe narratur, in uſu erat illa precatio; nam Joannes Belethus, & Innocentius III. de ea loquuntur, tamquam de re apud Eccleſias omnes recepta. Accedit teſtimonium Oddonis Epiſcopi Cameracenſis, qui obiit anno 1113., atque ejus formulæ meminit in Expoſit. ſacri Canonis Biblioth. PP. Tom. 21. pag. 221. *Sequens textus*, inquit, *incipit pro peccatis dicendo*, libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis; *deinde ſequitur pro pace*: Da propitius pacem in diebus noſtris, *iterum pro peccatis*, ut a peccatis ſimus ſemper liberi.... *Deinde pro pace*: & ab omni perturbatione ſecuri. *Iterum pro pace ſequitur*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Deinde pro peccatis iteratur*, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. *Iterum pro pace*: Dona nobis pacem. Hugo pariter Victorinus, qui anno 1120. floruit, ejus conſuetudinis meminit. Huc etiam reſpexiſſe videtur Hildebertus Cenomanenſis, deinde Turonenſis Archiepiſcopus in Carmine Miſſæ:

Poſtremo quia ſpiritui caro lenta reſiſtit,
Cedit, & infelix ſpiritus ipſe caro
Implexat pacem, qua fiat uterque quod alter,
Concordeſque velint, atque ſequantur idem.
Nam niſi ....
Nunc nec ....
Hoc intellectu diſtinguit priſca vetuſtas,
Quod Clerus triplici voce precatur ita.

Ex quibus verſibus colligi fortaſſe poſſet hunc morem ante ſæculum 12. in Eccleſia viguiſſe. Quidquid tamen ſit de tempore, quo formula illa recitari cœpit in Miſſa, certum eſt illam fuiſſe in uſu ante annum 1183.

(6) *Portarent in ſignum pacis.*) Uſque ad ſæculum XI. dictum eſt *ter miſerere nobis*, ſed annum verſus 1100. in pluribus Eccleſiis dictum eſt: *Dona nobis pacem*. Hujus ritus tamquam communis meminit Beleth de div. offic. c. 4. aſſerens omitti fer. V. in Cœna Domini, ea fortaſſis de cauſa, quia die illa pax non datur (id ſervatur etiam nunc Claramonte, & Leodii) Ex his autem, quæ dicunt Beleth, & Innocentius III. videtur antiquior eſſe ritus dicendi: *Dona nobis pacem* anno 1183., ad quem illum revocat Robertus Abbas Montenſis, ſeu de Monte Sancti Michaelis, cujus Hiſtoriam edidit Acherius ad calcem Operum Guiberti Abbatis de Novigento. Hanc etiam narrationem recitant Rigordus in vita Philippi Aug. Guillelmus de Nangis, aliique.

In Miſſis Defunctorum loco *miſerere nobis*, dicitur: *Dona eis requiem*, & ad tertium additur *ſempiternam*, quorum verborum latet origo. Beleth ſæculi 12. Scriptor, & poſt illum Durandus, de hoc ritu tamquam communiter recepto loquuntur. Legitur hæc clauſula in Miſſali Ambroſiano, in quo non legitur *Agnus Dei*, niſi in Miſſis pro defunctis, & ad tertium additur: *Dona eis requiem ſempiternam, & locum indulgentiæ, cum Sanctis tuis in Gloria*. Ita Miſſa Ambroſ. ann. 1669. initio ſæculi 9., in quo diſtingueretur ab aliis Miſſa defunctorum, refert Amalar. lib. 3. c. 44: *Miſſa pro mortuis in hoc differt a conſueta Miſſa, quod ſine Gloria, & Alle-*

luja,

luja, *& pacis oſculo celebratur*. *Gloria* autem non eſt aliud, niſi *Gloria Patri*, quod omittebatur etiam tempore paſſionis, non autem *Gloria in excelſis*, quem hymnum nondum dicebant Sacerdotes. Ita idem Amalarius lib. 4. cap. 20., qui tamen non loquitur de *Agnus Dei*, in Miſſa conſueta admodum diverſo, ac in Miſſa pro mortuis, in qua, ut obſervatum eſt, dicitur loco *miſerere nobis*, *dona eis requiem*. Non quidem ea ratione (ut recte notat Steph. Durantus de Rit. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 53.) quod defuncti poſſideant mox pacem æternam; nam in Miſſa communi Sacrificium offertur nedum pro vivis, ſed & pro defunctis, & miſericordia Dei, mortui, qui ſunt in Purgatorio, indigent, ſi non ad remiſſionem culpæ, tamen ad remiſſionem pœnæ. Verum ideo non dicitur *Miſerere*, *vel dona eis pacem*; Ut Alexander de Ales obſervat, quia Miſſa pro defunctis ſpecialiter celebratur, ut quies a pœnis eis indulgeatur. Ideoque additur in tertio *Agnus Dei dona eis requiem ſempiternam*.

(7) *Dona nobis pacem*.) Hincmarus Remenſis in ſuo Poemate ad Carolum Calvum *Ferculum Salomonis* inſcripto ſic refert additiones huic preci factas:

Agnus lux Mundi proprio nos corpore paſcens,
In nobis maneat, manſio noſtra fiat.
Agnus fons vitæ proprio nos ſanguine potans,
Semper more ſuo debriet, atque regat.

In quadam Miſſæ expoſitione, quæ extat in Tom. 6. Biblioth. PP. ſic legitur: *Qui reſurrexiſti Agnus Dei conſecratus, & vivificatus, qui tollis peccata, moriens, & reſurgens in corpore tuo miſerere nobis*. In Miſſali Gothico Feria V. in Cœna Domini poſt celebrationem dicitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi reſpice in nos, & miſerere nobis*. In Miſſali Gallico idem legitur Feria IV. infra octavam Paſchatis; Rupert. lib. 2. div. offic. c. 17. habet: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis*: ſupra autem laudati Authores non referunt, quoties repeteretur. Honor. in Gemma Animæ lib. 2. c. 39. Ivo Carnot. Petrus de Vineis, Hugo a Sancto Victore referunt, & in fine tertii: *Dona nobis pacem*. Sacerdos porro dum ter dicit *Agnus Dei, &c.* ter item percutit ſibi pectus, ut oſtendat ſe valde peccatorum ſuorum pœnitere, quod etiam facit, cum dicit: *dona nobis pacem*, fortaſſe quia olim tertio itidem dicebatur, *miſerere nobis*. In Miſſis Defunctorum juxta rubricam idem Celebrans non percutit ſibi pectus, dum dicit: *Dona eis requiem*, ut ſignificet ſe in hac Miſſa pro defunctis ſpecialiter celebrata, ſe ipſorum magis, quam ſui memorem eſſe.

Aliæ ad Agnus Dei interpretationes olim ex quorumdam licentia uſurpatæ.

§. VI.

De tribus ante Communionem Orationibus. Oſculum pacis; plura ad hunc Ritum ſpectantia, & a quo inſtitutus fuerit.

Diverſi quoad oſculum pacis Eccleſiarum Ritus.

ANte communionem tres orationes Romano ritu præmitti ſolent, non ex antiqua Summorum Pontificum inſtitutione, ſed ex Religioſorum traditione, ut ait Micrologus *cap.* 18. Prima eſt, qua Sacerdos pacem precatur Eccleſiæ (1), poſt quam ſequitur oſculum pacis, quo ipſe (1) Miniſtros, tum illi, omneſque Fideles ſe invicem ſalutant in ſignum unionis, & mutuæ charitatis. Apoſtolicum inſtitutum hoc eſt, ut per ſolemnia pacis Sacrificii conſummatio fiat. Et Romani quidem, atque Ambroſiani hoc loco, Græci vero, & alii Orientales, itemque Mozarabes ante Præfationem dant oſculum pacis, diverſo ritu, ſed eadem Fide, & Religione, ut oſtendant ſe omnes in Chriſto unum eſſe; eoſque dumtaxat divinorum munerum participatione dignos cenſeri, qui pacem fratribus verbo, & opere impendunt (2). In Liturgia Jacobi poſt ſymboli (2) recitationem porrigitur oſculum, præmonente Diacono, *Oſculemur nos in oſculo ſancto*. In Liturgia Chryſoſtomi ante ſymbolum ait Diaconus, *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*. Apud Maronitas Sacerdos ante Præfationem dat pacem altari, & myſteriis dicens: *Pax tecum altare Dei, & pax myſteriis ſanctis poſitis ſuper te*. Et dat pacem miniſtro dicens, *Pax tibi miniſter Spiritus Sancti*. Miniſter dicit. *Veni in pace Pater noſter, Sacerdos candide*. Et dant pacem in Eccleſia (ideſt ambas porrigunt manus, ſibi invicem tangentes). Mozarabes in ſingulis Miſſis proprias habent orationes pro oſculo pacis, quibus breviter a Deo petunt, ut oſcula fidelia

delia ſint, & pax ſincera, ut per exterioris hominis oſculum indiſrupta maneat interioris hominis pax: ut pacem, quam ore annuntiant, opere impleant: ut una dilectionis copula jungat, quos unius fidei Sacramenta locupletant. Similes habentur precationes in Miſſali Gallicano, orat enim Sacerdos *in Miſſa Epiphaniæ*, ut oſculum, quod in labiis datur, non negetur in cordibus: *in Miſſa S. Clementis*, ut qui in præſenti labiorum impreſſione illigati fuerint oſculo, Dei cuſtodia pacifici permaneant in futuro: *in Cathedra S. Petri*, ut qui ex præcepto junguntur oſculo, livore pectoris excluſo, illuc per gratiam ducantur, ubi eſt Petrus janitor cœli. Ritu Ambroſiano dicit Diaconus, *offerte vobis pacem*. Chorus autem reſpondet, *Deo gratias*. Et præmiſſa oratione *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis*, prout in Romano, datur pax. In quibuſdam Miſſalibus MSS. Diaconus ait: *Habete vinculum pacis, & charitatis, ut apti ſitis ſacroſanctis Myſteriis*. Et circumſtantes ſe invicem oſculantes dicunt, *Pax Chriſti, & Eccleſiæ abundet in cordibus noſtris*. In aliis ſunt orationes peculiares: quibus Sacerdos, dum ſe populus invicem oſculatur, Deum rogat, ut omnes pacificare dignetur. Errant qui Innocentio Primo hujus oſculi inſtitutionem adſcribunt: non enim inſtituit, ſed abuſum emendavit, qui irrepſerat (3), ut contra (3)
uſum Romanæ Eccleſiæ Pax alicubi ante confecta myſteria traderetur, cum neceſſario indicenda ſit poſt conſecrationem, ut pacis oſculo demonſtretur populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur præbuiſſe conſenſum. Ita ille ſcribit *epiſt.* 29. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Deinde ejuſdem oſculi tanquam ab Apoſtolis inſtituti mentionem faciunt veteres, & orthodoxi Patres, Tertullianus de Orat. cap. 14. *Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis. Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi integra? Quale ſacrificium eſt, a quo ſine pace receditur?* Et lib. 2. ad uxorem *cap.* 4. non paſſurum ait maritum infidelem uxorem fidelem alicui fratrum ad oſculum convenire. Narrat Optatus Milevitanus *lib.* 1. Lucillam fœminam potentem, & factioſam, quæ ſchiſmati Donatiſtarum occaſionem præbuit, ſolitam fuiſſe ante communionem os cujuſdam Martyris, ſi tamen Martyris, aut ſi Martyris necdum vindicati, oſculari: qua de re a Cœciliano tunc Archidiacono, poſtea Epiſcopo Carthaginenſi correpta, ipſi Cœciliano irata ſchiſma adverſus illum ſuſcitavit. Hanc autem mulierem ideo reprehenſam puto, quod fraternum oſculum, quod ſibi mutuo ante ſuſceptionem Corporis Chriſti præbebant Fideles, vel dedignata, vel eo non contenta, incertas inſuper reliquias oſculari præſumeret. Meminit ejuſdem oſculi Dionyſius *cap.* 3. *Eccl. Hierarchiæ*, itemque Juſtinus Martyr *Apolog.* 2., quibus ſuffragantur alii Patres Græci, & Latini (4). Cyrillus Hieroſolymitanus initio Catecheſis quintæ: *Clamat* (4)
Diaconus, complectimini, & oſculamini vos invicem, atque tunc mutuo nos oſculo ſalutamus. (*Hoc oſculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum oblivionem illis ſpondet*) Hieronymus *epiſt.* 62. ad Theophilum Alexandr. *Quiſquamne extenſa manu vertit faciem, & inter ſacras epulas Judæ oſculum porrigit*. Auguſtinus ſerm. 83. de diverſis: *Ecce ubi peracta eſt ſanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepiſtis, & reddidiſtis. Poſt ipſam dicitur, Pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia. Id eſt quo modo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum a corde ejus non recedat*. Chryſoſtomus lib. 1. de compunctione: *Oſculum pacis*

porri-

porrigere tempore, quo munera offeruntur, in uſu eſt; ſed vercor ne forte plures ex vobis labiis hoc tantummodo faciant, cum Chriſtus pacem non ex ore, ſed ex corde deſideret (5). Anaſtaſius Synaita orat. de ſancta Synaxi: *Propter hoc ipſum nos mutuo in oſculo pacis amplexamur, ut omni colligatione impietatis, & cordis duritie abjecta puro corde ad Dominum accedamus.* In actis S. Mariæ Ægyptiacæ, *Pacis oſculum obtulit ſeniori, & ſic vivifica dona ſuſcepit.* Gregorius 3. *dialog. cap.* 36. navim deſcribens tempeſtate agitatam, omnes, qui in ea erant, pacem ſibi dediſſe ait, Corpuſque, & Sanguinem Redemptoris accepiſſe (6). Huc pertinet quod non ſemel Apoſtolus hortatur Fideles, ut ſalutent ſe invicem in oſculo ſancto: ex quo inquit Haymo Halberſtaten. in epiſt. ad Romanos cap. 16. *Mos traditus eſt Eccleſiæ, ut convenientes Fideles ad audiendum verbum divinum, Miſſarumque celebrationem, poſt orationes oſculo dilectionis ſuſcipiant ſe invicem* (7).

(1) *Prima eſt, qua Sacerdos pacem precatur Eccleſiæ.*) Non legebatur hæc oratio in Ordinario Miſſalis Romani, quum ſcribebat Microl. annum verſus 1090.; legebatur tamen in antiqua Miſſa Illyrici circa annum 900., & in Sacramentario Trevirenſi ſæculi X. Omittitur autem hæc oratio in Miſſis defunctorum, ſicuti & clauſula: *Dona nobis pacem*; pax enim, quam pro Eccleſia petimus, mortuis non convenit; etenim D. Thomas 3. parte quæſt. 83. art. 4. dum docet populum per pacem parari ad Sacramentum percipiendum, addit non dari pacem in Miſſis defunctorum, quia in iis non pro præſenti pace Sacrificium offertur, ſed pro requie mortuorum. Quam etiam ob cauſam prima harum orationum ex Rubricæ præſcripto omittitur. Dici etiam fortaſſe poteſt, ideo non dari pacem in dictis Miſſis defunctorum, quod ex privatæ olim fuerint, uti Obſervationum Eccl. num. 17. ſcite advertit Clariſs. Scriptor Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, noſque etiam alibi idem innuimus; pax autem nonniſi in Miſſis ſolemnibus dari conſueverit. Porro in Miſſa Feriæ ſextæ Paraſceves in ſignum mœſtitiæ, ob expreſſam commemorationem mortis Domini pax omittitur; quamobrem Procopius in Hiſtoria arcana tradit Juſtinianum Imperatorem, ejuſque uxorem Theodoram parum felici indicio ad imperium acceſſiſſe hac feria, in qua pax non datur, uti ſcite infra obſervat Card, noſter.

Quare non detur pax in Miſſis Defunctorum.

(2) *Qui pacem fratribus verbo, & opere impendunt.*) Non unus utique in re fuit Eccleſiarum uſus. In Conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis nomine vulgatis lib. 2. cap. 61. *oblationem* excipit pacis oſculum; immo idem pacis oſculum, teſte Juſtino Mart. Apolog. 2. ad Antoninum Pium Imperatorem ipſam oblationem antecedebat: *Precibus finitis*, inquit, *mutuis nos oſculis ſalutamus, deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*: Hunc ritum Laodicena Synodus Can. 19. ita enunciat: *Poſtea quam dederit Epiſcopus Presbyteris oſculum pacis, tunc Laici pacem ſibi tribuent, & ita ſancta celebrabitur oblatio.* Hinc ratio cur ante Illationem, ſeu Præfationem pax Populis indicenda, atque offerenda præſcribitur in Miſſali Mozarabum ad Dominicam Adventus, ea eſt, quæ infra etiam memoratur, videlicet *ut apti ſint ſacroſanctis Myſteriis Dei intereſſe*. Eadem ratione in quibuſdam aliis Miſſalibus, puta Sariſberienſis Eccleſiæ jubetur Sacerdos Diacono, & Subdiacono pacis oſculum offerre, *quo ſint apti ſacroſancti Altaris Domini Miniſterio*, adeoque antequam ſacra myſteria celebrentur. His ſuffragatur vetus Ordo Gallicanus, in quo *Collectio ad pacem*, ſeu poſt pacem datam Illationi paſſim præponitur. Porro Eccleſiam Romanam ab initio pacem, niſi poſt confecta myſteria tradere conſueviſſe teſtis eſt Innocentius I. in ſua celebri Epiſtola ad Decentium, de qua infra Eminentiſſimus Author. Et quidem ante fractionem hoſtiæ, ut conſtat ex Ordine Rom. I. num. 18., & 19. Item ex II. n. 12. apud Mabillonium Muſ. Ital. Tom. 2. p. 13.

Pleriſque in locis Pax data antequam ſacra celebraretur Oblatio.

In Eccleſia autem Romana ca'lem Pax data poſt confecta myſteria.

(3) *Sed abuſum emendavit, qui irrepſerat.*) Inter eos, Innocentio Papæ primo hujuſmodi pacis oſcula inſtituta tribuunt, ſed perperam, ut optime notat Cardinalis noſter, adnumerantur Walafridus Strabo, qui id expreſſe tradit lib. de Reb. Eccl. cap. 33. his verbis: *Pacem ante communionem dari, Innocentius Papa decretis ſuis inſtituit*: Strabonem ſecuti, de quo item loquemur infra, idem opinati ſunt Rupertus Abbas Tuirienſis de div. offic. lib. 2. cap. 21. Stephanus Eduenſis lib. de Sacram. cap. 10., aliique, ut iiſdem dicemus. Quidquid autem de hac re ſit, Concilium Aquiſgranenſe ann. 789. Can. 53. Innocentius I. decretum ejuſdem ferme verbis renovat de non danda pace, niſi poſt confecta myſteria. *Per pacem conſtat* (ait) *populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrantur.* Idem habet Concil. Francofordienſe ann. 794. Can. 5. *Ut confectis ſacris myſteriis in Miſſarum ſolemniis, omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.* Moguntinum vero ann. 813. oſculum pacis jungit cum oblationibus, ac ſi mos eſſet pacem iis dandi, qui oblationes faciebant cap. 44. *Oblationem quoque, & pacem in Eccleſia facere jugiter admoneatur populus Chriſtianus,*

ſtianus, quia ipſa oblatio ſibi, & ſuis magnum remedium eſt animarum, & in ipſa pace vere unanimitas, & concordia demonſtratur. Exinde, ut arbitror, in Galliis ſervatus fuit mos bis pacem dandi ad Miſſam, primo oblationum tempore (quem ritum a S. Juſtino Mart. Apolog. 2. confirmatum aſſerit Mabillon. in Ord. Rom. p. 47. num. 5.) Secundo ante communionem; hac tamen differentia, quod oblationum tempore populus ad Altare pacem a Celebrante accepturus accedebat; ante communionem autem Celebrans ab Altari eam mittit ad populum per Diaconum, qui ſingulis dicebat: *Pax tecum*, ac ſinguli reſpondebant: *Et cum ſpiritu tuo*. Idem Juſtinus cit. Apolog. 2. *Precibus finitis nos oſculis ſalutamus*. Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 51. vel 57. Liturgiarum ritus ſui temporis deſcribens, ait, quod poſtquam exicrint ab Eccleſia pœnitentes, & cathecumeni, conclamabatur: *Diligamus nos invicem*, viri viros, fœminæ fœminas oſculentur oſculo Domini, & deinde fiat Sacrificium. Dionyſius Areopag. ſive Auctor lib. Hierarchiæ Eccl. loquens de ſacra Synaxi hunc ritum refert ad idem oblationis tempus, aſſerens poſt oſcula fieri recitationem, & memoriam Sanctorum, deinde ait, quod Epiſcopus, & Sacerdotes manus lavant; Epiſcopus in medio Altari conſiſtit, & incipiunt Deo gratias redolere, ideſt in Præfatione, ut notat Grancolas ſupracit., qui cum Mabillonio hæc refert ad aſtruendum morem Gallicanum ritui Græco conſimilem, a quo non admodum diſtant Mozarabes, de quibus mox locuti ſumus. Idem aſſerit Concil. Laodic. can. 19. *Secunda, & tertia expletis orationibus pacem ſibi invicem dabant: & poſtquam Epiſcopus oſculum pacis dederit, tum Laici ſibi tribuent, & ita ſancta celebrabitur oblatio*. Origenes ſuper hæc Apoſtoli verba: *Salutate vos invicem: Ex hoc ſermone*, inquit, *mos Eccleſiis traditus eſt, ut poſt orationes, oſculo invicem ſe recipiant Fratres*. Idem notat Sedulius in cap. 16. ad Rom. *in oſculo ſancto*. Expreſſius S. Paulinus in Carm. ad Cytherium ait, quod ſe invicem oſculando dexteras jungebant: *Tunc ambo nexi ad invicem dextras damus in oſculo pacis ſacræ.* Item S. Lupus Trecenſis Epiſc. nobis deſcribit in Epiſtola ritum, quo pax dabatur: Tom. 1. Conc. Gallic. *Subdiaconos autem ad pacem inter ſe in Sacrario oportet accedere, in Altario autem, non niſi dum porrigunt pallas Diacono, aut ſuſcipiunt, quod infertur; ad pacem autem nequaquam eis permiſſum eſt*.

Olim in Galliis introducta conſuetudo bis pacem dandi ad Miſſam.

Ex his hactenus adductis clare conſpicimus varias olim in dando hujuſmodi invicem pacis oſculo ſancto fuiſſe, tum quoad modum, tum quoad tempus, Eccleſiarum conſuetudines, quarum pleræque, Orientales maxime, id ante confecta myſteria peragebant. Cumque idem pacis oſculum in Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Matre, & magiſtra, ab initio, ut diximus, non ante, ſed poſt confecta myſteria, ideſt ante communionem invicem inter fideles præberetur, illiuſque exemplo id in Italia, Africa, aliiſque pluribus Latinis Eccleſiis obſervaretur, teſte Auguſtino, qui in ſerm. nunc 227., alias 83. de diverſis, jam á Cardin. cum cæteris Patrum teſtimoniis allegato ſacræ Liturgiæ ordinem ſuo ævo frequentatum deſcribens, primum ponit Offertorium, Præfationem, Conſecrationem, & Orationem Dominicam, deinde a veſtigio ſubdit: *Poſt ipſam dicitur Pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto*: & nihilominus nonnullæ aliæ per Orbem conſtitutæ particulares Eccleſiæ ab hoc antiquiſſimo Romano more deficerent, cum pax apud illas ante confecta myſteria traderetur, Innocentius Papa I. in ſua Decretali ad Decentium, quemadmodum recte obſervat Cardin. noſter, abuſum emendavit qui irrepſerat, dandi ſcilicet hujuſmodi pacem, antequam conficerentur myſteria, ſicque ſolum qua Miſſæ parte idem pacis oſculum rite dari oporteret, nempe poſt conſecrationem, ipſe primus obſervanda lege conſtituit, ea ratione, quam affert: *Quod pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet populum ad omnia, quæ myſteriis aguntur præbuiſſe conſenſum, &c.* quam etiam roborat D. Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 4. in corp. dicens, *quod per pacem ſit præparatio ad communionem, & ſuſceptionem Sacramenti unitatis, & pacis*. Hæc ex Card. noſtri ſenſu, cui plerique recentes viri docti ſubſcribunt, quos recenſere ſuperfluum eſt, concepta ſint quoad dictam Innocentii Epiſtolam. Refert tamen hanc Bonæ ſententiam, & damnat Samuel Baſnagius in ſuis Annalibus polit. Eccleſ. ad ann. Dom 56. n. 9., ubi contendens ritum ab Innocentio præſcriptum, antiquis Eccleſiæ moribus eſſe contrarium, ait mutationem ab eodem invectam fuiſſe. Non videmus, quo jure ſanctiſſimum Pontificem, & doctiſſimum Cardinalem teneat cenſura Baſnagii. Scimus apud Orientis Eccleſias primis Chriſtianæ Fidei ſæculis oſculum ante conſecratam Euchariſtiam fuiſſe diviſum, cujus rei præclara ſunt Cyrilli Hieroſolymitani, Juſtini, aliorumque teſtimonia ab ipſo Hæretico Scriptore congeſta; hanc nihilominus diſciplinam in Occidente viguiſſe palam, aperteque negamus; neque id Baſnagium latere poterat, ſi rem diligentius conſiderare voluiſſet; porrecti namque conſecrata jam Euchariſtia oſculi teſtis eſt invictiſſimus Auguſtinus ſerm. 227. olim 83. de diverſis, Operum Tom. 5. ut jam in Textu, quem hic juvat repetere, ait itaque: *Ecce, ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepiſtis, & reddidiſtis: poſt ipſam dicitur pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto. Pacis ſignum eſt, ſicut oſtendunt labia, fiat in conſcientia.*

Variæ olim in dando pacis oſculo Eccleſiarum conſuetudines.

Vindicatur Card. Bona a Baſnagii cenſura.

Neque animo fingendum eſt hunc morem apud Africanas Eccleſias introductum fuiſſe poſt editum Innocentii Papæ decretum, cum jam ævo Tertulliani vigeret, ut ex illius teſtimonio hic ab Eminentiſſimo Bona relato perſpicue colligitur. Nullam ab Innocentio Primo mutationem inductam fuiſſe, ab ipſo Pontifice Baſnagius moneri debuerat; verba Innocentii hæc ſunt, Epiſt. ad Decentium Eugubinum: *Pacem ergo aſſeris ante confecta myſteria, quoſdam populis imperare, vel ſibi inter Sacerdotes tradere, cum poſt omnia, quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſario indicenda,*

per quam conſtat populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbere conſenſum, ac finita eſſe pacis concludente ſignaculo demonſtrentur.

Pauci itaque erant, qui Græcorum exemplo pacem ante confecta myſteria dari juberent, reliqui Eccleſiæ Romanæ diſciplinam imitabantur. Quod ſi Græcorum ritus univerſam oppleviſſet Eccleſiam, qua ratione Decentius Pontificem ea de re conſuluiſſet. An ritum ab omni Eccleſia ſervatum reprehendi poſſe cenſebat? minime gentium, ſed cum illo nonnullos a communi recepto more diſcedere, animadvertiſſet, rem ad Pontificem detulit, qui antiquam Occidentis diſciplinam religioſe cuſtodiendam jure decrevit, cum ritus ab Eccleſia recepti nequeant privata quorumdam authoritate proſcribi. Perperam igitur Innocentii decretum fingitur cum veteri Eccleſiæ diſciplina pugnare. Baſnagius tamen, ne Pontificem immerito redarguiſſe videatur, opponit Hieronymi teſtimonium, qui homil. I. in Cantica hæc ſcribit: *Cujus rei imago eſt illud oſculum, quod in tempore myſteriorum nobis invicem damus.* Calumniam Pontifici Magno illatam fraude tuetur hic Scriptor. Homiliæ illæ in Cantica Canticorum diſciplinam Orientis adſtruere quidem poſſunt, Occidentis ſane non valent, cum Origenis fœtus ſint, non Hieronymi, qui eas latino tantum ſermone donavit. Nec ſi Hieronymo Opus illud adſcriberetur, cauſa caderet Innocentius, cum tempus myſteriorum totam Sacrificii complectatur actionem.

Verum Baſnagio Hieronymum opponamus, in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum: *Quiſquamne extenſa manu vertit faciem, & inter ſacras epulas Judæ oſculum porrigit?* An negabit Baſnagius hæc verba: *inter ſacras epulas* peractam conſecrationem exprimere? non enim ante conſecrationem ſtricte dici poſſunt *ſacræ epulæ*, ſed ſacrandæ. Calvinianus Auctor Strabonem etiam adducit ſcribentem cap. 33., ut jam dictum eſt: *Pacem ante communionem dari, Innocentius Papa decretis ſuis inſtituit.* Addi poterant, præter jam ſupra adducta, Radulphi Tungrenſis, ac Durandi Mimatenſis Epiſcopi, item Sigeberti in Chron. ann. 404. Hugonis lib. 2. cap. 11. Waldenſis, aliorumque teſtimonia, qui paria cum Strabone, ac gemina ſcribunt ipſius authoritate decepti. Verum an æquum eſt ſæculi noni Scriptorem teſtem diſciplinæ ſæculi 4. vigentis adducere ipſe judicet. Vah qualia in nos conviciorum plauſtra congereret adverſarius, quot nos cachinnis exciperet, ſi argumento ſimili aliquam ejus ſententiam impeteremus; poteſt tamen admitti Strabonis authoritas; licet enim ante Innocentii tempora oſculum pacis, peracta jam conſecratione, porrigeretur, nihilominus nullo adhuc decreto mos ille roboratus erat, quod poſtea Innocentius lata lege firmavit occaſione mutationis invectæ, atque hoc pacto intelligi poſſe videntur quotquot Innocentio oſculi inſtitutionem adſcribunt; vix enim credimus, his ignota fuiſſe Scriptoribus tot, ac tam illuſtria Patrum teſtimonia, quæ oſculi uſum ante Innocentii tempora fuiſſe demonſtrant. Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum pag. 47. mentionem faciens de hac Innocentii Conſtitutione, ait: Utrumque ritum, quem hic improbat Innocentius, ſervabant Gallicanæ, & Hiſpanicæ Eccleſiæ, quod ſi ad poſteriora Innocentio tempora referatur, admittimus. Nam Gallicana, & Hiſpanica Liturgia ab Orientalibus multa deſumpſit, ſi vero contenderit Mabillonius hunc uſum in Gallia viguiſſe Innocentii temporibus, nos patietur adverſarios: nam quantacumque Liturgiæ Gallicanæ, & Hiſpanicæ vindicetur antiquitas, nunquam ſane probabitur quatuor primis Eccleſiæ ſæculis a Romana fuiſſe diverſam, cum nonniſi labente ſæculo ſexto Gallicanus Miſſæ ordo diſſimilis a Romano viſus fuerit. Vide ſupra quæ de utraque hac Liturgia dicta ſunt Tom. I. ſeu lib. 1. cap. 11., & 12.

(4) *Quibus ſuffragantur alii Patres Græci, & Latini.*) Author quatuor Homiliarum in Canticum Canticorum, qui Origenes vulgo creditur: *Hoc eſt*, ait, *unus, propiuſque, & ſanctius oſculum, quod a Sponſo, Dei Verbo, porrigi dicitur Sponſæ, puræ ſcilicet animæ, & perfectæ, cujus rei imago eſt illud oſculum, quod in Eccleſia ſub tempore myſteriorum nobis invicem damus*; ipſeque Origenes de hoc oſculo ſancto agit in cap. 16. Epiſt. ad Romanos.

(5) *Sed ex corde deſideret.*) Idem Chryſoſtomus Hom. 77. in Joan. *Ideo in myſteriis invicem ſalutamus, ut multi unum efficiamur*: quod & ſimile repetit Hom. 30. in Ep. 2. ad Corinth. Chryſoſtomo jungit Card. noſter Anaſtaſium Synaitam, cujus tamen integrum, & ampliorem textum referre juvat; cum enim dixiſſet: *Sacerdos poſt Sacrificii incruenti conſecrationem, Panem vitæ elevat in altum*: ex quo oſtenditur antiquus ritus ſacram Hoſtiam ad adorationem elevandi intra Miſſam, deinde ait: *Rurſumque purum animum ab omni injuriarum memoria liberum Deo profitentes dixiſtis: Dimitte nobis debita noſtra, ſic & nos dimittimus, &c. eaque de cauſa invicem amplexati eſtis in oſculo pacis*: Ita apud Henr. Caniſium antiq. Lect. Tom. 2. pag. 474. edit. Antuerpiæ, & in Bibliot. PP. pag. 9. Ex cujus antiqui Scriptoris Græci teſtimonio duo deprehenduntur jam pridem, & ante ſæculum ſextum obſervata Antiochiæ juxta S. R. E. traditionem ab Innocentio firmatam, elevationem nempe Euchariſtiæ poſt conſecrationem, paciſque oſculum ante communionem, & poſt Orationem Dominicam datum, quibus amplius roborantur quæ ſupra contra Baſnagium attulimus.

(6) *Corpuſque, & Sanguinem Redemptoris accepiſſe.*) Juxta quod jam ſupra memoratum Concilium Francofurdienſe can. 5. ſtatuit, *ut confectis ſacris myſteriis in Miſſarum ſolemniis omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.* Hodierni Græci, quemadmodum alicubi legi, participes facti Sacræ Euchariſtiæ, iterum mutuo ſe oſculo ſalutant, altero quidem dicente: *Chriſtus eſt in medio noſtrum*: altero reſpondente: *& eſt, & erit.* A Feſto autem Paſchatis uſque ad Aſcenſionem Domini inter ſalutandum hic quidem dicit: *Chri-*

Hodiernus Græcorum uſus ſibi invicem iterum pacis oſculum dandi poſt Communionem.

ſtus

ſtus ſurrexit; ille autem *revera ſurrexit*, poſtea per totum annum priora repetunt. Hunc autem Græcorum ritum, nunc reminiſcor me legiſſe apud Allatium de conſenſu Eccleſiæ Orient., & Occid. lib. 3. cap. 18., atque item fortaſſe apud Arcudium de eodem argumento.

Nonnulla alia referuntur de pacis oſculo.

(7) *Suſcipiant ſe invicem.*) Joannes Abrincenſis Epiſcop. in deſcriptione Miſſæ apud Menardum: *Dum Sacerdos Miniſtris communionem porrigit, unumquemque primitus oſculetur, & poſtquam communicatus eſt, deinde manu Sacerdotis oſculata, Miniſter communionem ab eo accipiat.* Sed ad majorem hujus pacifici ritus illuſtrationem nonnulla nobis diſquirenda ſuperſunt. Et quidem primo, cur pacem etiam tunc precatur Sacerdos, cum profunde inclinatus pacem Eccleſiæ poſtulat illa oratione: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c.*, poſtquam univerſus populus jam pacem precatus eſt iis verbis: *Dona nobis pacem*, dum juxta Sergii Papæ decretum ſupra memoratum una ſimul cum Clero cecinit: *Agnus Dei, &c.* Rationem reddit Clar. Doctor Sorbonicus Franc. Amatus Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. pag. 881. „ Hanc „ ipſam precem (ait) Sacerdos fuſius hic „ proſequitur, quia ex veteri ritu jam unuſ„ quiſque circumſtantium daturus eſt pacis „ oſculum. Orat igitur Sacerdos, ut mente „ ſincera ſeſe invicem ſinguli oſculentur, „ adeout omnia, & ſingula membra, quibus Eccleſia conſtat, coadunentur, omneſque ſint unum corpus, & anima una de uno pane, Chriſti nimirum Corpore mox reficiendi. Cur etiam denique datur pacis oſculum ante communionem, quamvis jam ſatis indicatum ſit, juvat nihilominus iſta ex eodem ſubdere, ut nempe ſignificetur verum eſſe, quod ait Apoſtolus I. ad Corinth. 10. 17. *Unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Utque myſticæ hujus unitatis myſterium exprimeretur, voluit Chriſtus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum iis rebus perfici, quæ ſunt ſymbolum communionis, immo & unitatis. Quod quidem ſic explicat ſæpius pleriſque in locis S. Auguſtinus. Quemadmodum panis ex multis granis ſimul attritis, & in unum corpus compactis efficitur, vinum ex multis acinis confluit, ita Fideles omnes, qui ad ſacram Menſam admittuntur, ſacratiſſimi Chriſti Corporis participatione ſic adunantur in Chriſto, ut unum cum ipſo corpus efficiant; proinde neceſſe eſt, ut ſint & ipſi quid unum inter ſe, utpote qui unius omnes Chriſti Spiritus, unius omnes Chriſti Corporis participatione vegetentur. Idque oſculum pacis ſic invicem datum continuata ab Apoſtolis ad noſtra uſque tempora traditione obſervatur per omnes Eccleſias, ut idem ſubdit religioſus Pariſienſis Scriptor, cum eo ſolum diſcrimine, qnod in aliquibus Eccleſiis adhuc datur re ipſa pacis oſculum, in aliis autem in dictæ pacis ſignum porrigatur pium aliquod, ac religioſum inſtrumentum ſingulis oſculandum, de quo infra, quod item fere eſt, ac ſi ſe ſinguli invicem oſcularentur, eadem enim in porrectione inſtrumenti verba proferuntur, quæ in amplexu, nimirum & qui proximum oſculatur, & qui pacis inſtrumentum porrigit oſculandum, ajunt *Pax tibi*, & reſpondetur: *& cum ſpiritu tuo*. Quod autem id oſculum ſanctum ab Apoſtolica traditione proveniat, ut mox innuimus, præter quam quod ejuſdem oſculi tanquam ab Apoſtolis inſtituti mentionem faciunt veteres, & Orthodoxi Patres, uti late oſtendit Eminentiſſimus Author, idem expreſſe indicat Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſt. 5. ex Ep. Petri Catholica pag. 185. habet, ſic de dicto oſculo concludens: *Igitur oſculum hoc reconciliatio eſt, atque idcirco ſanctum, de quo Paulus dicit: Salutate vos invicem in oſculo ſancto, & Petrus inquit in oſculo dilectionis.*

Negatum pacis oſculum quibuſcumque ab Eccleſia notorie proſcriptis.

Hoc porro pacis oſculum, quia ſignaculum erat Eccleſiaſticæ communionis, propterea nonniſi inter Chriſtifideles mutuo præbebatur, adeoque publice, & notorie excommunicatis, Hæreticis, Schiſmaticis, aliiſque, ſi aderant, hujuſmodi interdictis negabatur. Plura hujus rei apud veteres extant exempla. Idipſum non diffitetur Baſnagius paulo ante notatus eodem loco num. 10. „ Neque hæ„ reticis, inquit, excommunicatiſque liba„ batur oſculum. Idcirco Optatus lib. 4. Do„ natiſtarum queritur injuſtitiam, quod illud „ benevolentiæ ſignum Catholicis non imper„ tirent, &c. Inter excommunicationis pœnas, quas antiqui Canones recenſent, præcipua eſt oſculi pacifici denegatio. Vide Iſidorum in Regula cap. 16. Concilium Vernenſe ann. 755. can. 9. Capitularia Caroli Magni lib. 5. c. 42., lib. 6. c. 92. 140., lib. 7. c. 216. Vide inſuper Pachimer. lib. 7. cap. 6. Porro quoad Schiſmaticos præclariſſimum nobis exhibet teſtimonium Matthæus Paris Hiſtor. Maj. in Henrico II. Angliæ Rege ann. 1165. *Reginaldus Colonienſis Archiepiſcopus, qui Schiſma Octaviani contra Papam foverat Alexandrum, venit apud Weſtmonaſterium ad Regem Henricum accepturus in conjugem Mathildem filiam Regis primogenitam Henrico Duci Saxoniæ, cui cum Magnates Angliæ ſolemniter occurriſſent, Robertus Comes Legeciſtriæ, & Juſtitiarius Regis, illum in oſculum non recepit; excommunicatus enim erat a Papa, & non abſolutus, unde Altaria, ſuper quæ ille Schiſmaticus celebravit, paſſim ſunt ſubverſa.* Alia ſuppeterent proferenda hujuſce negatæ pacis ſimilibus ab Eccleſia reprobatis perſonis exempla, verum iſta ſufficiant, & reliqua de Chriſtiano oſculo dicantur.

§. VII.

De Oſculo, ejuſque attributis, & quare eodem careant Miſſæ Defunctorum.

ERat autem oſculum non ſolius communionis, ſed & omnium Eccleſiaſticarum functionum ſignaculum, & ſigillum, quod in omnibus Sacramentis adhiberi ſolebat. Nam Epiſcopus baptizatum, & confirmatum collato Sacramento oſculabatur, addita ſalutatione *Pax tecum:* quam cum Ordo Romanus, ac veteres Sacramentorum libri præſcribunt, oſculum quoque ſubintelligitur. Cyprianus *epiſt.* 59. *ad Fidum* de baptizandis infantibus*: Et ſi infans*, ait, *a partu novus eſt, non ita eſt tamen, ut quiſquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat oſculari.* In Ordinum collatione conſueviſſe Epiſcopum initiatos oſculari teſtes ſunt poſt Dionyſium *in Eccl. Hier.* Ordo Romanus, & antiqua Pontificalia. Mos item fuit oſculari mortuos, ut idem Dionyſius ſcribit *Cap. poſtremo ejuſdem libri*, qui in pace, & communione Eccleſiæ decedebant, cujus ea ſalutatio indicium, & proteſtatio erat. Sed poſtea Concilium Antiſſiodorenſe ſub Gregorio Magno cap. 12. oſculum dari mortuis prohibuit. Miſſæ quoque defunctorum olim oſculo carebant, quia privatæ, & ſine communione erant, qui ritus etiam nunc permanet (1). (1)
Scribit etiam Albaſpinæus *obſerv.* 17. *lib.* 1. Miſſis Monachorum oſculum defuiſſe, quia privatæ: & Durandus lib. 4. Ration. cap. 53. *Inter Monachos*, inquit, *Pax non datur, quia mundo mortui reputantur*. Contrarium tamen evincitur ex vetuſtis Monachorum Ritualibus (2), quæ oſculum ante communionem præſcribunt: & ipſe Monachorum Pater Benedictus *cap.* 63. *Regulæ* præcipit Monachos ſecundum Ordines, quos conſtituerit Abbas, vel quos ipſi habuerint, debere ad pacem, & ad communionem accedere. (pax vero per oſculum dari conſueverat) Idem *cap.* 53. ſuſcipi hoſpites jubet in oſculo pacis. Subtrahitur ſimiliter oſculum feria VI. ante Paſcha in ſignum mœſtitiæ (3): quare Procopius in hiſtoria arcana Juſtinianum, & Theodoram infauſto omine imperium ſuſcepiſſe refert ea die, qua nulli pacem, & ſalutem dicere fas erat. Signum igitur mutuæ dilectionis, & pacis erat oſculum inter Chriſtianos, a quo procul aberat omnis ſuſpicio impuri affectus. Commendant ejus ſanctitatem Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Pedag. cap.* 11., & Athenagoras circa finem Apologiæ. Aptiſſime autem, & eleganter Chryſoſtomus hom. 30. *in epiſt.* 2. *ad Cor.* agens de oſculo, quod communioni præmittitur: *De hoc*, inquit, *ſancto oſculo aliud quoque aſſerri poteſt. Templum Chriſti ſumus. Itaque templi veſtibula, & aditum oſculamur, cum alii alios oſculemur. Neque enim vulgari quodam honore os noſtrum afficitur, cum Corpus Dominicum excipit: eaque præſertim de cauſa tum mutua oſcula jungimus* (4). Veteri tandem ſimplicitate in malitiam degenerante ſubtractum paulatim eſt oſculum, & ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum Crucis, vel Chriſti imagine, quam ſequioris ſeculi Scriptores *oſculatorium* vocant, de quo vocabulo agit Spelmannus in Gloſſario (5). Hanc dum primum Sacerdos, tum reliqui oſculantur, eandem mutuam charitatem, & fidem ſe habere teſtantur, quæ olim per oſculum indicabatur. Alii mutuo amplexu idem munus perſolvunt. Oſculum oris adhuc vigebat tempore Innocentii III., qui de eo loquitur *lib.* 6. *myſteriorum Miſſæ cap.* 5. atque hinc inferre probabiliter poſſumus oſculi conſuetudinem permanſiſſe, donec a Fratribus Franciſcanis plerique ritus Romanæ Eccleſiæ, ut Lib. I. Cap. VII. oſtendimus, aut ſublati, aut immutati ſunt (6).

(1) *Qui*

(2) (3) (4) (5) (6)

(1) *Qui ritus etiam nunc permanet.*) Hugo a Sancto Victore Miſcell. lib. 1. tit. 6. *Quando pro fidelibus defunctis hoc Sacrificium immolatur, oſculum pacis viventes ad invicem non accipiunt, quoniam hi, pro quibus vivifica ſit immolatio, ab hac vita ſubtracti, humanæ converſationis pacem, vel concordiam tenere amplius, aut cohibere non poſſunt.*

In Miſſis Conventualibus Monachorum pax data eſt nonnulli contrarium ſcripſerint.

(2) *Evincitur ex vetuſtis Monachorum Ritualibus.*) Legitur in Miſſali Montis Caſſini: *Subdiaconi poſtquam pacem a Sacerdote acceperunt, eamdem pacem in Choro deferunt, & oſculatis utriuſque Chori primatibus, ad Altare redeunt: omnes invicem per ordinem oſculantur. In feſtivitatibus duabus per annum, ſcilicet Natali, & Reſurrectione Domini, omnes ſigillatim pacem a Sacerdote accipiendam ad Altare accedimus, & ſic omnes per ordinem invicem oſculamur.* Vide Martene de Monachorum ritibus pag. 187., & 188. In Uſibus Ciſtercenſium, & Conſtitut. Guillelmit. emiſſis, & confirmatis in Capit. Gen. ann. 1279. in Miſſis omnibus Conventualibus pax mutua inter Altaris Miniſtros tantum dabatur: *Diebus vero Dominicis inter omnes communicantes: Divertat os ſuum ad Diaconum oſculans eum .... Diebus vero Dominicis, & feſtis; quibus ſolent fratres ad communionem accedere, prior illorum, qui voluerint communicare, veniens ad gradum, accipiat a Subdiacono pacem, &c.* Ordin. MSS. Guillelm. tit. *de pace*. In Statutis Carthuſ. ann. 1259. p. 1. cap. 43. num. 46. legitur, quod Diaconus pacem choro dabat. In Abbatia Sancti Pontii de Tomieres, præter Diaconum, Subdiaconum, Abbatem, aut ejus vices gerentem, alii Monachi ab amplexibus abſtinebant ob rationem a Durando allatam. Martene de Monachorum Ritibus pag. 188. Qui mos invaluit in pluribus Congregationibus, Buſtfeldenſis, Caſalis Benedicti, aliiſque, & ad eorum fortaſſis exemplum Laici quoque temperarunt, eo vel maxime, quod cum in pluribus, & præcipue Monachorum Eccleſiis non ſervaretur ſeparatio illa virorum a fœminis, non poterat ſine ſcandali periculo ritus iſte ſervari. Et probabiliter hanc ob rationem in Anglia medio ſæculo 13. introductus fuit mos pacem dandi inſtrumento, quod *Oſculatorium*, *Oſculatorium pacis*, *Aſſerem ad pacem*, *Tabulam pacis*, *marmor* deoſculandum vocavere. Qui mos deinde ad Galliæ, Germaniæ, Italiæ, & Hiſpaniæ Eccleſias tranſmiſſus fuit, de quo item infra.

(3) *Feria VI. ante Paſcha in ſignum mæſtitiæ.*) Amalarius lib. 1. c. 13. *In Paraſceve a pacis oſculo abſtinemus, ut demonſtretur, quam injuriam paſſus ſit Chriſtus a ſuo proditore, ut & nos vitemus eamdem injuriam in fratribus.* Eamdem ob rationem abſtinemus Feria V. in Cœna Domini, ait Alcuinus.

Indicantur nonnulli recentiores, qui de hoc veteri pacis oſculo ſcripſerunt.

(4) *Eaque præſertim de cauſa tum mutua oſcula jungimus.*) Plura de hujuſmodi oſculo ſancto ante Euchariſticam communionem apud priſcos Chriſtifideles in uſu habito erudite congeſſit Aloyſius Novarinus Cleric. Regul. Sacr. Elect. lib. 5. cap. 61., & 62. Poſtque ipſum Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 377. Petrus Le Brun Tom. 1. Cær. Miſſæ pag. 603. Franc. Amatus Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. pag. 881. Cajet. Meratus Comment. in Gavantum Tom. 1. parte 1. pag. 584. Quibus etiam acceſeri videtur e Proteſtantibus Joſeph Binghamus Londinenſis, qui Tom. 6. Orig. Eccleſiaſt. varia in id argumentum ſacræ veteris eruditionis monumenta profert pag. 99. & ſeqq.

(5) *De quo vocabulo agit Spelmannus in Gloſſario.*) Amalar. lib. 3. cap. 32. *Interrogatus ſum quare non invicem porrigunt ſibi oſcula viri, & fœminæ in officio Miſſæ? Reſpondendum, arbitror carnales amplexus, quibus junguntur ſæpe viri, & fœminæ, vitandi ſunt in Eccleſiæ conventu, & ideo ſequeſtramur viri, & fœminæ in Eccleſia, non ſolum ab oſculo carnali, ſed etiam ſitu locali: ab iis perſonis dantur oſcula mutua in Eccleſia, quæ nullam titillationem libidinoſæ ſuggeſtionis poſſunt excitare.*

Varia olim oſculatorii nomina.

De inſtrumento autem, quo pax dabatur, mentio ſit in Synodo Oxfordienſi anno 1287. can. 12., in quo vocatur: *Aſſer ad pacem*. In Concil. Mertonenſi II. an. 1300. *Tabula pacis*, *oſculatorium*. In Concilio Bajocenſi an. 1300. *Lapis pacis* appellatur.

Varii item Ritus pacem danti in diverſis Eccleſiis.

Ritus autem pacem dandi varii fuerunt in variis Eccleſiis. Joann. Abrincenſis Epiſcopus præſcribit oſculum figi patenæ ad verba: *Da propitius pacem*; & poſt hæc porrigendam oſculis patenam, ut inde pacem accipiat. Ordo Rom. dum dicitur a Pontifice: *Da propitius pacem, accipiat ab Acolythis patenas.* Aſſerit Durandus Celebrantem, dum patenam oſculatur, pacem accipere, quam a Deo petit per verba: *Da propitius pacem*, ad quæ verba Carthuſiani tangunt patena Hoſtiam, & patenam deinde oſculantur, ut ſibi applicent quod per Euchariſtiæ contactum patena adepta eſt. Burdegalæ in Miſſa ſolemni loco pacis duæ Crucifixi imagines oſculandæ porriguntur. In Miſſa Illyrici, & in Sacram. Trevirenſi notatur, quod initio orationis *Domine Jeſu Chriſte* Sacerdos oſculatur Altare. Sacerdotes aliqui ſæculo 12. pacem propius, & immediate a Jeſu Chriſto accepturi, ſacram Hoſtiam oſculabantur, ut refert Beleth. de Div. Off. cap. 48. addens, convenientius aliquibus viſum fuiſſe oſculari lapidem, & ſepulcrum, ideſt lapidem ſacrum, in quo Sanctorum reliquiæ clauduntur. Idem poſt Beleth. aſſerit Durand. Ration. lib. 3. cap. 53.

Mos oſculandi Euchariſtiam olim in aliquibus Eccleſiis uſu receptus.

Nihilominus morem oſculandi Euchariſtiam in pluribus, præſertim Galliarum, Eccleſiis viguiſſe oſtendunt Miſſale Narbonenſe ſæculo 13., vetus Miſſale MS. Antiſſiodorenſe, aliaque antiqua omnia Trecenſia, Carnutenſia, & Senonenſia an. 1556., & 1575. Pariſienſia omnia uſque ad 1615., & Meldenſia uſque ad 1642. Adurebatenſia 1486. Ettenſia 1493., & 1523. Toloſana 1490. Rhemenſia 1505. Sueſſionenſia 1516. Veſontionis 1526. Aquenſia 1527. Bellovacenſia 1538. Cabilonenſia 1543., atque alia plura apud Petrum Le Brun Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 603. Revera improbatus deinceps fuit mos iſte in Conſtitutionibus Synodalibus Eccleſiæ Saliſburienſis ann. 1217., & in aliis S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi Ordinis noſtri Ciſtercienſis; minus enim conveniens habitum

fuit

Digitized by Google

Poſtea intermiſſus, non ſine rationabili cauſa, & oſculata vaſa ſacra, aut linteamina.

fuit Corpus Domini noſtri oſculari. Ob hanc fortaſſe rationem amandatus eſt mos iſte elapſo ſæculo, quo etiam perſeveraſſe oſtendit Miſſale Abbatiæ S. Remigii Rhemenſis impreſſum an. 1556. præſcribens, ut Sacerdos Hoſtiam oſculans dicat: *Pax tua ſit mihi Chriſte*. Alicubi figebatur Calici oſcula, ut fit etiamnum a PP. Dominicanis. Juxta vetera manuſcripta Antiſſiodorenſe alterum, alterum Narbonenſe, oſculo donabantur Calix, & Hoſtia. Juxta antiqua Miſſalia Narbonenſia impreſſa 1528., & 1576. Sacerdos oſculabatur alterutrum, quem volebat; juxta Miſſalia S. Arnoldi Metenſis an. 1321., & Viennenſia 1519. utrumque oſculabatur Calicem tantum; juxta Miſſalia Ultrajecten. an. 1497., & 1540. Cameracen. 1527., & Manuale Pampelonenſe 1566. Alibi (ut apud Carmelitas oſculabatur Calicem Sacerdos, & Corporale, ſive Pallam, ideſt linteamina, quæ Sacroſanctum Chriſti Corpus tetigerant. Manuale Sariſburienſe ao. 1555. *Deoſculetur Sacerdos Corporalia in dextera parte, & ſummitatem Calicis Corpore Dominico prius tactam.* Juxta Gabrielem Biel, qui ſcribebat an. 1488., & juxta Miſſalia Baſileenſe an. 1501. Colonienſe 1509. Monaſterienſe 1520., & juxta duo Miſſalia Aquiſgranenſe 14., & 15. ſæculi Sacerdos librum oſculabatur, ſeu Crucis imaginem in hac Miſſalis parte impreſſam, atque Altare juxta Miſſale Trevirenſe ano. 1547. oſculabatur Corporale, & Librum; alibi patenam, ut videre eſt in Miſſ. Leodienſe an. 1502., & Rhotomagen. 1521, Ecce quam varii fuerint hujuſce ſancti oſculi uſus.

Deinde eorum loco ſubrogatus mos oſculandi altare.

Tandem fere omnes ſecuti ſunt morem oſculandi Altare, quod eſt Sedes Corporis Jeſu Chriſti, quem morem infert Ordinarium Montis Caſſini verſus ann. 1100. ſcriptum, huncque ſervarunt ſemper Carthuſiani. Alias Celebrans oſculabatur medium Altaris, Calicem inter, & Hoſtiam, quum alter in dextra, altera in ſiniſtra parte collocaretur. Ordo Romanus 14. præſcribit figi oſculum in parte ſiniſtra, ideſt prope Hoſtiam. Ante finem ſæculi 15. nulla fit mentio illius inſtrumenti ad dandam pacem inſtituti. Dabatur quippe *per oſculum* etiam in Miſſa Papali, cui adfuerint Laici; *Deinde Oratores Cæſaris, Laico, vel Prælato, & ille alteri Oratori juxta eum ſtanti, & ſic de aliis*. Cærem. lib. 3. cap. 3. Burchardus Cæremoniarum Magiſter in fine ſæculi 15. primus videtur Ordini inſerviſſe, ut in Miſſis privatis Miniſter flexis genibus Celebranti exhibeat inſtrumentum ad pacem deoſculandum. In hoc Ordine Romæ impreſſo an. 1524. legitur, quod poſtquam Miniſter Sacerdoti porrexerit inſtrumentum pacis, illud offert Laicis, & Fœminis etiam. Paris de Craſſis Burchardi ſucceſſor ſub PP. Julio II., & Leone X. uſque verſus annum 1525. de Cærem. Card., & Epiſc. lib. 1. cap. 50. loquitur de Inſtrumento pacis pro Miſſa ſolemni in aliquibus Italiæ Eccleſiis, non autem in Eccleſia Romana, addens non eſſe hoc inſtrumento offerendam pacem, niſi *pueris, Clericis, & Populo vulgari, & fœminis*. Miſſale Fratrum Prædicatorum an. 1254. *In Miſſis vero privatis, quæ non ſunt de mortuis, detur pax Fratri ſervitori, ſed aliis adſtantibus non detur, niſi conſuetudo Patriæ teneat contrarium*. Tunc dicti Fratres pacem dabant *per oſculum*, ut infra videbitur. Cærem. Carmelit. lib. 2. rubr. 53. *Oratione finita, inſtrumentum pacis a Miniſtro juxta ipſum ex parte Epiſtolæ inclinato porrigatur, quod Celebrans oſculans ſecreto Orationem: Habete vinculum, &c. dicet*; hunc tamen articulum non ſervant Carmelitæ Gallicani.

Tandem reſtitutus circa finem ſeculi XV. inſtrumenti deoſculatorii uſus.

Cum antea mos mutui amplexus invariatus permanſerit uſque ad ſec. XIII.

Mos autem mutuorum amplexuum invariatus permanſit uſque ad medium ſæculum 13. Beleth. ſæculo 12., & Durandus an. 1286. tantummodo monent, ne viri pacem dent mulieribus, ne impuris cogitationibus detur locus, quod argumentum eſt non tam rigide ſervatam tunc fuiſſe ſeparationem hominum a mulieribus, ſed quod ad maſculos attinet, ſemper oſculo ſibi pacem dabant. *Homines oſculum, ideſt pacis ſignum, ſibi invicem dant*, ait Durandus Ration. lib. 4. cap. 53. nu. 4. Solus Clerus veterem Romanum morem retinuit mutui amplexus, reſervato pro Laicis Oſculatorio, quod fere ſemper eſt imago aliqua Crucifixi. Concilium Auxburgenſe ano. 1548. *Concordiæ, & pacis ſymbolum. veluti imaginucula Crucifixi ab ore Sacerdotis pacem populo imprecantis ſecundum cujuſque Eccleſiæ ritum hactenus ſervatum, aut commodiorem inſtitutionem ad adſtantes in Miſſis ſolemnioribus deferatur*. Sed cum quidam Sacerdotes ad hunc finem, altaris patenam adhiberent, Concilium Mediolanenſe tertium ſtatuit, *ne patena, cum oblatio fit, ſed Crux, aut ſacra imago offerentibus fidelibus ad oſculum præbeatur*. Concilium Aquenſe an. 1585. *Cum poſt offertorium in Miſſa oblatio fit a Populo, Sacerdos, ne patenam deoſculandam illi præbeat, ſed tabellam aliquam piam, vel ſacram imaginem ad hoc adhibeat*. Aſt nunc fere ubique ſublata ſunt & hæc oſculatoria propter eos, qui præferri in hac cæremonia ambientes, pacis inſtrumento ad turbas concitandas abutebantur. Atque hactenus de pacis oſculo ſancto dicta ſint.

(6) *Aut ſublati, aut immutati ſunt*.) Atque ipſi Franciſcani Fratres, Minores dicti, fortaſſe ii ſunt, qui ad evitandum omnem etiam minimum libidinoſæ affectionis pædorem, loco mutui amplexus, in quo ex hominum malitia periculum aliquod eſſe poterat, pium illud, ac religioſum inſtrumentum ad dandam pacem propterea oſculatorium pacis dictum prudenter, ſanctèque ſubſtituerunt; non enim ante ſæculum XIII., quo ſacer Minorum Ordo in Eccleſia clareſcere cupit, quidquam de hoc vocabulo oſculatorii ad pacem auditum legitur. Altera porro oratio, quæ a Celebrante recitatur poſt orationem ad pacem, eſt: *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, &c.* legitur hæc oratio in Miſſa Illyrici verſus annum 900. In Miſſa Ratoldi ſæc. X., & in Sacramentario Trevir. ejuſdem ſæculi. Hujus meminit Micrologus, & Carthuſiani Micrologo coævi hanc orationem ſemper, & ſolam recitarunt; ſicuti & Dominicani, qui a Ciſtercienſibus hunc etiam uſum mutuaverunt. Tertia eſt *PERCEPTIO, &c.* Advertit Le Brun 5. parte art. 8., quod orationes omnes in Sacrificii celebratione ad Deum Patrem

De aliis duabus Orationibus ante Communionem.

trem

trem dirigebantur uſque ad ſæc. 6., hocque præſcriptum expreſſe fuiſſe a Concil. Africanis, & Optat. lib. 3. ad Parmen. ritum hunc ubique conſtantem ſupponit, ſeu adv. Donat. ſic illum objurgans, dicens: *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ante ejus Aram rogaverit*. Et S. Leo I. Papa ſerm. 20. in Nativit. 1. cap. 3. confirmans quod jam ante ſtatutum fuerat in Concilio III. Carthag. c. 23. aſſerit Orationes, & Sacrificia ad Deum Patrem dirigi per Filium in Spiritu Sancto, quia Jeſus Chriſtus unicus eſt mediator Deum inter, & hominem, nulluſque eſt acceſſus ad Patrem, niſi per Filium, ut loquitur Apoſtolus Epiſt. ad Roman. 5., & ad Eph. 2. Quin immo teſtatur Chriſtus ipſe Joann. 14. neminem ad Patrem venire, niſi per Filium, & ut ait alter Summus Pontifex Innocentius III. Lib. 2. Myſter. Miſſæ cap. 26. explicans orationis clauſulam: *Hoc eſt in Spiritu Sancto, qui eſt unitas Patris, & Filii amor, & connexio utriuſque*. Ad abolendas vero Ariani erroris reliquias neceſſe fuit aliam confirmare veritatem: Jeſum Chriſtum nempe, verum eſſe Deum, & Patri Deo æqualem; quapropter tres iſtæ orationes communionem præcedentes immediate ad Deum Filium diriguntur, cujus verum Corpus ſumitur, & verus Sanguis bibitur.

Supereſt hic de iiſdem duabus Orationibus, quas tantum indicavit Eminentiſſimus Author, breviter alia nonnulla attingere; & quidem memorata Oratio incip. *Domine Jeſu Chriſte*, quam, etſi non ex Ordine Romano, ſed ex Religioſorum traditione dictam Micrologus ſcribat cap. 18., in omnibus tamen antiquis Miſſalibus, præcipue impreſſis legitur, & cum ſua propria concluſione, ſicut & ſubſequens: *Perceptio Corporis tui*; hæ ſiquidem Orationes non comprehenduntur ſub lege Collectarum, quæ ſub unica concluſione dicuntur. Porro hanc tertiam Orationem in nullo huc uſque authore indicatam inveniſſe fatetur Gavantus, quam tamen ipſe legit in veteri Miſſali manuſcripto Vaticano ſign. num. 4743. Et quidem hæc deeſt in Miſſali antiquo noſtri Ordinis Ciſtercienſis, ubi nec habetur prima Oratio pro pace, quæ pariter incip. *Domine Jeſu Chriſte*. Ciſtercienſes enim ex eorum veteri ritu unam tantum Orationem dicebant ante ſumptionem Sacramenti, ſecundam videlicet, quam dicimus ex ritu hodierno Romano. Olim etiam ante ſumptionem Euchariſtiæ, poſt quam dixit Sacerdos: *Domine non ſum dignus, &c.*, ſubmiſſa voce, vel potius mente dicebat hanc Orationem: *Domine Jeſu Chriſte da mihi, & omnibus fidelibus tuis gratiam, ut ſicut te velatum videmus, te revelatum videre, & in æternum cum omnibus Electis tuis laudare mereamur. Qui vivis, &c.*, uti habetur inter rubricas Miſſalis Romani; impreſſi Venetiis apud Hæredes Juntæ ann. 1563., cujus exemplar legi in Monaſterio noſtro S. Mariæ Gratiarum Montis Soractis, atque hujus antiquius, Venetiis item impreſſum an. 1511. extat in hac Bibliotheca Monaſterii B. M. V. Conſolatricis Taurini.

C A P. X V I I.

Ritus, & uſus Antiphonæ, quæ Communio nuncupatur. Orationes Sacerdotis ante communionem. Ejus dandæ, & accipiendæ diverſa conſuetudo. Quotidiana veterum communio. Ea ad Clerum, tum ad Miniſtros altaris redacta. Olim Euchariſtia manu excepta, domi ſervata, ad abſentes miſſa, delata in itinere, cuſtodita in Eccleſiis, defunctis conſepulta. Hi mores an, & quando deſierint. Qui fuerint alicubi in communione abuſus. Modus, ordo, ſitus communicantium.

§. I.

Ritus, & uſus Antiphonæ, quæ Communio nuncupatur. Orationes Sacerdotis ante Communionem.

POſt oſculum pacis ſuſcipit Sacerdos ſacra dona (1), quibus ipſe refectus ea populo diſpenſat, & interim Chorus cantat Antiphonam, quæ ideo Communio dicitur, quia populo communicante cantatur. Olim Pſalmus ſimul concini ſolebat cum *Gloria Patri*, atque ipſius Antiphonæ repetitione, ut tota actio communionis laude Dei perſonante perficeretur. *Sciendum eſt autem*, inquit Micrologus cap. 18. *eamdem antiphonam ſemper eundem pſalmum cum introitu habere, ſi non habet proprium, ex quo ſumpta videatur*, cujus rei exemplum habemus in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Miſſalibus manu exaratis. Teſtatur (1)

Augu-

Auguſtinus *lib.* 2. *Retract. cap.* 11. hanc conſuetudinem in Eccleſia Africana, ipſo vivente cœpiſſe, ut hymni ad altare de Pſalmorum libro dicerentur, cum populo oblatio ſacra diſtribueretur. Ordo Romanus in prima deſcriptione Miſſæ ejuſdem ritus antiquitatem confirmat, dicens: *Mox ut Pontifex cœperit communicare populum in Senatorio, ſtatim Schola incipit antiphonam ad communionem, & pſallunt uſque dum communicato omni populo, etiam in parte mulierum, redit in ſedem, & repetito verſu quieſcunt. Pontifex vero contemplans populum communicatum eſſe innuit per Subdiaconum primo Scholæ, & ille reſalutato eo dicit* Gloria Patri, *&* Sicut erat, *& Verſum. Et finita antiphona ſurgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad altare dat orationem ad complendum* (2). Eundem (2)
morem vigere apud Æthiopes docet eorum Miſſa his verbis. *Dum miniſtratur Sacramentum populo, pſallunt docti aliqua carmina in honorem Sacramenti, & Sanctorum, quorum feſta celebrantur compoſita, populus reiterat canendo.* Armenii quoque hymnos canunt, & pſalmos non ſolum tempore communionis, ſed etiam cum eulogiæ peracta Synaxi diſtribuuntur. In Liturgia S. Jacobi, dum Sacerdos oblata in partes dividit, cantantur pſalmi. *Dominus regit me, Benedicam Dominum in omni tempore, Exaltabo te Deus meus rex, Laudate Dominum omnes gentes.* Ante communionem ter dicit Sacerdos, *Domine, non ſum dignus*, qui verſus in quibuſdam antiquis Miſſalibus MSS. reperitur, at in pleriſque deeſt
(3). Ejus uſus commendat Origenes *hom.* 5. in diverſa loca Evangelii, (3)
Quando, inquit, *ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vita pane, & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipſum imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Chryſoſtomus item hom. de Sancto Thoma Apoſtolo exhortans fideles, ut puri accedant ad Dominum, ait, *Dicamus Redemptori noſtro; Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum animorum noſtrorum, quia tamen tu a nobis teneri vis, de tua freti indulgentia ad te accedimus.* Sunt & aliæ peculiares orationes a diverſis Eccleſiis in ſuis Miſſalibus præſcriptæ a Sacerdote recitandæ ante communionem, quarum nonnullæ cum Romanis fere coincidunt, aliæ diverſæ ſunt. In Miſſali Romano MS. quod mihi oſtendit vir multæ eruditionis Camillus de Maximis Patriarcha Hieroſolymitanus hæc indicitur, quam etiam legi in Miſſali Sarisburienſi. *Deus pater, fons, & origo totius bonitatis, qui ductus miſericordia Unigenitum tuum pro nobis ad infima mundi deſcendere, & carnem ſumere voluiſti, quam ego indignus hic in manibus meis teneo, te adoro, te glorifico, te tota mentis, ac cordis intentione laudo, & precor, ut nos famulos tuos non deſeras; ſed peccata noſtra dimittas, quatenus tibi ſoli vivo, ac vero Deo puro corde, & caſto corpore ſervire valeamus.* Tum immediate ante communionem. *Ave in æternum ſanctiſſima caro Chriſti, mihi ante omnia, & ſuper omnia ſumma dulcedo.* Et ante ſumptionem Sanguinis. *Ave in æternum cœleſtis potus mihi ante omnia, & ſuper omnia ſumma dulcedo* (4). (4)

Singularis quidam Communionis Ritus in veteri Miſſali FF. Minorum præſcriptus.

(1) *Poſt oſculum pacis ſuſcipit Sacerdos ſacra dona.*) Singularis eſt, & alioquin devotus mihi videtur Ritus, quem in Communione præſcribit quoddam Miſſale Fratrum Minorum ſecundum conſuetudinem Curiæ Romanæ ſæculo 14. ſcriptum, quod extat Romæ in Bibliotheca Caſanatenſi PP. Prædicatorum ex dono Benedicti XIII. ſic enim ibidem legitur: „ Hic ſignet ſe Sacerdos „ cum patena, in qua jacet Corpus Domi- „ ni, & ab eadem patena, non cum manu, „ ſed cum lingua ſumat dicens: *Corpus Do- „ mini noſtri Jeſu Chriſti, &c.* Conſimilem morem præſcribit Miſſale eorumdem Fratrum Minorum Neapoli impreſſum anno 1482. addit hæc verba: „ licet quibuſdam magis „ placet

„ placet ſumere Corpus Domini de patena „ cum manu, ſecundum priorem Curiæ con- ;, ſuetudinem „ Cenſerem ritum hunc a Fratribus Minoribus introductum, ab iis quoque ſolis uſurpatum fuiſſe, nec unquam in Romana Curia viguiſſe, quidquid nobis editor illius Miſſalis exhibeat. Certe nec Ordo Romanus ſæculo XIV. ſcriptus, nec Cæremoniales Libri, ſequenti ſæculo exarati, hujus conſuetudinis meminere. Cæterum adhuc initio ſæculi XVI. morem illum viguiſſe non obſcure indicat anonymus Author, qui Expoſitionem Canonis Miſſæ Viennæ in Auſtria edidit anno 1521., dum hæc ſcribit: „ Qui- „ dam de manu, quidam vero de patena „ Corpus Chriſti ſumunt, (addit) tutius au- „ tem eſt de manu recipere, cum digi- „ ti in Calice poſtea laventur. Qui au- „ tem de patena ſumunt, ſi non lavant in ;, Calice, negligentiam committere poſſunt „ Trithemius quoque in Chronico Hirſaurgienſi, de quo infra, hujus conſuetudinis meminit; „ Dicant (inquit) mihi homines opinionem „ veritati contrariam temere nimium aſſe- „ rentes, quid illi commiſerint ſceleris, „ qui manibus remotis Dominicum Corpus „ lingua dumtaxat attrahentes, de patena „ ſuſcipiunt, hos paulo infra canes quaſi „ lambentes appellat „. Invenio etiam apud Monachos Græcos hunc morem in uſu fuiſſe, dum privatim in cellulis communicabant. Etenim in vita Sancti Lucæ Junioris Tom. 2. Auctar. Biblioth. PP. ad diem 7. Februarii, a Combefiſio primum, dein a Bollandianis edita, Archiepiſcopus Corinthiorum hoc Lucæ conſilium tradit: *Manus autem contrahes, ore autem Sacrum pretioſi Chriſti, ac Dei noſtri Corpus ſumes*. Verum quidquid de Communione privata, in Eccleſia ejuſmodi uſus tolerari non poſſe videtur, cum devotus licet, admodum tamen ſingularis ſit, nec alibi uſurpatus legatur.

Qui tamen non videtur in Romana Curia viguiſſe, ut ibi dicitur.

Obſervandus hic alter Ritus non minus ſingularis apud Fratres Prædicatores etiamnum vigens, qui manu ſiniſtra Chriſti Corpus accipiunt. Trithemius idem in dicto Chronico Hirſaurgienſi ad ann. 1313. pag. 131. refert Hiſtoricos nonnullos perperam aſſerere auſos fuiſse Henricum Septimum Imperatorem a quodam Fratre Bernardo Dominicano ejus Confeſsario, & Capellano necatum, porrecta illi Euchariſtia veneno infecta, & addit hujus opinionis aſsertores, qui ſcribunt Imperatorem veneficio periiſse prius dicto Fratris Bernardi, conſequenter nimis temere (& ut reapſe comprobatur) ſine ulla ratione confirmant, quod ſcilicet Romanus Pontifex, neſcio quis, pro expiatione tanti ſceleris, Ordinem Fratrum Prædicatorum ea mulctaverit nota infamiæ, quod omnes eorum Sacerdotes, dum celebrant, perpetuo ſeſe manu ſiniſtra Dominico debeant Sacramento communicare, ſicut & communicant. Quam fabulam ibi Trithemius validiſſimis argumentis evertit. Dolendum recentiores quoſdam Hiſtoricos ejuſmodi falſæ, ac putidæ narrationi fidem commodare potuiſse, quam tamen mox evellemus, ſed præſtat in anteceſſum hujuſce Ritus antiquitatem ab initio Ordinis Prædicatorum demonſtrare. Et primo Dominicani Ritus cauſam reddit idem Trithemius loco citato pag. 133. his verbis. „ Quod ſiniſtra ſe manu Celebrantes commu- „ nicant, nullius eſt pœna criminis, ſed ex „ antiqua conſuetudine introducta devotio; „ quatenus eo decentius dextra pectus poſſint „ contundere, quo minus eam porrectione „ Sacramenti coguntur occupare. Multorum „ enim conſuetudo laudabilis eſt Celebran- „ tium, ut ſumpturi vivificum Corpus Do- „ mini tertio pectus tundant, dicentes: *Deus* „ *propitius eſto mihi peccatori*. Et hæc tunſio „ pectoris, quoniam ſiniſtra fieri manu de- „ center non potuit, primos Inſtitutores Præ- „ dicatorum Ordinis, quo dextram haberent „ exoccupatam, ut communicaturi Sacra- „ mentum ſiniſtra teneant, induxit „: Quæ dicta ſunt erudite; antiquum enim Fratrum Prædicatorum Ordinarium an. 1256. ſcriptum, & relatum a doctiſſimo Grancolas Tom. 2. antiqu. Liturg. pag. 333., quod eſt idem cum inferius memorando, ubi hæc habet. „ Sa- „ cerdos Hoſtiam ſiniſtra uſque ad commu- „ nionem teneat „. Ex quo vides conſuetudinem illam apud PP. Prædicatores viguiſse longe ante obitum Henrici Imperatoris, qui contigit anno 1313.

Fabuloſa, & putida narratio quoad Communionem ex Dominicano ritu diſpellitur.

Citatus anonymus Auctor, qui Trithemii temporibus vixit, de hoc ritu ſermonem inſtituens, ait: „ Quidam de dextra ſumunt „ Corpus Chriſti, & falſum eſt, quod qui- „ buſdam Ordinibus pro pœna ſit impoſitum, „ quod nonniſi de ſiniſtra accipere audeant, „ ſed potius hujuſmodi ab his tenetur ex „ optimis, & convenientiſſimis rationibus „ quas hic Anonymus ſi attuliſset, rem nobis fecisſet gratiſſimam. Plures affert hujus cæremoniæ rationes Marcellus de Cavalleriis in Statera Sacra Cærem. Miſsæ, ſed præter eam, quam Trithemius ante ducentos annos adduxerat, omnes ineptæ videntur. Ritus autem ille, cujus meminit Trithemius: & Sacerdotes ante Corporis Chriſti ſumptionem tertio pectus tundant, dicentes: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, vigebat ipſius Trithemii temporibus apud Monachos Burſfeldenſes, quorum Cæremoniale anno 1502. ſcriptum præſcribit, ut Sacerdos finita oratione: *Domine Jeſu Chriſte, qui ex voluntate Patris, &c.* tundendo pectus ter dicat: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, quamquam manu dextra communionem ſumendam eſse præcipiat.

Præterea quoad dictum Miſsalem Librum Fratrum Prædicatorum obſervanda ſunt, quæ adnotarunt Clariſſimi Patres Quetif, & Echard de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum Tom. I. pag. 144. in verbo Miſsale Conventuale; „ Rubricæ omnes (inquiunt) Miſsarum ma- „ jorum, & omnia a Celebrante dicenda, „ & cantanda: in his rubricis illud hic obi- „ ter venit notandum, quod de Sacerdotis „ Celebrantis communione ordinatur. Sic „ enim habet rubrica: cum autem Sacerdos „ dixerit: *Omni perturbatione ſecuri*; detegat „ Calicem, & accepta Hoſtia dicendo *per* „ *eumdem*, dividat Hoſtiam primo in duas „ partes, deinde partem, quam tenet in dex- „ tra, ſupponat in tranſverſum parti relictæ „ in

Ejuſdemque Ritus antiquitas ab ipſius Ordinis Prædicatorum inſtitutione demonſtratur.

„ in ſiniſtra, & dividat eam in duas alias, „ ita ſi fieri poteſt, quod digiti fracturam „ non tangant, & in ſiniſtra retinens duas partes uſque ad perceptionem. Ex ea rubrica patet in Ordine Prædicatorum jam a „ prima ejus inſtitutione, & ante annum „ M.CCLIV., quo ſcriptus fuit hic Codex, „ ſolemne fuiſſe, ut Sacerdotes manu ſiniſtra Corpus Domini perciperent. Neque „ vero id nobis peculiare, nam Epiſcopis „ etiam Cardinalibus is erat mos. In Cod. „ regio 4130. fol. par. memb. ſec. XIII., „ cui titulus Cæremoniale Romanum multiplex fol. 75. De his, quæ obſervanda ſunt, „ Quando Epiſcopus Cardinalis Miſſarum ſolemnia celebrat: poſt alia plura, tandem „ fol. 92. a. ubi de Communione, ſic legitur: Pontifex autem data pace, ut prædictum eſt Capellano, convertens ſe ad Altare inclinat ante Hoſtiam, & Calicem, „ & junctis manibus dicat reverenter illas „ orationes: *Domine Jeſu Chriſte*, *&c.*, & „ alias orationes, quæ dicendæ ſunt ante ſumtionem Corporis, prout habentur in libro: „ ſubſequenter accipiens cum digitis ſiniſtræ „ manus illas duas partes Hoſtiæ, quæ ſunt „ ſupra patenam, ſumat eaſdem cum omni „ reverentia, & dum habet in ore Sacrum „ Corpus Domini, teneat manus ante pectus „ junctas, &c., ex quibus patet conſuetudinem noſtram ex more, & ritu antiquo „ Pontificum proinde, & aliorum Sacerdotum ſæculo XIII. adhuc vigente deſcendiſſe. Eo Codice regio poſt Cæremoniale „ ſequitur narratio geſtorum in Concilio Lugdunenſi II. a viro præſente ſcripta, & Codex eſt ejus ætatis. Id autem ea ratione „ inſtitutum putaverim, tum ut dextra libere „ Calicem, & totum Sacrificium adverſus accidentia, quæ interturbare poſſent, protegat, tum quia ſola ſiniſtra cavere poteſt, „ ne uti vetatur, digiti fracturam Hoſtiæ tangant, cum ex parte dexra ex ritu antiquo apud nos etiamnum ſervato fracta ſit.

Hæc excerpta ſunt ab Auctoribus ſupracitatis ex Ordinatione Officil F. Humberti de Romanis Magiſtri Generalis, cujus Exemplar extat Pariſiis in domo Sanjacobea; Codex eſt inſignis fol. max. memb. & orationis molis anno MCCLIV. finitus, minuto quidem, ſed eleganti, & nitido charactere ſcriptus. Titulus literis majoribus hic eſt: ECCLESIASTICUM OFFICIUM SECUNDUM ORDINEM FRATRUM PRÆDICATORUM, IN HOC VOLUMINE PER QUATUORDECIM LIBROS DISTINCTUM, hoc ordine continetur: ut apparet ex pag. 143. dicti Operis.

Porro, inquit Abrahamus Bzovius in continuatione Annalium Baronii ad ann. 1313. Id cæremoniæ ſiniſtra manu communicandi datum a Sede Apoſtolica dicto Prædicatorum Ordini propter triumphatam a Fratribus Berengarianam hæreſim in Europa graſſantem temporibus S. Dominici dicti Ordinis Fundatoris, & S. Petri Mart. ævo reviviſcentem in contumeliam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, quam dicti Hæretici Sathanæ diſcipuli negabant adorandam, datum, inquam, ut tum poſt *Agnus Dei* ſiniſtra manu ſuper Calicem elevatam Hoſtiam teneant, ac tunc univerſo Populo adorandum Chriſtum Dominum Deum verum, & Hominem ſub ſpeciebus panis, & vini realiter præſentem exponerent, tum ipſi tunſione pectoris interiorem animi latriam in ſacroſanctum ſalutis noſtræ pignus oſtenderent. Specialem hunc ritum ex ſingulari privilegio Sacro Prædicatorum Ordini fuiſſe ab Eccleſia conceſſum teſtantur & alii apud ſupra laudatum Marcellum de Cavalleriis in libro, quem inſcripſit: *Statera Sacra Miſſam juxta ritum Ord. Prædicatorum expendens.* Audivimus hujuſce ſacri Ritus antiquitatem ab ipſo pene Ordinis initio exortam, ſupereſt, ut immanem calumniam jam indicatam a malevolis illius occaſione confictam amplius invictis momentis diſpellamus, & Sanctiſſimum Ordinem tot præclaris doctrinæ, & virtutum inſigniis de Eccleſia optime meritum ab omni leviſſima etiam criminoſæ ſuſpicionis umbra vindicemus. Et quidem fabuloſa illa, ac putida narratio, quam ex falſo populi rumore conceptam recitat in Chronico Hirſaurgienſi, & eamdem refellit ſupra laudatus Trithemius, ipſamet facilitate propulſatur, qua objicitur. Plurimi enim Scriptores coævi, inter quos Albertinus Muſſatus, & Guillelmi Nangii Continuator, qui tunc vivebant, diſerte aſſerunt Henricum VII. Imper. ad dictum annum 1313. naturali morbo, & febre ex hac vita exceſſiſſe; Idem ſcribunt Platina de Vitis Pontificum in Clemente V., & Joannes Nauclerus Tubingenſis. Præterea Medicos poſt mortem Imperatoris accerſitos conſtat diſſecto ipſius cadavere ſingulas illius partes diligenter inſpexiſſe, nec veneno, ſed naturali morbo ipſum Imperatorem obiiſſe teſtatos literis, & publicis inſtrumentis, quæ in Chronicis Iacobi Suſati extant. Accedunt in dictorum confirmationem laudati Papæ Clementis V. ſententia, judicia, ac teſtimonia Principum Imperii, & præſertim Johannis Bohemiæ Regis, ipſius Henrici Imperatoris filii Diploma, quod ex veteri membrana authentica in Conventu Virdunenſi PP. Præd. aſſervata publicavit doctiſſimus vir Stephanus Baluzius Miſcell. lib. 1. pag. 162. Præter hæc, & alia antiqua, atque integerrimæ fidei monumenta Nicolaus Serarius Soc. Jeſu eruditiſſimus Hiſtoricus Rerum Moguntinarum lib. 5. duos laudat Authores, Trithemium, & Conradum Vecerium vitæ Henrici VII. Imperat. Scriptorem, qui dictum execrabile facinus a memorato Bernardo Politiano Dominicano viriliter avertunt, & ad ejus tuendam innocentiam multa proferunt argumenta ita ad evidentiam deducta, ut ipſis refragari ſummum, & grave piaculum ſit. Pariter Jacobus Gretzerus ejuſdem Soc. Ieſu Theologus inſignis, & eruditionis eximiæ viriliter dictam diluit adverſus Phil. Mornæum du Pleſſis cap. 57. Hinc non dubitarunt Ciacconius Vit. Pontificum in Clemente V., & Andreas Victorellus in Addit. intrepide aſſerere, quod hujus fabulæ, & meri ſomnii in probatis Annalibus nullum veſtigium extet. His denique adjungam alios duos item magni nominis Scriptores, Henricum Spondanum,

&

& Odoricum Rainaldum in Annal. Eccl. qui ab hac putida, & immani calumnia ſacrum Dominicanum Ordinem egregie vindicant ad ann. 1313. ille num. 6. hic vero num. 14. Atque hactenus ſatis eſto pro vindiciis quoad injuſte illatam dicto ſacro Prædicatorum Ordini injuriam.

Olim Pſalmi cantati ad Communionem.

(2) *Dat Orationem ad complendum.*) Cardinalis Thomaſius exemplum affert Pſalmi communionis tempore per Antiphonas cantati Antiq. Lib. Miſs. in Præf. Canebatur autem eodem fere modo, quo cantamus Pſalmum *Venite exultemus* &c. & ſic alternatim; canebatur autem ſec. 13. Teſte Alex. Halenſi. *Quod autem reciprocando cantatur, ſicut fit ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ, inſinuat, quod diſcipuli Reſurrectionis gaudium ſibi mutuo nunciabant.* De Offic. Miſs. parte 3. Huncque ritum vigere adhuc in Eccleſia Primatiali Lugdunen. teſtatur P. Le-Brun Tom. 1. pag. 655. Uſum canendi Pſalmum, aut illius verſiculum communionis tempore probabile eſt cæpiſſe in Oriente; In explicatione enim Liturgiæ per Cyrillum Hieroſolim. Catech. Myſtag. 5. legitur, quod communionis tempore canebatur verſiculus: *Guſtate, & videte, quam ſuavis eſt Dominus.* Et in Conſt. Apoſt. Lib. 8. cap. 13. præſcribitur, ut cantetur Pſalmus 33., in quo legitur verſus iſte: *Guſtate &c.* Qui mos poſtea S. Auguſtini ævo in Occidentem invectus eſt, ut ipſe refert lib. 2. Retractationum cap. x1. Juxta Liturgiam Sancti Marci canebatur Pſalm. 4. *Quemadmodum deſiderat Cervus &c.* Mos autem canendi Pſalmum cum *Gloria Patri*, & Antiphona viguiſſe adhuc circa an. 1090. teſtatur Micrologus de Eccl. Obſerv. cap. 18. Debent omnes communicare, interim cum Antiphona cantatur, quæ de communione nomen mutuavit, cui & Pſalmus ſubjungendus eſt cum *Gloria Patri*, ſi neceſſe fuerit. Hanc Antiphonam cani etiamnum in Miſſa ſolemni communionis tempore in Eccleſiis Senonenſi, Pariſienſi, Meldenſi, & Laudunenſi, teſtis eſt Le-Brun loco citato.

Paulo poſt Micrologum Antiphona hæc in pluribus Eccleſiis habita eſt, ut Hymnus poſt Communionem in gratiarum actionem dicendus; Rupertus de Div. Offic. lib. 2, cap. 18. „ „ Cantus, quem Communionem dicimus, „ quem poſt ſalutarem cibum canimus, gra„ tiarum actio eſt „. Idem habet Hugo a Sancto Victore, ideoque *Poſtcommunio* ab Innocentio III. ſeculo 12. appellata eſt. In Miſſali Fratrum Prædicatorum anno 1254. adnotatur, quod poſt quam Communicaverint, *Cantor Communionem præcinit.* Durandus lib. 4. cap. 56. „ Antiphona, quæ *Poſtcommunio* „ a pluribus nuncupatur, ideo ſic appella„ ta eſt, quoniam poſt Communionem, ſive „ in ſignum, quod Communicatis expleta eſt, concinitur.

(3) *At in pleriſque deeſſet.*) Meræ erat devotionis hunc verſum recitare in pluribus Eccleſiis, ut videre eſt in Miſſali Attrebaten. an. 1540. impreſſo.

(4) *Summa dulcedo.*) Hac oratione inſignior, utpote, quæ antiquior illa eſt, quæ in Miſſali Gothico a Thomaſio primum edito, deinde a Mabillonio in Liturgia Gallicana lib. 3. pag. 30. ſub finem ejuſdem Miſſalis, in Miſſali Dominicali, ſic enim habetur in Oratione ſecretæ: *Precamur mente devota, te Majeſtas æterna, ut operante virtute panem mutatum in Carnem, poculum verſum in Sanguinem, illum ſumamus in Calice, qui te fluxit in Cruce ex latere.* Sequitur alia oratio ante Dominicam; Deiode poſt eamdem ita dicitur: *Libera nos a malo Chriſte Jeſu; Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, & Sanguinem Sanctum pro nobis effuſum bibimus: Fiat nobis Corpus Sanctum tuum ad ſalutem, & Sanguis Sanctus tuus in remiſſione peccatorum hic, & in æterna ſæcula ſæculorum.* Ad hæc quid dicent impii Novatores, ac realis Chriſti præſentiæ in Euchariſtia Oſores, refractarii, & contumaces? Nihil interpretatione hic opus eſt, *Corpus Chriſti in Euchariſtia edimus*, non qualecumque, ſed illud ipſum, quod *pro nobis crucifixum eſt. Sanguinem ejus bibimus*, non umbraticum, ſed illum ipſum, qui *pro nobis effuſus eſt.* Uno verbo *panem ſumimus divina operante virtute mutatum in Carnem, poculum verſum in Sanguinem, qui in Cruce ex latere Chriſti fluxit.* Quis hodie Catholicorum ſuam de Euchariſtia fidem apertius, & efficacius poſſet exprimere, quam iſtius Liturgiæ Authores? Quos ante annos mille vixiſſe conſtat, (uti Thomaſius, & Mabillonius laudati pluribus argumentis ineluctabilibus evincunt) quos etiam conſtat ipſos, non ex ſe, ſed ex Patribus, & communi etiam tunc apud omnes univerſalis Eccleſiæ traditione ad Catholicum dogma ſumpſiſſe.

Invictiſſimum, & ineluctabile Argumentum, præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia ex Liturgia Gallicana veteri adverſus noſtri temporis Sectarios.

§. II.

Dandæ, & accipiendæ Communionis diverſa conſuetudo. Quotidiana olim veterum communio ad Clerum, tum ad Miniſtros Altaris redacta.

Dandæ vero, & accipiendæ Communionis diverſæ olim fuerunt conſuetudines, pro ut diverſa locorum, temporum, gentiumque conditio exigebat. In primordiis Eccleſiæ certum eſt & exploratum omnes fideles, quorum erat cor unum & anima una, quotidie perſeveraſſe in communicatione fractionis panis, ut acta Apoſtolorum teſtantur: Nec ullus ſacris Myſteriis intereſſe permittebatur, ſicut alibi oſtenſum eſt.

(1) Niſi qui offerre poterat, & de oblatis participare: quam conſuetudinem diu perſtitiſſe evidens eſt. Nam ex Juſtino *Apolog.* 2. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.* 8. *cap.* 20. ex Dionyſio *cap.* 3. *Eccl. Hierarchiæ*, & ex aliis conſtat Pontificem confectis Myſteriis ſumpſiſſe Euchariſtiam, & ſingulis præſentibus tradidiſſe ſive per Diaconos; ſive per ſeipſum. Cyprianus lib. de Oratione; *Hunc panem*, inquit, *dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes a cœleſti pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur.* Hyeronymus *Epiſt.* 50. Ad Pammacchium, *Scio*, ait, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo.* Nec ſolum Romæ, ſed etiam in Hiſpania eumdem morem ſumendi quotidie Euchariſtiam eo tempore viguiſſe *Epiſt.* 28. *ad Lucinium Bæticum* affirmat. Auguſtinus hac de re varias in Africa extitiſſe ſententias indicat *Epiſt.* 118. *ad Januarium*, nec declarat cui ipſe adhæreat. Ambroſius *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 4. Hortatur ad quotidianam communionem, ſic tamen vivendum monet, ut quotidie mereamur accipere (2). Ex quibus liquet initio quinti ſeculi in quibuſ- (2)
dam Eccleſiis Occidentalibus nondum abrogatum fuiſſe uſum quotidie communicandi. Imo alicubi adeo invaluerat mos communicandi quoties quis aderat Miſſæ, ut aliqui exiſtimarint eum, qui pluribus eadem die Miſſis intererat, debere in ſingulis communicare. Quæſtionem ex occaſione proponit, & ſolvit Walfridus Strabo prope finem cap. 22. his verbis. *Quia de communicandi varietate quadam præmiſimus, hoc addendum videtur, eſſe quoſdam qui ſemel in die communicare, etiam ſi pluribus interfuerint Miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credant: eſſe vero alios, qui ſicut in una, ſic in omnibus quibus aſſuerint Miſſis in die communicare velint. Quorum neutros culpandos exiſtimo, quia ſicut Auguſtinus ait de his qui quotidie communicant, & illis qui rarius, iſtos reverentia ſanctarum retrahit rerum, illos vero amor ſalubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipſe Sacerdos quoties in die Miſſas facit, communicare non omittit. Quod ſi non faciat, Canonico eſt feriendus judicio.* Hæc Walfridus, qui ſeculo nono vivebat. Citius autem in Oriente eorum qui ſacris myſteriis intererant, communio deſiit: nam Chryſoſtomus ſæpe, & aliquando Athanaſius, atque alii Patres Græci de infrequentia communicantium, ut ſuperius dictum eſt, in ſuis ad Populum homiliis conqueruntur (3). Solidæ tandem pietatis in aliqua Provincia (3)
defectu eo redacta res eſt, ut in Concilio Turonenſi II. ſub Leone III. cap. 50. ſancitum fuerit, ut homines Laici, ſi non frequentius, ter ſaltem in anno communicarent. Tum labente per univerſum orbem religionis ſtudio, cum rarior in dies fieret uſus communionis, in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ſingulis fidelibus mandatum eſt, ut cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel ſaltem in anno peccata ſua confiteantur, & in Paſchate ſacra communione reficiantur. In Miſſa autem ſolemni retenta eſt ab aliquibus Eccleſiis communio Miniſtrorum, quæ Romæ nunc permanet in inſignioribus Baſilicis, & ubi deſierat, Apoſtolicæ viſitationis decreto reſtituta eſt. Sapientiſſimo ſane conſilio, ne in deſuetudinem abeat antiquiſſimus Eccleſiæ ritus, ſine quo vix poſſunt intelligi, quæ in Liturgicis Orationibus quotidie recitantur.

(1) *Sicut alibi oſtenſum eſt.*) Vide, quæ dicta ſunt ſupra lib. 1. cap. XIII. §. 2. & §. 5. nota 4. item cap. 18. §. 2. & ſeqq.

(2) *Ut quotidie mereamur accipere.*) Can. IX. qui vulgo audit Apoſtolicus. *Omnes fideles qui ingrediuntur, & Scripturas audiunt, in pre-*

precatione autem, & ſacra Communione non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes ſegregare oportet. Conſonat Can. 28. Conciliî Illiberitani, & II. Antiocheni ſub Julio Papa I. de quo plura Emm. Scheleſtratius in peculia Tract. de eadem Synodo. De Æthiopibus, ſi Zagazabo vera prædicat: *Omnes tam Laici, quam Clerici conſueverunt Sacramentum bis in hebdomade ad minus accipere, & omnes idem volentes facere, Templum accedunt. Quippe nemini datur, niſi in Templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipſi precioſo Joanni*. Plane, etſi quotidie Euchariſtiam ſumere, nec laudandum, nec damnandum cenſeant S. Auguſtinus tum loco a Card. citato, tum de Eccleſ. Dogmat. cap. 54. atque item S. Hieronymus adv. Jovinianum. Alibi tamen idem Auguſtinus Epiſt. 118. ad Ianuarium. *Si quis dixerit*, ait, *non quotidie accipiendam Euchariſtiam, alius affirmet quotidie; faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum honorare contendunt; neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum alteri ſe præpoſuit, Zachæus ille, & Centurio, cum alter eorum in domum ſuam gaudens ſuſceperit Dominum, alter dixit: Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*. Hoc ipſum totidem verbis tradit S. Eligius Noviomenſis qui ſeculo ſeptimo floruit, homilia in die Cœnæ Domini; *Nam*, ait, *& ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere*. Ex quibus clare perſpicitur quotidianæ communionis Euchariſticæ uſum, ſeculo ſeptimo, ſi non ab omnibus, ſaltem a plerſque religioſe obſervatum fuiſſe. Sed & poſtea circa ſæculum nonum commendatam etiam in Laicis quotidianam hujuſmodi communionem ab Amalario legimus in ejus Epiſtola edita apud Lucam Dacherium Spicilegii Tom. 2. pag. 172. Eam pariter commendat Ionas Aurelianenſis Epiſc. Amalario longe poſterior lib. 2. de Inſtit. Laicali cap. 18.

Chronotaxis Euchariſtiæ Communionis Populi ab initio Eccleſiæ uſque nunc quo modo obſervatæ.

Hæc autem quotidiana communio ſenſim alicubi in alternativam, ſeu ternis quibuſque diebus faciendam tranſiit, de qua frequenti communione ſic S. Baſilius in Epiſtola ad Cæſariam Patriciam habet: *Nos autem quater in ſingulas hebdomadas divina Sacramenta participamus, Dominica die quarta feria in paraſceve, & Sabbato, & in aliis diebus, ſi quando Dominica memoria, aut Sancti alicujus fuerit*; deinde non multo poſt in hebdomadaria, ſeu Dominicalem, de qua nonnulli medii ævi Scriptores loquuntur, inter quos Author Sermonis 25. ex adſcriptis S. Ambroſio in nova ejuſdem Operum Editione ſic ſcribit: *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare*. Quam Dominicalem Communionem apud Monachos perſeveraſſe oſtendit Edm. Martene in Commentario ad Regulam S. P. Benedicti cap. 35. Ego autem id & Laicis etiam tunc præceptum, quaque ſcilicet Dominica die communicandi ulterius arbitror ex Concilii Antiſſiodorenſis ſeculo exeunte ſexto celebrati, de quo infra Card. noſter, Can. 42. ubi ſic legitur: *Ut unaquæque mulier quando communicat, Dominicale ſuum habeat, quod ſi qua non habuerit uſque ad alium diem Dominicum non communicet*. Ex quo Canone duo ad comprobandam Dominicalem Communionem tunc præceptam, animadvertenda conjicio, quæ nonnihil indigitat Baronius in Notis ad Martyr. Rom. ad diem 15. Auguſti. Et quidem Dominicalis nomine (inquit Nat. Alexander Hiſt. Eccl. ſæc. 6. cap. 5. art. 29.) vulgo intelligunt Authores mundiſſimum Linteolum, quo mulieres Euchariſtiam excipiebant, cui interpretationi admodum favet antiquus item Author Sermonis 252. de Temp. inter Auguſtinianos dicens: *Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Chriſti Corpus accipiant..... & quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Corpus Chriſti accipiant, ſic Corpus caſtum, & cor mundum exhibeant*. Cum itaque juxta tunc obſervatam conſuetudinem omni Dominica die communicandi, linteolum, quod fœminæ ad percipiendam Euchariſtiam exhibebant, Dominicale diceretur, ex hac ipſa denominatione non falſo arguitur eumdem communionem fuiſſe ex ſtatuta lege præceptam; non enim aliam ob cauſam linteum illud ita Domiuicale appellari potuiſſe videtur, niſi quia eo utebantur in Dominicali Communione, tum etiam id ſatis exprimunt verba Canonis, quæ ſequuntur: *Quod ſi qua non habuerit uſque ad alium diem non communicet*. Vigebat pariter apud Græcos religioſæ hujus obſervantiæ diſciplina tempore Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi natione Græci, ſæculo ſcilicet ſeptimo, qui de iis ita ſcribit in Capitulis ſelectis cap. 12. apud Acherium Spicil. Tom. 9. *Græci*, inquit, *omni Dominica die communicant, ſive Clerici, ſive Laici, & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicatur*. De Latinis vero hæc addit: *Romani ſimiliter communicant qui volunt, qui autem noluerint, non excommunicantur*.

Ex his, aliiſque, quos poſſem adducere teſtes, liquido conſtat jam ab exeunte ſæculo VII. piam hanc conſuetudinem apud Chriſtianos Laicos communicandi ſingulis Dominicis diebus, obſoleſcere cæpiſſe, cum eadem ad cujuſque placitum redacta fuerit, quam tamen poſtea excitare, & renovare ſtuduerunt propriis Conſtitutionibus Eccleſiarum Prælati, præcipue in Galliis Francorum Reges, in quorum Capitularibus lib. 5. num. 182. ſtatuitur: *Ut per omnes dies Dominicos, & feſtivitates præclaras ſacra Euchariſtia omnes communicent, niſi quibus abſtinere præceptum eſt*. Et lib. 6. num. 170. *Si fieri poteſt, omni die Dominica communicent*. Quod & in Concilio Turonenſi II. ſub Leone Papa III. Can. 50. ſancitum eſt. Verumtamen hæc a paucis frequentabatur, & ſenſim *in deſuetudinem abiit* (ut inquit Anonymus Turonenſis in ſuo ſpeculo MS. a Martenio laudatus Tom. 1. de Antiq. Eccl. Rit. pag. 419.) *ac tertia ſubſecuta eſt inſtitutio ut ſalutem ter quoque anno, in Natali, Paſchate, & Pentecoſte omnes Chriſtiani Euchariſtiam ſumerent*. Quod & confirmat Johannes Belethus de Div. Off. cap. 120. Idem etiam ſtatutum legitur apud Reginonem lib. de Eccleſiaſtica Diſciplina cap. 195. *Ut ſi non frequentius, vel ter Laici homines*

in anno communicent, niſi forte quis majoribus quibuslibet impediatur, ideſt in Paſcha, Natali Domini, & Pentecoſte. Ratherius Veronenſis Epiſc. qui eodem ferme ſeculo excunte decimo vixit, quartum addidit diem, ſcilicet Cœnæ Domini, in Epiſtola Synodica ad Presbyteros, Spicil. Tom. 2. cui ſuffragatur Leo Papa IV. Homilia de Cura Paſtorali. Uſum vero Eccleſiarum Hiſpaniæ colligimus ex libello Eldephonſi Epiſcopi anno 855. ſcripto, ſcilicet communionem univerſo populo præceptam fuiſſe in Natali Domini, Paſcha, Pentecoſte, & Transfiguratione; nam cum his diebus tres Miſſas celebrari præcipiat, & in ſingulis perplures oblatas conſecrari, manifeſtum inde colligitur argumentum de generali iis diebus Euchariſtiæ communione. Sed tandem refrigeſcente in dies fidelium devotione, ut innuit Card. noſter ſub initium ſeculi XIII. Innocentius Papa III. in Concilio Generali Lateranenſi can. 21. *Omnis utriuſque ſexus*. Obligationem percipiendæ quandoque per annum Euchariſtiæ ad annuam & Paſchalem communionem reduxit, atq; hæc inter alia univerſalis Eccleſiæ præcepta connumerata eſt, & ad hodiernam praxim quoad omnes fideles deducta. Non deſunt tamen hiſce noſtris temporibus ex Laicis perſonis, Eccleſiaſticos ſileo, quamplurimi viri, & mulieres cujuſcumque conditionis, & ſtatus, qui pii veterum æmulatores, non minori devotione, ac reverentia erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, idem religioſe frequentant ad ſacram Altaris menſam non ſemel tantum in hebdomade, ſed nonnulli bis, aut etiam ter in ſpiritus humilitate accedentes.

Inter cæteras SS. PP. querelas de infrequenti Euchariſtica Communione vindicatur S. Jo. Chryſoſtomi textus adverſus Sectarios.

(3) *In ſuis ad Populum homiliis conqueruntur.*) De hujuſmodi SS. Patrum querela circa Euchariſticæ Communionis infrequentiam, licet ſuperius lib. 1. ad cap. 13. & 14. nonnulla dicta ſint, & alibi ſuo loco, ac tempore dicenda remaneant; nihilominus abs re non eſſe, & operæ pretium arbitror unum pro omnibus & quidem celebrem S. Joannis Chryſoſtomi textum adferre ex Homilia 3. in cap. 1. Epiſt. S. Pauli Apoſtoli ad Epheſios, ubi hæc inter cætera habet: *Fruſtra fit Oblatio quotidiana, cum nemo ſit qui communicet, nemo ſit qui participet. Quiſquis myſteriorum conſors non eſt, imprudens, & improbus adſtat*: Multaque alia hoc loco, & alibi Hom. nempe 17. in Epiſt. ad Hebræos, dicit, quibus vehementer communionis infrequentiam in ſuo populo reprehendit. Quia vero hos Chryſoſtomi, aliorumque SS. PP. conſimiles textus nequiter traducunt Sectarii non ſuum quiſque reprobum ſenſum ad abrogandas ex iis Miſſas privatas, & ſine communicante, ut alias lib. 1. cap. 14. & 18. dictum eſt; præſtat illos hic etiam invicto jure perſtringere. Ajunt itaque neceſſarium eſſe in quolibet ſacro fieri diſtributionem Euchariſtiæ inter adſtantes, tanquam cœleſtis hujus menſæ convivas, ita Kemnitius in 2. parte Exam. Concilii Trident. Brentius in Confeſs. Wittembergenſi cap. de Euch. aliique noſtri temporis Novatores, adeoque negant celebrandum Sacerdoti ſi non adſunt communicaturi.

Naſcitur iſte eorum error; ut recte advertit Card. Bellarminus lib. contra Regem Angliæ cap. 8. & lib. 2. de Miſſa cap. 9. & 10. quod credant Euchariſtiam eſſe ſolum Sacramentum; ſi enim exiſtimarent eſſe etiam Sacrificium, uti revera eſt, cum poſſit Deo a Sacerdote offerri pro Populo etiam non communicante, nec requirerent, ut neceſſario de illo etiam Populus participaret; quapropter eorum falſum dogma tamquam hæreſim damnavit Concilium Tridentinum ſeſs. 22. cap. 6. & can. 8. & quidem merito, tum quia Sacrificio per accidens eſt, ut adſtantes de eo participent, cum poſſit etiam pro abſentibus offerri, & ſi offertur pro adſtantibus, ſicut hi dicuntur offerre ſolum per Sacerdotem tanquam immediatum miniſtrum, ita ſatis eſt ſi conſumatio fiat per eumdem Sacerdotem, cæteri vero adſtantes ſpiritualiter tantum participent, ut idem Concilium docet, ſicut videmus factum in lege veteri Levitici cap. 6. & 7. ubi de Sacrificio oblato pro peccato, non manducaſſe eos, pro quibus offerebatur; Tum quia conſtat ſemper Sacerdotes ſine animarum cura, uti S. Paulinum Nolanum, Monachos, alioſque in Eccleſia Dei celebraſſe, qui tamen non poterant Euchariſtiam adſtantibus miniſtrare, quippe non ſubditis, cum id eſſet munus tantum Paſtoris, ex Dionyſio de Eccl. Hier. cap. 3. Tertulliano lib. de Corona Mil. item cap. 3. ubi de Euchariſtia loquens hæc habet: *Nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus*, aliiſque; Tum quia poſt prima illa tempora ter ſolum in anno, ſcilicet in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte, ut mox Nota antecedenti attulimus, tenebantur fideles communicare, cum tamen ex Concilio Agathenſi Can. 47. juberentur omnes ſingulis diebus Dominicis & feſtis Sacrificio intereſſe. Licebat igitur Miſſam audire, & celebrare, etiamſi non diſtribueretur Euchariſtia inter adſtantes.

His præmiſſis, ad exagitatum a Novatoribus prædictum Chryſoſtomi textum obvia ſtatim, & irrefragabilis occurrit interpretatio. Dicimus itaque hoc loco doctiſſimum Patriarcham loqui de Euchariſtiæ myſterio, non ut eſt Sacrificium, ſed ut ordinatur ad communionem, ſecundum quam conſiderationem fruſtra conſecrantur particulæ, ſi nemo recipiat. Audiendus hac de re magnus Card. Bellarminus Controv. Tom. 3. de Miſſa lib. 6. cap. 10. „ Dico, inquit, illa „ Chryſoſtomi verba *fruſtra fit oblatio quotidiana*, non ſignificare abſolute oblationem „ fruſtra fieri, ſed fruſtra quatenus ordina„ tur ad communionem. Nam cum celebra„ tio Miſſæ partim ordinetur ad Sacrificium „ Deo offerendum, partim ad populum ſa„ cro illo reficiendum, cum nulli ſunt, qui „ communicent, fruſtra fit, quatenus ordi„ natur ad poſteriorem finem, ſed non fit, „ fruſtra, quatenus ordinatur ad priorem „ finem. Itaque Chryſoſtomus, etiamſi dicat „ fruſtra fieri, non tamen propterea omit„ tebat quotidie ſacrificare, quod certe fe„ ciſſet, ſi abſolute fruſtra fieri exiſtimaſſet. Hæc Bellarminus, qui & alia doctiſſime profert quoad poſterioris partis textus interpretatio-

tationem, dicens quod etſi Chryſoſtomus innuat melius eſſe non adſtare Sacrificio, quam intereſſe, & non communicare, id ita ipſum eſſe locutum, ut quædam alia, per exceſſum deſiderii, quo populum ſuum cœleſti pane ſæpius refici cupiebat, ac proinde illum enixe hortabatur ad frequenter, & digne communicandum. Et ſane Chryſoſtomum non fuiſſe in ea ſententia, ut putaret nihil prodeſſe Sacrificium iis, qui adſunt, & non communicant, dubitari non poteſt, tum ex pleriſque locis, ubi docet idem Sacrificium prodeſſe defunctis, vivis, & abſentibus, quanto magis præſentibus, & ſimul voto, ac deſiderio offerentibus? Tum etiam ex Homilia 3. de incomprehenſibili natura Dei, ubi graviter reprehendit Auditores ſuos, quod finita concione diſcederent, & Sacrificio non intereſſent; ubi nihil de communione dicit, cum tamen ſciret plurimos nonniſi rariſſime communicare, ſed tantum hortatur ut maneant, & ſimul orent, ac ſpectent Chriſtum, qui ſe in myſteriis oſtendit. Porro de his, aliiſque ad idem argumentum ſpectantibus, vide Suarez Diſp. 69. ſect. 3. & Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. Sec. 13. & 14. Diſſert. 13.

§. III.

Olim ante Communionem clamabat Diaconus, Sancta Sanctis, *quam accipiens Populus reſpondebat:* Amen. *Euchariſtia priſce manu excepta.*

Olim ante Communionem clamabat Diaconus *Sancta Sanctis:* ac ſi
diceret, qui non eſt Sanctus non accedat (1). Eadem verba (1)
nunc etiam apud Græcos dicit Sacerdos. Quæ vero ſanctitas ad hoc re-
quiratur, quæſtio perplexa eſt ante aliquot annos excitata (2), de qua (2)
plures circumferuntur libelli, partium potius quam veritatis indagandæ
ſtudio conſcripti. De lotione manuum ante Miſſam, deque nitidis &
mundis veſtibus, quas ſumere ſolebant ad hanc divinam menſam acceſſu-
ri egimus ſupra Capite I. Ipſam autem Euchariſtiam ſumpturis tabellæ
quædam ſpongia perpolitæ a Miniſtris apponebantur, veluti menſulæ (3), (3)
Olim tabellæ communicaturis expoſitæ, nunc linteamina. ut ex Chryſoſtomo & Athanaſio obſervat Baronius *anno* 57. *num.* 146.
quibus hodie linteamina ſucceſſerunt, ut ſi quid forte decidat, his acci-
piatur. At vero Sacerdos Sacramentum diſtribuens quid daret conteſtaba-
tur dicens, *Corpus Chriſti*: & accipiens reſpondebat *Amen* (4), qua (4)
voce verum illud eſſe profitebatur. Auctor Conſtitut. Apoſtolicarum
lib. 8. cap. 13. *Epiſcopus tribuat oblationem dicens Corpus Chriſti, &
accipiens dicat Amen, Diaconus vero tribuat Calicem dicens, Sanguis
Chriſti poculum ſalutis, & bibens dicat Amen.* Cornelius Papa Epiſt.
ad Fabium Antiochenum apud Euſebium *lib.* 6. *Hiſt. Eccl. cap.* 43. No-
vatiani mores & Schiſma deſcribens ait inter cætera eum quoſdam com-
municaſſe, & ab illis juramentum exegiſſe quod nunquam ad Cornelium
reverterentur. Tum ſubdit. *Et cum panem illum accipiens dicere debuiſſet*
Amen, *dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.* Tertullianus *de ſpe-
ctat. cap.* 25. eos reprehendit, qui ex ore quo *Amen* in Sancta pro-
tulerant, teſtimonium gladiatori reddebant. Ambroſius lib. 4. de Sacram.
cap. 5. *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti, & tu dicis Amen, id eſt
verum.* Hieronymus Epiſt. 62. ad Theophilum Alexandrinum: *Qua con-
ſcientia ad Euchariſtiam accedam, & reſpondebo* Amen*; cum de charita-
te dubitem porrigentis* (5). Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. *Habet* (5)
enim magnam vocem Chriſti Sanguis in terra; cum eo accepto ab omni-
Et ad recitata Sacerdotis verba: Corpus Domini &c. reſponſum Amen. *bus gentibus reſpondetur* Amen. Leo Magnus ſerm. 6. de jejunio ſepti-
mi menſis: *Sic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de ve-
ritate Corporis Chriſti & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur
quod fide creditur, & fruſtra ab illis* Amen *reſpondetur, a quibus contra
id, quod accipitur, diſputatur.* Sunt alia quamplurima Patrum teſtimo-
nia, quæ in re clariſſima coacervare inutile foret. Tempore Gregorii
Ma-

Magni Sacerdos tradens Euchariſtiam hac ſormula utebatur, ut in ejus
vita ſcribit Joannes Diaconus lib. 2. *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti*
conſervet animam tuam (6). Auctor Anonymus de Perſica captivitate (6)
editus a Combeſis, *ut quid*, inquit, *his qui accedunt ais, Corpus, &*
Sanguis Agni Dei, quod tibi datur in remiſſionem peccatorum. Alcuinus
hanc ſormulam habet, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in*
vitam æternam. Helgaldus in vita Roberti Regis Galliæ, *A dante*, in-
quit, *Sacerdote dicitur, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus*
animæ, & eorporis. (Alias ex diverſis Codicibus formulas affert Menar-
dus in notis ad Librum Sacramentorum pag. 392.) Ipſa quoque ſacra
Communio antiquo ritu non ore excipi ſolebat, ut hodie fit, ſed manu
quam qui ſuſceperat ori reverenter admovebat. Suppetunt hac de re
Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum innumerabiles auctoritates;
ſed ne prolixior ſim, modum in iis recenſendis ſervabo. Tertulliano
primus locus tribuendus eſt. Is lib. de Idololatria exclamans adverſus Chri-
ſtianos ab idolis ad Eccleſias euntes, ingemit illos *eas manus admovere*
Corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt, quæ ſcilicet idola gen-
tibus fabricant. *O manus præcidendæ!* Et in fine libri de baptiſmo agit
de prima manuum cum ſratribus apertione poſt lavacrum; utique ad ac-
cipiendam Euchariſtiam, (ut Lupus exponit ad Canonem 101. Trullanum,
de quo infra). Clarius Magiſtro hunc ritum exprimit Cyprianus Ep. 56.
ad Thibaritanos: *Armemus & dexteram gladio ſpiritali, ut ſacrificia fu-*
neſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini Corpus acce-
pit, ipſum complectatur. Idem lib. de lapſis (7). *Quod non ſtatim Do-* (7)
mini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sangui-
nem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Et paullo poſt. *Quidam &*
ipſe maculatus, ſacrificio a Sacerdote celebrato, panem cum cæteris auſus
eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, ci-
nerem ferre ſe apertis manibus invenit. Alia Cypriani teſtimonia affert
Pamelius *lib.* 1. *Liturgicorum* (pag. 201.) Ambroſius apud Theodo-
retum; *lib.* 5. *Hiſt. Eccl. cap.* 17. increpans Theodoſium poſt cœdem
Theſſalonicenſium; *Quomodo*, inquit, *manus extendes injuſtæ cædis ſan-*
guine adhuc ſtillantes? Quomodo hujuſmodi manibus Domini Corpus acci-
pies? Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 23. *Illum commemoro*,
Optatum ſcilicet Gildonianum Donatiſtarum Epiſcopum, *qui vobiſcum*
vixit, cui pacis oſculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus
Euchariſtiam ponebatis, cui viciſſim danti manus porrigebatis. Dionyſius
Alexandrinus Epiſt. ad Xyſtum Romanum Pontificem apud Euſebium *lib.* 7.
cap. 9. Agens de quodam ab Hæreticis baptizato, qui reconciliatus Ca-
tholicæ Eccleſiæ ejus baptiſmum poſtulabat, ait: *Ego eum qui ad ſacram*
Menſam aſtiterit, & manus ad ſuſcipiendum ſacrum cibum porrexerit, re-
novare non auſim. Baſilius Magnus *Epiſt.* 289. ad Cæſariam Patriciam;
Nam & in ipſa Eccleſia Sacerdos partem aliquam Euchariſtiæ *in manus*
tradit, & illam apprehendit qui percipit cum omni libera poteſtate, atque
ita ſuis propriis manibus eandem ſuo ori admotam ingerit (8). Chryſo- (8)
ſtomus Hom. 21. ad Pop. Antioch. *Cogita quid manu capias, & ipſam*
ab omni avaritia & rapina liberam conſerva. Reputa quod non tantum
manu capias, verum & ori admoveas, & linguam cuſtodi a contumelioſis
& turpibus verbis mundam. Idem Hom. in recens baptizatos edita a Fran-
ciſco Combeſis: *Tene manu donum, animo id quod eſt occultum. Manus*
teneat, & mens iſta dicat, Deus meus & Dominus meus. Gregorius An-
tiochenus Orat. in diem Sabbati Sancti apud eumdem; *O cælorum rex*

ne

*ne nos repellas, cum de tua freti clementia ſceleſtis manibus ſacrum tuum
Corpus tenere auſi fuerimus*. Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 5. & Nicephorus *lib.*
13. *cap.* 7. Narrant factum mulieris Macedonianæ, quæ Chryſoſtomo ſa-
cris operante, ut marito orthodoxo ſe fidei conſortem probaret, Eucha-
riſtiam accepit; quam manu retinens tradidit ancillæ ab ea accipiens pa-
nem communem domo allatum, Sed dum ori admotum dentibus con-
terere conatur, in lapidem converſum ſenſit. Concilium Trullanum *c.* 101.
illos reprehendit, qui Corpus Chriſti non manu excipiebant, ſed quibuſ-
dam inſtrumentis, ſeu receptaculis ex auro, vel alia materia pretioſa com-
paratis: quod licet a religione profectum, ut ait Zonaras in hujus Ca-
nonis expoſitione, Synodus tamen improbavit: quia nulla res ſenſibilis
ipſo homine, ejuſque manu præſtantior eſt. Idem Canon modum præ-
ſcribit, quo ſacra dona excipienda erant, dicens: *Si quis immaculati
Corporis particeps eſſe voluerit, & offerre ſe ad communionem, manus in
crucis formam figurans ſic accedat*. Eamdem manuum compoſitionem an-
tea docuerat Cyrillus Hieroſol. Catech. 5. Myſtagog. *Accedens ad Com-*

Qua manuum compoſitione olim a viris Euchariſtia excepta.

*munionem non expanſis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis,
ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubjiciens dexteræ, quæ tantum Regem
ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti dicens Amen*. Hunc
ipſum ritum commendat Damaſcenus lib. 4. orthod. fidei cap. 14. *Ar-
denti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis
crucifixi Corpus ſuſcipiamus*. Eadem ætate qua Damaſcenus in Oriente,
vixit Beda in Occidente, qui vitam Cednonis Monachi enarrans *lib.* 4.
Hiſt. Anglicanæ cap. 24. ait ipſum de hoc ſeculo exiturum petiiſſe ſibi
afferri Euchariſtiam, *qua accepta in manu, interrogavit, ſi omnes placi-
dum erga ſe animum haberent; ſicque ſe cœleſti muniens viatico vitæ alte-
rius ingreſſui paravit*. Hujus ritus ignorantia quidam apud Galanum in
conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana *Parte* 1. *pag.* 132. inter
errores Iberorum, quos nunc Georgianos vocamus, hunc enumerat.
*Aliquibus diebus feſtivis multi Sacerdotes Miſſæ Sacrificio adſtantes com-
municant, ſed Euchariſtiam ab Epiſcopo celebrante recipiunt in propriis
manibus, quam ipſimet proprio apponunt ori*. Tangit autem hic articulus
& alium veteris Eccleſiæ morem, de quo ſuo loco dictum eſt, omnes ſcilicet
Presbyteros Epiſcopo concelebraſſe, & ab eo communionem ſuſcepiſſe:
qui & perperam errori adſcribitur (9). Porro hic notandum eſt in ſu- (9)

Eadem a fæminis, non manu, ſed linteolo mundo accepta.

ſceptione Euchariſtiæ inter viros & mulieres diſcrimen aliquod fuiſſe:
nam viri nuda manu (10), mulieres ſubjecto linteolo, quod Dominica- (10)
le dicebatur, illam accipiebant. Sic ſtatutum legimus in Concilio Antiſ-
ſiodorenſi cap: 36. *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere*.
Et cap. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale ſuum
habeat: quod ſi qua non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non
communicet*. Auguſtinus item *ſerm.* 252. *de tempore*, diu ante hoc Con-
cilium invaluiſſe per Africam hanc conſuetudinem (11) teſtis eſt dicens: (11)
*Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi Corpus Chriſti accipiant,
ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant*. Hanc tamen differentiam
apud Orientales non invenio, nam ſilent de ea Patres Græci, Synodus
Trullana cenſuit nudam manum alia quavis materia digniorem eſſe (12). (12)

Modus, & formulæ, quibus invitabantur fideles ad Communionem.

(1) *Qui non eſt Sanctus non accedat*.) His verbis invitabantur devoti Chriſtifideles ad communionem; Et quidem munus hoc invitandi, Diaconis cum primis incumbebat. Etenim in Jacobi Liturgia Diaconus poſtquam elevavit diſcos, & calices ad diſtribuendum, ſive impertiendum Euchariſtiæ Sacramentum Populo dicit: *Cum timore, & fide, & charitate accedite*. Idem facit Diaconus in Miſſa Chryſoſtomi, ad cujus Expoſitionem

Cabaſilas cap. 36. *Sacerdos*, ait, *vivifico pane accepto, & oſtenſo, eos, qui digne ipſius participes futuri ſunt, vocat Sancta*, inquiens, *Sanctis*. Item cap. 39. *oſtenſis Sanctis, vocat eos, qui participare voluerint*. Denique Catechiſmus Romanus ex Tridentini Concilii Decreto editus Parte 2. cap. 4. num. 61. „Diu in „Eccleſia (inquit) mos iſte fuit, ut Sacer„dos ad populum converſus his verbis ad ſa„cram menſam fideles invitaret: *Venite fra„tres ad communionem*. Chriſti Domini profecto inſtituto, & exemplo; ipſe namque quaſi cœleſtis hoſpes convivas ſuos diſcipulos ad ſumendum divinas Epulas invitavit illis verbis: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum; accipite, & bibite, hic eſt Sanguis meus*. Hinc non abſimili ritu in Eccleſia Occidentali, præcipue in Galliis, uti obſervat Edmundus Martene de antiq. Eccl. Ritibus Tom. 1. cap. 4. art. 10. n. 7. diebus ſolemnioribus, quibus univerſus Populus ad ſacram Synaxim accedere tenebatur, idem ad communionem invitabatur his verbis. *Venite populi, ſacrum immortale myſterium, & libamen agendum, cum timore, & fide accedamus. Manibus mundis pœnitentiæ munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri Sacrificium propoſitum eſt, ipſum ſolum adoremus, ipſum glorificemus cum Angelis clamantes Alleluja*. Cujus ritus meminere antiquum Ordinarium Manuſcriptum Eccleſiæ Lugdunenſis, Athanacenſis Monaſterii Miſſale, Ordinarium Cabillonenſe, Carnotenſe Sancti Joannis, & Rituale Sancti Martini Turonenſis, atque Ambroſianum; Immo idem Martenius de antiqua diſciplina Eccl. in Div. Off. cap 25. num. 26, Subdit prædictam Antiphonam invitatoriam ad communionem, hactenus in Eccleſia Turonenſi cantari.

Quæ ſanctitas requiratur ad communionem.

(2) *Quæ vero ſanctitas ad hoc requiratur.*) Miſſis libellis circa hanc quæſtionem, non paucis antehac annis conſcriptis, quos innuit Card. noſter, repoſci ſanctitatem ab eo, qui Chriſtum excipit communicando, de fide eſt, (inquit Theoph. Rainaudus in ſuo Candelabro Sancto Septiluſtri Sect. 6. cap. 3.) ex Concilio Tridentino Seſs. 13. cap. 7. ſic exponente Apoſtolum jubentem ut quiſque communicaturus ſe probet, hoc eſt agnoſcat ſaltem probabili judicio ſe carere culpa mortali. Quod judicium exigi, & decere unumquemque divino hoc epulo ſaginandum evincit quamplurimis SS. PP. authoritatibus, quas longo agmine adducit Clariſs. Scriptor, qui toto dicto capite idem argumentum elucidat, & num. 19. quæ probatio communioni præmittenda ex Apoſtolo ſit, expendens, concludit probationem ſui ipſius ab Apoſtolo indictam, ſine qua vita in mortem vertitur, Eccleſiam intellexiſſe de neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, ſi copia ſit Confeſſarii, & homo lethalis peccati labe contaminatus. Eamque neceſſitatem divino injici præcepto docemur ex Concilio Tridentino memorata Seſs. & Canone 11. Recole quæ ſuperius jam dicta ſunt initio hujus Tomi cap. 1. §. 1. Vide item Jo. Bapt. Scortiam de Sacr. Miſſæ Sacrificio, qui egregie pleriſque locis de hoc argumento diſſerit, videlicet lib. 2. cap. 6. item cap. 7. num. 4. lib. 3. cap. 51. num. 2 & lib. 4. cap. 27. num. 6. alioſque. Sed inter cæteros audiendus S. Thomas Opuſc. 58. de Sacram. Altaris, ubi candidiſſimo, ac nitidiſſimo linteo comparans animi puritatem, ac cordis munditiem, quam quiſque fidelis Chriſtianus communicaturus habere debet, hæc ait: *In tribus vero, quæ perducunt corporale lineum ad candorem intelliguntur tria, quæ pertinent ad noſtram mundificationem. Primo enim lavatur, ſecundo torquetur, tertio exſiccatur. Si quis ad ſuſcipiendum Dominum mundus fieri vult, primum debet per aquam lacrymarum lavari* (id eſt per Confeſſionem Sacramentalem) *ſecundo per opera pœnitentiæ torqueri, tertio per amorem Dei ferventem a carnalium deſideriorum humore exſiccari*. Quod idem ibi Angelicus Doctor pluribus verbis exprimit, atque etiam in Summa 3. parte quæſt. 83. art. 3. ad 7. Sanctitas ergo communioni Euchariſticæ prærequiſita complectitur præteritorum omnium peccatorum, præſertim mortalium, veram deteſtationem, cordis compunctionem, fidem vivam, ſpem, & charitatem, ſummum ſcilicet Dei ſuper omnia diligendi amorem, qui cæteris omnibus cordis affectibus prædominetur, efficax deſiderium in hujuſmodi amore proficiendi, vigilantiam item, qua identidem inſurgentes terreni affectus comprimantur. Uno verbo ſanctitatem, de qua dictum a Deo eſt: *Eſtote Sancti, quia ego Sanctus ſum*: Cujus ratione olim clamabat Diaconus *Sancta Sanctis*, id eſt, qui non eſt Sanctus, non accedat, prout etiamnum in toto Oriente obſervatur. Proinde ſeipſum ſedulo interroget quiſquis ad Dominicam menſam accedit, num ſupradicta ad ſanctitatem requiſita habeat, quod facile judicium ex ſuis operibus feret; Chriſtus enim in Evangelio dixit: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Id autem omne non eſſe meri conſilii, ſed præcepti docet, & explicat idem laudatus D. Thomas 2. ſecundæ quæſt. 184. art. 3. Ex quo, aliiſque Patribus plura affert Gaſpar Ivenin de Sacramentis Diſsert. 4. de Euchariſtia ut ſacram. quæſt. 8. cap. 1.

Mos olim communicandi apud Monachos.

(3) *Apponebantur veluti menſulæ.*) Velorum, non menſularum mentionem fieri ab Athanaſio contendit Baſnagius Annal Tom. 2. pag. 260. num. 14. ubi varios velorum uſus affert. Aſt nullum fuiſſe, ſaltem apud Monachos, velorum in communione uſum oſtendit Lazarus Andreas Bocquillot ex Chronico Fontanenſe de antiq. Monachorum Rit. lib. 2. cap. 4. ubi mentio de quodam vaſe, quod *ſcutellam* appellabant, eo quod ſcutellæ formam præferret. Hoc vas, ait laudatus Bocquillot, eodem more conſecrabatur, quo patena, quia ad accipiendum Corpus Chriſti, ſi forte e miniſtrantis manu, vel ſuſcipientis ore excidiſſet, erat inſtitutum. Hoc autem vaſe ita utebantur Cluniacenſes: Poſt Celebrantis communionem unus ex Altaris Miniſtris *Scutellam* cum linteo afferebat, cumque cancellis, ubi communicandum erat, imponebat. Prope Scutellam, patenam fragmentis hoſtiarum plenam ponebat Diaconus, qui primus communicabat poſt oſculatam celebrantis manum. Poſt Diaconum e Choro

acce-

accedebant a parte exteriori Sanctuarii unus poſt alium; & ita huic Scutellæ os approximabant, ut nihil poſſet de ſacra Hoſtia in terram excidere; eodem vaſe utebantur Monachi Sancti Benigni Divionenſis, & probabiliter plura alia Monaſteria Ordinis Sancti Benedicti. Ita dictus Bocquillot.

(4) *Et accipiens reſpondebat* Amen.) Celebris hæc tum Grecæ, tum Latinæ Eccleſiæ conſuetudo adhuc retinetur Pariſiis in Eccleſia Cathedrali, ubi poſt quam Sacerdos ea verba pronunciavit: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti &c.* qui ad Euchariſtiæ perceptionem accedunt, reſpondent *Amen*; Eumdem morem Aureliani vigere affirmat Du-Moleon in Liturgico ſuo itinere pag. 216. ſed & Pontificale Rom. præſcribit reſponderi *Amen* a Clericis communicantibus in eorum Ordinatione.

(5) *Hieronymus Ep. 62. cum de charitate dubitem porrigentis &c.*) Hunc Hieronymi textum aliter, & ita citat Petrus Couſtantius in notis ad Cornelii Papæ Ep. 9. Tom. 1. de Rom. Pontific. Epiſt. Col. 157. vide *Hieronymus adverſus errores Joannis Hieroſol. ad Pammachium*.

(6) *Corpus Domini &c. conſervet animam tuam.*) Quæ formula fere eadem eſt, ac quam nunc adhibemus, indeque arbitror ab hac Gregorii deſumptam. Sacerdos præterea Sacram Euchariſtiam dextera, & intra digitos pollicem, & indicem tenens, ipſam communicanti oſtendens, eumdem Sacramento benedicit, & ſignat eodem modo, quo ſe ipſum communicans ſignavit ſigno Crucis, ſecundum veterum procul dubio inſtitutum, quo nihil in ſacris præſertim tranſigebant, quin frontem Crucis ſignaculo munirent.

(7) *Idem Lib. de Lapſis.*) *A diaboli aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis, & infectis manibus aſcendunt.*

(8) *Eamdem ſuo ori admotam ingerit.*) Gregorius Nazianzenus Baſilio æqualis Orat. in Julianum Apoſtatam, tradit eumdem, cum Chriſtianiſmo deficeret, *manus, quibus Euchariſtiam acceperat, Sacrificiis Paganicis, nequid ſibi Chriſti ſupereſſet, prophanaſſe*. Manus obinde Chriſtianorum, quod Corpus Dominicum exceperant *Illuſtres* vocabantur Cypriano ſupra Serm. de Lapſis, & pro conſecratis habebantur, quas polluere nefas eſſet.

(9) *Qui & perperam errori adſcribitur.*) De hac re vide, quæ ſupra dicta ſunt ad lib. 1. cap. 18. §. 9. ſive Tom. 2. pag. 23. nota 6. & 7. Communionis porro Ordinem ſic affert Grancolas Vet. Liturg. Tom. 1. „ Poſtquam communicaverat Celebrans, Sacerdotibus Concelebrantibus communionem ſub utraque ſpecie porrigebat, Diaconi Corpus Chriſti e Celebrantis manu, Calicem autem e manu aſſiſtentium Sacerdotum accipiebant. Subdiaconi, & Clerus a Sacerdote Celebrante Corpus Chriſti, Sanguinem autem accipiebant a Diaconis. Sacerdotes omnes aſſiſtentes Corpus Chriſti Populo diſtribuebant una cum Celebrante, ut brevius eſſet communionis tempus. Diaconi autem iis exhibebant, qui ſub utraque ſpecie communicabant. Priores communicabant. Maſculi, qui Corpus Chriſti nuda manu ſuſceptum ipſi ori ſuo imponebant. Deinde fœminæ, quarum manus (in Occidente) linteo, quod *Dominicale* vocabant, operiebatur . . . . Univerſus Populus, ſicuti & Clerus ſtantes, nec niſi Miſſæ tempore, ideſt ante Poſtcommunionem communicabant. Contrarium tamen morem in Eccleſia Hieroſolymitana ob Peregrinorum frequentiam illuc undequaque confluentium ſervatum jam diu fuiſſe oſtendit Card. Humbertus in ſuis ſcriptis contra Græcos. Ibi enim ſingulis diebus, in iis etiam, quibus non celebrabatur (non enim quotidie celebrabatur in Oriente) ſacra porrigebatur Euchariſtia ex ultimo Sacrificio reſervata. Odo Cluniacenſis in Verſibus, & Hymnis de Sacramento Altaris nudis pedibus communicatum fuiſſe affirmat. Concilium Nicænum cap. 18. de Diaconis conqueritur, qui alicubi ante Sacerdotem communicabant, ſtatuitque, ut illi de manu Sacerdotis, ſeu Epiſcopi Euchariſtiam ſumerent.

Olim in Eccleſia Hieroſolymitana Peregrinis adminiſtrata Euchariſtia extra Sacrificium Miſſæ.

(10) *Nam viri nuda manu.*) Ad hunc locum Clar. Mabillonius Præfat. 1. ad ſec. 3. Act. Ss. Ord. S. Benedicti n. 76. ſacram Euchariſtiam etiam a fœminis manu acceptam fuiſſe tradit; At pace doctiſſimi viri, ex facto unius, aut alterius perſonæ univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem deduci poſſe dubitarem, & fortaſſe id poſtea ſacris Virginibus indultum fuiſſe probabile admitterem, quamvis in Libro Pontificali ſub nomine Anaſtaſii vulgato legatur conſtitutum a Sotere Papa, *ne ulla Monacha pallam ſacram contingat*, quanto magis Euchariſtiam? Ut ut ſit, ante Emin. Authorem id aſſeruit Theophylus Rainaudus Diſſertat. de ſobria alterius ſexus frequentatione, ubi cap. 8. exceptam olim Euchariſtiam a fœminis non nuda manu, ſed in linteo demonſtrat. „ Manum enim, inquit, habebant, eo quod dixi obvolutam linteo, quod D. Auguſtinus ſerm. 255. de Temp. ait curatum eſſe nitens, ac purum. Notarunt hunc veterem ritum nonnulli ſuperioris ſeculi extra hanc materiam Scriptores, inter quos Stephanus Gratianus Diſcept. Foren. Tom. 3. cap. 412. a num. 14. Item Andreas Sauſſayus Lib. de Myſticis Galliæ Script. in Paulo tit. 10. Illud etiam ut diximus, Baronio perſuaſum, & multis, qui poſt Auctorem noſtrum ſcripſere de rebus Liturgicis. Veremur tamen ne communis hæc Antiſſiodorenſis Canonis explicatio legitima ſit; Etenim cum Antiſſiodorenſes Patres Can. 36. præcipiant, ne mulieres nudam manum Euchariſtiæ ſubmittant, videtur *Dominicale*, cujus meminit Can. 42. ab eo linteolo, quo mulieres Sacramentum Dominicum accipiebant, fuiſſe omnino diſtinctum, niſi affirmare velimus Synodi Patres unam, eamdemque rem diverſis Canonibus imperaſſe: Secundo, ſi *Dominicale* non eſſet a linteolo diverſum, quod mulieres accipiendæ Euchariſtiæ ſubjiciebant, Synodus canonem utrumque copulari debuiſſet hoc pacto: *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere, ſed unaquæque mulier quando communicat, dominicale ſuum habeat, quod ſi qua non habuerit uſque ad alium*

Iterum de Dominicali, ſeu Fœminarum velo ad earum communionem.

 diem

diem Dominicum non communicet: Cum autem Concilii Patres utrumque Canonem accurate ſejunxerint, argumento eſt aliud ipſos canone 36., aliud 42. voluiſſe præcipere, & huic opinioni haud invitus ſubſcribit Baſnagius ipſe Annal. Politico-Eccl. Tom. 3. pag. 891. n. 5.

Quid igitur erit Dominicale? Placet nonnullis opinio Steph. Baluzii putantis integumentum capitis fuiſſe, quo mulieres operiri debebant, cum accepturæ erant Euchariſtiam. Huic ſane interpretationi favet antiqui Codicis lectio ab eodem Baluzio relata in Notis ad Gratianum cauſa 33. quæſt. 5. cap.... *Si mulier communicans Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet*; Sic eumdem Canonem refert vetus Pœnitentiale apud Langium, & Carolum Dufreſne in Gloſſario; De velo, quo mulieres ad Euchariſtiam accedentes caput tegere jubebantur. Probabiliſſimum igitur eſt duo hæc ab Antiſſiodorenſi Concilio fuiſſe prohibita, ne ſcilicet mulieres nuda manu, neve aperto capite ad Euchariſtiæ perceptionem accederent, quam ſententiam Boldettus etiam amplexus eſt Lib. 1. Obſerv. in Cœmet. cap. 10. Grancolas utramque opinionem conciliare conatur antiq. Liturg. Tom. 2. pag. 320. his verbis Latine redditis, credo, quod ita fuerit, velum ſcilicet album, ſed quod ſub mento penderet, & quod fœminæ illud ſupra manus extenderent in mappulæ formam, ſupra quam Euchariſtiam acciperent. Quæ conjectura pugnare videtur cum allatis teſtimoniis, ex quibus apparet nigrum fuiſſe, non album id veli, quo mulieres caput tegere cogebantur, quod & alii illuſtres affirmant Scriptores. His porro ſtantibus variis opinionibus quoad dictum fœminarum communicantium Dominicale, quid fuerit, ex quarum diverſitate vix aliquid certum elici poſſe videtur, præ cæteris tanquam probabilior arridet ſententia, quod ſcilicet duplex mulieres ad communionem procedentes velum habuerint, unum quo caput tegerent, in Eccleſia præſertim, juxta Apoſtoli præceptum 1. ad Corinth. 11. & dictæ Synodi Aurelianenſis decretum, idque nigrum, utpote magis Chriſtianæ humilitati, ac modeſtiæ conveniens; alterum lineum, ac mundiſſimum, quo ſupra manus in mappulæ formam extenſo Sacramentum Euchariſtiæ ſuſciperent, iſtudque album, ad exprimendam externo hoc ſigno internam animi puritatem, qua ad divinam menſam accedere debebant; ideoque Dominicale nuncupatum, ut diximus, quia diebus tantum Dominicis, aliiſque quibus communicabant, adhibitum. Cæterum hanc communionis diſciplinam non admodum duraſſe, ſaltem in Eccleſia Occidentali, & ſeculo ſeptimo inductum præſentem ritum in communicantium os divinam a Sacerdote ponendi Euchariſtiæ particulam conjicio ex Sancti Gregorii Magni Dialog. lib. 3. cap. 3. narratur enim ibi communio tradita cuidam muto, & claudo a Sancto Agapito I. ad Summum Pontificatum evecto an. 535. & dicitur: *Corpus Dominicum in os miſiſſe*; quem ritum poſtea Concilium Rotomagenſe in Gallia ſub Clodoveo habitum an. circ. 650. juxta noviſſimam Conciliorum illius Eccleſiæ editionem vulgata anno 1717. ſuppreſſa veteri conſuetudine, obſervandum a Sacerdotibus, ac ſingulis fidelibus juſſit cap. 2. pag. 8. his verbis: *Nulli autem Laico, aut fœminæ Euchariſtiam in manibus ponant* (Sacerdotes) *ſed tantum in os ejus*. Senſim autem hæc commendabilis diſciplina, quamvis olim alicubi tantum uſitata, in communem tranſiit univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, quæ poſterioribus plurium Romanorum Pontificum, ac Synodorum ſtatutis, Sanctorumq; exemplis confirmata hodie nunc inviolabilis obſervatur.

(11) *Invaluiſſe per Africam hanc conſuetudinem.*) Sermo ille ſub Auguſtini nomine ab Eminentiſſimo Scriptore citatus non probare videtur hujuſmodi conſuetudinem in Affrica ſeculo quinto viguiſſe, is enim ſermo perperam Auguſtino tribuitur, ac fœtus eſt Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui ſeculo ſexto floruit, propterea in Appendicem Tom. 3. ſerm. 229. rejectus eſt a noviſſimis Religioſis Editoribus Operum Auguſtini, quam elegantem editionem Card. Bona videre non potuit, cum multo poſt ipſius obitum evulgata fuerit anno videlicet 1700. Ex eo autem invicte colligitur communiter in Gallia mulieres accipiendæ Euchariſtiæ linteola ſuppoſuiſſe. Clariſſimus autem Boldettus quondam Collega noſter loco laudato negat communem in Gallia fuiſſe hunc morem; nec Antiſſiodorenſis Synodi Canonem (ait) ullius eſſe roboris ad probandam univerſalem Gallicanarum Eccleſiarum diſciplinam; ſed quoniam Cæſarii authoritate ſe premi videbat, erudite obſervavit poſt dictos editores Operum S. Auguſtini, locum Cæſarii aliter legi in Manuſc. Floriacenſi Codice; *Et omnes mulieres nitida inducunt linteamina cum Corpus Chriſti accipiunt. Nella qual fraſe*, inquit, *chiaramente ſi ſcorge non dichiararſi, nè provarſi il rito accennato*. Pace tamen clariſſimi viri non poſſumus Floriacenſis MSS. lectionem cæteris præferre Codicibus, niſi firmioribus demonſtretur argumentis Gallicanas Eccleſias ſeculo ſexto alienas ab eo more fuiſſe, quem Antiſſiodorenſe Concilium præcepiſſe non diffitetur ipſe Boldettus, præcipue cum Cæſarius Arelatenſis non uno in loco ritus controverſi meminerit. In MS. enim ejuſdem ſermone in Dedicatione Templi ab Edmundo Martene relato lib. 1. de antiquis Eccl. Rit. cap. 3. hæc ait: *Certe & omnes mulieres quando ad Altare veniunt, linteola nitida exhibent, in quibus Chriſti Sacramenta percipiunt*. Quibus nihil ad eum morem confirmandum illuſtrius afferri poſſe videtur. Nil itaque cauſæ fuit erudito ſcriptori, cur Antiſſiodorenſis Eccleſiæ ritum ad alias quoque Galliarum Eccleſias præceptum fuiſſe negaret.

Tribus modis apud Orientales Euchariſtia diſtributa.

(12) *Alia quavis materia digniorem eſſe.*) Quoad Orientales hoc loco item obſervandum tribus modis apud ipſos Euchariſtiam diſtribui ſolitam fuiſſe, ita tamen, ut nulla, quantum ad Sacramenti legitimam perceptionem, inter ipſos judicetur eſſe diverſitas. Primo ſimpliciter; & magis ad antiquiſſimum morem Corpus Chriſti præbetur, &

poſtea

poſtea Calix , ex quo bibit , qui communicat . Eo modo communicant Sacerdos celebrans , alter qui vocatur miniſtrans , vel ſocius , ſeu , ut dicunt Rituales noſtri , *Presbyter aſſiſtens* , Diaconuſque miniſterio fungens , tum Epiſcopus ſi adſit , nec ipſe celebret , una enim Miſſa tantum apud Orientales celebratur . Secundus modus eſt , ut corpus Chriſti præbeatur a Sacerdote , Sanguis a Diacono , qui Calicem tenet , atque ex eo guttam cochleari præbet Sacerdotibus , & aliis primi Ordinis Eccleſiaſticis . Tertius denique eſt communio intincta , ut ſcilicet ex fractis majoribus hoſtiæ partibus plures particulæ in Calicem immittantur , quas cochleari ſacro ad id tantum adhibito præbet Diaconus , atque ea ratione ſecundi Ordinis Eccleſiaſticis, & Laicis communio diſtribuitur . Ita apud Græcos , & omnes Orientales , qui ipſos imitati ſunt , apud quos notandum , quod ſumma erga Chriſti Corpus , & Sanguinem reverentia fecit , ut Calix tantummodo Eccleſiaſticis daretur , reliquis particula ſanguine intincta , ſed de hoc communionis ordine iterum infra §. 8. , & cap. ſequenti §. 3.

§. I V.

Eadem Euchariſtia delata domi , & ſervata .

HOc etiam circa uſum Euchariſtiæ ſæviente perſecutione introductum fuit , ut cum in locis abditis ſacra Synaxis peragebatur , qui ad eam conveniebant, non ſolum de oblatis participarent, ſed particulas quoque acceptas a Sacerdote ſecum deferrent (1) , & domi reverenter cuſtodirent , ut quia quotidie vitæ periculum eis imminebat , quotidie ſe- (1)
ipſos poſſent ſacra Communione ad certamen præparare (2) . Id in pri- (2)
mis Tertullianus oſtendit lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciverit panem , non illum credit eſſe qui dicitur* . Et de orat. cap. 14. *Accepto Corpore Domini & reſervato , utrumque ſalvum eſt , & participatio Sacrificii , & executio Officii*. Cyprianus lib. de Spectaculis ; *Qui feſtinans ad ſpectaculum , & adhuc gerens ſecum , ut aſſolet , Euchariſtiam* . Et lib. de Lapſis*: Cum quædam mulier arcam ſuam , in qua Domini Sanctum fuit , manibus indignis tentaſſet aperire , igne inde ſurgente deterrita eſt , ne auderet attingere* . Narrat Gregorius Nazianzenus Orat. in funere ſororis ſuæ Gorgoniæ eam apud ſe in cubiculo reconditum habuiſſe Corpus Chriſti , & fuſa ante ipſum oratione a gravi morbo liberam evaſiſſe . Baſilius Epiſt. cit. ad Cæſariam: *Quoniam vero per tempora illa perſecutionum cogebantur homines neceſſario , Sacerdote vel Miniſtro non præſente , propriis manibus percipere Communionem , non eſt niſi ſupervacuum , ut demonſtrem illam ipſam rem non eſſe graviter & inique ferendam , eo quod inveterata conſuetudo hoc ipſum revera confirmatum dederat . Nam & illi omnes , qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt , ubi copia non ſuppetit Sacerdotis , cum habeant domi communionem , de ſuis manibus illam percipiunt . Alexandriæ autem & per Ægyptum unuſquiſque etiam de plebe , ut plurimum habet domi ſuæ communionem* . Et paucis interjectis . *Idem igitur quo ad poteſtatem eſt , ſive quis de manu Sacerdotis partem unam aliquam percipiat , ſive partes ſimul quam plurimas* . Hieronymus *Epiſt.* 50. *ad Pammachium* illos objurgat, qui poſt nocturnum concubitum Eccleſiam ingredi non audebant divinam timentes ultionem , domi autem accipere Euchariſtiam non formidabant . *Ipſorum* , ait , *conſcientiam convenio , qui eodem die poſt coitum communicant , & juxta Perſium Noctem flumine purgant : quare ad Martyres ire non audent ? Quare non ingrediuntur Eccleſias ? An alius in publico , alius in domo Chriſtus eſt ? Quod in Eccleſia non licet , nec domi licet* . Philippicus gener Mauritii Imperatoris , ut Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria ſcribit , noctu ab eo accerſitus , timens vitæ ſuæ Corpus Chriſti percipere quæſivit , utique domi aſſervatum , ante-

antequam pergeret ad Imperatorem. Seleuciæ ſub Dionyſio Epiſcopo miraculum accidiſſe narrat Joannes Moſchus in Prato Spirituali; quidam enim ſervus fidelis ſumptam communionem in die Cœnæ Domini ſecundum conſuetudinem illius Provinciæ linteo mundiſſimo involvit, & repoſuit in armario; Dominus autem ejus aperiens armarium vidit omnes ſanctas particulas culmos & ſpicas germinaſſe.

Reſpondetur Samuelis Baſnagii cavillationibus.

(1) *Particulas quoque acceptas ſecum deferrent.*) Samuel Baſnagius Annal. Polit. Eccl. an. Dom. 33. num. 60. Tom. 1. pag. 366. Communem hanc veteris Eccleſiæ conſuetudinem referens, eam cum fide tranſubſtantiationis pugnare contendit: *Num luto deteriore,* inquit, *Chriſtus antiquorum præcordia finxit, ut talis eos inceſſerit irreverentia, ſi Sacramentum Eccleſiæ pro ipſiſſimo Chriſti Corpore habebant? Hoccine religioſum factum, ut Deum ſuum a privatis mulierculis auferri, in vili forſan, putridaque arcula recondendum paterentur?* Quibus ut reſpondeamus, obſervandum cum Baſilio hic a Bona relato hujuſmodi diſciplinæ locum dediſſe perſecutiones; tunc enim cum Eccleſiaſtici cœtus frequenter cogi non poſſent, Fideles Euchariſtiæ partem ſecum deferendam accipiebant, ut quia, inquit Bona, quotidie vitæ periculum iis imminebat, quotidie ſe ipſos poſſent ſacra Communione ad certamen præparare. Neque ulla irreverentia inerat erga ſacram Euchariſtiam, cum decenter, cum debito honore, & cultu religioſe ab unoquoque fidelium juxta ſuum poſſe, & exigentiam eadem cuſtodiretur. *Ita & ſeculo ſexto Dorothæus Theſſalonicenſis Epiſcopus, atque alii Hæretici Eutichianorum additi cum audiſſent Legatos Apoſtolicæ Sedis Theſſalonicam adventare, tanta Sacramenta confecerunt, ut caniſtra plena omnibus erogarent, ne imminente, ſicut dicebant, perſecutione, communicare non poſſent.* Referunt hæc ipſimet Legati Apoſtolicæ Sedis Joannes Epiſcopus, & Epiphanius Presbyter in indiculo, quem ad Hormiſdam Pontificem direxerunt. Perſeveravit hic mos tranquillis etiam Eccleſiæ temporibus, præſertim apud Monachos Græcos in deſertis agentes, ut ex Lucæ Junioris vita colligimus; tantum autem abeſt, ut hic ritus tranſubſtantiationi repugnet, quin potius illam invicte confirmat, ut item infra conſtabit.

Iterum confutatur Baſnagius, & ab ejus nota vindicatur Card. Baronius.

(2(*Se ipſos poſſent ſacra Communione ad certamen præparare.*) Morem hunc, etiamſi antiquiſſimum, Apoſtolicum tamen non eſse contendit Baſnagius contra Baronium, qui ad an. 57. num. 152. *Semper in Eccleſia ſervandi ſacram Euchariſtiam, ſive in loco ſacro, ſive in privatis domibus, ad illorum uſum, qui accepiſſent, conſuetudinem viguiſſe affirmat.* „Et „ primo quidem, inquit Hollandus Scriptor: „ Chriſtus, Apoſtolique hoc comprarunt, „ ut benedicta, fractaque Euchariſtia in ma„ nus fidelium tradita, mox ori conſumen„ da inferretur. *Accipite, edite.* At quid „ inferet Baſnagius? Præceptum hoc reſpi„ cit quidem uſum, non tempus, quo quis „ uti debeat), ſubdit neque vel minimam „ Sacramenti particulam ſibi reſervarunt, ut „ mortem Domini ſui lugentibus foret ſo„ latio; cum tunc maxime cibo illo refici „ debuiſſent Apoſtoli, ut ad proximas tribu„ lationes ferendas eſſent robuſtiores. (Sed annon ſciebant, & credebant Diſcipuli Divinum Magiſtrum ſuum poſt triduum fuiſſe reſurrecturum? Annon ipſe Dominus eodem die, quo reſurrexit, ipſis apparuit, eoſque conſolatus eſt? Uti idem haud diffitetur Baſnagius ad annum Dom. 33. num. 145. ex Eſtio in Marci cap. 16. Præterea ſicuti affirmant optimæ notæ Theologi, quibus ſubſcribit Card. noſter lib. 1. cap. 5. §. 1. adhuc eo tempore lex antiqua uſque ad Pentecoſtem vigebat, nova nondum ſufficienter promulgata, ac propterea ſi non decebat novum offerri Sacrificium, Sacerdotio nondum tranſlato, ita pariter Sacramenti reſervatio, quod ex Actis Apoſtolorum, atque ex SS. Patribus ibidem Eminentiſſimus Scriptor confirmat). Urget tamen Baſnagius dicens: „ Eſt etiam Pauli „ mandatum I. Cor. 11. 20. ab aſſervatione „ Sacramenti prorſus alienum: *Exploret au„ tem quiſque ſe ſe, & ita de pane illo edat, & de calice bibat.* (At hic quoque non de tempore, ſed de diſpoſitionibus ad Euchariſtiam requiſitis loquitur Apoſtolus.) „ Humbertus Card. in Bibl. PP. Tom. 4. p. 246. „ *Quotidie,* (ait) *ſive tertia, ſive nona, ſive „ quacumque hora fiat a nobis Miſſa, non fit, „ niſi perfecta; nec reſervatur ex oblatione „ ejus pars aliqua, ut per dies quinque aga„ tur inde Miſſa imperfecta. Quia neque Apo„ ſtoli leguntur quidquam ex illo primo Corpo„ ris, & Sanguinis Chriſti myſterio ſub ipſa „ Cœna diſtributo reſervaſſe, nec Actus illorum „ indicant eos aliquando tale quid egiſſe, aut „ præcepiſſe.* (Humberti Card. Silvæ Candidæ Epiſcopi nos non admodum movet authoritas, quippe qui adverſus Græcos, & præcipue in Nicetam Pectoratum, ejuſque librum contra Latinos ſcriptum nimis acriter invehitur, nec ſemper appoſite, uti ait Card. noſter lib. 1. cap. 21. §. 6. Quod & ſentiunt Jacobus Goar in Euchol. Græco pag. 175. Gaſpar Ivenin de Sacram. Diſſert. 5. quæſt. 8. cap. 1. ubi ad has omnes Card. Humberti exceptiones docte & accurate reſpondet, ac poſt nonnulla concludit dicens, primo quod quæcumque Chriſtus egit, ab eo præcepta non fuere, ac proinde quamvis totum panem conſecratum Apoſtolis ſtatim diſtribuerit, non inde colligitur, quod totum quoque Eccleſia ſtatim diſtribuere teneatur, idque authoritatibus Ss. Cypriani, & Gregorii Nazianzeni confirmat; Deinde inquit: Quod igitur conſecrata ad Miſſam Præſanctificatorum, de qua loquitur Card. Humbertus, ſerventur, aut non ſerventur, res eſt,

quæ nec ad fidem, nec ad mores, ſed ad
meram diſciplinam pertinet; cuique igitur
Eccleſiæ aut ea ſervare, aut non ſervare li-
berum facit; nec enim diverſi ritus diver-
ſam fidem, aut diverſos mores arguunt, uti
ſæpius ſupra variis locis obſervatum eſt; ac
propterea eadem ratione non aſſerit Baro-
nius a Baſnagio impetitus præceptam fuiſſe
reſervationem).

,, Adhuc tamen inſtat Baſnagius: Paſſus eſt,
,, ait, naufragium Paulus cum comitibus Chri-
,, ſtianis; Illorum nemo involutam orario
,, Euchariſtiam collo circum ligavit, quod
,, remedium adverſus procellas maris Am-
,, broſii Frater Satyrus ſibi comparavit. Sæ-
,, viente in Eccleſiam perſecutione, Petrus non
,, detulit incluſam ſive linteo, ſive vaſculo
,, Euchariſtiam, ſudaria, Oleum, Corporis
,, Umbra Apoſtolis inſtrumento fuit ad mor-
,, bos pellendos. (Vah quam ſtulta, ac fu-
tilia Calviniani hominis argumenta! Ergone
Sudarium, Oleum, Umbram tantum habue-
runt Apoſtoli? An aliquo ipſorum uſus eſt
Petrus tamquam inſtrumento, cum ſanavit
ad ſpecioſam portam Templi virum claudum
ex utero matris ſuæ? An forte id fecit Pau-
lus, qui conſimilem claudum eodem modo,
quo Petrus, Lyſtris ſanavit? Aut alii Apo-
ſtoli, vel Diſcipuli, qui variis, ac miris mo-
dis, ut viſum fuit, ac libuit, infirmos cura-
runt?) Aſt nondum Baſnagio finis; ,, Porro
,, (ait) nunquam uſi ſunt ad ſanandum Eu-
,, chariſtia, quam medicinam Gorgonia quæ-
,, ſivit. Hujus quoque nulla ſunt apud Ju-
,, ſtinum, & Irenæum veſtigia, quæ non
,, multo poſt plurima reperiuntur; Ille Dia-
,, conorum manu ad abſentes fuiſſe miſſam,
,, hic in amicitiæ teſſeram ad Presbyteros per-
,, latam fuiſſe ſcribit. Quod vero fideles
,, acceptum in Eccleſia Domini Corpus ſibi
,, ſervarint, ne verbulo quidem indicant:

At primo ad hanc inſtantiam: Calumnia-
turne fortaſſe Sectarius iſte hos Sanctos, quos
ad id faciendum perſuaſit fides, promovit re-
ligio, in quorum funere uterque reſpectivus
frater germanus, Gregorius nempe Nazian-
zenus, & Ambroſius, ambo præclariſſimi Ec-
cleſiæ Doctores, egregiam de ipſorum laudi-
bus Orationem habuere? Quo vero ad Juſti-
num & Irenæum, quos ait Baſnagius, ne ver-
bulo quidem indicare quod fideles acceptum
Domini Corpus ſibi ſervarint. An omnia
quæcumque tunc in Eccleſia fiebant, narrare
debuerant, cum nec omnia quæ Chriſtus fe-
cit, ſcripta ſint. *Joannes hoc dixit*, inquit Au-
guſtinus ſerm. 44. de Verbis Domini. Sed ſi
nobiles iſti Scriptores non indicarunt, ſatis
Baſnagio eſſe debuerat quod Tertullianus illis
vicinus expreſſit iis verbis, quæ hoc loco
Card. refert: *Accepto Corpore Domini, &
reſervato &c.* Clarius item Cyprianus de ſpe-
ctaculis: *Qui feſtinans ad ſpectaculum, & adhuc
gerens ſecum, ut aſſolet, Euchariſtiam*: Uti-
que acceptam in Eccleſia, non enim alibi
confectam fuiſſe aſſeret Baſnagius. Notanda
ſunt porro illa verba, *ut aſſolet*, quæ non
aliud indicant, niſi tunc uſitatam apud fideles
conſuetudinem deferendi ſecum ad proprias do-
mos Euchariſtiam ibi reverenter aſſervandam,
ut inde ſe ipſos ſacra Communione reficerent,
& ad certamen præpararent. Diſertiſſime id
confirmat Baſilius item ab Emin. Scriptore
noſtro relatus: *Quoniam vero per tempora illa
perſecutionum cogebantur homines Sacerdote, vel
Miniſtro non præſente, neceſſario propriis ma-
nibus percipere communionem, non eſt niſi ſu-
pervacuum ut demonſtrem illam ipſam rem non
eſſe graviter, & inique ferendam, eo quod in-
veterata conſuetudo hoc ipſum revera confirma-
tum dederat.* Quid clarius, quid expreſſius
dici poterat?

His tamen non obſtantibus, ut inveterа-
tam iſtam conſuetudinem, antiquiſſimam
quidem, utpote ab initio Eccleſiæ ortam, ac
proinde ex Apoſtolica permiſſione tunc intro-
ductam, quamvis nunc noſtris temporibus in-
conceſſam, eludat Baſnagius, hujus inſtitu-
tionem referens Clementi Alexandrino, quem
primum eſſe ait, qui illius meminerit, ita
ex tripode pronuncians: ,, Quantum animi
,, noſtri conjectura poſſumus aſſequi, miſſio
,, hæc Euchariſtiæ reſervationi anſam præ-
,, buit. Primus, qui moris hujuſce memi-
,, nit Clemens eſt Alexandrinus lib. 1. Strom,
,, 198. *Quemadmodum Euchariſtiam, quum
,, quidam, (ut moris eſt) diviſerint, permit-
,, tunt unicuique ex populo partem ejus ſumere*;
,, quum populis in mentem veniſſet ex Eu-
,, chariſtia reſervata aliquid haberi utilitatis,
,, hoc ipſis indulſerunt Epiſcopi; exinde fre-
,, quentiſſima reſervationis exempla. Hacte-
nus Baſnagius.

At utcumque primus ſit, qui hujus moris
meminerit Clemens Alexandrinus, uti placet
Annaliſtæ Flottemanvillæo, cum alias ejuſ-
dem, ut vidimus, mentionem habeant Ter-
tullianus Clementi coævus, illique proximus
Cyprianus, negare non poterit Clementem
,, traditionibus a viris Apoſtolicis hauſtis in
,, ſcriptis ſuis ut plurimum uti, ac proinde
,, admodum probabile eſſe ipſum illis tem-
,, poribus fuiſſe paulo viciniorem, eumdem-
,, que unum ex ſenioribus extitiſſe traditio-
,, nis Apoſtolicæ teſtibus, qui primarios ſal-
,, tem traditionis teſtes, primæ nimirum
,, ſucceſſionis ab Apoſtolis potuerint per æta-
,, tem attigiſſe: Id totum de Clemente Alexan-
drino aſſerit ejuſdem Calviniſticæ ſectæ, ac
Baſnagius, gregalis Guillelmus Cave Script.
Eccleſ. Hiſt. Litter. in Pantæno Parte 2. Ex
his omnibus plane manifeſtum eſt, quam
immerito, quam falſo & perperam magnum
Card. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Principem Ba-
ronium carpat Hollandus Scriptor, dum illi
eximio, ac ſapientiſſimo viro dictum antiquiſ-
ſimum morem priſcis temporibus, a primis
ſcilicet Eccleſiæ ſæculis frequentatum, quo
pii fideles acceptum a Sacerdote in Eccleſia
Domini Corpus ſecum deferebant, & domi
reverenter cuſtodiebant, ut quia, ait Card.
noſter, quotidie vitæ periculum eis immine-
bat, quotidie ſe ipſos poſſent ſacra Commu-
nione ad certamen præparare, hunc, inquam,
morem Apoſtolicum non eſſe injuſte, ac in-
diſcrete, contendit. Stet igitur ad Baſnagii
duritiem Baronii, ac Card. noſtri ſententia;
Quod nempe *abſque dubio licentiam hujuſmodi
obtinuiſſe fideles ex inſtitutione Apoſtolica majo-*
res

res tradiderint: Quis enim abſque Apoſtolorum exemplo hæc facere præſumpſiſſet, Ita Baronius; ſed de hoc argumento iterum diſſerendum eſt,

§. V.

Euchariſtia ad Abſentes miſſa, atque in itinere delata.

Id pluribus veterum exemplis demonſtratur.

AD abſentes quoque mitti conſuevit, quod multiplici veterum Scriptorum teſtimonio probatur, Juſtinus Apolog. 2. *Diaconi diſtribuunt unicuique præſenti, & ad abſentes perferunt*, Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium *lib.* 6. *cap.* 44. Seni cuidam Serapioni miſſam refert a Presbytero partem Euchariſtiæ per puerum Laicum, qui eam aqua intinctam in os ſenis infudit, & protinus animam exhalavit. Romanum Martyrologium die XV. Auguſti Tharſicium Acolythum commemorat, quem cum Pagani inveniſſent Corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret, at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis fuſtibus & lapidibus mactatus eſt, donec ſpiritum emiſit: cujus corpore revoluto ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti invenerunt. Irenæus Martyr in Epiſt. ad Victorem Papam, quam Hiſtoriæ ſuæ inſerit Euſebius *lib.* 5. *cap.* 24. teſtis eſt a Summis Pontificibus Victoris prædeceſſoribus diverſarum Eccleſiarum Presbyteris, ſeu Epiſcopis tranſmiſſam Euchariſtiam, in ſignum videlicet mutuæ communionis, ut alibi notatum eſt. Refert Palladius in Hiſtoria Lauſiaca *cap.* 9. & 52. olim Monachos in ſolitudine habitantes non antea ſumpſiſſe cibum, quam ſpiritale alimentum animæ accepiſſent, ſanctam nimirum communionem in cellis ſervatam, quam Sacerdotes vel illis in Eccleſia dabant, vel domum mittebant (1). Juſtinianus *Novella* 123. *de Epiſcopis & Monachis cap.* 41. Sanctimonialibus fœminis Presbyterum, ſive Diaconum ab Epiſcopo deputari ſtatuit *ad faciendum eis reſponſum, aut ſanctam eis communionem portandam*. Scriptor vitæ Sancti Laurentii Dublinenſis *apud Surium die* 14. *Novembris* alium morem indicat ab antiquis uſurpatum, & ipſius viri Sancti, qui obiit anno 1181. temporibus adhuc vigentem, deferendi ſecum Euchariſtiam, cum quis longe proficiſcebatur. Narrat enim quatuor Sacerdotes Auguſtiſſimum Sacramentum ſecum portantes incidiſſe in latrones, qui ſacra dona irreverenter tractantes eos ſpoliarunt, & mox injuriam Deo ulciſcente ſuſpendio interierunt. Confirmant eumdem ritum, quæ de Satyro fratre navigante refert Ambroſius orat. in funere ipſius: de Maximiano Epiſcopo Syracuſano Gregorius *lib.* 3. *Dialog. cap.* 36. de Monachis Conſtantinopolim navigantibus Joannes Diaconus in vita Gregorii *lib.* 1. *cap.* 33. de Sancto Birino Epiſcopo Dorceſtrienſi Anonymus apud Surium *die* 3. *Decembris cap.* 1. Atque huc forſitan reſpexit Hieronymus cum in fine Epiſt. 4. ad Ruſticum ita de S. Exuperio Epiſcopo Toloſæ ſcribit: *Nihil illo ditius qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro* (2). Idem mos etiam hodie ſervatur a Monachis Græcis in longiori itinere, ut Petrus Arcudius teſtatur *lib.* 3. *de Sacramen. cap.* 59. Romanus quoque Pontifex cum extra Urbem longum iter agit, Euchariſtiam deferre ſolet, quæ cum magnifico & religioſo comitatu ipſum præcedit; de qua re eruditum commentarium edidit Angelus Rocca Apoſtolici ſacrarii (ſub Clemente VIII.) Præfectus, ubi ejus originem refert ad hunc priſcum morem de quo agimus (3).

(1) (2) (3)

(1)

Alia in idem argumentum exempla quo ad Monachos, & Virgines Deo ſacras.

(1) *Vel domum mittebant.*) Idem in vita S. Johannis Chryſoſtomi repræſentat Theophilum Epiſcopum Alexandrinum Monachorum quorumdam cellulas incendentem, combuſtis una libris veteris, ac novi Teſtamenti, aliiſque optimis Codicibus, puero uno, & ſacra Euchariſtia penes ipſos aſſervata, ſed ante Palladium, nedum Monachos, verum & Laicos domi aſſervatam habuiſſe Euchariſtiam, eamque per ſe ipſos ſumpſiſſe teſtatur S. Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus Ep. 289. ad Cæſariam Patritiam, de qua paulo ante Eminentiſſimus Author; Conſuetudinem hanc domeſticæ, & privatæ communionis Euchariſticæ perduraſſe apud Græcos, quoad Anachoretas multo poſt ſec. X. ſcribit Allatius de Miſſa Præſanctificatorum cap. 4., quin etiam nunc, Arcudio teſte, ut notat Eminentiſſimus Author, nec diſſitetur Janus Nicius Erithræus lib. 7. Epiſt. 24.; Quandonam hic uſus ceſſaverit in Eccleſia Latina, non ſatis conſtat; nonnulli adducunt Concilii Rothomagenſis circa medium ſeculum IX. celebrati authoritatem, qua prohibetur, ne Laicis Euchariſtia detur in manibus, de cujus Concilii ſanctione meminit Mabillonius Præfat. 1. in ſæc. tertium Ordin. Benedict. n. 76., ex qua conſequitur in privatas domos non eſſe deferendam, & quidem hæc conſecutio rejicienda non videtur, quamvis conſuetudo communicandi privatim in Eccleſia Latina, ſaltem quoad Virgines Deo ſacras perſeveraverit uſque ad ſeculum XII., & ultra, quibus conſecrationis ſuæ die integra impertiebatur hoſtia, de qua per octo dies ſequentes ſemetipſas communicabant, uti oſtendit Edmundus Martene de antiq. Eccl. Ritib., ubi de ſolemni Virginum Benedictione, ſeu conſecratione agit Tom. 3. cap. 6. num. 15. Addit inſuper mox laudatus Mabillonius loco indicato, quod in Statutis antiquis Carthuſienſium anno 1259. conditis ſeculo ſcilicet XIII. præcipitur Diaconum ſingulis Dominicis de hoſtia adſervata ſe ipſum communicare.

Quandiunam perſeveraverit conſuetudo iſta tum apud Græcos, tum apud Latinos, diſquiritur.

Euchariſtia non ſolum ab Epiſcopis ſed a Presbyteris in itinere delata.

(2) *Sanguinem portat in vitro.*) Item conſtat ex Macro Gazenſi in vita S. Porphyrii dictæ Urbis Epiſcopi cap. 8., & Baronio ad an. 401. num. 35. Verum & Presbyteris, ſeu Parœciis præcipiebatur, ut Euchariſtiam, cum alio pergerent, ſecum deferrent, qua parati eſſent ad ſuccurrendum infirmis. Id ſtatutum legimus in Capitularibus Regum Franc. lib. 6. cap. 178. *Ut Presbyteri ſine ſacro Chriſmate, Oleoque benedicto, & ſalubri Chriſti Euchariſtia alicubi non proficiſcantur.* Cæterum, etſi apud Græcos conſuetudo iſta adhuc perſeveret, ut infra Petrus Arcudius teſtatur, conſultius tamen in Occidente morem hunc jamdiu ſublatum aureis verbis magnus Cardin. Baronius ad an. Domini 635. aſſerit num. 10., ubi loquens de veteri more olim apud priſcos Fideles valde pios, portandi ſcilicet in itinere terra, marique Sacroſanctam Euchariſtiam, de eadem ſubdit: *Quam piam conſuetudinem ſicut fervens religio introduxit, ita religio æque ſancta ſubduxit; ſuadebat illud tunc fides, quod poſtea reverentia diſſuaſit, utrobique commendandi Fideles, &c.*

(3) *Ad hunc priſcum morem, de quo agimus.*) Legendus etiam hac de re Clariſs. Dominicus Georgius Rhodiginus de Liturgia Summi Pontificis lib. 1. cap. 4. n. 11., ubi nonnulla ad dictum Angeli Rocca Commentarium eruditiſſime notat.

§. VI.

Euchariſtia cuſtodita in Eccleſiis, Defunctis conſepulta.

QUod ſi olim licitum fuit & domi privatim habere Euchariſtiam, &
eam ſecum in itinere deferre, multo credibilius eſt in Eccleſiis con-
ſervatam fuiſſe, ut ſemper in promptu eſſet ad infirmos com-
municandos. Nec deſunt probationes (1). Nam Optatus Milevitanus de (1)
conſervata in Templo Euchariſtia intelligendus eſt (2), cum a Donatiſtis (2)
inaudito ſcelere traditam canibus narrat *lib.* 2. non ſine ſigno divini judicii; canes enim accenſi rabie homines ipſos dente vindice laniaverunt. Victor Epiſcopus *lib.* 1. *Africanæ perſecutionis* de Divinis quoque Sacramentis in Eccleſia aſſervatis agit, cum Valerianum Epiſcopum viriliter dimicaſſe ait, ne ipſa traderet, qua de cauſa ab impio Rege Genſerico foras civitatem ſingularis juſſus eſt pelli, addito præcepto, ne quis eum in domo, aut agro permitteret habitare. Cyrillus Alexandrinus ejuſdem moris teſtis eſt in epiſt. ad Caloſyrium (Arſeniotem) præfixa libro adverſus Antropomorphitas, qua eos redarguit, qui dicebant Euchariſtiam in ſequentem diem ſervandam non eſſe. Idem colligitur ex Pœnitentiali Columbani Abbatis, in quo præſcribit, quæ pœna ſit illis imponenda, quorum negligentia Euchariſtia corrupta, & putrefacta ſit. Eudocia martyr apud Henſchenium *die* 1. *Martii*, antequam ad martyrium duceretur,

tur, brevi morula a ſatellitibus impetrata ad ſacram ædem cucurrit, & arcula reſerata ſacri doni Corporis Chriſti particulam acceptam ſinu recondidit, & cum militibus abiit (3). Eſt item de hac re canon Concilii II. Turonenſis, *ut Corpus Domini in altari non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur*: videlicet (ut quidam interpretantur) non inter imagines, ſed ſub cruce in loco digniori ponatur. Ad quem ritum ſunt qui exiſtiment multo ante hoc Concilium reſpexiſſe Paulinum Nolanum *epiſt.* 12. *ad Severum* his verſibus. (3)

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitis ſacra cum cruce Martyribus.
Cuncta ſalutiferi coeunt martyria Chriſti,
Crux, Corpus, Sanguis, Martyris ipſe Deus.

At hæc ſubobſcura ſunt: imo ex antecedentibus de ſolis Sanctorum Lipſanis Paulinus loqui videtur. Clariora ſunt quæ Venantius Fortunatus *lib.* 3. *carm.* 25. ad Felicem Bituricenſem Epiſcopum, qui turrim auream fecerat (4), qua Corpus Domini aſſervaretur. (4)

Quam bene juncta decent, ſacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Cryſolithis Salomonia vaſa metallis,
Iſta placere magis ars facit, atque fides.

Similem turrim commemorat Gregorius Turonenſis *lib.* 1. *de gl. Martyrum cap.* 86. quam e manibus impuri diaconi elapſam refert, ſeque in altari collocaſſe, ita ut eam diaconus nunquam aſſequi potuerit. Ad eumdem uſum ſuſpenſas in altari aureas, & argenteas columbas legimus in vita S. Baſilii Amphilochio adſcripta (5). Eas autem ſublatas a Severo hæretico conqueſti ſunt Clerici, & Monachi Antiocheni, oblato quintæ Synodo ſupplici libello. Recte vero obſervat Morinus *lib.* 8. *de pœnitentia cap.* 14. ſervatum antiquitus in Eccleſia Corpus Chriſti propter infirmorum communionem, addens hodiernam conſuetudinem plures particulas reſervandi ad Fideles in ipſa Eccleſia etiam extra Sacrificium communicandos a Mendicantibus primum introductam, & ab aliis deinde uſurpatam, ipſo Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos aſſervari. Sanis veteri ritu nullus erat communionis uſus extra Sacrificii actionem, niſi cum permiſit Eccleſia, ut accepta myſteria domum deferrent. Notabile eſt autem, quod in præcitata Baſilii vita refertur; cum enim precibus a Deo gratiam obtinuiſſet, ut ſuis verbis Sacrificium offerre poſſet, accepto divinitus pane, & vino, ipſiſque conſecratis, tempore confractionis panem diviſit in tres partes, & unam quidem cum multo timore, & veneratione ſumpſit, alteram vero una ſecum ſepeliendam ſervavit, tertiam denique in columba aurea depoſitam deſuper ſacrum altare ſuſpendit. Quod ideo hoc loco adnotandum cenſui, quia olim viguit hic mos conſepeliendi mortuis Euchariſtiam, non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos (6). Extat ſiquidem exemplum S. Benedicti, qui, ut Gregorius ſcribit *lib.* 2. *Dialog. cap.* 24. puerum monachum extra clauſtra defunctum ſepulturæ tradi juſſit poſito ſuper pectus ejus Dominico Corpore, quod ad hunc effectum ipſemet dedit, ne terra deſoſſum cadaver projiceret, ſicut antea bis acciderat. Sive autem id fecerint Sancti Patres peculiari inſtinctu, ne unquam a Domino ſepararentur, ſive ex conſuetudine tunc recepta, hæc tamen poſtmodum abrogata fuit. Alius quoque uſus olim irrepſerat mortuos (5) (6)

com-

communicandi, præſertim pœnitentes, qui ſine communione deceſſerant, credentibus nonnullis pia quadam ſimplicitate ipſos Eccleſiæ ea communione reconciliari. Sed hic vetitus eſt c. 6. Concilii III. Carthaginenſis, c. 12. Antiſſiodorenſis, & c. 83. Trullani (7). (7)

Afferuntur Calviniſtæ Baſnagii argumenta contra aſſervationem Euchariſtiæ ad Viaticum infirmorum.

(1) *Nec deſunt probationes.*) Diſplicet hæc ſententia Samueli Baſnagio, etiamſi Annal. Tom. 2. ad an. 209. pag. 255. nu. 5. non Latinis tantum, ſed ipſis ejus conſectariis Julio Sariſburienſi Epiſcopo in Hardingum art. 9. Hoſpiniano Hiſtor. Sacram. lib. 2. cap. 2. probabiliſſimam eſſe fateatur, ſicque ediſſerit citato loco, ubi hæreticus Annaliſta, ut antiquitatem hujuſce religioſæ, ac vetuſtiſſimæ conſuetudinis Sacram Euchariſtiam aſſervandi in Eccleſiis impugnet, plura prorſus ſtraminea profert argumenta, quibus primo relatis, poſtea reſpondebimus. Sic, inquam, ait: „ Pœnitentibus ultimum diem obeuntibus porrecta fuiſſe ſacra myſteria in ſignum redditæ pacis Eccleſiaſticæ ex veterum monumentis colligitur; an vero ſacrum Viaticum de Euchariſtia ſit accipiendum, ab eruditis nonnullis in dubium revocatur, exiſtimantibus abſolutionem ſignificari. Aſt detur eſſe Euchariſtiam ſumma integritate, & innocentia viros, qui nullo facinore a ſacra menſa depulſi fuerant, quum ægroti ſupremum explebant diem Euchariſtia a Clericis fuiſſe donatos, nihil habet probabilitatis. Mos ille privatim aſſervandi Sacramentum, qui ſæculo 2. præcipiti eſt introductus, Presbyteros ſane, Diaconoſve levabat onere ad moribundos deferendi Corporis Chriſti myſteria, quum ex arca ſua Euchariſtiam ſibi depromere quilibet poſſet. Neque ex Apoſtol. traditione *Infirmorum communio* deduci poteſt. Jacobi ſcitum eſt Apoſtoli. *Ægrotat aliquis inter vos, advocato Presbyteros Eccleſiæ, & precentur pro eo, ungentes cum oleo in nomine Domini.* Quanto magis uſum Euchariſtiæ infirmis imperaſſet, ſi jam invaluiſſet infirmorum communio. Fuſa oratione ſcripta ſunt acta Perpetuæ, & Felicitatis, & Cœnæ liberæ, quam Martyres cœnaverunt, & curæ, quam Tertius, & Pomponius Diaconi, qui ipſis miniſtrabant, adhibuere, diligenter meminerunt; Omiſiſſentne allatam a clericis Euchariſtiam, ut Chriſti victimis eſſet ſolatio? Sancti Antonii vitam fuſiſſime ſcripſit Athanaſius. Extant orationes Nazianzeni de patre ſuo, de Gregorio fratre, de Gorgonia ſorore, quos omnes multis laudibus afficit. Manibus eruditorum teruntur complures Hieronymi Epiſtolæ conſolatoriæ ad Paulam ſuper obitu Bleſſillæ filiæ, ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris, ad Euſtochiam virginem de obitu matris. Leguntur & vitæ Pauli Eremitæ, Sancti Hilarionis, & Malchi Monachi. Scripſit Nyſſenus Gregorii Thaumaturgi orationes in laudes Baſilii fratris ſui, in funus Pulcheriæ. Atque tot in monumentis nulla mentio Viatici a religioſiſſimis viris, & mulieribus ſuſcepti inferitur. Abſonum ſane fuiſſet de allata Conſtantino Magno moribundo Euchariſtia Euſebium nihil dixiſſe. Chryſoſtomus quidem paulo ante obitum participavit Euchariſtiam, ſed in Eccleſia, licet infirmitate, & moleſtia laboraret. Palladius in vita Chryſoſtomi cap. II. 100. Primus Sanctorum virorum, qui Viatico uſus eſt, is Mediolanen. Epiſc. Ambroſius an. 397. ita Paulinus in vita Ambroſii .... quod exemplum eo ſeculo eſt ſine exemplo prorſus extraordinarium, & forte alia manu additum. Quum porro certum ſit tertio labente ſeculo pœnitentes, qui ad ultima fata venerant, donatos eſſe Euchariſtia, adhuc ſub judice lis eſt, utrum ad hos uſus Sacramentum in Eccleſiis reconderetur.

„ Joannes Abrincen. de Offic. pag. 23. *Sacerdos Corpus Domini tripliciter dividat, quarum partium unam Sacerdos Calici immittens .... alia ſe, Diaconum, Subdiaconumque communicet. Tertio Viaticum, ſi opus fuerit, uſque ad finem Miſſæ reſervet.* Ivo Carnot. de Div. Offic. *Sacerdos Dominicum Corpus ...... Tertiam ad Viaticum, ſi opus fuerit, in patena uſque ad finem Miſſæ reſervet; ſi opus autem non fuerit, eam Sacerdos, aut unus Miniſtrorum communicationem accipiat.* Ex his autem eruitur quidem infirmorum communio, ſed non diuturna aſſervatio in Eccleſia. Proſequitur Baſnagius num. 6. dicens: Moribundorum pœnitentium communio legitimum aſſervatæ in templis Euchariſtiæ non eſt argumentum; potuit enim ad hunc uſum ex tempore conſecrari. Ex privatis etiam theſauris, quibus includebatur, ſuppeditari potuit. Confeſſoribus quidem, qui mortem expectabant, conceſſam tenemus Euchariſtiam, ſed in ipſo carcere conſecratam. Quo pertinet Cypriani Epiſt. 4. Clero ſuo ſcripta: *Conſulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit, ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconos per vices alternent.* De Luciano martyre legimus apud Philoſtorgium lib. 2. cap. 13. *Quum jam jam moriturus eſſet, & tyrannica vis nec Eccleſiæ, nec Altaris copiam faceret; quum vincula, & plagæ, nequidem, ut ſe commoveret, & permitterent, ſupinum jacentem ſuper proprium pectus tremendum ſacrificium peregiſſe, & tum ipſum participaſſe, tum aliis, ut de immaculato ſacrificio participarent, copiam feciſſe. Peractum eſt autem hoc ſacrificium in carcere, quum ſacer Chriſtianorum chorus, qui illum, utpote morientem, undique cingebat, Eccleſiæ ſpeciem referret, ac ſimul munimentum præſtaret, ne ab impiis ſpectari poſſent, quæ peragebantur.*

„ Ut pœnitentibus erogabatur Euchariſtia, veluti ſuæ reconciliationis cum Eccleſia pignus, quo lætam, pacificamque mortem

 „ obirent,

„ obirent, ſic confeſſoribus præbebatur, ut
„ his armis muniti fortius adverſus hoſtes
„ ſuos, & mirabilius pugnarent. Quam con-
„ ſuetudinis hujus rationem exhibuit Cypr.
„ Ep. 54. Angl. edit. 57. *Non infirmis, ſed*
„ *fortibus pax neceſſaria eſt; nec morientibus,*
„ *ſed viventibus a nobis communicatio danda eſt,*
„ *ut quos excitamus, & hortamur ad prælium,*
„ *non inermes, & nudos relinquamus, ſed pro-*
„ *tectione Sanguinis, & Corporis Chriſti munia-*
„ *mus. Et quum ad hoc fiat Euchariſtia, ut*
„ *poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe*
„ *contra adverſarium volumus, munimento Do-*
„ *minicæ ſaturitatis armemus.* Quam offeren-
„ di in carcere conſuetudinem poſt Perpetuæ
„ martyrium exortam fuiſſe exiſtimamus,
„ quum in Actis ejus fœminæ nil de eo ritu
„ mentionis agitetur. Cæterum in aſſerva-
„ tionem publicam Sacramenti, graviſſimum
„ ex eo more argumentum ducitur; quippe
„ & honori Sacramenti, & Fidelium utili-
„ tati magis conſentaneum fuiſſet conſecra-
„ tam ex Eccleſia adduci a Clericis Eucha-
„ riſtiam, quam in carceris pædore offerri
„ ſacrificium abſque Altaris copia. Non ergo
„ repoſitum erat in Altari Sacramentum, ut
„ Confeſſoribus, & Pœnitentibus eſſet Via-
„ tico. Necdum autem Baſnagio argumen-
torum finis.

„ Aliud, inquit, argumenti petimus ex
„ miraculo memorato ab Auguſtino de Civi-
„ tate Dei lib. 22. cap. 8. *Vir Tribunitius*
„ *Heſperius, qui apud nos eſt, habet in Ter-*
„ *ritorio Fuſſalenſi fundum, Zebedi appellatum,*
„ *ubi quum afflictione animalium, & ſervorum*
„ *ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum*
„ *vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit no-*
„ *ſtros, me abſente, Presbyteros, ut aliquis*
„ *eorum illico pergeret, cujus orationibus cede-*
„ *rent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium*
„ *Corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut*
„ *ceſſaret illa vexatio: Deo protinus miſerante*
„ *ceſſavit.* Quanto facilius juxta, ac decen-
„ tius fuiſſet, ut Presbyter ille ex Eccleſiæ
„ Sacrario depromeret Euchariſtiam ad fun-
„ dum Zebedi deferendam, quam ut in loco
„ profano celebraret. In ea igitur domo con-
„ fecit Euchariſtiam, quia nulla tum fuit in
„ Templo, quam afferret.

„ Conſtit. Apoſt. 58. can. 31. de Reli-
„ quiis Euchariſtiæ hoc ſanciunt: *Quæ in*
„ *myſticis ſuperant, de ſententia Epiſcopi diſtri-*
„ *buant Clero, Epiſcopo partes quatuor, Pres-*
„ *bytero tres, Diacono duas, reliquis vero Hyp-*
„ *podiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus,*
„ *aut Diaconiſſis partem unam.* Nil reponi
„ jubent, quod infirmis ſit Viatico; atque
„ ex verbis Conſtitutionum laudatis apparet,
„ quo fine Diaconis mandent Sacramenti re-
„ liquias poſt peractam communionem *Pa-*
„ *ſtophoriis inferre* c. 13. nempe ut Clero di-
„ ſtribuerentur.

„ Pugnat etiam cum more aſſervandi Eu-
„ chariſtiam Conſtantinopolitana conſuetudo
„ vetus, ut quoties ex ſacris partibus imma-
„ culati Corporis Chriſti numerus ſupereſſet
„ magnus, pueri impuberes ex iis, qui ſcho-
„ las frequentabant, evocarentur, qui eas
„ manducarent. Evagr. lib. 4. cap. 36. Ma-
„ tiſconenſis Synodi 2. can. 6. *Quæcumque*
„ *reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam*
„ *ſuperfuerint quarta, vel ſexta feria innocen-*
„ *tes ab illo, cujus intereſt, ad Eccleſiam ad-*
„ *ducantur, & indicto eis jejunio, reliquias*
„ *conſperſas vino percipiant.* Pugnat & Gor-
„ goniæ factum, quæ ante comparata Cor-
„ poris Chriſti antitypa pro morbi ſui re-
„ medio habuit non ex Eccleſiæ Sacrario de-
„ prompta.

„ Pugnat conſuetudo Eccleſiæ Hieroſoly-
„ mitanæ, quæ more Judæorum reliquias
„ Agni Paſchalis in ignem mittentium, ſu-
„ perſtites Euchariſtiæ particulas flammis abo-
„ lebat. Heſych. in Levit. lib. 2. *Sed hoc,*
„ *quod reliquum eſt de carnibus, & panibus in*
„ *igne incendi præcepit, quod nunc videmus*
„ *etiam ſenſibiliter in Eccleſia fieri, ignique*
„ *tradi quæcumque remanere contingit incon-*
„ *ſumpta.*

„ Denique Clemens Ep. 2. *Tanta in Al-*
„ *tario Holocauſta offerantur, quanta populo*
„ *ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in*
„ *craſtinum non reſervent, ſed cum timore, &*
„ *tremore Clericorum diligentia conſumantur.*
„ Ex his infero prodigium eſſe, quod Card.
„ Bellarminus ex Clementis Epiſt. probave-
„ rit partem Euchariſtiæ aſſervari debuiſſe,
„ quaſi vero particularum Sacramenti, &
„ caſu ſuperſtitum, & a clericis illo ipſo die
„ conſumendarum cuſtodia, Latinorum ſit
„ aſſervatio. Apud Æthiopes ſcribit Zagaza-
„ bus: *Sacramentum* Euchariſtiæ *non ſervatur*
„ *apud nos in Templis, ut ſit hic apud Euro-*
„ *pæos, nec ægroti Corpus Dominicum accipiunt,*
„ *niſi dum invaluerint, &c.* Itaque non addu-
„ cere in ſuſpicionem non poſſumus, quæ
„ prædicant Abyſſini Monachi, quos Cardin.
„ Bona *per interpretem* allocutus eſt, nempe
„ Viaticum moribundis Æthiopibus ſub ſola
„ panis ſpecie fuiſſe miniſtratum. Aut ſi vera
„ dixerunt, id eos ſpectat, qui Romanam Re-
„ ligionem ſuſceperunt.

„ Octavo ſeculo ad exitum vergente Eu-
„ chariſtiam in Templis reconditam, ut mo-
„ rientibus cibo eſſet, docet Caroli Magni
„ Capitul. 155. lib. 1. *Presbyter*, inquit,
„ *ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut quan-*
„ *do quis infirmaverit, aut parvulus infirmus*
„ *fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine com-*
„ *munione moriatur.* Nec factum Prætextati
„ Rothomag. Epiſcopi conſuetudinem illam
„ antiquiorem ſtatuit. Mabillon. Annal. Tom.
„ I. 432. *Qui mox ut vulnera ſenſit, cucurrit*
„ *ad Altarium, &c.* Prætextatus enim, uti
„ potuit Euchariſtia eo ipſo die conſecrata,
„ quia Reſurrectionis Dominicæ feſto, dum
„ antiphonas canit juxta Altare, percuſſus eſt.
„ Neque de ſumpto Viatico, dum Prætexta-
„ to mors imminet, ulla in Gregorio men-
„ tio facta eſt. Neque ex carminibus Fortu-
„ nati ſcriptis, ex Turri ad Felicem Bituri-
„ cenſem lib. 3. carm. 25. *Quam bene juncta*
„ *decent, &c.* Non eſt improbabile in Turri
„ Felicis Euchariſtiam cuſtodiri, ut recens
„ baptizatis cibo eſſet ex ſolemni more, ut
„ qui ſacris undis renovabantur, mox Eucha-
„ riſtiam ſumerent, quod a reſervandi Sacra-
„ menti, ut ad ægrotos deferretur, more

„ multum

„ multum diſcrepat, aut quod vero eſt lon-
„ ge ſimilius Felicis illa Turris recondendo
„ Euchariſtiæ miniſterio inſerviebat, cujuſ-
„ modi Turris illa fuit, quam Gregorius Tu-
„ ronenſis memorat, quæ de manu Diaconi
„ elapſa ferebatur per aera. Quin etiam con-
„ ceſſo Fortunatum Euchariſtiam in mente
„ habuiſse, id unum conſequeretur primo ſe-
„ culo morem invaluiſse apud nonnullas Ec-
„ cleſias, ut Sacramentum reconderetur, quæ
„ diſciplina nec univerſalis erat, nec antiqua
„ appellari poteſt.

Reſpondetur omnibus, & ſingulis prædictis Baſnagii objectionibus.

Huc uſque Baſnagius, qui hiſce argumentis ſententiam de aſservata in Eccleſiis Euchariſtia evertere conatur: hæc autem non ita demonſtrativa ſunt, ut eorum prætenſæ evidentiæ nihil poſſit opponi; utque a primo exordiamur, ſacrum Viaticum de Euchariſtia intelligendum eſse probamus ex Concil. Nicæno 1. can. 12. vel 13. *De his vero, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſervabitur etiam nunc, ita ut . . . . . . ultimo vitæ ſuæ Viatico non defraudentur*; ibi autem de Euchariſtia ſermonem fieri oſtendit ex verbis ſubſequentibus Mabillon. Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 9. num. 6. Verba autem ſubſequentia, quæ brevitatis gratia fortaſſe omiſit Mabillonius, hæc ſunt: *Quod ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, &c.* Idque Euchariſticæ communionis Viaticum morituris pœnitentibus dandum, ſic a Nicænis Patribus appellatum, ac denuo conſtitutum antiquiſſimum eſſe, ac proinde ab Apoſtolica traditione derivari ſatis ſuperque indicant illa verba: *Antiquæ legis regula obſervabitur etiam nunc*. Rationem vero hujus Decreti, quod & renovat, reddit Concilium Vaſenſe in Gallia celebratum anno 442. integro ſeculo poſt Nicænum: *Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi a ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis myſteriis indicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum Viatico intercipiuntur*. Quid, quæſo, per *ſalutaria ſacra, ſalutifera myſteria, Sacramentorum Viaticum*, quæ ſynonima ſunt, intelliget Baſnagius? Inſignis item de Viatico eſt can. 2. Conc. XI. Toletani, & Gregorii III. ſeculi ſexti teſtibus, de his, qui parentes ſuos necaſſent, decernit, *ut toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro Viatico*; Quod poſtea variis Eccleſiæ legibus præceptum eſt. Sed ne a magno Concilio Nicæno divagemur, cum in ejuſdem dicto Canone 13., & quidem in omnibus editionibus, jubeant Patres, ut ſecundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur ſacræ communionis Euchariſticæ Viaticum, qui canon ſæpe deinde in poſterioribus Conciliis renovatus fuit, certum autem ſit ægros in articulo mortis exiſtentes ad Eccleſiam venire non potuiſſe, certumque etiam non potuiſſe in cubiculis ſingulorum ægrotantium totam ſacræ Cœnæ actionem celebrari, & præſertim juxta adverſariorum Proteſtantium opinionem, qui Miſſas privatas damnant, profecto neceſſe eſt, ut Euchariſtia ſervaretur conſecrata pro infirmis, vel certe extra actionem publicæ Cœnæ, quam ſolam pro vera Cœna agnoſcunt adverſarii, Euchariſtia ægrotis præberetur. Quod vero ita aſſerendum ſit, & non aliter, ulterius ex eodem Concilio demonſtratur; ibidem can. 14. alias 18.; ſeu 20., ubi ſcilicet Œcumenica Synodus jubet, ut in abſentia Presbyterorum Diaconi Euchariſtiam porrigant. Ex eo evidenter colligitur Euchariſtiam ſervari ſolitam in Eccleſia, ut diſtribui quovis tempore poſſet, etiam quando Cœna non celebratur; etenim loqui Concilium de eodem tempore perſpicuum eſt, quia ſacra Cœna ſine Presbyteris celebrari non poteſt, Diaconis quippe non eſt data authoritas offerendi, ut in eodem canone legimus. Licet autem iſta pars canonis non habeatur in omnibus Concilii Nicæni editionibus, habetur tamen expreſſe apud Rufinum lib. 10. Hiſt. cap. 6. Canones vero, quos Rufinus deſcripſit eſſe ipſos genuinos, legitimos, & authenticos Nicæni Concilii canones, teſtatur etiam S. Cyrillus in Epiſt. ad Concilium Carthaginenſe, quæ extat Tom. 1. Conciliorum in Actis Conc. Afric. Cæterum hunc Nicænum canonem, quivis ſit, renovavit Concilium Carthaginenſe IV. an. 398., poſtea a Leone Papa III. confirmatum, dum canone 38. ſic habet: *Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*. His item omnibus nonnihil notari videntur ii ex noſtratibus etiam Theologis pauci, inter quos Gabriel Albaſpinæus in Obſerv. Eccl., & Petrus Annatus Appar. ad Poſitiv. Theol. lib. 5. ſect. 3. art. 2. num. 7. Qui Viaticum illud per dictum canonem Nicænum 13. expreſſum, non de communione Euchariſtica intelligendum eſſe contendunt, ſed de abſolutione ſacramentali a peccatis, quæ morituris eſt magis neceſſaria, quam communio Euchariſtica; verum nil officit, quin Viatici nomine utraque intelligi debeat, cum nonniſi præmiſſa abſolutione a peccatis ſacramentaliter collata communio Euchariſtica miniſtrari poſſit.

In ſecundo argumento concedit Baſnagius probabile quidem eſſe Viatico donatos fuiſſe pœnitentes, non autem ſumma integritate viros, quum ſupremum diem eſſent obituri; ſed ipſe ſuo ſe jugulat gladio Calvinianus Scriptor, dum Chryſoſtomi, Ambroſii, Confeſſorumque mortem in carcere præſtolantium communionem memorat, niſi forte illos ſumma integritate viros non fuiſſe contendat; quod, vel ipſo judice, ſani non eſſet hominis ſic argumentari.

Tertium argumentum deſumit ex privata reſervatione ſingulis fidelibus in privatis ædibus permiſſa; ſi vero advertat exceptos ab hoc privilegio fuiſse pœnitentes, fatebitur ultro debuiſse alibi, quam in privatis eorum domibus, ſaltem pro pœnitentibus aſservari Euchariſtiam.

Ad quartum ejus objectum, concedamus quidem infirmorum communionem non fuiſse ab Apoſtolis præceptam; induci hinc tamen non poteſt eam in uſu non extitiſse Apoſtolorum ævo; neque enim quotidianam communionem ab Apoſtolis præceptam legimus iis,

iis, qui Sacrificio intererant, quum tamen Fideles omnes de Sacrificio participaſse, etiam Apoſtolorum temporibus, nemo inficietur. Et quod Jacobus de Unctione extrema loquens, de Viatico ſileat, hinc infertur legitime uſum porrigendi Viaticum infirmis Jacobi tempore adeo invaluiſse, ut novis monitis non indigeret, ſed firmius ſtabiliretur. Quod ſpectat ad Perpetuæ, & Felicitatis Acta, cœnam liberam Martyrum, vitas Sanctorum Antonii, Pauli Eremitæ, Hilationis, & Malchi, orationes Nazianz. Epiſt., D. Hieronymi conſolatorias, &c., in quibus nulla Viatici infirmorum mentio, reſpondemus nihil hinc induci poſse contra ſententiam Viatici; quod enim morituri ſacro munirentur Viatico, adeo erat commune, ut notatu dignum non exiſtimaretur, quemadmodum obſervavit Lucas Holſtenius in Notis ad paſſionem dictarum Sanctarum pag. 180., ubi adumbratum ritum miniſtrandæ morituris Euchariſtiæ ex S. Perpetuæ viſione luculenter arguit. Sic S. Auguſtinus de communione Sanctæ matris Monicæ in mortis hora, ne verbum quidem facit, quum quotidianam ipſius communionem narrare non omiſiſset, & Paulinus de Ambroſii communione non loquitur, niſi ut nos doceat portentoſam Honorati Vercellenſis admonitionem. Præterea naſcentis Eccleſiæ Fideles quotidie perſeveraſse *in communione fractionis panis*, adeo certum eſt apud omnes, ut abſque dementiæ nota illud negari non poſſit; attamen in deſcriptionibus vitæ Sanctorum illius ævi, ne verbulum quidem de quotidiana illorum communione, ſed nec deſunt exempla communionis infirmorum. Surius in vita S. Valentini Papienſis Epiſc. ann. 460. mortui refert, quod antequam is animam Deo redderet, ſumpſit de propriis manibus Corpus, & Sanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Idem refert S. Gregorius Dialog. lib. 1. cap. 56. de Caſſio Narnienſi Epiſcopo, & de S. Benedicto. Alcuinus in vita S. Vedaſti Atrebaten. Item in vita Cudeberti Vormatienſis Epiſcopi an. 623. Iſidori Hiſpalen. S. Remacli Leodienſis Epiſc. an. 654. Berilli an. 655. S. Gertrudæ 664., aliorumque ſexcentorum, quos videre eſt apud Grancolaſium Vet. Liturg. Tom. 2. pag. 246. Immo in Jure Orientali Leonis Clavii, ſeu Leunclavii legitur, quod quando infirmus ita erat exanguis, ſic deglutiendo Chriſti Corpori par non eſset, Sacerdos ejus labia, & linguam Sanguine Chriſti Domini liniebat. Chryſoſtomus paulo ante obitum participavit Euchariſtiam, ſed in Eccleſia, licet infirmitate, & moleſtia laboraret, inquit Baſnagius, ergo falſum, quod Euchariſtia ad ægrotos deferretur ab Eccleſia; veriſſimum antecedens; ſed falſa inductio: legitur enim paſſim in vitis Sanctorum tum veterum, tum ævo noſtro proximorum, eos in Eccleſiam delatos, ut antequam extremum obirent diem, ſacro reficerentur Viatico; & quidem quoad veteres exemplum habemus in S. P. noſtro Benedicto, de quo id refert S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 37., & quoad recentiores hoc factum novimus in Vita S. Franciſci de Paula: non itaque excluditur antiquiſſimus inde ritus deferendi ad ægtos Viaticum.

Quod ad ſingularitatem exempli Ambroſii attinet, jam ſupra reſpondimus, de ejus communione ne verbum quidem facturum fuiſſe Paulinum, niſi admirabilis illa contigiſſet Honorato admonitio. Quod autem alia manu invectum ſit illud exemplum, hoe adhuc probandum ſupereſt Baſnagio: Præterea non aliter intelligi poteſt Paulini narratio de extrema Ambroſii communione, niſi Euchariſtia reſervata admittatur. Ambroſius morte imminente, *ab hora circiter undecima diei uſque ad illam horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiori domo ſe ad quietem compoſuiſſet, tertio vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina, quia modo eſt receſſurus. Qui deſcendens, obtulit Sancto Domini Corpus, quo accepto, ubi glutivit, emiſit ſpiritum.* Nemini hic fingere licet animo Miſſam ad hoc fuiſſe celebratam. Tempus non ſinebat, hora diei minimum duodecima: non temporis articulus, & anguſtiæ; ſiquidem Honoratus, qui tunc ad quietem in lecto compoſitus erat, mox ut deſcendit, nulla interpoſita mora, *obtulit Sancto Domini Corpus*. Ergo ex reſervata Euchariſtia id factum eſt. Quod ſi concedat fortaſſe Baſnagius, ex reſervata quidem, non in Eccleſia, ſed domi, quod cuivis liceret Euchariſtiam deferre in proprias ædes, ad id reſpondemus; quod quemadmodum hic uſus, ſæviente perſecutione, introductus fuit, ut ſupra dictum eſt §. 4. ita illa in Urbibus præſertim ceſſante, idem quoque ceſſavit, maxime ſub Magni Theodoſii Imperio, quo Eccleſia ſumma pace, & tranquillitate gaudebat; quapropter Fideles non amplius domi, ſed in Eccleſia communicabant; eumque Cathedrales Eccleſiæ, ut plurimum fuerint, & adhuc ſint Epiſcopali Palatio admodum vicinæ, facillimum erat Honorato ex aſſervata ibi Euchariſtia Sacramentum morituro Ambroſio miniſtrare. Quod & amplius notis ſubſequentibus demonſtrabitur.

Ad aliam objectionem, quod nempe moribundorum communio legitimum non ſit aſſervatæ Euchariſtiæ argumentum, quippe quæ vel potuerit ex tempore conſecrari, vel ſuppeditari ex privatis Theſauris, reponimus fieri quidem totum id potuiſſe, ſed factum non extitiſſe, cum pluribus demonſtrari poteſt, tum maxime ex Hiſtoria communionis Serapionis ex Dionyſ. Alex. Hic enim homo, qui e numero erat pœnitentium, & conſequenter domi habere non poterat Euchariſtiam, quum in morbum incidiſſet, Sacerdotem accerſivit, qui quum & ipſe ægrotaret, miſit ad eum Euchariſtiam; niſi vero Euchariſtia parata fuiſſet in Eccleſia, Sacerdos ægrotus, qui celebrare non poterat, neque illam potuiſſet mittere. Et in Hiſtoria communionis Ambroſii non legitur, quod Honoratus ex tempore Euchariſtiam conficeret, quod factum non utique omiſiſſet Hiſtoricus.

Ad Confeſſores quod attinet, pro quorum communione in pædore carceris conſecratum fuiſſe, nos edocet Luciani exemplum,

ſupra

ſupra cujus pectus, &c. Id plures ob cauſas factum fuiſſe exiſtimamus; & primo quidem, ut ſatisfieret Confeſſoris devotioni, qui Sacrificio intereſſe ante communionem deſideraverit; deinde ne ſatellitum, carceriſve cuſtodum irreverentiæ exponeretur Euchariſtia: Fieri enim potuit, ut ii ab ingredientibus diligenter perquirerent, quid ferrent, ut in exemplo Tharſicii, &c. Præterea, quod ſcrupulus pædoris carceris infirmum ſit contra aſſervatam Euchariſtiam argumentum, ex eo conſtat, quod etiam ſi non viguiſſet aſſervatio, poterat ex celebrato in Eccleſia Sacrificio reſervari particula, & ad carcerem deferri, quod tamen factum non fuit. Quod autem in Actis martyrii Perpetuæ nulla fiat mentio Sacrificii in carcere peracti, hinc infert Viaticum illi allatum fuiſſe ab Eccleſia, ubi aſſervabatur; improbabile enim, immo incredibile eſt hanc Sanctam martyrium ſubiiſſe abſque prævia ſalutaris illius cibi refectione; cæterum non obſtante carceris pædore, qui delicatulo ſcrupulum ingerit Baſnagio, Sacrificium ibidem celebratum fuiſſe teſtatur ſupra laudatus Dionyſius Alexandr. apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 2., & 22., ubi ait: *Quivis locus, in quo varias ærumnas pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar Templi ad ſacros conventus peragendos fuit.* Et quidem in carceribus Sacrificium offerri conſueviſſe nos docent Acta SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani, Clementis Ancyrani, aliorumque Martyrum, ex quibus id paſſim didicimus, & ex Cypriano, quibus Epiſt. 5. hortatur Clerum, ne glomeratim ad Martyres in carcere viſitandos concurrant, & ut Presbyteri, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent. Vide quæ ſupra dicta ſunt Tom. 2., ſeu lib. 1. cap. 19. §. 3. pag. 46., & ſequ. Hoſne præclariſſimos Chriſti pugiles ſugillare audebit Baſnagius, quaſi irreverenter ſe geſſerint erga venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, eo quod in pædore carceris vel confecerint, vel ibi confectam ſumpſerint Euchariſtiam? Cum id ardentiſſimo Sacri Viatici deſiderio, quod alias obtinere non poterant, quaſi ex neceſſitate compulſi piiſſima religione perfecerint.

Supereſt factum ab Auguſtino relatum de Civit. Dei lib. 22. cap. 8., quod utique nullo modo ſpectat Euchariſtiam. Heſperius enim non rogavit Presbyteros, ut Euchariſtiam ad fundum ſuum deferrent, ſed *ut aliquis eorum illuc pergeret, cujus orationibus cederent* maligni ſpiritus; Presbyteri autem nulla potentiori oratione terreri poſſe ſpiritus illos duxerunt, quam orationibus, quibus Sanctiſſimum Chriſti Corpus conficitur, nec ullum in hac celebratione Sacrificii inconveniens. Heſperius enim, qui vir erat Tribunitius, habuit forte in fundo ſuo privatum oratorium, in quo Sacrificium offerri potuit. Et in oppidis noſtris quando ad infirmos ruri degentes, & a Parochia diſtantes, deferenda eſt Euchariſtia, Parochus perſæpe non depromptam e Parochiali Eccleſia Euchariſtiam defert, ſed eam in Sacello proximiori, quod Capellam campeſtrem vocant, conficit, eamque ad infirmum defert. Inferendumne hinc erit in Eccleſia Parochiali non aſſervari Euchariſtiam? Vide Clementis Conſtit. Apoſt. 58. cap. 31., & ejuſdem Epiſtolas.

Quod autem conſuetudines ſpectat Eccleſiarum, tum Conſtantinopolitanæ, tum Hieroſolymitanæ, reſpondemus conſuetudinem Eccleſiæ alicujus particularis non eſſe univerſali Eccleſiæ applicandam. Neque pugnat factum ſanationis Sanctæ Gorgoniæ, quæ ad altare delata; *Eum, qui ſuper ipſo altari honoratur, cum ingenti clamore invocat*. S. Gregorius Nazianzenus, ex quibus verbis non licet inferre, fuiſſe tunc Sacrificii tempus, hanc enim circumſtantiam non omiſiſſet Hiſtoricus.

Quod vero addit de Zagazabo, & de Abyſſinis Monachis, quum inter ſe pugnent, cui major ſit fides adhibenda, non judicabo. Quando autem de ritibus Eccleſiarum loquimur, eas utique intelligimus, quæ Religionem Catholicam Romanam ſequuntur: Cæterum apud Syros, etiam Neſtorianos, Euchariſtiam ad infirmos, aut vinctos extra Eccleſiam deferri, & ad Fidelium ædes deportari teſtatur ex Synodo Joannis Bar-Abgari ann. 900. coacta Joſeph Sim. Aſſemanus Biblioth. Orient. Tom. 2. pag. 244. & alibi.

Ante octavum ſeculum, quod eſt Baſnagii epoca, Euchariſtiæ aſſervationem viguiſſe, ex ſuperius relatis SS. Ambroſii, Prætextati, Serapionis, aliorumque exemplis luculentiſſime demonſtratum eſt. Porro quomodo ſe habuerit factum Prætextati, vide S. Gregor. Turonenſem Hiſt. Franc. lib. 8. cap. 20. & 31., itemque lib. 9. cap. 20., ubi de nece ipſius agitur.

De Turribus, in quibus olim aſſervabatur Euchariſtia.

Poſtquam negavit abſolute Baſnagius reſervatam ante octavum ſeculum ullo modo fuiſſe in Eccleſiis Euchariſtiam, incidit tandem in Venantii Fortunati Turrim, quam probabiliter inſtitutam aſſerit pro reſervatione Euchariſtiæ recens baptizatis miniſtrandæ, quod a more illam præbendi infirmis (ait) multum diſcrepat, & dato, quod ita ſe ſe res habeat, id unum conſequi cenſet ſexto ſeculo invaluiſſe morem apud nonnullas Eccleſias Euchariſtiam aſſervandi, quod tamen nec antiqua diſciplina, nec univerſalis debet dici. Deinde vero longe ſimilius eſſe Turrim illam non Euchariſtiæ, ſed Euchariſtiæ miniſterio recondendo fuiſſe inſtitutam; quapropter illi ſatisfactum cenſebimus, ſi demonſtremus Turres illas & aſſervandæ Euchariſtiæ, & quidem pro infirmis, & ante ſeculum ſextum fuiſſe inſtitutas. Sit itaque quoad primum.

In Sacramentario Gallicano a Mabillonio relato, de quo iterum infra, quod excerptum eſt ex antiquo Codice Bibliothecæ Bobienſis ante annos mille ſcripto legitur benedictio, cui titulus: *Benedictio Calicis, & Patenæ, & Turris . . . . . Deus omnipotens . . . . . . Precamur te, Domine, tuam Majeſtatem, ut hunc Calicem, Patenam, & Turrem, in quo celebraturi ſumus, ſacroſancta myſteria cœleſti benedictione ſanctifices, atque benedicas.* Quorſum eadem benedictione benedici

debuit

debuit Turris iſta, qua calix, in quo Sanguis, & patena, in qua Corpus Chriſti conficiebatur, ſi non Euchariſtiæ, ſed Euchariſtiæ miniſterio, ideſt (ut explicat Grancol.) inſtrumentis ad Euchariſtiæ confectionem ſpectantibus, aſſervandis fuiſſet inſtituta? Antiqua Liturgia Gallicana ſexti ſeculi apud Martene Tom. 5. Anecdot. pag. 37. cui titulus: *Germanus Epiſcopus Pariſius ſcripſit de Miſſa,* hæc habet de Turri: *Nunc autem procedente ad Altarium . . . . . Corpus vero Domini ideo defertur in Turribus, quia monumentum Domini ſciſſum fuit in Petra in ſimilitudinem Turris.* Item antiquum Pœnitentiale, quod edidit Mabillonius ad calcem ſui Sacramentarii Gallicani pag. 394. num. XLIV. *Et qui neglexerit Sacrificium, & a verminibus conſumatur, dimidio anno pœniteat in pane, & aqua*; ubi hæc notat idem Mabillonius „ vel hinc patet „ Euchariſtiam per ea tempora, ideſt ante „ annos mille in Viaticum infirmorum aſſer„ vatam fuiſſe. Quid apertius, quid aptius ad probandam Turrium inſtitutionem pro reſervatione Euchariſtiæ, quam iſta omnia, hucuſque ex tam antiquis monumentis deſcripta? Dicemuſne Corpus Chriſti idem eſſe cum Corporis Chriſti miniſterio? S. Ambroſius in epiſt. ad Felicianum Novocomenſem Epiſc. de Altaris dedicatione loquens: *Ibi arca . . . . . ibi dolium aureum habens manna, receptaculum, ſcilicet ſpiritualis alimoniæ*; ubi *ſpiritualis alimoniæ* nomine Euchariſtiam intelligi nemo non videt. Prudentius in hymno in honorem Sancti Hyppoliti de altari: *Illa Sacramenti donatrix menſa, eademque cuſtos fida.* Fida autem cuſtos jure dici non poſſet, niſi perpetuo cuſtodiret.

Pro quibus ſervaretur in Turribus Euchariſtia nunc videamus; præſentibus Sacrificio in manus tradebatur, ad abſentes mittebatur. Pro confeſſoribus mortem in carcere præſtolantibus, teſte ipſo Baſnagio, in carceris pædore conſecrabatur. Ergo pro infirmis, de quibus ſupra laudatus Cyprianus epiſt. 54., de qua alias: *Nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut non inermes relinquamus, ſed protectione Sanguinis, & Corporis Chriſti muniamus.* De infirmis, de morientibus, non de recens baptizatis loquitur Cyprianus. Præterea Baptiſmus in die Reſusrectionis conferebatur: S. Ambroſius de Elia, & Jejunio c. 10. *Venit dies reſurrectionis, baptizantur electi, veniunt ad altare, percipiunt Sacramenta*; Euchariſtia autem, ut ex ſuperioribus aperte conſtat, non ſolo Reſurrectionis die, ſed toto anni curſu ſervabatur. Fingat Baſnagius per *pacem*, per *communicationem*, per *communionem* intellexiſse veteres Patres reconciliationem, cum reliquis Fidelibus, *Protectionem Sanguinis, & Corporis Chriſti*, Euchariſtiam non eſse, nemini perſuadebit, cum eadem Confeſsores muniri velit ad Fidei certamen Cyprianus. Et ſane par utique ratio eſt de morituris, ſive agonizantibus pro Fide, ſive infirmis periculoſo ex vicinæ mortis timore. Nam *cum ad hoc fiat Euchariſtia*, (inquit Cyprianus ab eodem Baſnagio allatus) *ut poſſit accipientibus eſſe tutela: quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armamus.* Quippe *idoneus eſſe non poteſt ad martyrium*, (certe nec ad mortem) *qui ab Eccleſia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit*; ut idem Cyprianus in conſequentibus habet. Utrobique enim ſive in martyrii agone, ſive in mortis articulo adverſarium habemus, contra quem nobis colluctatio eſt, ad quam *munimento Dominicæ ſaturitatis*, Euchariſtiæ ſcilicet ſumptione *ab Eccleſia armari* debemus, *ne mens deficiat, &c.*

Probata infirmorum communione ante ſeculum ſextum, ſponte ruit tertia Baſnagii difficultas, quod nempe inceperit ſeculo ſexto Turrium uſus, ſive Columbarum ad altare ſuſpenſarum pro Euchariſtici Sacramenti cuſtodia. Pergit autem Hollandus Scriptor impugnare argumenta Euchariſtiæ reſervationem probantia. Et primo Optatum Milev. lib. 2. de Schiſm. Donatiſt. cap. 17. de celebrata, non de reſervata Euchariſtia intelligendum contra Cardin. noſtri, aliorumque Eruditorum mentem aſſeverat. In ſubſidium vocat Athanaſium in Epiſt. ad Orthod. To. 1. pag. 945. aſſerentem Philagrii ſceleſtos comites in ſacra Menſa, *nuces, aveſque Dæmonibus immolaſſe*. Si autem in altari ſervata fuiſset Euchariſtia, illam quoque pedibus proculcaſsent, ut majorem Chriſto inferrent injuriam. Præterea, jubente Diocletiano, dubia luce ad Eccleſiam Nicomedienſem Præfectus cum Ducibus venit. Scripturæ repertæ incenduntur; datur omnibus præda (ut ait Lact. de mort. Perſ. c. 12.) ſacrilegorum quidem manus non evaſiſset Euchariſtia, ſi tum temporis in Eccleſia requieviſset.

Magnum quidem fulcimen pro cauſa tam deſtituta. Divinatio de S. Optati ſenſu gratis offertur, & eodem modo rejici poſset; ſed ſi Sacrificii tempore Donatiſtæ irrupiſſent, tam gravem circumſtantiam certe non omiſiſset Optatus. Inſuper, ſi conventus tempore facta fuiſset irruptio, Fidelium zelus non tuliſset tam enormem inferri Euchariſtiæ injuriam; vel eam enim præſentientes, Euchariſtiam ſumpſiſsent, vel abſcondiſsent, ut impiorum manus evaderet, vel alio quovis modo, propriæ etiam vitæ diſcrimine defendiſſent. Confirmatur id ex Hiſtoria Philagrii comitum ab ipſo Baſnagio relata. *Dubia luce venit Præfectus, &c.* Venit ergo tempore Sacrificii; Sacrificium enim in aurora celebrabatur. Debacchatur in altaria, nuces, aveſque Dæmonibus immolantus; De Euchariſtia autem nulla fit mentio, quia Fideles una congregari, perſecutionem præſentientes, illam vel conſumpſerant, vel alio tranſtulerant; ſive autem dicamus Euchariſtiam pro infirmis toto anno reſervatam, ſive reſervatam pro recens baptizatis, ſive relictam ex Sacrificio antecedente, ſive etiam in præſenti Sacrificio conſecratam, certiſſimum eſse illam fuiſse tunc ſuper altari, & intactam ab impiorum manibus evaſiſse. Sed de hac Hiſtoria, & quomodo ex Optati ſenſu intelligenda, iterum dicetur infra.

Poſt

Poſt hæc explicat Baſnagius Canonem tertium Conc. Turonenſis II. *ut Corpus Domini in altari non imaginario ordine*, ſed ſub Crucis titulo componatur, & affert pro ſe Harduinum de hoc Can. Turon. pag. 226. 228. ita dicentem: *Ac primum quidem imaginario ordine; Crucíſque titulo, ut ipſa orationis ſtructura, ſublatis, & deletis propoſitionibus admonet, non locus aliquis deſignatur, ſed modus, ſeu forma Dominici Corporis, vel panis, qui conſecratur in Corpus Dominicum, in altari ipſo componendi ..... Denique titulus Crucis, figura, & effigies Crucis eſt, ut Gloſſaria indicant. In Altari autem ipſo, non extra Altare, ſed in ipſa menſa Dominica Corpus Domini Crucis titulo componi debet, nempe, cum mos eſſet illis temporibus panes ſimul offerendi in Ara, ſtatuitur in hoc tractu Galliæ, ne temerario ordine, ſive quem quiſque pro arbitratu finxerit, aut aliqua fortaſſis falſa religione ductus imaginetur. Denique ne imaginaria ratione, ut Auguſtini verbis utamur, ſed in Crucis formam, modumque componatur.* Porro de hac re nonnulla jam dicta ſunt in hujus Operis Liturgici Tom. 2. pag. 318. cap. XXV. De quo etiam Turonenſi Canone extant duæ Epiſtolæ, una Lucæ Dacherii ad Card. Bonam, & hujus ad ipſum reſponſio num. Epiſt. 65. & 66. non poſtea immutato. Addit Baſnagius inſuper & Mabillonium in Libello edito de Revelatione Eldefonſi Hiſpanienſis Epiſcopi ſic ibi ajentem: *In Paſcha, ſcilicet Dominicæ Reſurrectionis, centum triginta, & quinque panes ſunt offerendi in Crucis modum per trium Miſſarum officia, videlicet 45. in utraque Miſſa ita*. Inſpiciantur apud Harduinum figuræ, itemque apud Mabillonium.

Harduino nos opponimus Eminentiſſimum Bonam, Binium, Mabillonium, &c. Et quidquid dicant de *Crucis titulo* Gloſſaria, certo certius eſt Crucis titulum eſse quid diſtinctum, immo diverſum a modo, ſeu forma Crucis. Huic Canoni occaſionem dediſse arbitror, quod refert Rupertus in deſcript. incendii Monaſterii Tuitienſis, ſive De Thuitz: *Pyxidem* (ait) *ligneam, & in ea Corpus Dominicum habuerat ſecus Altare de more depoſitum in feneſtra, ſive abſide introrſus in muro tegulis ligneis compacto cum oſtiolo, & ſerra*. Audiamus (ut cæteros omittam) Mabillonium de hoc Canone ſic differentem Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 9. nu. 21., & alias de Azimo, & Ferm. c. 8.

„ Ut ſincere fatear, quod ſentio; præmittendum eſt: *imaginario ordine*: hoc in Canone nihil aliud ſignificare, quam ordinem, ſeu locum imaginum, quo ſenſu *imaginaria pictura* dicitur ab Anaſtaſio in verſione II. Concilii Nicæni, & in lib. 1. Beati Abbatis adverſ. Elipandum *imaginarie*, ideſt ſecundum imaginem, & alia id genus non pauca. Deinde *Titulus Crucis* idem eſt, ac Crux ipſa ſuper altare olim erigi ſolita. Hoc ſenſu Monachus Dervenſis Anonymus in lib. miraculorum Sancti Bercharii Abbatis agens de extremo Hugonis cujuſdam artificis morbo in *titulo Crucis*, ait, *qui ſtabat ad pedes artificis decumbentis, ſubito viſus eſt illuceſcere globus æthereus*. In ſeculo noſtro (ideſt Benedictino) 2. pag. 856.; ubi *titulus Crucis* indubie nihil aliud ſignificat, quam Crucem ipſam, quæ ad pedes Fidelium in extremis degentium apponi ſolet. Denique ex ſuperioribus revocandum eſt in memoriam, imagines ſub prima ſtirpe Regum noſtrorum vix, ac ne vix quidem altaribus fuiſſe appoſitas, ſed parietibus utrinque altari adhærentibus, ubi etiam ſacra vaſa, & libri ad Miſſam neceſſarii in ſecretariis aſſervabantur. His obſervatis, planiſſimus eſt præfati nominis ſenſus, nempe, ut Corpus Domini non in ſecretariis cum vaſis, & libris ſacris, ſed ſub Cruce ipſa componatur, ita ut e Cruce, quæ in ſummo Ciborio, ita ut expoſuimus, eminebat, penderet: Hinc patet Mabillonium a Baſnagio ſuperius allatum non confirmare, ut ipſe putat, ſed refragari ſententiæ Harduini.

Item de Columbis ad eumdem ſacrum uſum deſtinatis.

Poſt dirutas Turres Euchariſtiæ ſervandæ inſtitutas, inſectatur Baſnagius columbas, quæ & huic uſui erant deſtinatæ, & poſt relatum multiplicem columbarum uſum, in ſepulchris, in Altaribus, in Baptiſteriis Sanctum Spiritum ſignificantium, concludit ſecul. 4. nondum conditorio Dominici Corporis functas fuiſſe columbas, ſed ad prædictos tantum, alioſque conſimiles uſus deſtinatas fuiſſe. Nos autem admiſſis relatis utcumque omnibus hiſce uſibus, conſtanter aſſerimus & ad aſſervandam Euchariſtiam inſtitutas fuiſſe columbas, quod probamus ex vita Sancti Baſilii Amphilochio tributa, & ex Gregorio Turonen. referente Teſtamentum S. Perpetui Prædeceſſoris ſui Hiſt. Franc. lib. 10. cap. 31., & alibi, ubi ſic deſcriptum legitur: *Do, & lego Amalario Presbytero capſulam unam communem de ſerico, item Periſterium*, (ideſt Ciborium, in cujus cavo appenſa erat, ex qua pendebat Pyxis Sacram Euchariſtiam continens) *& columbam argenteam ad repoſitorium*. Videre autem non eſt, quod in ea reponeretur niſi Corpus Domini. Uldaricus in veteribus Cluniacenſium uſibus lib. 1. cap. 8. refert, quod Euchariſtia pro infirmis ſervabatur *in aurea Columba jugiter pendente ſuper altare*; qui uſus etiam nunc ſervatur in pluribus Eccleſiis, & ſignanter in Eccleſia Sancti Mauri prope Pariſios. Una etiam ex his columbis viſitur Mediolani in Sacrario Baſilicæ Apoſtolorum, vulgo S. Nazarii dicta, ſed de hujuſmodi columbis ſuper altare pendentibus iterum, ac fuſius dicetur infra.

Et hæc non omnia ſunt argumenta, quibus probari poſſit infirmorum communio? Sed ad majorem hujus antiquæ veritatis expreſſionem recapitulanda ſunt breviter hactenus dicta, ac nonnulla in confirmationem adjicienda. Inſignis de Viatico eſt can. II. Conc. XI. Tolet., & Greg. III. de his, qui parentes ſuos necaſſent, decernit, *ut toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro Viatico*. S. Hieronymus docet Sanctum Exuperium Toloſanum Epiſcopum ſemper Euchariſtiam in promptu habuiſse pro his omnibus, qui eam petiiſsent. Leo Pontif. IV. in Decretis ſtatuit: *Ut in Sacrario Euchariſtia pro infirmis non deſit*. Dionyſ. Alex.

apud Euſeb. lib. 6. poſt relatam pœnitentis Serapionis Hiſtoriam, ſe conſtituiſse ait, ut nemini morituro Euchariſtiam petenti, illa negaretur. Conc. Nicæn. I. can. 13. *Ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo, & maxime neceſſario Viatico minime privetur*. In aliquibus editionibus legitur: *Poſcenti ſibi Euchariſtiæ gratiam*. Dionyſ. exiguus vertit: *Communionis gratiam*. Conc. Carthag. IV. ann. 398. celebratum can. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperunt*. Et alibi: *Si continuo creditur moriturus, infundatur ori ejus Euchariſtia*. S. Chryſoſt. lib. 6. de Sacerd. rationes referens, cur morientibus curæ eſse deberet Euchariſtia muniri, narrat ſe a viro quodam ſancto accepiſse permiſsu Dei viſas fuiſse inter Angelorum Legiones delatas in Cœlum eorum animas, qui mortis hora digne de hoc Sacramento participaverunt. Canones Egberti Eboracenſis Epiſc. ann. 747. can. 10. *Ab omnibus infirmis ante exitum vitæ Viaticum, & Communionem Corporis Chriſti miſericorditer tribuant*; Et can. 22. *Ut Presbyter ſemper habeat Euchariſtiam paratam ad infirmos, ne ſine communione moriantur*. Hincmarus in Capitularibus ſuis pro Parochis cap. 8. *Ut habeat Pyxidem, ubi recondi poſſit ſacra Oblatio reſervanda ad Viaticum pro infirmis*. Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi apud Labbeum Biblioth. nov. MSS. Tom. I. pag. 166. *Pyxidem, in qua ſervaretur Corpus Dominicum, dependens ſuper Altare*. In antiqua deſcriptione Eccleſiæ Cantorberienſis apud Gervaſium Dorobern. pag. 486. *Pyxidem cum Euchariſtia, quæ deſuper majus Altare pendere ſolebat*. Rogerius Hovedenus in Hiſt. Angl. *Cecidit ſuper majus Altare Pyxis, cui Corpus Chriſti inerat, abrupto vinculo*, quod nempe illam tenebat ſuſpenſam. In vita S. Stephani Hungariæ Regis apud Surium 20. Auguſti: *Euchariſtiæ ædiculum, quem Ciborium vocant, arte mirabili ſupra Chriſti menſam extructum*. In Statutis Alani Avenion. Epiſc. tempore Eugenii IV. apud Martene Anecd. ſtat. 19. *Item quod Euchariſtiam in mundo, tuto, & honeſto loco teneatis*. Conc. incerti loci ex MS. Corbejenſi c. 11. apud dictum Martene Anecd. *In pulchriori parte Altaris cum ſumma diligentia, & boneſtate, ſub clave, ſi fieri poteſt, Sanctum Corpus Domini cuſtodiatur Euchariſtia pro infirmis reſervata, ſingulis diebus Dominicis renovetur*. C. 41., & 42. *Corpus Domini in honeſto loco ſub Altari, vel in armariolo ſub clave ſollicite cuſtodiatur*; Ex Stat. Synod. Johannis Epiſcopi Leodien. Concil. incerti loci, ex MS. Corbejen. cap. 20. apud eumdem Martene Anecdot. *Ad hoc præcipimus, ut quælibet Eccleſia habeat Calicem argenteum cum aliis vaſis mundis, decentibus, & honeſtis*. Et can. 19. *His adjicimus, ut quum ad ægrum fuerit Euchariſtia deferenda, habeat Sacerdos etiam Pyxidem mundam, &c.*

Sed e mente jam pene exciderat reſponſio ad Baſnagii objectionem ex Clementis Romani Epiſtola 2., quam contra nos urget Calvinianus Annaliſta, qui ex eadem admirabundus inſert prodigium eſse, quod Card. Bellarminus ex illa probaverit partem Euchariſtiæ aſservari debuiſse, &c.; at infirmare debuerat, ſi tanti valuit, quod idem Card. ampliſſimus in ſuæ aſsertionis teſtimonium deinde profert deſumptum ex dicta ipſa Clementis Epiſtola argumentum. Ad primum enim non negat, quod ſi quid ſuperſit poſt populi præſentis communionem, non ſervetur in craſtinum, ſed a Clericis abſumatur; negat autem, quod aliquæ partes non ſervarentur pro infirmorum, aliorumque abſentium, aut in carcere detentorum, & nullo modo ad Eccleſiam accedere valentium communione, ad quos omnes juxta Juſtinum, & Irenæum deferebatur per Diaconos, aut Acolythos Euchariſtia, ut jam ſatis demonſtratum eſt, neque diſsentire poteſt Baſnagius, cum id expreſsum ſit. Ne ergo prædictis Patribus coævus adverſetur Clemens, neceſsario hic ejus locus intelligendus eſt, exceptis iis Euchariſtiæ particulis, quæ paucæ ſervandæ erant pro communione abſentium infirmorum, &c. Nolebat enim diu nimis, aut multas Euchariſtiæ partes conſervari, ac propterea illas tantum volebat a Clericis abſumi, quæ abundantes ſupererant e populi communione. Neque vero quotidie fiebat iſta reliquiarum Euchariſtiæ conſumptio, ſed ſolum feria quarta, vel ſexta, ſemel ſcilicet in hebdomada, quando nempe renovabatur Sacramentum, uti conſtat ex Concilio II. Matiſconenſi can. 6. quem & Baſnagius affert. Porro ex ipſo Clemente manifeſte colligitur partem Euchariſtiæ aſservari debuiſse, nam in eadem ſecunda ipſius Epiſtola non procul dubio ab initio ſic ait: *Tribus gradibus commiſſa ſunt Sacramenta divinorum ſecretorum, Presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore, & tremore reliquias fragmentorum Corporis Dominici cuſtodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni Corporis Domini gravis inferatur injuria*. Sic ille. At quæ cuſtodia adhibenda eſset, & quodnam periculum putredinis timeri potuiſset, ſi nihil ſervandum foret? Idem etiam Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 13. alias 20. præcipit, ut peracta communione, quod ſupereſt Corporis Domini, a Diaconis in Paſtophorium inferatur. Quid autem fuerit Paſtophorium, jam dictum eſt ad lib. 1. cap. 24. §. 2., ſeu Tom. 2. pag. 218. ideſt quod Latinis Secretarium, ſive locus ſacer, in quo (ut explicat Clariſs. Præſul Carolus Bovius Oſtunenſis Epiſc. in Notis ad Clementis nomine Conſtitutiones Apoſt. a ſe latine redditas) Euchariſtia, veſtes, & vaſa ſacra condebantur. Adde quod Ivo Carnotenſis Decreti Parte 2., & Burchardus lib. 5. inſeruerunt, decretum iſtud Clementis de conſumendis reliquiis, in medio variorum decretorum, in quibus expreſſe jubetur Euchariſtiam aſſervari pro ægrotis, quod certe non feciſſent, ſi decretum iſtud adverſaretur aſſervationi hujus Sacramenti, in cujus ulteriorem ex antiquitatis eccleſiaſticæ penu demonſtrationem, ad Baſnagii, aliorumque gregalium ſuorum duritiem confringendam alia proferemus.

(2) *Optatus Milevitanus de conſervata in Templo Euchariſtia intelligendus eſt, &c.*) Baſnagius iterum in Annal. Polit. Eccleſ. ad an.

209.,

209., ubi Baronii, Bonæ, ac Boſſueti argumenta perpendens, quæ clariſſimi Viri protulerunt ad probandum olim Euchariſtiam in Eccleſiis fuiſſe ſervatam, inſiciatur de eadem aſſervata Euchariſtia Optatum lib. 2. cap. 17. eſſe capiendum, *quippe*, inquit, *dum peragebantur myſteria, œſtro furoris perciti Donatiſtæ in Eccleſiam irruerunt*. Præciſe tamen negamus Donatiſtas in Eccleſiam irruiſſe, dum myſteria divina peragerentur, neque enim id ſilentio prætermiſiſſet Optatus, nec ullum ipſi Annaliſtæ ſupponit teſtimonium, quo ſuam valeat confirmare ſententiam. Conjecturam tamen invenit Baſnagii ſolertia, qua iſtum declinaſſet „ dum cogebatur Eccleſia, „ inquit, irrupiſſe Donatiſtas ex projecta „ canibus Euchariſtia conficimus. Egregiam, mirabilemque ſapientiam, illud quæritur, num Donatiſtæ projecerint canibus Euchariſtiam aſſervatam in Templo, an eo tempore conſecratam, quo in Eccleſiam irruerunt. Catholici aſſervatam projeciſſe contendunt, quod nullam tunc peracti Sacrificii mentionem faciat Optatus. Alio igitur argumento probare debuit hæreticus author, Sacrificii tempore Donatiſtas in Templum irruiſſe, non id ex projecta canibus Euchariſtia colligere, ne reus apud Logicos audiret, apud quos petitio principii ad firmandam rei veritatem nullius eſt ponderis; Nos vero alia etiam ratione probamus Optatum de aſſervata Euchariſtia intelligendum eſſe; in libro enim ſexto eamdem Donatiſtis litem intentat, *quod fregerint, eraſerintque Altaria, in quibus vota Populi, & membra Chriſti portata ſunt, immo, ubi Corpus Chriſti habitabat*, quod non de tranſeunte, inquit Mabillonius lib. 1. ex Liturg. Gallic. cap. 9., & horaria, ut ita dicam, Sacrificii actione, ſed de permanenti habitatione interpretandum eſt. Iterum Optati ſilentium urgemus; quod argumentum Baſnagio ſatis familiare, nulla arte vir eruditus eludet. Recole quæ jam paulo ante in hanc rem de Optati ſenſu dicta ſunt.

Baſnagius circa Euchariſtiam olim in Eccleſiis aſſervatam ab ipſis ſuis gregalibus confutatus.

(3) *Et cum militibus abiit.*) Id vel ipſi non diffitentur Heterodoxi; Joſeph Binghamus Orig. Eccl. lib. 15. cap. 4. §. 11. vol. 6. pag. 409. conſervatam in Eccleſiis Euchariſtiam pluribus adſtruit, & ſupradictis exemplis ſequentia addit, videlicet Chryſoſtomi Epiſt. ad Innocentium, in qua loquens de tumultu Conſtantinopoli in Eccleſia ſuborto, dicit locum; in quo Sancta condita ſervata ſunt, ingreſſos eſſe milites, eorumque aliquos etiam nullis initiatos Myſteriis vidiſſe omnia, quæ intus eſſent, quin & Sanctiſſimum Chriſti Sanguinem, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſum eſſe. In Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna columbæ aureæ, & argenteæ ſuper Altare appenſæ memorantur, quas probabiliſſimum eſt tamquam thecas Sacramenti in Eccleſiis aſſervati adhibitas fuiſſe, deinde poſt pauca concludit; neque ad recentiora deſcendere neceſſe eſt ad demonſtrandum id, quod tantum authoritatis inter vetuſtiores habet Scriptores. Hæc id pariter & ante ipſum Binghamus, ſui facem præbentes aſſerunt, alii duo Anglicanæ Communionis Scriptores Ivellus in Hardingum art. 9., & Hoſpinianus Hiſtor. Sacram. lib. 2. cap. 2. Quare tot alterius etiam adverſæ religionis teſtibus adhibitis nullo modo in contrarium audiendus Baſnagius, qui nimia, ut ſolet, licentia, & audacia priſcis temporibus Euchariſtiam in Eccleſiis neutiquam aſſervatam fuiſſe contendit, ut ſupra dictum eſt, in Annal. Politico-Eccleſ. Tom. 2. ad ann. 209. num. 5. & ſeqq., cujus argumenta vel ipſi ejus Sincellitæ ſupradicti refellunt.

De Turribus ad conſervandam in eis Euchariſtiam olim in Eccleſiis adhibitam.

(4) *Qui Turrim auream fecerat.*) Turris appellatione apud pleroſque Latinos rerum Eccleſiaſticarum Scriptores ſive majus, ſive minus Ciborium deſignatur; minus enim Ciborium vocabant, quod erat portatile, & ad inſtar majoris effectum erat; majus, quod Altare operiebat. At Calvinianæ Sectæ ſignifer Johannes Dallæus de cultu Lat. Relig. lib. 6. cap. 7. pag. 763., & 764. fruſtra quæri, ait, a Duranto in hujuſmodi Turri hodiernam Latinorum Pyxidem; in ea enim Chriſti Corpus contineri non potuiſſe affirmat, cum ſeculo ſexto extremo quidquam de hac re neque apud Gregorium Turonenſem, neque apud coævos Scriptores repererit; immo ipſum Gregorii locum (de quo infra Eminentiſſimus Author) repugnare, ne de vaſculo Euchariſtico accipiatur, nam Ciborium vel in Altari, vel non procul ab eo, vel ſaltem in ipſa Eccleſia reponitur, aut aſſervatur. At vero Turris, de qua Sanctus Gregorius, extra Eccleſiam fuit, nam ad Eccleſiæ oſtium allata eſt per Diaconum, deinde allata eſt ad Altare, cum Sacerdos in eo eſſet, ut Sacrum faceret; poſtremo, ex Gregorii verbis liquet in ea Turri *miniſterium Dominici Corporis*, non myſterium, ut aliqui legunt, fuiſſe, quare palam fit Gregorianæ Turriculæ nomine non vas Chriſti Corpus continens, ſed patenam, aut Calicem ad Euchariſtiam conficiendam ſignificari. Hæc Dallæus, cui & alter ejuſdem ſectæ Symmiſta ſubſcribit, Samuel Baſnagius loco ſupra toties citato, ad annum 209. nu. X. Tom. 2. pag. 258., ubi Eminentiſſimo noſtro, ac Boſſueto crimini vertit, quod in dicti Gregorii Turonenſis textu vocem *miniſterium* mutarint in *myſterium*. At quam portentoſis mendaciis hæc ſcateant, quamque falſo id crimen talibus viris impingatur, ex dicendis patebit.

Dallæus, & Baſnagius circa dictam Turrium ſignificationem, & uſum confutati.

Et primo ex integro Gregorii textu, quem mutilum Dallæus profert, & ex ipſo Baſnagius, veritas eluceſcet. In illo præmittit Gregorius ab indignis, & pollutis Corpus, & Sanguinem Domini ad judicium, non ad veniam ſumi; deinde narrat in ea Turri myſterium Dominici Corporis repoſitum fuiſſe; ſic enim habet: *acceptaque Turre Diaconus, in qua myſterium* (Ita legit in omnibus MSS. Codicibus, quos videre potuit, Theodoricus Ruinartius in noviſſima Gregorii editione, quam ipſe eleganter adornavit an. 1696., in qua *myſterium*, non miniſterium habetur) ſic etiam in veteri an. 1511., quibus conſonat antiquiſſimus, ac magni faciendus Codex MS. ipſius Eccleſiæ S. Martini Turonenſis; quem viri docti annorum circiter 800. exi-

ſtimant. Ita pariter eumdem locum intellexit vetus Anonymus Author, qui nonnulla ex priſcis Scriptoribus de Sacramento Altaris collegit miracula, cujus opus MS. habetur in Pratellenſi Monaſterio, teſte Edm. Martene de ant. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 4. art. 2. Et his ſtantibus venerandæ antiquitatis Monumentis Dallæus affirmare audet hujus Turris voce calicem vacuum, & patenam pro Sacrificii uſu deſignari? quia, ait, vox hujuſmodi neque apud Gregorium, neque apud coævos uſpiam occurrit; falſum id omnino, nam hæc vox in Galliis, & ante Gregorium Turonenſem, & poſt ipſum uſitatiſſima fuit; S. Remigius in ſuo Teſtamento apud Flodoardum Hiſtoriæ Remen. lib. 1. cap. 18. *Tibi*, inquit, *hæredi meæ ſupramemoratæ jubeo Turriculum, & imaginatum Calicem fabricari*: hæc verba de vaſe in Turris exiguæ ſimilitudinem efformato, in quo Sacramentum adſervaretur, accipit Johannes Gerardus Voſſius in Libris de vitiis ſermonis lib. 3. cap. 53., qui tamen carpitur, ſed immerito, a Dallæo; ut infra melius apparebit. S. Aredius Attanenſis, qui ſeculo VI. floruit, hac voce in eamdem ſignificationem utitur apud Mabillon. Analec. vet. Tom. 2. pag. 57., & 65. *Quod unuſquiſque locus ſanctus conſtitutus ibi habeat miniſterium declaratum . . . . ideſt Turres IV. &c.* Mitto Venantium Fortunatum Gregorio coævum, cujus carminis, ſeu epigrammatis ad Felicem Bituricenſem titulus hic eſt: *Ad Felicem Epiſcopum Bituricenſem ſcriptum in Turrim ejus*; cujus carminis initium recitat Eminentiſſimus Author; Felicis autem Turrim ejuſdem fuiſſe generis, ac Gregoriana, nemo inficias ibit, atque eamdem continendæ Euchariſtiæ inſerviſſe clariſſime evincunt illa Venantii verba in dicto carmine:

. . . . . , . Sacrati ut Corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.

Item Lando Remenſis Archiepiſcopus, Sancti Remigii Succeſſor, anno 645. ejuſdem exemplo: *Turrim quoque auream, quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper Altare poſuit Sanctæ Mariæ Remenſis Eccleſiæ*, uti legitur in ejus donariis apud Guillelmum Marlot Metropolis Remenſis Hiſtoriæ lib. 2. cap. 39. Tom. I. pag. 271. ex Frodoardo.

Quid vero per ſupradictam Turrim intellexerit Lando, ſatis copioſe explicat Georgius Colvenerius in notis ad ſupradicta verba Teſtamenti Sancti Remigii a Flodoardo relata in Biblioth. PP. Tom. XVII., ubi per *Turriculum*, vel Turrim Ciborium interpretatur, hoc eſt repoſitorium venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti a figura ſic nominatum. Pari modo ex Geſtis Hugonis Fontanellenſis Abbatis, qui vixit anno 720., habemus hunc Fontanellenſi Eccleſiæ dediſſe *Turriculam auream penſantem libras ſex*, quæ Ciborium plane ſignificat; Ita etiam cenſuit S. Odo Cluniacenſis Abbas in Collationum lib. 2. cap. 32., ubi dictum Gregorii Turonenſis factum recitans, pro Turri capſam ſubſtituit, in qua Domini Corpus aſſervaretur, *qui dum capſam cum Corpore Domini deferret, &c.* Quid plura? Vocem hanc *Turris* a Calicis, ſeu Patenæ voce eſſe diverſam, aliudque ab ipſis ſignificare ſatis ſuperque demonſtrat Sacramentarium Gallicanum miræ vetuſtatis e Codice Bobienſis Monaſterii a Mabillonio editum, de quo jam dictum eſt ſupra, & denuo ad dictorum confuſionem repetitur, ubi Calicis, Patenæ, & Turris benedictio exhibetur iis verbis apud Mabillon. Muſ. Ital. Tom. I. part. 2. pag. 389. *Precamur, Domine, tuam Majeſtatem, ut hunc Calicem, Patenam, & Turrem, in quo celebraturi ſumus ſacroſancta Myſteria, cœleſti benedictione ſanctifices, &c.*, ubi vides in hac precatione apertiſſime *Turrim* a Calice, & Patena diſtincte nominari. Qua fide igitur affirmat Dallæus apud Gregorii coævos hujus vocis mentionem non reperiri? Gregorium vero Turonenſem adducto loco ritum Liturgiæ Gallicanæ ſua ætate ita ibi obſervatum deſignare, & tradere, Diaconum illum ſcilicet protuliſſe Turrim oblationis tempore, nullus, puto, in controverſiam vocabit, cum id ipſum conſtet ex ipſo ordine Miſſæ, quem paſſim idem Gregorius indicat in ſuis libris hiſtoricis, & apud Mabillonium de Liturgia Gallicana, ac alibi. Hic autem ritus a vetuſtiſſimo Authore, qui vigente adhuc Gallicano ritu floruit, deſcribitur apud Martene novi Theſauri Anecdotorum Tom. 5. pag. 95. *Præcepit*, inquit, *Dominus Moyſi, ut faceret tubas argenteas, quas Levitæ clangerent, quando offerebatur Hoſtia, & hoc eſſet ſignum, per quod intelligerent Populi, qua hora inferebatur oblatio, & omnes incurvati adorarent Dominum . . . . . . Nunc autem* (quando ſcilicet procedit oblatio, dum *ſonus*, ideſt offertorium cantatur) *procedentem ad Altarium Corpus Chriſti non jam tubis irreprehenſibilibus, ſed ſpiritualibus vocibus præclara Chriſti magnalia dulci melodia pſallet Eccleſia: Corpus vero Domini ideo defertur in Turribus, quia monumentum Domini in ſimilitudinem Turris fuit ſciſſum in Petra, &c.* Deinde loquitur, quare Sanguis Chriſti ſpecialiter offeratur in Calice; Poſtmodum de Patena, quare ita vocetur, ubi Turri ſeparatim, & primo indicata, dein clariſſime a Calice, & Patena diſtincta, nihil apertius, nihilque expreſſius ad illuſtrandum Gregorii locum, ſimulque Dallæum refellendum expeti poteſt. Hæc Baſnagius argumenta diſſimulare non debuit, ſed pro ſua eruditione refellere, antequam clariſſimorum Virorum fidem in crimen vocaret, quod dum facere prætermittit Calvinianus Miniſter, vel invitus parum ſuæ cauſæ confidere ſe manifeſte prodit; Audax quippe conſilium eſt alicui fraudem objicere, quam probare non poſſis.

Non diſſimulabimus item argumentum, quo Joannes Baptiſta Thiers de Expoſit. Sacramenti cap. 4. nu. 3. pag. 49. ſuam adſtruere ſententiam, ac noſtram debellare conatus eſt, his verbis latine redditis: „ Euchariſtia, „ inquit, in illa Turri recondita fuiſſet, ea „ quidem paulo ante eſſet conſecrata; Illa „ enim in Altari non exponebatur, niſi offerendi Sacrificii tempore, uti idem Sanctus Gregorius Turonenſis refert, ſicque „ eo die Miſſa tantum Præſanctificatorum „ celebrata fuit, quæ in Eccleſia Latina „ nonniſi feria VI. Majoris Hebdomadæ

Jo. Baptiſtæ Thierſii argumentum nobis contrarium refertur, & diſſlatur.

fieri

„ fieri ei conſuevit, neque uſquam hæc fe-
„ ria VI. præfata incidit in diem vigeſimam
„ ſextam Januarii, qua Sancti Polycarpi Epi-
„ ſcopi, & Martyris feſtum celebratur.

Hactenus Thiers: quam rationem viro docto excidiſſe miramur; cum ſolerent antiqui Euchariſtiam ſemel in hebdomada renovare; ad hanc porro conſuetudinem Gregorius reſpexiſſe videtur; oblationis enim tempore Domini Corpus ad Altare deferebatur propter Catechumenos, quibus præcipue religionis noſtræ myſteria ſtudioſe occultabat antiquitas. Mos autem deferendi Euchariſtiam ad Altare initio Miſſæ fidelium, ut veneraretur, ad noſtra fere tempora perſeveravit, quod Thierſius ignorare videtur. Cæremoniale Monachorum Burſfeldenſium ante annos ducentos ſcriptum, & Pariſiis editum anno 1610. hæc præſcribit cap. 44. *Quod ſi vaſculum, in quo ſervatur communio ſacra pro infirmis, deferri debeat ſuper Altare, ſub credo, aut alias, dum magis vacat, apportetur a Diacono, quem præcedat Subdiaconus, ferens manu una cereum ardentem, & alia ſtillam* (legendum videtur ſquillam, vel ſcillam, aut Schillam, parvum videlicet Tintinnabulum) *quam inter eumdem continuo pulſet, quod ſimili modo fiat, dum circa Antiphonam poſt finem Miſſæ refertur in locum ſuum*. Hunc ritum obſervabant pariter Monachi Caſalini, ut ex eorum ordinario an. 1531. compilatum cernitur cap. 18. ſub hoc titulo:
„ *Quoties ſub Miſſa Conventuali pretioſiſſimum*
„ *Chriſti Corpus e ſacrario, ubi reponi conſue-*
„ *vit, ſuper Altare fuerit deferendum*. Sic ibi
„ legitur: poſtquam cum Presbytero Mini-
„ ſtri ex integro dixerint *Credo*, Diaconus
„ ipſe, præcedente Subdiacono cum thuribu-
„ lo, quod ſemper eſt adhibendum, etiam
„ die privata, ſi contingat pretioſiſſimum
„ Chriſti Corpus e loco ſuo transferri, ſive
„ deponi, ceroferarii tamen cum duabus
„ tædis verſus ſacrarium præeuntibus, ac om-
„ nibus genua flectentibus illud incenſet. Quo
„ facto illud ad Altare perferat, & ſuper
„ Corporalia dimittat, Subdiacono inter eun-
„ dum, & redeundum, ſi fieri poteſt a la-
„ tere thurificante. Sic tamen moderentur
„ omnia in ipſo acceſſu ad Altare, ut dum
„ Chorus canit; *Et Homo factus eſt*, ſub illis
„ verbis dictum pretioſiſſimum Corpus ſuper
„ Altare collocetur; Diaconus genua flectens
„ in medio illud reverenter incenſet, Sacerdote
„ e medio Altaris paululum ſemoto, atq; juxta
„ ſiniſtrum Altaris cornu genua flectente: quod
„ & obſervetur, quando idem pretioſiſſi-
„ mum Sacramentum ad Sacrarium refertur.

Si quid virium ineſſet argumento Thierſii, cogeremur Caſalinos Monachos, & Burſfeldenſes pluries in anno Præſanctificatorum Miſſam egiſſe, quod tamen abhorret a diſciplina Eccleſiæ Latinæ, monente ipſo Thierſio, quæ ſemel in anno præſanctificatis uti conſuevit. Quamvis itaque Gregorii Turonenſis temporibus Corpus Domini ſuper Altare deponeretur, non inde jure colliget Thierſius Præſanctificatorum tunc Miſſam fuiſſe celebratam. Jure igitur Bona, Boſſuetuſque vocem miniſterii mutarunt in myſterium, ut argumentum ex ea voce pro cuſtodia Sacramenti deſumerent; quo autem jure Baſnagius dolum illis affinxerit, viderint eruditi. Cæterum: quoad cuſtodiam venerabilis Sacramenti prædictis addimus vetuſtiſſimam eſſe conſuetudinem eamdem Euchariſtiam in Turri ſervandi, ut ex hucuſque allatis monumentis colligitur, præcipue ex Venantio Fortunato lib. 3. Carm. 25. de quo ſupra, quem morem adhuc in Eccleſia Majoris Monaſterii Turonenſis perſeveraſſe Scriptores Galli teſtantur. Neque deeſt ratio, quam his verbis exponit ſupra laudatus Martene loco citato dicens, quod ſi vaſa ſacra hoc textu Gregorii eſſent intelligenda, non ſimpliciter diceret miniſterium Corporis Domini, ſed addidiſſet, & *Sanguinis*, quam vocem ideo prætermiſiſſe videtur, quia Euchariſtia ſub hac ſpecie conſervari non ſolet. Viget etiam prædictus mos in Cathedrali Eccleſia Catalaunenſi, ut obſervavit Ruinartius in itinere per Alſatiam, & Lotharingiam pag. 490.

Columbas aureas, ſive argenteas altari ſuſpenſas, in quibus Euchariſtia recondebatur, pluribus antiquorum documentis oſtenditur.

(5) *Ad eumdem uſum ſuſpenſas in Altari aureas, & argenteas Columbas legimus in vita S. Baſilii Amphilochio adſcripta.*) Baſnagius loco citato negat quidquam fidei huic teſtimonio adhibendum; *Conſtat*, inquit, *apud eruditos ſubditam eſſe Baſilii vitam nomine Amphilochii ſcriptam*; ſed non ſatis candide hunc teſtem Baſnagius rejicit, quem ipſo diſerte commendat ad annum Domini 33. num. 60., ubi probare contendens antiquos Eccleſiæ ritus cum tranſubſtantiatione pugnare, Baſilii vitam nobis opponit, in qua legitur Sanctum Patrem Euchariſtiam in tres partes diviſiſſe, ac ex tribus unam ſecum in tumulo recondendam ſervaviſſe, quem morem admiſſa ſemel tranſubſtantiatione ab impietatis crimine vix liberari poſſe concludit. Atqui ſi negatur Baſilium Euchariſtiæ partem in columba aurea depoſuiſſe ſuper Altare ſuſpendendam, nobis opponi non poterat, alterum Baſilii factum, cum utrumque in ea vita legatur, aut igitur utrumque rejiciat, vel utrumque concedat. Baſilii vitam Amphilochio ſuppoſitam etſi Baſnagio indulgentes ſimus, non ideo tamen illi fides abneganda erit omnis; vetuſtiſſimi enim Scriptoris eſt opus, & mos ab illo indicatus in alias etiam Orbis regiones pervaſit. Sanctus Perpetuus Turonenſis Epiſcopus in Teſtamento ſuo, quod legitur apud Lucam Acherium Spicilegii Tom. V. legat *Columbam argenteam in repoſitorio*. Apud Cluniacenſes ut Nota 2. memoravimus, & patet ex Uldarico Uſuum lib. 2. cap. 30. cornicea pyxis Corpus Dominicum continens in Columba aurea recondita exiſtebat; *jugiter ſuper Altare pendente, maxime propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, Viaticum ſit in promptu*. In Monaſterio item Bobienſi ſervatur etiam nunc vetus columba ex auricalco ad reponendum olim Viaticum, ut ſcribit Mabillon. in Italico itinere pag. 217. Eadem conſuetudo vigebat in Cœnobio Grandimontenſi: *Rex puer*, inquit, Gaufredus Prior Vaſienſis in Chronico apud Labbæum Tom. 2. novæ Bibliothecæ pag. 336. *De Cœnobio Grandimontenſi Theſaurum violenter accepit, & quod auditu*

bor-

horrendum eſt; Columbæ aureæ, in qua Dominicum Corpus habebatur, non pepercit, quam Pater ejus dederat olim. In Foſſatenſi Sancti Mauri Baſilica hactenus Euchariſtia columbæ incluſa ſuper Altari appenſa cernitur, referente Martene lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. v. art. 3. quem morem adhuc in aliis Galliarum Eccleſiis vigere ſcribit Dumoleon in Liturgicis itineribus p. 103. Eruditiſſimus quoque Blanchini in notis ad Anaſtaſium, & ad Vitam Hilarii Papæ Tom. 3. pag. 167. ſe in Metropolitana Pariſienſi Eccleſia vidiſſe teſtatur auream Columbam aræ maximæ imminentem, in qua Euchariſtia cuſtodiebatur. Quamvis autem hic mos in Eccleſia vigeret, animo tamen fingendum non eſt, in omnibus Columbis, quæ appendebantur, Euchariſtiam fuiſſe repoſitam; Nam, ut optime advertit doctiſſimus Mabillonius lib. 1. de Liturgia Gallicana cap. 9. Tribus in locis (ait) Columbæ adhiberi in Eccleſia ſolebant, nempe in baptiſteriis, in tumulis cum Sanctorum, tum aliorum hominum inſigniorum, & in Altaribus ſacris, quod variis exemplis erudite demonſtrat. Immo dubitat idem Clar. Scriptor an Columbæ Altaribus appenſæ, omnes etiam Euchariſtiam continerent. Legimus in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, ſive in Synodo quinta, ut ſcribit Auctor noſter, Monachos Antiochenos accuſaſſe Severum Acephalorum Principem, *quod Columbas aureas, & argenteas in figuram Spiritus Sancti ſuper divina lavacra, & Altaria appenſas una cum aliis ſibi appropriavit, dicens non oportere in ſpecie Columbæ Spiritum Sanctum nominare.* Putat Card. Bona in his Columbis Sacramentum fuiſſe ſervatum. *At veriſimillimum eſt*, inquit Mabillonius, *Columbas illas, etiam quæ ſuper Altaria appenſæ erant, ad hoc dumtaxat fuiſſe inſtitutas, nempe in figuram Spiritus Sancti, uti & illas, quæ ſuper baptiſteria pendebant.* Id ſane non inveriſimile putarim, nam ſi Columbæ illæ continuiſſent Euchariſtiam id profecto Monachi illi ſilentio non prætermiſiſſent, ut Severum apud Synodi Patres magis exoſum redderent. Ut ut ſit, ſatis ſuperque allata hucuſque veterum documenta Columbas appenſas Altaribus fuiſſe ad Euchariſtiæ cuſtodiam luculenter, oſtendunt.

(6) *Sed etiam apud Latinos.*) Quoad Græcos notat Theodorus Balſamon in Can. 83. Concilii Trullani apud Beveregium Tom. 1. pag. 253. dicens: *Quod autem Sanctus Panis Antiſtibus poſt mortem tradatur, & ſic ſepeliantur; exiſtimo hoc fieri ad avertendos Dæmones, & ut per ipſum tamquam Viaticum deducatur ad Cælum, qui magna, & apoſtolica profeſſione dignus eſt habitus.*

Vindicatur Card. Bona a Joſephi Binghami cenſura, circa veterum nunc abrogatam conſuetudinem conſepeliendi mortuis Euchariſtiam.

(7) *Cap. 12. Antiſſiodorenſis, & cap. 83. Trullani.*) Hoc loco merito redarguendus eſt Nuperus Londinenſis Scriptor Joſeph Binghamus Orig. Eccl. lib. 15. cap. 4. §. 20. ubi Eminentiſſimum noſtrum pro more ſuo non leviter carpens, illum notat, de eodem mira prorſus audacia ita dicens, *Quæ ex Gregorio allegat, ea plus fidei habent*; dicit enim Baſilium (lege Benedictum) „ juſſiſſe Euchariſtiam poni ſuper pectus cujuſdam Monachi, & ſimul cum ipſo ſepulturæ tradi. „ Hoc ipſum, vel peculiari inſtinctu factum „ eſſe putat, vel ex conſuetudine tunc recepta, quæ tamen poſtmodum abrogata „ fuerit. Nullam autem Eccleſiæ ſuæ regulam producit in medium, qua abrogatam „ eſſe oſtendat „; Hæc ille de Card. noſtro. At ſi ad Canones, quos indicat Eminentiſſimus Author, in fine advertiſſet, qui non tam Euchariſtiam mortuis conſepultam, quam iiſdem defunctis pœnitentibus miniſtratam reſpiciunt, eamque ſic dari prohibent, fortaſſe ab hac nota illi injuſte inflicta abſtinuiſſet. Vides hic, Lector, quam fidem mereantur Hæretici, qui falſa ſua opinione præoccupati, ita perfunctorie legunt, quæ a noſtris Catholicis Authoribus exarata ſunt, ut neque ad pauculas lineas textui conſequentes advertere dignentur. Quin immo obeſam ejuſdem demirare oſcitantiam dum enim lib. XXIII. Orig. Eccl. cap. 3. §. 14., ubi de corrupta ait conſuetudine dandi mortuis Euchariſtiam, ut hanc praxim poſtmodum per vetuſtos Canones correctam, & emendatam oſtendat, non alios affert, niſi ipſos integros textus Conciliorum III. Carthaginenſis, Antiſſiodorenſis, & Trullani, quos tantum hoc loco citat Eminentiſſimus Author. At ne dum finis Hiſtoricæ illius dicacitatis „. Mos, in„ quit loco citato, conſepeliendi mortuis Eu„ chariſtiam, qui tantopere invaluit in Ec„ cleſia Romanenſi poſteriorum tantum ſæ„ culorum novatio eſt cœpta a Benedicto Monacho (ita notiſſimum Patriarcham noſtrum abſque ullo venerationis titulo dedecorat) ſine ullo prævio exemplo in vetuſtis Eccleſiæ monumentis: Hæc, & alia Anglicanæ Communionis Profeſſor; At Binghamum ſic irreverenter, falſoque de Sanctiſſ. Patre Benedicto ſcribentem dudum refellit Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium Gregorii pag. 267. 268., ſeu nota 680. poſtque ipſum Joannes Baptiſta Thierſius Trac. de expoſit. Ven. Sacramenti Euchariſtiæ lib. 1. cap. 2.

Excuſatur item S. P. Benedictus circa conſepultam, quam juſſit, defuncto Monacho Sacram Euchariſtiam.

Sed præſtat amplioribus antiquorum monumentis, & recentium Scriptorum teſtimoniis Binghamum confundere, atque ab ejus dicteriis Cardinalem noſtrum vindicare. Et quidem non primus fuit S. Pater Benedictus, qui hanc ab illo ſuppoſitam novationem invexit, ſed fortaſſe S. Baſilius Magnus Cæſareenſis Epiſcopus, in cujus Vita Amphilochio Iconienſi utcunque adſcripta, quam tamen Æneas Pariſienſis Epiſc. ſub illius nomine in ſcriptis ſuis adverſus Græcos exaratis ſæculo nono laudavit, id clare commemoratur, quod Euchariſtiæ partem *ſecum conſepeliendam conſervavit*. De quo ipſius facto ita Combefiſius in notis ait: „ Videtur Baſilius „ in eum finem ſervaſſe Dominicam particu„ lam, non tam pro conſuetudine, quæ tunc „ obtineret, quam peculiari illius inſtinctu, „ qui tanto privilegio ad celebrandum vo„ caſſet. Et quidem hujuſmodi conſuetudi„ nem tunc obtinuiſſe affirmant Balſamon, „ & Zonaras ad Can. 83. Concilii Trullani, „ aliique plures. *Antiquæ conſuetudinis*, in„ quit Zonaras, *erat mortuorum Corporibus*

„ Eu-

„ *Euchariſtiam impertiri*. Quod maxime uſi- „ tatum in Epiſcopis mortuis docet laudatus „ Balſamon, qui exiſtimat id fieri ad aver- „ tendos dæmones &c. Aliud exemplum habemus ex S. Ambroſio lib. 1. de exceſſu fratris ſui Satyri, nov. edit. num. 43. ubi de eodem ait, quod cum in naufragio eſſet, ac morti proximus, *ligari fecit* (Euchariſtiam, *in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare*. De S. Birino Epiſcopo Dorceſtrienſi in Anglia, qui ſæculo ſeptimo floruit, legimus in ejus Vitam apud Surium ad diem 3. Decembris ipſum Epiſcopum ſepultum fuiſſe cum ſacroſancta Euchariſtia pectori appoſita. In id argumentum, multis exemplis probat Menardus in notis ad Sacrament. Gregorii (ajunt Benedictini Patres in Gregorii nova edit. ad hunc locum pag. 267. & 268.) olim Sacrum Chriſti Corpus ſuper pectus quorumdam defunctorum in ſepulchro poſitum fuiſſe. Solemnis hic mos erat in ſepeliendis Epiſcopis. Neque id interdicunt Concilia memorata, cum prohibent Euchariſtiam dari mortuis; hoc enim intelligitur de Communione, quæ concedi non debet mortuis, cum dictum ſit a Deo: *Accipite, & manducate*; unde liquet eos ſolos accipere poſſe, qui manducare valeant.

Plurimi locum hunc illuſtrarunt, Haeftenus, Mabillonius, Bultellus, aliique in ſuis ad Vitam S. Benedicti adnotationibus. Ex hoc facto, quod a S. Baſilio quoque uſurpatum fatetur Guſſanvillæus, demonſtrari idem contendit non omnium priſcorum exempla in noſtros mores indiſcriminatim eſſe inducenda. Theodorus Petrejus Campenſis Carthuſianus Colonienſis in ſua Confeſſione Gregoriana lib. 3. cap. 6. num. 3. ubi egregie pugnat contra Petrum Martyrem ſcribentem adverſus Gardinetum object. 38. Benedicti juſſu Euchariſtiam in os mortui fuiſſe injectam, cum eadem ex textu *ſuper pectus mortui cum magna reverentia* poſita fuerit. Hanc autem communem olim fuiſſe conſuetudinem ex eo colligitur, quod illam pleraque Concilia ſuis decretis proſcripſerint, ſpeciatim Carthaginenſe III. Can. 6. Hipponenſe Can. 5. Antiſſiodorenſe Can. 12. & Trullanum Can. 83. de quibus ſupra, quod præter citatos Balſamonem, & Zonaram affirmant Gabriel Albaſpinæus lib. 1. Obſerv. Eccl. num. 9. Chriſtianus Lupus ad dictum Canonem Trullanum, ubi ait, quod ejuſmodi diabolicas in cadavera mortuorum graſſationes antiqui Patres Euchariſtia compeſcebant, uti & multis exemplis oſtendit Guillelmus Neubrigenſis lib. 7. cap. 22. & 23.

Cur vero S. P. Benedictus contra prædictorum Canonum ſanctiones ſepulturæ includendam tradiderit ſacram Euchariſtiam, id non aliud credere liquet, niſi ſanctiſſimum Virum ab hominum converſatione ſemotum, hæc præcipue Conciliorum Africæ decreta neſcire potuiſſe, quemadmodum ipſi Auguſtino, ejuſque Prædeceſſori Valerio hæc etiam obrepſit ignorantia, uti idem S. Doctor Epiſt. 110. teſtatur. *Adhuc* (inquit) *in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum eſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat*. Adde quod Magnus Gregorius factum hoc nedum non reprehendit, aut aliquo modo excuſat, ſed potius in commendationem meritorum Sancti Benedicti laudibus proſequitur. Fortaſſe etiam Baſilii exemplo id fecit, cujus legerat vitam, quem etiam præcipuum Vitæ Monaſticæ ſciebat, colebatque legislatorem, ut conſtat ex ejus verbis in fine Regulæ ſuæ expreſſis: *Quod non omnis obſervantia juſtitiæ in hac ſit Regula conſtituta*, ubi Baſilii Regulæ Monaſticæ mentionem facit. Quod autem a tanto factum audierat viro nullatenus credidit reprehenſioni obnoxium, cum & Epiſcopis mortuis id fieri conſueviſſe ſciret, ac propterea etiam circa alios quoſvis, qui in fide diſceſſerant, licere arbitraretur. Quidquid autem fuerit, bona fide, piaque intentione id ab eodem Sancto Patriarcha geſtum extitiſſe, eventus ipſe edocuit, nam terra deinceps defuncti corpus non amplius projecit.

Quam piam conſuetudinem, quemadmodum & aliam apud priſcos, ac ferventiores fideles uſitatam, quæ a S. Ambroſio deſcribitur, in funere fratris ſui Satyri, portandi ſcilicet in itinere terra, mariſque ſacroſanctam Euchariſtiam ſudario involutam, ut dictum eſt, atque in Vita S. Birini ut ſupra legitur, ſicut devota religio introduxit, ita & religio æque ſancta ſubduxit, ſuadebat illud (inquit Baronius ad an. 635. num. 5.) tunc fides, quod poſtea reverentia diſſuaſit, utrobique commendandi fideles, ſicut in utroque apparet Apoſtolorum prædicata fiducia, & commendata modeſtia, ſive cum nolunt ad momentum carere Chriſti præſentia (Joan. cap. 6.) ſive, ut fecit Petrus repellendo eum a ſe, cum dixit (Lucæ cap. 5.) *exi a me, quia homo peccator ſum Domine*. Denique, ut ait Clar. Lucas Dacherius in notis ad hoc caput 24. Vitæ S. P. Benedicti a S. Gregorio Papa ſcriptæ Dialog. lib. 2., quæ res non ſemel ab antiquis uſurpata contraria non eſt Canoni 6. Concilii III. Carthaginenſis, aut Canoni 12. Conc. Antiſſiodorenſis, quibus definitur non licere mortuis Euchariſtiam dare; nam hæc Concilia agunt in eos, qui Euchariſtiam in os Defunctorum gratia communionis inferebant, non qui eam Defunctorum pectoribus imponebant, ut recte cum ipſo obſervaverant Menardus, Albaſpinæus locis citatis, & Angelus de Nuce Roſſanenſis Epiſc. in hunc eumdem locum. Obſervat item Edmundus Martene Tom. 1. de Ant. Eccl. Rit. cap. 5. art. 4. in ſolemni Eccleſiarum Dedicatione tres portiones ex Dominico Corpore detractas Altari cum calce & ſmalta incluſas fuiſſe, id quod in majoris Monaſterii Baſilicæ Dedicatione præſtitiſſe Urbanum II. Papam narrat Anonymus Author de Geſtis Abbatum dicti Monaſterii. Oſtendit poſtea laudatus Martenius nihil exinde honoris Chriſto Domino debiti hac operatione detractum cenſuiſſe antiquos; quemadmodum non abſimili religione depoſitam, ut ſupra, Euchariſtiam ſuper pectus moribundi in extremis exiſtentis legimus in nonnullis Sanctorum Actis, cujus rei exemplum ha-

habemus in lectionibus Officii S. Julianæ de Falconeriis ad diem 19. Junii, aliiſque. Atque hæc pro aſſumptis vindiciis dicta ſufficiant. Cæterum ne Binghamus, illique ſimiles noſtrorum temporum Novatores, aliique hujuſmodi intemperantes Critici antiquorum uſus ex hodierna obſervatione metientes, in his omnibus, ut innuimus, ſummo jure debitam ſacroſanctæ Euchariſtiæ reverentiam a dictis priſcis Patribus noſtris aliquatenus imminutam fuiſſe, ac proinde hanc iiſdem deſiderari exiſtiment, legant, videant, & confundantur ex iis, quæ de hoc argumento affert idem Martenius de Antiquis Eccl. Ritibus lib. 1. cap. 5. art. 5. Tom. 1. pag. 653. quem etiam pro ſua eruditione ſtudioſus Lector adire poterit.

V I I.

Hi mores an, & quando deſierint. Qui fuerint alicubi in Communione abuſus.

Simili modo deſiit mos accipiendi manibus Euchariſtiam, & eam domum deferendi, pœniſque graviſſimis tranſgreſſoribus impoſitis ſancitum fuit, ne quis eam, exceptis (ſacris) miniſtris, attrectaret; nam paulatim abuſus irrepſerat, & fraudes multæ, & ſacrilegia. Ideo Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 3. decrevit, ut ſi quis probaretur Euchariſtiæ gratiam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema eſſet in perpetuum. Et Toletanum I. anno Chriſti 400. cap. 14. *Si quis*, inquit, *acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur*. Idque primum in Hiſpania conſtitutum fuit propter Priſcillianiſtas, & alios infideles, ut indicat hoc Canone recitato Concilium Toletanum XI. anno 675. cap. 11. Et hi quidem Canones hoc tantum præcipiunt, ut ſtatim accipiatur, nec reſervetur (1), & domum deferatur: quando (1)
vero cœperit in os immitti, ſicut hodie fit, incertum eſt. Ordo Romanus in ſecunda Miſſæ deſcriptione ita de communione decernit: *Presbyteri ergo, & Diaconi oſculando Epiſcopum Corpus Chriſti ab eo manibus accipiant, in ſiniſtra parte Altaris communicaturi. Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi ore accipiant Corpus Chriſti ab eo*. Quam ſententiam teſtatur Morinus *de ſacris Ordinat. pag.* 3. *exercit.* 12. *cap.* 3. ſe totidem verbis legiſſe in (quodam) Ordine Romano ante annos ſeptingentos conſcripto. Hinc autem deducitur, nec Subdiaconis quidem tunc permiſſum Corpus Dominicum manu attingere, multo minus ſecularibus. Sed variæ fuerunt diverſarum Eccleſiarum conſuetudines, nec omnia ubique uno eodemque tempore recepta & immutata ſunt. Quod ſi conjecturis in re obſcura aliquid tribuere fas eſt, ſatis mihi probabile videtur tunc cœpiſſe in Occidente Corpus Chriſti ore accipi, cum in pane Azymo confici cœpit (2): idque ubique receptum fuiſſe, cum panis conſecran- (2)
dus ad eam formam tenuiſſimam, qua nunc utimur, redactus eſt; ob periculum videlicet ne leviſſima particula manu elabi, & in terram decuti poſſet. Eſt & alia cauſa, ut impiorum fraudibus, cunctiſque irreverentiis, & abuſibus, quantum fieri poterat, occaſio præcluderetur. Perpetuæ ſcilicet mutationi obnoxiæ ſunt res humanæ, nec quidpiam tam ſancte inſtitutum eſt, quin aliquando in ſuperſtitionem, & pravos uſus degeneret. Sic ex domeſtica communione, quæ olim omnibus licita erat, abuſus in quibuſdam locis exortus eſt, ut etiam intra Eccleſiam, publicam ſibi Euchariſtiæ adminiſtrationem Laici homines uſurparent. Patres enim Concilii Trullani cap. 58. ſtatuerunt, ne quis eorum, qui ſunt in ordine Laicorum, divina ſibi myſteria impertiret præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Sic ex more mittendi ipſa ſacramenta ad ægrotos, vel abſentes deteſtabilis abuſus emanavit, quem proſcripſit Synodus Remenſis apud Ivo-

Admodum credibile tunc cœpiſſe Corpus Chriſti ore accipi a fidelibus Sacerdotum miniſterio, cum in pane Azymo confici cœpit.

Ivonem *pag.* 2. *Decreti cap.* 39. & apud Gratianum *de conſecr. diſt.* 2. *cap.* 29. his verbis. *Pervenit ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant divina myſteria, ut laico, vel fœminæ ſacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur ne ſacrarium ingrediantur, nec ad Altare propinquent, illis ſancta ſanctorum committuntur. Quod quam ſit horribile, quamque deteſtabile, omnium religioſorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat; ſed omnimodis Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit*. Alia item Synodus habita Lundoniæ in Anglia anno 1138. ſancivit ut Corpus Domini non deferatur ad infirmos niſi per Sacerdotem, vel Diaconum: At vero in neceſſitate per quemlibet deferri permiſit, ut referunt Ricardus (3) Haguſtaldenſis & Gervaſius Monachus inter (3)
X. Scriptores antiquos Hiſtoriæ Anglicanæ editi. Sed alia multo turpior, & vix credibilis corruptela in quibuſdam Galliæ Provinciis occurrit, ut mulieres intolerabili impudentia ad Altaria irrumpere auderent, atque ipſa divina myſteria populis miniſtrare. Rem narrant, & qua par eſt ſeveritate execrantur Epiſcopi in Synodo Pariſienſi anno 829. congregati lib. 1. cap. 45. *Quidam*, inquiunt *noſtrorum verorum virorum relatu, quidam etiam viſu didicimus in quibuſdam Provinciis contra legem divinam, canonicamque inſtitutionem fœminas ſanctis Altaribus ſe ultro ingerere, ſacrataque vaſa impudenter contingere & indumenta ſacerdotalia adminiſtrare: & quod his majus, indecentius, ineptiuſque eſt, Corpus, & Sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque quæ ipſo dictu turpia ſunt exercere. Miranda ſane res eſt, unde is illicitus in Chriſtiana religione irrepſerit uſus, ut quod viris ſecularibus illicitum eſt, fœminæ, quarum ſexui nullatenus competit, aliquando contra fas ſibi licitum facere potuerint*. Inhibent deinde ne hoc ulterius fiat, ejuſque rei curam ſerio Epiſcopis injungunt. Hæc de abuſibus dicta ſint, nunc ad alios priſcæ communionis ritus tranſeundum eſt.

(1) *Nec reſervetur.*) Atque hi Canones videntur reſpexiſſe ad Laicos, & ſæculares, non vero ad Eccleſiaſticos; Siquidem ex Fulberto Carnotenſi, qui ſæculi XI. initio floruit, Epiſt. 2. Euchariſtiam olim promoti ad Sacerdotium accipiebant de manu Epiſcopi, quam ſolebant uſque ad 40. diem uſu quotidiano conſumere, ut alibi dictum eſt.

Nonnulla antiqua proferuntur exempla Euchariſtiæ a fidelibus ore ſumptæ.

(2) *Cum in pane azymo confici cœpit.*) Majorem ſibi antiquitatem vindicare videtur ritus, quam ei doctiſſimus author adſcribat (ſæculo ſcilicet vergente nono ſub Pontificatu S. Leonis IX. Papæ, vel paulo ante, thronum Conſtantinopolitanum occupante Michaele Cerulario, qui primus omnium Latinæ Eccleſiæ Azymorum cauſa bellum indixit, quem alii poſtea ſequuti Latinos per ludibrium *Azymitas* nuncupabant, eorumque Sacrificium execrabantur; vide ſupra Tom. 2. (lib. 1. cap. 23. §. x. edit. Rom. pag. 166.) Et ſane ægrotos Euchariſtiam ore accepiſſe teſtatur Serapionis Hiſtoria apud Euſebium jubentis puero, ut in aquam intinctam ſeni in os diſtillaret. Extat hac de re Canon Concilii Carthaginenſis IV. præcipiens, ut ſi ægrotus continuo creditur moriturus, infundatur ori ejus Euchariſtia. Bolland. in S. Sulpicii Vita ad diem 17. Januarii pag. 173., *Sanctus*, inquit, Sulpicius Bituricenſis Epiſcopus, qui ſæculo ſeptimo floruit, cum in Clericum ſemivivum, & flagris a dæmone male mulctatum offendiſſet, *videntibus reſeratis Sacramentum in ore ejus propriis manibus Dei Sacerdos infudit*. Plura in id argumentum profert ex veterum monumentis eruditiſſimus nuperus Scriptor Franc. de Berlendis Cler. Reg. Theat. in ſuo præclaro Opere de Oblationibus ad Altare communibus §. 5. pag. 137. ex quo nonnulla hæc ſequentia ſeligam, quæ cæteroquin alibi deſcripta legiſſem. Et quidem ante Pontificatum S. Gregorii Magni inductum fuiſſe hunc ritum, divinam ſcilicet particulam ponendi in os cujuslibet communicantis fidelis, colligitur ex eo quod ipſe narrat in ſuis Dialogis lib. 3. ſeu 9. cap. 3. Cum enim ibi referatur communio diſtributa cuidam muto, & claudo a S. Agapito I. Papa ad Summum Pontificatum evecto an. 535. dicitur *Corpus Dominicum in os miſiſſe*: Quem ritum poſtea Rotomagenſe Concilium habitum ſub Clodoveo Francorum Rege circa an. 650, juxta noviſſimam Conciliorum illius Eccleſiæ vulgatam editionem anni 1717. rejecta priori antiqua conſuetudine, a ſingulis fidelibus obſervandum juſſit cap. 2. pag. 2. Inter cætera his verbis: *Omnibus Presbyteris*

interdicimus, ut nullus inpoſterum hoc facere præſumat, ſed ipſe cum ſumma reverentia.... Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem Laico, aut fœminæ Euchariſtiam in manibus ponant (Sacerdotes) *ſed tantum in os ejus:* Integrum refert hujus Concilii Canonem Mabillonius Præfat. in ſec. 3. Bened. Obſerv. XI. num. 76. quem emanatum putat circa an. 880. quo ex tempore, inquit, abrogari cœpit mos ille recipiendi in manus Euchariſtiam, reſervata nihilominus Diacono, & Subdiacono tractandi Dominici Corporis facultate, ut in dicto Canone exprimitur, quia *Miniſtri ſunt Altaris*. Id etiam in Eccleſia Græca eo circiter tempore factitatum fuiſſe conjicitur, nam S. Lucas junior Thaumaturgus appellatus, cum Epiſcopum Corinthi interpellaſſet, quomodo ipſe, & ſui ſolitarii communionem deberent accipere, reſpondit neceſſarium eſſe Sacerdotem, qui ſi abſens fuiſſet, ipſummet ſupra ſacram menſam particularum ſacratarum vas apponere debere, & e veſtigio ſubjungit: *Tunc explicato linteolo, propones in eo ſacras particulas, accenſoque thymiamate...... trinaque genuflexione adorans, abſque contactu manus, ore pretioſum Chriſti, & Dei noſtri Corpus ſumes, dicendo: Amen*. Sic apud Bollandum die 7. Februarii pag. 92. n. 42. Porro quoad communionem Altaris Miniſtrorum, Diaconi ſcilicet, ac Subdiaconi, quibus ex dicti Concilii Rotomagenſis Canone Dominicum Corpus tractare indultum erat, ſequenti §. ſermo erit.

(3) *Ut referunt Ricardus &c.*) Sed & multo ante ſæculo nono Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis inter Capitula, de quibus in viſitandis Parochiis inquiri voluit, decimo loco ſtatuit: *Si ipſe Presbyter viſitet infirmos, & inungat Oleo Sancto*.

§. VIII.

Modus, Ordo, & Situs communicantium.

ORdo communionis hic erat, ut primo quidem celebrans ſeipſum communicaret, deinde Epiſcopos, ſi qui aderant, vel Presbyteros ſimul cum eo Synaxim agentes: tum Diaconos, Subdiaconos, & Clericos, Monachos, Diaconiſſas, & ſacras Virgines; noviſſime populum adjuvantibus Presbyteris, primum viros, poſtea mulieres. Idem in calicis diſtributione ſervabatur, niſi quod Presbyteri per ſe illum ſumebant, Diaconi a Presbyteris, reliqui a Diaconis, ut ex Ordine Romano, & ex Græcorum Euchologio conſtat (1). Præmittebatur communicantium exploratio & notitia, unde illa vox in quibuſdam Liturgiis, *Agnoſcite vos invicem*: & Græci nunc etiam hoc ſervant, ut nomen communicantis inquirant, ſi ignotus ſit; & cum Sacerdos alicui porrigit Euchariſtiam, nomen ejus exprimit dicens: *Sumis ſerve Dei N. pretioſum & ſanctum Corpus & Sanguinem Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum tuorum, & vitam æternam*. Quod ſpectat ad locum, celebrans in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro Altare communicabant, Subdiaconi & Clerici in limine Sanctuarii, ſive in Choro; reliqui extra Cancellos. Græci ſanctuarium ingredi ſoli permiſerunt Imperatori *Can. Trullano* 69. At Theodoſium, qui ex græca conſuetudine eum ſibi locum aſſumpſerat, inde amovit Ambroſius, & docuit purpuram Imperatorem facere, non Sacerdotem. Hic ordo diu permanſit in Romana Eccleſia, ut Latinorum rituum Scriptores oſtendunt; deinde paulatim tum Romæ, tum alibi mutatus eſt. Concilium Toletanum IV. ſub Honorio cap. 17. Sacerdotem, & Levitam ante Altare communicare conſtituit, in Choro Clerum, populum extra chorum. Bracarenſe I. tempore Joannis III. cap. 31. ſic decrevit: *Placuit ut intra ſanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat Laicis viris vel mulieribus, niſi tantum Clericis, ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt*. Sub eodem Pontifice celebrata in Gallia II. Synodus Turonenſis, in qua c. 4. ſancitum eſt ne Laici intra cancellos ad Miſſam ſtare præſumant: ad communicandum vero ſtatuit, ut tam viris quam fœminis pateant Sancta Sanctorum (2). Ex quo apparet eodem tempore varias de eadem re leges, & conſuetudines in diverſis regionibus extitiſſe. De ſitu communicantium, ſi de Græcis ſermo ſit, nulla eſt dubitatio; quin ſtantes divina dona perci-

Olim præmittebatur ante communionem Communicantium notitia, & nomen eorum, qui ignoti erant, perquirebatur.

ci-

cipiant ; ita enim præſcribunt ipſorum Ritualia , quibus conſonant Sancti Patres: Sed prono capite, & demiſſis oculis ut Cyrillus *Catech.* 5. & Chryſoſtomus *orat. in Encænia* monent. De Latinis non auſim affirmare, nihil enim habeo ex antiquis Scriptoribus , quo id confirmem (3) , niſi (3) quod etiam hodie in Miſſa ſolemni Romani Pontificis Diaconus communicat ſtans , omnino ex veteri ritu. Deinde puto ut in reliquis, ita etiam in hac re ſimiles ab initio utriuſque Eccleſiæ ritus fuiſſe. Nunc ſolus Sacerdos celebrans communicat ſtans , reliqui omnes (etiam Presbyteri cum Chriſti Corpus extra Sacrificium ante Altare percipiunt) genibus flexis de manu Celebrantis communionem accipiunt. Summus Pontifex cum ſolemniter celebrat , ſedens communicat hoc modo. Data pace Epiſcopo, & duobus Diaconis (Cardinalibus) aſſiſtentibus, qui os ejus & pectus oſculantur , aſcendit ad ſedem ſuam comitantibus ipſum Diaconis & Epiſcopis. Tum Diaconus Evangelii apud Altare patenam cum Sacramento reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat uſque ad oculos habentem deſuper auream ſtellam cum nominibus XII. Apoſtolorum , ne hoſtia labi poſſit . Et primo vertit ſe ad latus Epiſtolæ cum ſumma gravitate , & per eandem viam revertitur ad medium Altaris ; poſtea eodem modo vertit ſe ad latus Evangelii , ubi Subdiacono genuflexo patenam tradit cum Sacramento. Tum ſurgit Subdiaconus, & ipſe Diaconus flectit genua , donec ille diſceſſerit portans Sacramentum Pontifici, qui ei advenienti profunde inclinat, ac ipſum reverenter adorat. Subdiaconus vero cum pervenerit ad Pontificem, ſtat rectus ad ejus ſiniſtram. Poſt hæc Diaconus accipiens calicem parvo velo aureo coopertum, eodem modo ſe vertit ad utrumque latus Altaris , ſicut cum patenam tenebat ; & inde cum ipſo calice ad dextrum latus Pontificis accedit . Pontifex vero ſumit unam partem hoſtiæ , & aliam in duas partes dividit pro communione Diaconi, & Subdiaconi . Sumpto autem a Pontifice Chriſti Corpore Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens porrigit ei calamum aureum, quo Sanguinis partem ſugit , reſiduum dimittens pro Diacono & Subdiacono . Tum Pontifex communicat Diaconum ſtantem, & tenentem dextera manu calicem, calamum ſiniſtra ; qui accepto Corpore Chriſti faciem Pontificis oſculatur, & reverſus ad Altare partem ſanguinis ſugit. Eodem modo Corpus Chriſti porrigit Pontifex Subdiacono coram ſe genuflexo & patenam tenente, qui & ipſe ad cornu Altaris accedens reſiduum Sanguinis cum calamo ſugit . Unus autem ex ipſis particulam hoſtiæ, quæ calici de more immiſſa fuerat, ad labia ipſius calicis retrahit & ſumit (4). Hæc ex Cœremoniali Romani (4) Pontificis excerpta ſunt , quæ ab antiquiſſimo Ordine Romano in paucis diſcrepant , ut utrumque conſerenti manifeſtum erit .

Græci etiam nunc ſtantes, ſed prono capite, ac demiſſis oculis ; Latini genibus flexis communicant.

(1) *Et ex Græcorum Euchologio conſtat.*) Ordinem hunc communionis in primitiva Eccleſia deſcribit Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 13. referens hæc Sacrificantis verba : *Sancta Sanctis* , & reſponſo accepto a populo, inquit , *poſtea ſumat Epiſcopus , deinde Presbyteri , & Diaconi , & Subdiaconi , & Lectores , & Cantores , & Aſcetici, & ex fœminis Diaconiſſæ , ac Virgines , & Viduæ , poſtea pueri , & deinde cunctus populus , Ordine , cum pudore, & reverentia, ſine ſtrepitu , & tumultu .*

(2) *Tam Viris , quam fœminis pateant Sancta Sanctorum .*) Concilium tamen Laodicenum Can. 19. ſtatuit. *Solis licere ſacratis ad Altare accedere , & communicare*, & Can. 44. mulieres ad Altare ingredi prohibet. Eamdem diſciplinam ſancit Toletana Synodus IV. Can. 17. *Sacerdotes , & Levitæ ante Altare communicent in Choro, extra Chorum Populus .* Eadem & mens fuit Braccarenſis Synodi 1. Can. 31. Neque Imperatoribus id privilegii conceſſum , ut intra Cancellos ad Altare communicarent . Hoc quidem ipſis licebat Conſtantinopoli ; at mos abrogatus eſt Authore Ambroſio , qui Theodoſio Imperatori per Archidiaconum ſuum hæc ſignificavit : *Interiora loca ſolis Sacerdotibus patent , reliquis omnibus ſunt inacceſſa ; abſcede igitur, nam Purpura Imperatores facit , non Sacerdotes .* Vide Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 18. & recole , quæ ſupra jam dicta ſunt

Tom. II. ad lib. 1. cap. 20. §. 7. nota II. pag. 105.

(3) *Ex antiquis Scriptoribus, quo id confirmem.*) Poſſet id ex illo Tertulliani de Oratione cap. 14. comprobari, ubi ait loquens de Euchariſtia: *Nonne ſolemnior erit ſtatio, ſi ad aram Dei ſteteris? accepto corpore Domini, & reſervato utrumque ſalvum eſt, &c.* Porro ſtantes olim, non ut fit hodie, ex majori veneratione, genuflexos in veræ adorationis ſignum, veteres communicaſſe probant Habertus in notis ad Pontificale Græcorum pag. 270. Henricus Valeſius in notis ad Euſebium lib. 7. cap. 9. Joannes Thierſius in Gallica Diſſert. de Altaribus, idemque a Monachis antiquitus actitatum oſtendit Edmundus Martene Comment. in Reg. S. Benedicti cap. 35. Certe veteres Monachos erecto corpore communicaſſe docet nos Magiſtri Regula, quæ hæc ſtatuit cap. 21. *Poſt modicam*, inquit, *orationem erecti communicent, & confirment*: Præterea cum die Dominico non eſſet in uſu etiam in Occidente genua flectere, valde probabile exiſtimamus ea die Fideles ſtantes communicaſſe. Hunc eumdem ritum comprobat imago, quæ in Metropolitanæ Remenſis Eccleſiæ navi contra majus atrium Templi ſculpta conſpicitur, exhibens Sanctum Nicaſium ejuſdem Civitatis Antiſtitem venerabile Sacramentum Laico ſtanti, & non genuflexo porrigentem; quod refert Hubertus Morus Decanus, & Eccleſiaſtes ejuſdem Remenſis Eccleſiæ ſermone 36. de Miſſæ myſteriis, & ex eo Antonius Bellotte Obſervat. in Rit. Laudun. pag. 657. præſcribit adhuc morem hunc Pontificale Romanum in communione Epiſcopi recens conſecrati: *Priuſquam*, inquit, *digitos abluat* (Epiſcopus celebrans) *communicat conſecratum ante ſe in eodem cornu capite inclinato ſtantem, & non genuflectentem, prius de Corpore, tum de reſiduo Sanguine in Calice dimiſſo.*

Latines etiam olim ſtantes, ſicut Græci, communicaſſe nonnulli ex antiquorum aliquot monumentis nituntur oſtendere.

(4) *Ad labia ipſius Calicis retrahit, & ſumit.*) Nec Ordines Romani, nec Authores Liturgici uſque verſus ann. 1200. locuti ſunt de eo, qui ſumpturus eſſet particulam in Calice relictam. Amalarius Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, Remig. Antiſſiodor. Pſeudo Alcuinus Microl., Ivo Carnot., Rupertus, Odo Cameracen.., Hugo a Sancto Victore, & Honor. Eduenſis nullam de hoc mentionem faciunt. Solum ex antiquis Conſtitutionibus Ordinum Regularium credi poteſt hanc ſumptam fuiſſe a Sacerdote. Apud Carthuſianos in Statutis antiquis, neque Sanguis relinquebatur pro Diacono, ſic enim ajunt, *nec ſervatur unquam de Sanguine Diacono*, Statut. antiq. parte I. c. 43. num. 45. In Uſibus autem Ciſterc. *Sumatque* (Diaconus) *Sanguinem eadem parte Calicis, qua & Sacerdos, qui Subdiaconus ſumat Sanguinem cum fiſtula; ſi quid autem reſiduum fuerit de Sanguine, bibat illum* (Diaconus) *cum Calice.* Joan. Abrinc. de Off. pag. 24. *Poſtremo vero particulam, quæ in Calice remanſit, Sacerdos ſumat, & poſt Diacono Calicem ad mundandum, & ſumendum, quod remanſit, porrigat, &c.* Idem legitur expreſſe in Miſſa Maurilli Archiepiſc. Rotomag. nihilominus juxta Durandum ſec. 13. Epiſc. ſumendam relinquebat, hanc particulam Diacono, ſeu Subdiacono Calicem mundaturo. Poſtquam Sacerdos pretioſum ſumpſerit Sanguinem, antequam Calicem purificet, communionem præſtet adſtantibus. *Eſt autem legitimum tempus communicandi ante ultimam Orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro iis eſt, qui communicant.* Walafrid. Strabo de rebus Eccleſ. cap. 22. Amalarius: *Ergo & ante ipſas communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum benedictione foveri deſiderant.* Microl. cap. 19. *Hoc inſtitutum ſervare Parochus ſtudeat, ut quod antiquiſſimi ritus eſt, intra Miſſarum ſolemnia poſt Sanguinis ſumptionem præbeat ſacram Euchariſtiam*: Acta Eccleſ. Mediolanenſis pag. 597. Idem præſcribit Rituale Romanum per Paulum V., & Urbanum VIII. Pont. editum, *niſi ob rationabilem cauſam poſt Miſſam differenda ſit.* Cauſa autem eſſe poteſt multitudo Miſſæ aſſiſtentium, ut adnotatum eſt ad Miſſale Dominicanum an. 1254. *Si adſtet magna multitudo expectans finem Miſſæ, poterit differri communio uſque poſt Miſſam, niſi in die Cœnæ, ſi viſum fuerit Priori*; Addit Gavant. in rubr. Miſs. pag. 2. tit. 10. num. 6. *Tolerandum videtur, ſi multi communicent, non autem ſi pauci.*

Communio, ſi fieri poteſt, miniſtranda adſtantibus inter Miſſarum ſolemnia.

Quoad formulam vero communionis non eadem ſemper fuit invariata. Pariſiis adhuc reſpondetur *Amen* veteri more. Quæ reſponſio in Pontificali Romano præſcribitur Ordinandis; Carthuſiani non repetunt confeſſionem generalem ante communionem, ommittuntque *Miſereatur, & Domine non ſum dignus.* Idem obſervatur in novo Miſſali Cluniacenſi, ex Grancolaſio. Formula autem communis hæc eſt; Sacerdos communionem porrecturus dicit: *Ecce Agnus Dei ..... Domine, non ſum dignus*, quæ verba alta voce pronunciat, ut communicaturi omnes ea ſecum dicant. Concil. Aquenſe an. 1585. Concil. Labbei. Tom. 15. col. 1130. verba hæc pronuncianda præſcribit a Sacerdote, vel Clerico: *Teneat unam* (ait) *ex ſacris Hoſtiis aliquantulum ſuper labium Pyxidis elevatam ...... & dicat voce aliquantulum elevata, gravi tamen*: Ecce Agnus Dei; Ecce qui tollit peccata mundi, *deinde vel ipſemet Sacerdos, vel Clericus in eodem loco, capite profunde inclinato, percutiens pectus, dicat ter: Domine, non ſum dignus*, ſed gravius ſemper a Sacerdote pronunciabuntur, ut adnotarunt S. Carolus in ſuis inſtructionibus, & S. Franciſcus Saleſius, qui in ſuo Rituali Fideles hortatur, ut ea eodem tempore una cum Sacerdote devote proferant.

Formula, ſeu verba dicenda a Sacerdote in miniſtranda communione, & aliquorum abuſus in eadem fœminis data.

Sacerdotes nonnulli ſolis fœminis communionem præbituri dicendum opinabantur: *Domine, non ſum digna*, quem abuſum pluribus in locis ſecutæ ſunt Sanctimoniales, quarum aliquas generaliter citat Gavantus, & Claud. de Vert. ſpeciatim nominat illas Abbatiæ de Roncerais Ord. Sancti Benedicti, Andegavi, quæ dicebant *Domine, non ſum digna.* Tom. 3. pag. 396. Et quod mirum eſt, Miſſale Romanum Venetiis editum an. 1563. praxi huic ſuffragabatur, ignorantiæ

insuper

inſuper eos accuſans, qui ſe huic mori non conformabant. In ordine hujus Miſſalis, cujus titulus ignoto Auctore eſt: *Opus aureum de ordine celebrandi Miſſam*, legitur; *Advertat Sacerdos, dum Sacram Communionem ſolis Monialibus porrigit, ut dicat eis*: Domine, non ſum digna, ut intres ſub tectum meum, *quia nonnulli ignari dicere ſolent: Domine, non ſum dignus, quod non convenit mulieribus.*

Hunc vero abuſum ſuffocarunt Bullæ Pontificum Pii V., & Pauli V., prohibentes quidquam in Miſſalis verbis immutari. Et Rituale Romanum expreſſe præſcribit dici: *Domine, non ſum dignus*, etiam pro mulieribus. Concil. Narbon. ann. 1609. cap. 12. hæc verba permittit, proferri *lingua vernacula*. Et S. Franciſcus Saleſius in ſuo Rituali Anicii edito an. 1612. *Particulam unam dextra manu elevet, & ad populum converſus, eam illi adorandam oſtendat, & communicandos his verbis ad humilitatem hortetur: Domine, non ſum dignus, &c., vel Gallice hoc modo dici poſſunt*: Monſeigneur, je ne ſuis pas digne, que vous entriez dans mon corps, mais par votre ſainte parole que mon ame ſoit ſauvée. Ordo communion. Ritualis Gebennenſis pag. 46. Porro hæc verba *Domine, non ſum dignus, &c.* deſumpta ſunt ex iiſdem a Centurione prolatis, quem tradit Evangelium Matth. cap. 8. oraſſe Chriſtum Dominum, ut domum ſuam veniret, ſuumque puerum ſanitati reſtitueret. Hic autem Ritus recitandi verba Centurionis ad Communionem eſt antiquiſſimus, cum ejus & Origenes homil. 5., & Chryſoſtomus hom. de S. Thoma Apoſtolo meminerint.

Variæ apud Græcos Communionis formulæ.

Hactenus de Latinorum Euchariſticæ Communionis formula dictum eſt. Apud Græcos autem, & Orientales Sacerdos ante communionem Cruce Populum ſignabat dicens: *Sancta Sanctis*, ut in eorum Liturgiis legitur, & alibi obſervatum dicitur: Eamdem conſuetudinem imitantur Æthiopes; ſiquidem Sacerdote, & Populo mox communicaturis Diaconus dicit, *Inſpiciamus*: Sacerdos: *Sanctum date Sanctis*. Quæ denuntiatio vetuſtiſſima in Græcorum Liturgiis, apud Latinos non reperitur uſurpata (ut notat Euſebius Renaudotius Differt. cap. 4. appoſita Tom. 1. Liturg. Orientalium, apud quos, teſtante Gregorio Magno lib. 2. Dial. cap. 23. Diaconus ante communionem clamare ſolebat: *Si quis non communicat, det locum*: quod non tantum de pœnitentibus, ſed & de quibuſdam aliis, qui non communicabant, intelligendum eſſe arbitratur Mabillonius de Liturgia Gallicana veteri lib. 1. cap. 4. num. 14. Dum vero Euchariſtia diſtribuebatur, Antiphona in Sacramentariis, ſeu Miſſalibus dicta *Communio* concinebatur, quæ per vices repetebatur poſt quemlibet Pſalmi verſum, a quo erat deſumpta, eo prorſus modo, quo a nobis nunc canitur Pſal. *Venite, exultemus* ad Matutini initium: quod habetur in Ordine III. Romano num. 18., & apud Ven. Card. Thomaſium in Præf. Antiph. lib. Miſſ. Interim ab omnibus adſtantibus erectis tum in Eccleſia Latina, tum in Græca, ſed alta veneratione, ac ſummo cultu Communio recipiebatur, ut inter cæteros late probat Thierſius Differt. de Altaribus cap. 15. quam Epiſcopus, aut Presbyter Celebrans in medio Altaris conſiſtens, in Eccleſia Græca (juxta Codinum de offic. Conſtantinop.) primum Imperatori, Regi, aut Supremis Principibus, ſi aderant communicaturi, deinde Sacerdotibus concelebrantibus, mox Diaconis retro Altare, poſtea Subdiaconis, & Clericis in Choro ſuperiori juxta Sacrarii cancellos, exinde aliis Fidelibus, qui extra cancellos morabantur, primum viris, deinde mulieribus, qui locus a Græcis *Solea* dicebatur, apud Goarium in Ordin. Sac. Miniſt. pag. 18., de qua voce nonnulla dicta ſunt ſupra ad lib. 1. cap. XX. §. 6. Tom. 2. pag. 88. & 89. Apud aliquas in Oriente Eccleſias uſitatum erat, ut qui ad communionem accedebat, ante dignoſci deberet a Sacerdote; Qua de re in aliquibus Liturgiis illa verba leguntur: *Agnoſcite vos invicem*, quod conſonat veteri diſciplinæ nomen offerentis exhibendi, illudque inter Sacrificium recitandi, ut ſupra vidimus. Quæ conſuetudo adhuc inter Græcos viget; Quod aperte eruitur ex illis verbis, quæ Sacerdos cuicumque communicanti dicit, dum ei Euchariſtiam præbet: *Sume ſerve Dei N. pretioſum, & Sanctum Corpus, & Sanguinem Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum tuorum, & vitam æternam*. Si enim compertum habeat communicantis nomen, nequit certe illis eſſe ignota perſona. Ulterius etiam litteris conſignatum invenitur, quod Epiſcopus, ſive Presbyter communicantes, & iſti viciſſim Epiſcopum, aut Sacerdotem, ſive ante, vel poſt ſuſceptam Euchariſtiam, oſculabantur: Hunc morem Clariſs. Pater Jo. Mabillonius in Commentar. ad Ord. Rom. pag. 56. num. 11. opinatur æque in uſu fuiſſe in Orientis, ac Occidentis Eccleſiis, & ſuadetur tum ex Epiſtola 62. D. Hieronymi adverſus Joannem Hieroſolym. ſcripta, in qua ſic ait; *Quiſquamne tibi invitus communicat? Quiſnamne extenta manu vertit faciem, & inter ſacras epulas Judæ oſculum porrigit?* Tum ex narratione Pauli Diaconi Emeritenſis; qui in Vitis Patrum cap. 7. loquens de Fideli Epiſcopo: *Vade* (inquit ille), *communica, & da nobis oſculum*. Idem pariter legitur in quodam Tractatu Fratrum Prædicatorum Conſtantinopoli invento, quem evulgavit Petrus Stevartius in Tomo ſingulari inſignium Authorum, ubi oſculum a Sacerdote communicanti traditum ſcribitur: *Qui Miſſam celebrat Sacerdos, oſculatur volentem communicare*. Uſus poſtea hujuſmodi oſculi fuit tantum contractus, dum ſolemniter celebrans Sacerdos miniſtris communionem porrigebat, ut habetur in antiquo Ritu Celebrationis Miſſæ Joannis Epiſcopi Abrincenſis apud Menardum in Append. ad Lib. Sacrament. Sancti Gregorii Papæ; ibi enim in veſtigio ſubjungitur ab aliis ſolum manum Sacerdotis oſculatam fuiſſe: *Et poſt qui communicandus eſt, manu Sacerdotis oſculata, communionem ab eo accipiat*. Ex hac conſuetudine credi poteſt ſubinde ortum habuiſſe, Epiſcopi communionem porrigentis annulum manus oſculandi uſum,

Oſculum enim ab Epiſcopo, ſive a Sacerdote communicantibus datum.

uſum, de quo in Cœremoniali Epiſcoporum, & in Pontificali Romano, aliiſque Ritualibus libris. Vide hac de re noviſſimum Scriptorem Franc. Amatum Pouget Oratorii Gallicani Presbyterum, & Doctorem Sorbonicum Inſtit. Cathol. Tom. 2. pag. 887. col. 2.

Poſtquam vero ceſſavit communio ſub utraque ſpecie, de qua infra, conveniens viſum eſt Fidelibus vinum porrigere, quo ab Euchariſtiæ reliquiis, quæ remanſiſſe poterant, os purificaretur. Alex. Alenſis Ord. Min. 500. jam abhinc annis ſcripſit fere univerſalem fuiſſe Eccleſiæ Latinæ morem ſub unica panis ſpecie Euchariſtiam porrigendi, & exinde ſcribit Le Brun Tom. 1. 5. part. art. 10. Cœrem. Miſſæ §. 4. porrectum vinum iis, qui communicaverant: *Bene licet ſumere Corpus Chriſti ſub ſpecie panis tantum, ſicut fere ubique fit a Laicis in Eccleſia ..... Eccleſia iſtud Sacramentum diſpenſare conſuevit ſub ſpecie panis tantum, tum propter periculum effuſionis, &c.* Ita irrefragabilis Doctor Quæſt. XI. de Euchar. Tom. 4. pag. 406.

Antiquiſſimum Miſſale Fratrum Prædicatorum ſcriptum an. 1254. hunc uſum notat, ejuſque rationem his verbis exhibet: *Suſcepto autem Sacramento, Frater inclinans ſe erigat, & conſumpta Hoſtia accedat ad vinum, quod ſtando eſt recipiendum, & in modica quantitate ad abluendum os diligenter, ne aliqua particula Hoſtiæ remaneat intra dentes. Porro Diaconus debet accipere vinum hujuſmodi in Calice alio, quam ſit Calix, cum quo celebratur, & poſtea aliis miniſtrare.* *Vinum poſt communionem ſumere volentibus porrectum ad oris ablutionem.*

Statuta autem Carthuſianorum collecta anno 1259. cap. 5. num. 19., & 20., & cap. 43. num. 45. Sacerdoti præſcribunt, ne quid Sanguinis relinquat pro Diacono, præterea in communionibus generalibus communicantium ſenior Diaconus, ſive Procuratoriis omnibus vinum porrigat, qui communicaverint, Clerici ſint, ſive Laici. Cœremon. Pariſienſe anno 1662. impreſſum notat, quod Diaconus, & Subdiaconus, poſtquam communicaverint, accedunt ad Armarium, ſeu credentiam, ut os purificent, *ſi opus fuerit*, & quod Diaconus omnibus, qui communicaverint, vas porrigat cum aqua, & vino, & mappa ad os tergendum. Quum autem Cœremoniale præſcribat tantum id, *ſi opus ſit*, pag. 183., & 200. communicantium plerique hanc reſpuant ablutionem, adeoque non porrigitur amplius. Le Brun ſupracit., qui tam antiqua, & clam facta diligenter adootanda eſſe aſſerit, ut opponantur adnotationibus Claudii De Vert, quæ Tom. 4. p. 178. tendunt ad confutandam hanc ablutionem, quæ introducta fuit ab annis 500. cum communione pretioſi Sanguinis.

C A P. X V I I I.

Communio olim ſub utraque ſpecie. Sub una tantum nunquam vetita, imo multoties uſitata a primis Eccleſiæ ſeculis, & deinceps. Quando, & qua occaſione fieri deſierit ſub utraque. Græcorum ritus in paranda Euchariſtia, quam pro infirmis conſervant. Mos eorum diſcutitur Corpus Domini Sanguine intinctum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem uſus in Occidente. Horribile exemplum damnationis Hæreticorum calamo intincto in Sanguine Chriſti.

§. I.

Communio olim ſub utraque ſpecie. Sub una tantum nunquam vetita, imo multoties uſitata a primis Eccleſiæ ſeculis, & deinceps.

PRæter ea quæ dicta ſunt, ad veteres ritus Euchariſtiæ pertinet communio ſub utraque ſpecie noviſſimis hiſce temporibus inter Catholicos, & Hæreticos acerrime controverſa. Omiſſis autem diſputationibus, in his dumtaxat immorabor, quæ ad veterem adminiſtrandæ communionis ſub una, vel ſub duplici ſpecie conſuetudinem ſpectant, ad duo puncta breviſſime redigens quicquid ſpiſſis voluminibus de hoc argumento a Viris præſtantiſſimis ſcriptum eſt. An videlicet communio ſub utraque ſpecie ſemper in uſu fuerit; & an permiſſum olim ſit ſub una tantum communicare. Facile autem utraque lis componi poteſt, ſi communionem publicam intra Miſſarum ſolemnia a privata extra Eccleſiam, & Synaxim diſtinguamus. Certum quippe eſt omnes paſſim clericos, & laicos, viros, & mulieres ſub utraque ſpecie ſacra Myſteria anti-

antiquitus ſumpſiſſe, cum ſolemni eorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant. Extra Sacrificium vero, & extra Eccleſiam ſemper, & ubique communio ſub una ſpecie in uſu fuit. Primæ parti aſſertionis conſentiunt omnes tam Catholici, quam ſectarii; nec eam negare poteſt qui vel leviſſima rerum eccleſiaſticarum notitia imbutus ſit. Semper enim, & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad

Communio ſub utraque ſpecie uſque ad ſeculum XII. a Fidelibus ſumpta.

ſeculum XII. (1) ſub ſpecie panis, & vini communicarunt Fideles, cœ- (1)
pitque paulatim ejus ſeculi initio (2) uſus Calicis obſoleſcere pleriſque (2)
Epiſcopis cum populo interdicentibus ob periculum irreverentiæ, & effuſionis, quod inevitabile erat, aucta Fidelium multitudine, in qua deeſſe non poterant minus cauti, & attenti, ac parum religioſi. In ordine Ciſtercienſi ſtatutum olim fuit, ne ulla perſona Ordinis, exceptis Miniſtris Altaris, ſacris veſtibus indutis ad ſacrum Calicem pro percipiendo Sanguine accedere præſumeret propter periculum, & ſcandalum evitandum. Ob eamdem cauſam Rodulfus Abbas S. Trudonis, qui vivebat anno 1110. removeri a Laicis Calicem ſuadet his verſibus:

Hic & ubi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut ſanis tribuat laicis de Sanguine Chriſti,
Nam fundi poſſet leviter; ſimplexque putaret,
Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

Sic paulatim, ut dixi, introducta eſt communio ſub ſola ſpecie panis, poſteaquam intolerandi abuſus religioſos Antiſtites ad abrogandum communem Calicis uſum induxerunt. Moribus enim immutatis leges quoque mutandæ ſunt, quæ aliquando utiles, atque optimæ fuerunt. Hæc autem mutatio facta eſt primum a diverſis Epiſcopis in ſuis Eccleſiis, deinde a Synodo Conſtantienſi canonica ſanctione pro omnibus ſtabilita, nullo profecto ſpiritualis refectionis detrimento, ut Fideles experiuntur; nulla Divinæ legis tranſgreſſione: quia communio ſub utraque ſpecie nec divinitus inſtituta fuit, nec unquam antiqui Patres eam ad ſalutem
neceſſariam eſſe docuerunt (3). Objiciunt aliqui Canonem Gelaſii apud (3)

Dicta tamen Communio ſub utraque ſpecie nec divinitus inſtituta, ideſt a Chriſto præcepta, nec ad ſalutem neceſſaria.

Gratianum *de conſecr. diſt.* 2. *Comperimus.* adverſus eos, qui ſumpta tantummodo Corporis Sacri portione a Calice abſtinebant: ſed ex ipſa lege manifeſte cognoſcitur Sanctum Pontificem aſſertioni noſtræ non adverſari: *Comperimus*, ait, *quod quidam ſumpta tantummodo Corporis Sacri portione a Calice ſacri Cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Illos igitur ferit hic Canon, qui Calicem reſpuebant, non quia crederent communionem Sanguinis non eſſe neceſſariam, cum integer Chriſtus ſub ſpecie panis ſumatur; ſed quia moti quadam ſuperſtitione a Calice abſtinebant. Erat autem hæc ſuperſtitio Manichæorum, qui cum dicerent vinum eſſe fel principis tenebrarum, & a diabolo creatum, communionem ſub ſpecie vini ſumere recuſabant, ut teſtatur Leo Magnus ſerm. 4. de Quadrag. in quo de illis diſſerens inter cætera ait: *Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Corpus Chriſti accipiunt, Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire Sanctitatem, ut vobis hujuſmodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati, & prohibiti a Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur*. Ex his apparet

apparet adverſus Manichæos promulgatam hanc legem; qui, ut ait Anaſtaſius, temporibus Gelaſii inventi ſunt in Urbe Roma, & in exilium deportati, eorumque codices ante fores Baſilicæ S. Mariæ incendio concremati. Ut igitur latitantes ſub Catholico nomine proderentur, idem remedium adhibuit Gelaſius, quo pridem Leo uſus fuerat, præcipiens, ut ſub utraque ſpecie omnes communicarent: ne ſi Catholici a Calice abſtinerent, ſe de hæreſi Manichæorum ſuſpectos redderent: aut ipſi Manichæi eo ſigno detegi non poſſent, ſi idem facerent, quod Catholici ſub ſpecie ſola panis communicantes. Cum vero rationem reddens ſanciti decreti ait diviſionem Myſterii ſine grandi ſacrilegio provenire non poſſe, eoſdem Manichæos perſtringit, qui hauſtum vini reſpuentes tanquam fel diaboli Divina Myſteria procul dubio mutilabant, ſeque grandi ſacrilegio obſtringebant. Notabile eſt quod princeps Theologorum docet 3. p. qu. 80. art. 12. ad 2. *Perfectionem* videlicet *hujus Sacramenti non in uſu Fidelium, ſed in conſecratione materiæ ſitam eſſe, & ideo nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, ſi populus ſumat Corpus ſine Sanguine, dummodo Sacerdos conſecrans ſumat utrumque*. Nec Manichæos a Sanctis Patribus reprehenſos, & ab Eccleſia damnatos legimus, quod ſub unica ſpecie communicarent, ſed quia, ut diximus, a conſecratione, & communione Calicis, tanquam a re mala, & diabolica abſtinendum eſſe ſacrilego errore dicebant (4). (4)

(1) *Semper enim, & ubique a primordiis Eccleſiæ uſque ad ſeculum XII. &c.*) Communionem ſub utraque ſpecie ad initia ſeculi XII. viguiſſe conſtat ex iis, qui tunc florebant, Authoribus, Algero nempe, qui tunc vivebat, & de ea loquitur lib. 2. cap. 8. tamquam illo tempore uſitata, Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, Guillelmo de Campellis, Hugone Canonico Sancti Victoris, de quibus infra, aliiſque. Guillelmi præfati Catalaunenſis Epiſcopi, Sancto Doctori noſtro Bernardo Abbati Claraevallenſi amicitiæ conjuncti teſtimonium antea inditum profert Mabillonius Præfat. ad ſeculum 3. Benedict. num. 75., ex quo ad hanc rem hæc adducere juvat. *Quod utraque ſpecies*, inquit, *per ſe accipitur, eo fit, ut memoria Corporis, quod in Cruce viſibiliter pependit, & memoria Sanguinis, qui cum aqua de latere fluxit, arctius teneatur, & quaſi præſentetur. Tamen ſciendum, quod qui alteram ſpeciem accipit, totum Chriſtum accipit:* Et infra: *Quod ergo dicitur utramque ſpeciem oportere accipi, hæreſis plane eſt. Et ideo licet in alterutra ſpecie totus ſumatur, tamen pro cauſa prædicta Sacramentum utriuſque ſpeciei ab Eccleſia immutabiliter retinetur*. Obiit Guillelmus an. 1121. Idem confirmat in ſpeciali Eccleſiæ cap. 7. Hugo Victorinus, qui ad annum 1142. vixit lib. 3. erudit. Theolog. cap. 20. Quo etiam tempore conſecratus intinctus vulgo communicantibus porrigebatur: Id quod etiam conſpicitur ex quadam Epiſtola Arnulphi Roffenſis edita apud Acherium Tom. 2. Spicilegii. Conſtat item ex Petri Damiani Opuſc. XIV. de Ordine Fontis-Avellanæ, ubi ait: *Calices duos argenteos hac vobis ratione providimus: ut cum ſacra Dominici Corporis, & Sanguinis Myſteria vultis accipere, ſtannum, vel vilius quodcumque metallum veſtris labiis nequàquam neceſſe ſit adhibere*. Plura exempla ad commonſtrandam priorum ſeculorum uſque ad id tempus diſciplinam producit loco indicato Clar. Mabillonius ex Actis S. Anſcharii Bremenſis Archiepiſcopi, S. Odiliæ Abbatiſſæ, item ex Udalrici Cluniacenſium Conſuetudinum lib. 2. cap. 30., aliiſque illius antiquitatis monumentis. Commemorat quoque vir eximius calices pro Laicorum communione tunc parari ſolitos, in quorum unum extat diſtichon inter Gerberti Epiſtolas num. 90., quod an de memorato ſacro Pane intincto, an de utraque ſpecie ſeorſim adſervata intelligendum ſit, aliis judicandum relinquit dictus Mabillonius. Verſus hi ſunt:

Hinc ſitis, atque fames fugiunt, properate Fideles.
Dividit in populos has Præſul Adalbero gazas.

Fuit iſte Archiepiſcopus Remenſis an. 987., cui ſucceſſit dictus Gerbertus Monachus Floriacenſis, Abbas Bobienſis, poſtea ex Remenſi, deinde Ravennæ Archiepiſcopo Romanus Pontifex anno 998. effectus, Silveſter II. nuncupatus.

(2) *Ejus ſeculi initio.*) Non ſtatim videtur hujus ſeculi initio Calicis uſum obſoleviſſe, mox enim vidimus ex Guillelmo de Campellis, qui eodem ſeculo ineunte ſcripſit, *Sacramentum utriuſque ſpeciei ab Eccleſia adhuc commutabiliter retentum*. Paulo poſt circa medium ejuſdem ſeculi, quo tempore florebat Robertus Pullus S. R. E. Cardinalis Calicis uſus deſueſcere cœpit; Etenim apud ipſum extat hac de re locus in Sent. part. 8. cap. 3., ubi hæc leguntur: *Verum qualiter a Laicis Euchariſtia ſumi deberet, Sponſæ ſuæ commiſit judicio, cujus conſilio, & uſu pulchre ſit, ut Caro Chriſti Laicis diſtribuatur*. Jam tunc ergo,

Non tamen videtur dicti ſeculi XII. initio Calicis uſus Laicis præberi deſiiſſe.

ergo, teſte Pullo, Laici ſub unica ſpecie communicare cœperunt. Neque vero hic uſus ſtatim invaluit, quin etiam multos poſt annos vetus perſeveraſſet conſuetudo, ut iidem communicandi Laici in publicis Conventibus utraque ſacra Symbola ſumerent. Teſtis eſt omni exceptione major D. Thomas 3. part. quæſt. 80. art. 12. in corpore, ubi ait: *In quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut Populo Sanguis ſumendus non detur, ſed ſolum a Sacerdote ſumatur*. Quibus verbis aperte innuit pleraſque alias Eccleſias adhuc veterem ritum communionis utriuſque ſpeciei populo miniſtrandæ obſervaſſe. Poſtremum diem clauſit Angelicus Doctor an. 1274. Immo hunc eumdem adhuc in quibuſdam Eccleſiis obſervatum anno 1337. perhibet tunc vivens Paludanus in 4. Sent. Diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 2. ibi enim præter Græcorum Synaxes, in quibuſdam Latinis Occidentalibus Eccleſiis id fieri ſolitum citra Privilegium omne ſic ſcribit: „ Græci communicant Carni, & Sanguini, & in quibuſdam Eccleſiis eſt conſuetudo, quod „ communicant ſub utraque ſpecie, nec eſt „ peccatum, quia, quando mos erat, crimen non erat, & ita caute in Eccleſiis, „ ſive Monaſteriis faciunt, quod nihil effundunt.

Sed circa ſeculi XIII. vel ſequent. XIV. initia dictum uſum obſoleviſſe ſcribunt nonnulli.

Itaque ubi non erat effuſionis periculum, quemadmodum in Monachorum Eccleſiis, de quibus ſupra nonnulla dicta ſunt, adhuc ſeculo XIV. alicubi obſervabatur communio ſub utraque ſpecie, quin & ſeculo XV. ſub Martini V. Pontificatu ſcribit Petrus Amelius Epiſcopus Senogallenſis in ſuo Ordine Romano cap. 85. apud Mabillonium Muſ. Ital. Tom. 2. pag. 506. omnibus, *qui* in die Paſchæ *communicaſſent de manu Papæ*, porrectam a Diacono fiſtulam *ad bibendum de Sanguine Chriſti*, atque adeo communionem ſaltem Paſchalem in Miſſa Pontificia celebratam fuiſſe ſub utraque ſpecie uſque ad ſeculum XV. Verum iſta, ut diximus, non paſſim tunc temporis apud omnes obtinuiſſe, ſed ab aliis etiam frequentari ſolitum contrarium uſum communionis ſub unica ſpecie monent & ipſi Scriptores mox relati, ut certum ſit, quod contra Sectarios urgent noſtrates Theologi nuſquam ita viguiſſe ritum communionis ſub utraque ſpecie, quin etiam unicuique non ſacrificanti a pretioſi ſumptione Sanguinis abſtinere, niſi forte exceperis tempora Leonis, & Gelaſii Pontificum, quibus, graſſante Manichæorum hæreſi, ſinguli Fideles, ut ab iis diſtinguerentur, qui nefariam, & impiam eſſe vini ſumptionem exiſtimabant, ſub utraque ſpecie communicabant, ſed de illis infra. Hinc non una, ſed plures ſimul cauſæ hujuſmodi mutationi occaſionem, nullo etiam Eccleſiæ univerſæ decreto præeunte, præbuerunt periculum effuſionis, prohibitio intinctionis, de qua etiam infra Eminentiſſimus Author, exempla Communionis infirmorum, & infantium, hæreſis eorum, qui alteram ſpeciem ſine altera non valere ſentiebant, paulatim Eccleſiæ Paſtores induxerunt ad unius ſpeciei Communionem Laicis impertiendam. Quibuſdam tamen adhuc ex ſpeciali privilegio conceſſa eſt (inquit Mabillonius Commentar. ad Ordinem Romanum pag. LXIII.) Communio ſub utraque ſpecie, ut Imperatori, & Francorum Regibus in ſolemni eorum coronatione, Diacono, & Subdiacono Eccleſiæ Sancti Dionyſii prope Pariſios in Dominicis, & diebus ſolemnibus, ac Miniſtris Altaris apud Cluniacum in ſingulis Dominicis, & feſtis, quæ prærogativa a Concilio Tridentino probata apud ipſum dicitur. Ut ut ſit, horum ſingulare Privilegium pro reliquis omnibus exceptis legem firmat.

Supereſt hoc loci dictam Card. noſtri propoſitionem ſupra expreſſam, a pleriſque hodierni temporis Eruditis exagitatam, clarius exponere, & ad proprium ſuum ſenſum deducere, quod ſcilicet *ſemper*, *& ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſeculum XII. ſub ſpecie Panis, & Vini communicarunt Fideles, cœpitque, &c.* Huic ſententiæ adhæſerat Natalis Alexander eximius ævi noſtri Theologus Hiſt. Eccl. ſec. 4. cap. 6. art. 12., ſed quoniam in prima Pariſienſi dicti Operis editione pag. 500. eamdem expurgandam, ſeu adnotandam cenſuerunt Religioſi Librorum Examinatores Romani, ipſeque Sorbonicus Doctor in poſteriori impreſſione non aliud in ſui excuſationem proferat dicens, quod *nemo veteris diſciplinæ peritus id ignoret, cum idipſum ſcribat pius, & eruditus Card. Bona*, cujus hac de re integrum textum affert, operæ pretium eſt in illa aſſertione interpretanda nonnihil immorari. Et primo illas adverbiales voculas *ſemper*, *& ubique* non ita ſtricto ſenſu accipiendas eſſe, ut prorſus excludere videantur, adeoque expreſſe affirmare, ſcilicet in nullo unquam caſu ſub una tantum ſpecie Fidelibus adminiſtratam fuiſſe Euchariſticam Communionem, plane conſtat, tum ex iis, quæ paulo ante profert doctiſſimus Scriptor, quem profecto ſibimet in eodem contextu contradici haudquaquam aſſerendum erit; tum ex communione Abſtemiorum, infirmorum, aliorumque, qui ad Eccleſiam accedere non poterant, quibus & ſimilibus extra Sacrificium, aut extra Eccleſiam communicantibus communio ſub una ſpecie in uſu fuit, idem ut hoc capite oſtendit Eminentiſſimus Author dicens, quod communio ſub una tantum ſpecie nunquam vetita, immo multoties uſitata fuerit a primis Eccleſiæ ſeculis, & deinceps, quod item ſupra pleriſque locis id probat.

Verba Card. Bona circa hanc materiam in ſuo ſenſu, & ſano modo interpretanda.

Sunt itaque verba illa ſic intelligenda, vel de communione tantum publica, ſeu ſolemni, cum nempe Fideles in diebus Dominicis, & Feſtis Miſſarum celebrationi aſſiſtentes offerebant, ac de oblatis participabant, ut idem hoc loco candidus noſter Purpuratus cum cæteris Eruditis affirmat, idque paſſim, ut pluriſimum, & ordinarie, ac fere in omnibus Eccleſiis uſitatum fuiſſe, vel quod etiam prioribus duodecim Eccleſiæ ſeculis, quando Fidelibus utraque Euchariſtiæ ſpecies diſpenſabatur, in ipſa pariter publica, & ſolemni communione liberum fuerit quibuſcumque Fidelibus unicam, ſive utramque ſpeciem ſumere. Ut ut ſit, ſi ita permiſſum olim fuit unicui-

unicuique inter ipſa Miſſarum ſolemnia ſub una tantum ſpecie communicare, aut duas accipere, quemadmodum id late oſtendere nititur Clariſs. Pater Conſtantinus Roncaglia Congreg. Matris Dei Animadverſ. in Natalis Alexandri Hiſt. Eccl. ſec. 4. cap. 6. art. 12. Tom. 4. edit. Lucenſis pag. 532. Cum porro eo tempore, ſcilicet ante Concilium Conſtantienſe nulla lex adhuc aliqua peculiari canonica ſanctione firmata fuerit, communicandi nempe Fideles ſub ſola panis ſpecie; adeoque ſic ſtante tunc hujuſmodi libertate, unicuique Euchariſtiam ſumendi ad arbitrium, & propriæ devotionis placitum, ſi unus in publicis Miſſarum conventibus communicabat ſub dicta tantum panis ſpecie, poterat profecto & alius ibidem, vel ex ſimplici credulitate præoccupatæ, ſeu præjudicatæ opinionis percipiendi majoris gratiæ fructus, vel ex apprehenſo motivo, aut prætextu obſervandæ antiquioris conſuetudinis, utramque ſpeciem ſumere, cum, ut dictum eſt, omnibus, & ſingulis etiam laicis, & mulieribus, libertas ad utrumque fuerit, ſive ſub una, ſive ſub duplici ſimul ſpecie communicandi. Quare his prælibatis, ac ſalva, uti par eſt, debita dictis Religioſis Cenſoribus reverentia, ac ſubmiſſione, non putaverim ullo theta notandum Cardinalem noſtrum hac in facti materia, ac veteris diſciplinæ uſu, dum ſcripſit: *Semper, & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſeculum XII. ſub ſpecie panis, & vini communicarunt Fideles, &c.* Cæterum plerique ante Cardin. noſtrum inſignes ſuperioris ævi Theologi negare non auſi ſunt, quin ab Eccleſiæ primordiis ad ſeculum uſque duodecimum Laici paſſim ſub duplici ſpecie communicaverint. Fatetur Bellarminus Cardin. Controverſiarum Tom. III. Lib. IV. de Euch. cap. 24. ubi ait: *miniſtraſſe ſub duplici ſpecie veterem Eccleſiam, quando Chriſtiani erant pauci.* Ruardus Tapperus Tom. 2. pag. 328. id obſervatum ſubdit *longiſſima conſuetudine*. Lindanus Ruremondenſis Epiſc. Panopliæ lib. 4. cap. 56. hoc idem aperte fatetur dicens: *Utraque ſpecie paſſim per Occidentem communicabatur, diu poſtea in annum uſque milleſimum ducenteſimum.* Recentiores denique non ſolum id ingenue affirmant, verum etiam demonſtrant, præ cæteris ſupra laudatus Joannes Mabillonius, atque infra laudandus Jac. Benignus Boſſuet in lib. de Comm. ſub utraque ſpecie. Guill. Eſtius Diſt. XII. §. 7. Gaſp. Ivenin de Euchar. quæſt. 8. cap. 4. art. 2. memoratus Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. lib. 2. cap. 5. art. 5. aliique permulti, ne omnes referam.

(3) *Quia Communio ſub utraque ſpecie nec divinitus inſtituta, &c.* Quoad celebrem hanc Dogmaticam Controverſiam noviſſimis hiſce temporibus Catholicos inter, & Hæreticos acerrime diſputatam, utrum nempe neceſſarium ſit, vel ſaltem expediat, ut Laici ſub utraque ſpecie communicent? cum hæc res jam in duobus plenariis Conciliis Conſtantienſi, & Tridentino definita ſit, non eſt quid amplius diſquiratur. Veruntamen cum adverſus noſtrates Catholicos Hæretici non ceſſent novis cavillationibus inſurgere, ac præcipue in Cardinalem noſtrum recens Londinenſis Scriptor Binghamus, eidem pro tuendæ veritatis dogmate, ac juſtis Bonæ vindiciis mox in nota ſequenti reſpondentes nonnulla dicemus.

(4) *Abſtinendum eſſe ſacrilego errore dicebant.*) De Communione ſub utraque ſpecie edidit libellum Jacobus Ben. Boſſuet Epiſcopus Meldenſis, in quo luculentiſſime probat contra Proteſtantes neceſſariam nunquam habitam fuiſſe communionem ſub utraque ſpecie. His tamen non obſtantibus contra Eminentiſſimum noſtrum, & Eccleſiæ Catholicæ dogma ab ipſo propugnatum ſequentia opponit heterodoxus Author Joſeph Binghamus Orig. Eccl. lib. 5. cap. 5. §. 1. pag. 434. dicens „ verum „ enim vero ne cauſam Eccleſiæ ſuæ, ut omnino „ deſperatam deſerere videatur Bona, mutatio- „ nem a Concilio Conſtantienſi factam, & a „ Concilio Tridentino confirmatam, cum nulla „ divina lege pugnare dictitat; communionem „ enim ſub utraque ſpecie, nec divinitus in- „ ſtitutam fuiſſe, nec unquam antiquos Patres „ eam ad ſalutem neceſſariam eſſe docuiſſe. „ Miraberis, Lector, credo, videns hominem „ eruditum ita fatuari. Quæ enim verba Di- „ vinam inſtitutionem exprimere valent, ſi „ hæc Servatoris noſtri verba non valent: „ *Bibite ex eo omnes*? aut quo pacto Patres „ non crediderunt communionem ſub utra- „ que ſpecie eſſe neceſſariam, qui eam adeo „ pueris neceſſariam eſſe docuerunt, & re- „ vera illis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam „ dederunt, ſi recipere eam poſſent, quem- „ admodum antea audivimus? Sed male cum „ habent, quod quidam de ipſis eorum Pon- „ tificibus hanc myſterii diviſionem grande „ ſacrilegium vocarunt. Gelaſius queribunda „ voce ait: Comperimus, &c., uti ſupra „ apud eumdem Card. Leo Magnus contra „ eos in eumdem modum declamat: *Ore in- „ digno, &c.* frivolum eſt hic dicere cum „ Bona adverſus Manichæos promulgatas eſſe „ has Leges, qui vinum fel principis tene- „ brarum, & a Diabolo creatum eſſe cre- „ diderint, adeoque ejus hauſtum reſpuen- „ tes Divina Myſteria mutilarint, ſeque „ grandi ſacrilegio obſtrinxerint, nam iſto- „ rum Pontificum rationes generatim ſuper- „ ſtitioni cuicumque oppoſitæ ſunt, ex eorum „ opinione Sacramentum ſine grandi ſacrile- „ gio, & violatione primæ inſtitutionis divi- „ di non poteſt. Id, quod Bona ex alio etiam „ decreto diſcere potuiſſet, quod in Lege „ ipſorum canonica ſub Julii Pontiſ. Max. „ nomine recitatur (Epiſt. ad Epiſc. Ægypti „ apud Gratianum de conſecratione diſt. 2. „ cap. 7.) *Audivimus*, inquit ille, *quoſdam „ ſchiſmatica ambitione detentos contra Divinos „ Ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones lac pro „ vino in Divinis Sacrificiis dedicare, alios „ quoque intinctam Euchariſtiam populis pro „ complemento communionis porrigere; quod quam „ ſit Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ ad- „ verſum, non difficile ab ipſo fonte veritatis „ probabitur, a quo ordinata ipſa Sacramento- „ rum Myſteria proceſſerunt.* Nonne hæc ver- „ ba manifeſto produnt communicare ſub „ utraque ſpecie, diſtincte fieri ſecundum

Refertur Binghami oppoſitio adv. Card. Bona.

leges

„ leges Chriſti, ipſi uſque regulæ, & doctrinæ non minus, quam exemplo eſſe conſentaneum? Qua igitur fronte Bona poterat communionem ſub utraque ſpecie nec divinitus inſtitutam eſſe, nec unquam antiquos Patres eam ad ſalutem neceſſariam eſſe docuiſſe? Quando adeo ex ipſis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus aliqui communionem diſtincte ſub utraque ſpecie adminiſtratam, Divinum ordinem, diviſionem autem Myſterii grande ſacrilegium eſſe, diſertis, & perſpicuis verbis profitentur. Et veteres ex hoc ipſo principio, quod ſit lex Chriſti ſemper in utraque ſpecie, adminiſtrarunt, quidquid Bona, ejuſque Aſſeclæ in contrarium obganniant; ita Hæreticus Scriptor, qui varia ſubinde male conſarcinata contra eumdem, & Bellarminum, immo contra Eccleſiæ Romanæ Catholicum Dogma congerit, quibus fruſtra oſtendere tentat, communionem ſemper ab initio Eccleſiæ ſub utraque ſpecie, non ſub una miniſtratam fuiſſe.

Audivimus hucuſque ſatis Binghami deliria; Reſpondendum nunc eſt ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur, uti omnium ſapientiſſimus docet Proverb. cap. 26. 5. Siccine igitur, Binghame, tam temerario auſu proterve dices optimum Cardinalem Bona, virum Chriſtiano Literatorum Orbi ſua eruditione, veraque pietate clariſſimum, quem etiam plerique ex gregalibus tuis condignis laudibus non dedignantur efferre; dices, inquam, fatuari? Nec te pudet ſubdere hæc ſcribens: Qua igitur fronte Bona poterat Communionem ſub utraque ſpecie nec divinitus inſtitutam eſſe, nec unquam antiquos Patres eam ad ſalutem neceſſariam eſſe docuiſſe? At tu profecto dementiris, & inſanus es, Binghame, dum eorumdem veterum Patrum doctrinam, & praxim totius Chriſtiani Orbis conſenſu, atque inconcuſſo Catholicæ Fidei firmamento ſtabilitam, ut paulo ante variis exemplis de Communione ſub una tantum ſpecie unquam vetita, immo a primis Eccleſiæ ſeculis, & deinceps multoties uſitata oſtenſum eſt, a nemine propterea, cui ſcintilla rationis adſit, negatam (ut mox ſequenti paragrapho tradit ampliſſimus Scriptor) tu pervicaciter damnas, contemnis, & rides? atque cum Sectariis tuis Wicclefiſtis, aliiſque Sycophantis Novatoribus plenario Orthodoxorum ſuffragio ab Eccleſia proſcriptis, quibus jungi non erubeſcis, contra Œcumenicas Synodos, Florentinam in Inſtruct. Armenorum, Conſtantienſem, in qua aderant Epiſcopi ſupra mille, ſeſs. 13., Baſileenſem, & Tridentinam ſeſs. 21., quæ ſingulæ anathematizant eos, qui tecum dicunt *ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſtifideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere*, tu nihilominus id e contra, hæreticorum more pertinaciter aſſeris, communionem ſub utraque ſpecie ab omnibus quibuſcumque Fidelibus ex Dei præcepto, & ex neceſſitate ſalutis ſumendam eſſe. Solemnem quidem, ac paſſim in publicis ſacris Cœtibus obſervatum fuiſse primis vagientis, & dein adoloſcentis Eccleſiæ uſque ad duodecimum, & amplius ſeculis morem Communionis Fidelium ſub utraque ſpecie miniſtratæ non diffitemur; ſed utrum Divino jure, Chriſtique præcepto hæc Communio Euchariſtica ſub panis, & vini ſpeciebus unicuique plebis Fidelium ſit neceſſaria ad ſalutem, & an Communio ſub una tantum ſpecie unquam univerſim fuerit adhibita, ac nequaquam primis Eccleſiæ ſeculis publice, aut privatim aliquo modo uſitata: De hac dogmatica controverſia jam in pleriſque Conciliis canonice definita, quod nempe Euchariſtiæ Sacramentum ſub una tantum ſpecie ſingulis quibuſque Fidelibus diſtributum, iis ad vitæ æternæ ſalutem conſequendam plene ſufficiat, neque in contrarium ullo pacto, ſalva fide, dubitari poſſit. Nunc tecum, Binghame, qui eum Sectariis tuis id Orthodoxum Dogma nequiter impugnas, pro eo tuendo, ac vindicando totis viribus decertandum eſt.

Reſpondetur ad Binghami dicteria contra Cardin. Bona.

Quia vero Synodos etiam univerſales, & in eis loquentem Chriſti Eccleſiam audire detrectas, ut clare dignoſcas quantum te arguat malitia tua, & quam averſio tua ab hac catholica veritate increpet te, ſi tibi mica ſalis ineſt, Theologicis argumentis, & rationibus a ſacris paginis, & veterum praxi deductis, aliiſque documentis te ſtrictim compellabo, quibus obſiſtere haud valeas. Et primo non recte colligi utriuſque ſpeciei communionem a Domino præceptam eſſe, pluſquam meridiana luce manifeſte patet ex eo, quod qui dixit: *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem*, &c., dixit quoque: *Ego ſum Panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*. Et qui dixit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita*. Et denique qui dixit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*; dixit nihilominus: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum*. Si ergo ex primis allegatis textibus Evangelicis, Binghame, cum Sectariis tuis arguis neceſſitatem quibuſcumque Fidelibus Euchariſticæ Communionis ſub utraque ſpecie; Cur ego cum noſtratibus Theologis ex ejuſdem Divini Verbi ſecundis adductis textibus non poſſum arguere negationem talis prætenſæ neceſſitatis, & cum Eccleſia Catholica Romana vitam æternam conſtituere in ſola manducatione Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis? Cum ſcilicet Divinus Magiſter noſter, dum aliquando utrique ſpeciei panis, & vini, quandoque uni ſpeciei panis tribuit ſpiritualem vitam, & Sacramenti effectum, profecto perſpicue inſinuat ſe non magis utriuſque, quam unius ſpeciei ſumptionem præcipere, ſed id relinquere liberum, & ab Eccleſia determinandum, ut optime ſeſſ. 21. docuit Concilium Tridentinum, & ſuperius indicatum eſt.

Et vindicatur Communio extra Sacrificium ſub una tantum ſpecie omnibus ſufficiens, & neceſſaria.

Quod autem ita ſit, & de eo dubitari vel minimum ſinat, pleniſſime tum ex ipſo Chriſti

Quæ comprobatur tum ex ipſa Chriſti facto, tum ex ejus Apoſtolis.

facto poſt reſurrectionem ſuam tum ex Apoſtolorum Actis, atque ex ipſa primitivæ Eccleſiæ praxi jam tunc obſervata demonſtratur. Et quidem Chriſtus Dominus duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus Panem benedictione ſua ſanctificatum dedit, illi vero *cognoverunt in fractione panis*; uti habetur Lucæ cap. 24. Et quamvis nonnullis omnino certum haud eſſe videatur vere de Euchariſtia debere intelligi, nihilominus illum panem, quem Dominus peregrinantibus Diſcipulis ſuis ſocius factus in menſa diſtribuit, non communem, ſed Euchariſticum revera fuiſſe ſatis abunde ex plurimorum Patrum conſenſu oſtendimus ſupra Tom. 1. ad lib. 1. cap. 4. pag. 54. Hinc quidquid de hoc ſacro pane ſentiant adverſarii, id uti certiſſimum negari non poteſt, quod benedictione, ac diſtributione dicti panis duobus illis Diſcipulis facta idem Chriſtus Dominus exemplum demonſtravit, & effectum Divinæ ſuæ Communionis ſub unica ſpecie contulit; poſt hanc etenim ſtatim aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt illum in fractione panis, nec de calice ulla fit mentio; quare ſi Chriſtus non ſuſpendit, aut retardavit effectum manducationis Corporis ſui dictis Diſcipulis donec ejuſdem Sanguinem bibiſſent, quem non biberunt, cum de hoc ſileat Evangeliſta, ſed fuere Chriſto incorporati, atque ex ejus ſubſtantiæ Sacramento nutriti, ſtatim ac Corpus ejus ſub panis ſpecie ſumpſerunt, clare patet hoc facto Chriſtum Dominum oſtendiſſe ſe æque totum, ac integrum ſub una, ſive ſub utraque ſpecie contineri, id quod manifeſte ſupponit Apoſtolus ſic ad Corinthios ſcribens Epiſt. 1. cap. 11. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Hinc ſi unam, aut alteram ſpeciem ſumens indigne, utramque violare cenſetur, ac utriuſque reus eſt, profecto alterutram digne ſumens ejuſdem gratiæ ex utraque derivatæ, & item utriuſque ſumptioni adnexæ particeps erit. Hoc autem eſſe non poſſet, ſi de jure Divino Communio Euchariſtica deberet eſſe ſub utraque ſpecie.

Atque ex ipſa primitivæ Eccleſiæ praxi.

Et revera id pleniſſime comprobatur ex primitivæ Eccleſiæ praxi, quæ in primordiis ſuis licet quandoque ſub una, interdum ſub utraque ſpecie communionem fidelibus elargita ſit, ſub una tamen tantum ſpecie panis eamdem tradidiſſe expreſſe legitur in Actis Apoſtolorum cap. 2. ubi de iiſdem fidelibus dicitur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: deinde ibidem cap. 20. *Una autem Sabbatorum, cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat*; quæ loca communiter Sancti Patres intelligunt de Communione Euchariſtica ſub ſolis ſpeciebus panis primis Chriſtianis ab Apoſtolis, aliiſque Diſcipulis diſtributa: Neque ipſe refragatur Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. Cum enim his locis nulla fiat calicis mentio, perſpicue colligitur, Apoſtolos Euchariſtiam primis Chriſtianis ſub ſola panis ſpecie adminiſtraſſe. Et ſane cum plerique illorum Nazaræi eſſent, qui ex hujus profeſſionis voto obſtricti vinum, aut ſiceram non biberent, credibile admodum eſt, ideo S. Lucam dumtaxat fractionis panis meminiſſe, quod ab Euchariſtia ſub ea ſaltem ſpecie ſumenda nulli abſtinerent; unde cum S. Paulus I. ad Corinth. cap. 11. de calice loquens ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt?* Non dicit calix benedictionis, quem diſtribuimus, ſed quem benedicimus: Calicem quidem a Sacerdotibus offerentibus conſecrari debere ſignificans, non autem ſingulis fidelibus communicantibus neceſſario diſtribui. De Chriſti autem Corpore loquens, quod ſub ſpecie panis continetur, inquit: *Et panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini eſt?* Annuens Corpus Chriſti manducandum ſub ſpecie panis ſemper Chriſtianis exhiberi. Quare paulo poſt ſubdit dicens: *Quoniam unus panis unum Corpus multi ſumus, omnes qui de uno Pane participamus*. His poſitis, quibus ex ipſius Chriſti Domini facto, qui peregrinis Diſcipulis ſuum Corpus edendum ſub ſpecie panis tantum porrexit, ex Apoſtolica praxi primitivæ Eccleſiæ, & deinceps, quæ frequenter ſolam panis ſpeciem fidelibus pro Euchariſtica Communione tribuebat, eadem nunc adhibita invicte comprobatur; undenam Calixtini, ſeu Calicis Dominici tamquam omnibus non celebrantibus item ad ſalutem neceſſarii aſſertores colligere tecum poterunt, Binghame, contra nos Divinum præceptum, quo omnes indiſcriminatim fideles ſub utraque ſpecie communicare teneantur?

Ex aliis denique Theologicis argumentis.

Poſſem ad ſingula Hæreticorum objecta toties, & ſupra a Binghamo recocta reſpondere; verum cum eadem jam abunde noſtrates Theologi veteres, & recentiores undequaque diſſlaverint, inter quos nuperrime Clar. Jo. Laurentius Berti Tom. 7. de Theol. Diſcipl. lib. 33. cap. 15. ubi late & luculenter de hac dogmatica controverſia diſſerit, proinde iis refricandis ſuperſedeo, hoc unum dumtaxat addens, quod ſi Sectarii Proteſtantes, uti refert Gonetus Diſp. 9. art. 3. nu. 62. in ſuis Ordinationibus permittunt abſtemios communicare ſub ſola ſpecie panis, eccur nobis obtrudunt id non poſſe fieri ex neceſſitate ſalutis, aut quanam doctrinæ cohærentia adſtruunt Communionem Euchariſticam ſub utraque ſpecie omnibus ſumendam eſſe de Jure Divino, ſive ex Chriſti præcepto, in quo non poſſit ab Eccleſia diſpenſari? Claudam denique hanc diſputationem Theologico iſto ratiocinio, quo certe adverſariorum quiſque, cui ſanum ſinciput ſit, ad Catholice nobiſcum ſentiendum movebitur; & quidem, re cum facti ratione perpenſa, fieri non poteſt, ut ſublata calicis communione, ſuppoſita & credita tamquam ad ſalutem penitus neceſſaria, fideles omnes acquieſcant, nec inſtent, ut ſibi quamprimum reſtituatur. Quis enim audeat aſſerere ſingulos, ignaros, doctos, Laicos, Eccleſiaſticos viros in tantam cæcitatem, in tantum propriæ ſalutis contemptum devenire poſſe, ut præcepti divini oblivionem, atque neglectum propria, aliorumque pernicie patiantur irrepere? Quis niſi mente captus hoc dicet? At decurſu ſæ-

culi

culi XIV., priuſquam Petrus Dreſdenſis, & Jacobellus Miſoenſis, quibus adhæſit Joannes Hus, totamque Bohemorum Natiooem in partes traxerint, ac primi hunc errorem diſſeminarent, utriuſque ſcilicet ſpeciei communionem omnibus quibuſcumque neceſſariam eſſe pertinaciter affirmantes, vigebat in tota Occidentali Eccleſia uſus unius tantum ſpeciei, & panis frequentiſſime: nullus Laicorum alteram flagitabat, oullus Sacerdotum calicem porrigebat, oullus Theologorum hunc neceſſarium eſſe propugnabat; immo, cum adhuc obtineret communio iotincta, & fideles ſumebant utramque ſpeciem, perſuaſum erat unicuique ex Catholicis unam ſpeciem ſufficere, ut pleoe conſtat ex teſtimoniis ſupra adductis Rodulphi Abbatis S. Trudonis, qui vivebat anno 1110., & Guillelmi Epiſc. Catalaunenſis, qui obiit anno 1120. aliiſque illius ævi Scriptoribus. Nulla eſt jactata a dictis Novatoribus communioois ſub utraque ſpecie neceſſitas; oulla, ac futilis Binghami in Card. noſtrum cenſura.

§. II.

Quando, & qua occaſione fieri deſierit ſub utraque ſpecie.

Alia indicantur veterum exempla communionis ſub unica ſpecie etiam in Eccleſia Orientali.

SIc prima aſſertionis parte luculenter comprobata, ad alteram tranſeundum eſt, quæ veterum Patrum doctrina & praxi, totiuſque Chriſtiani orbis conſenſu, atque inconcuſſo Catholicæ fidei firmamento ſtabilita, a nemine, cui ſcintilla rationis adſit, negari poterit. Quid enim clarius & frequentius in veteri hiſtoria, quam communio ſub una ſpecie? Hanc evincunt exempla ſuperius allata de Euchariſtia domi aſſervata, ad abſentes tranſmiſſa, atque in longis itineribus ac navigationibus a fidelibus delata, utique in ſola ſpecie panis, cum ferret occaſio, ſumenda. Nec aliter communicabant Anachoretæ in vaſtis ſolitudinibus, quam particulis, quas ſecum ferebant, cum in ſolemnioribus feſtis ad Eccleſiam conveniebant; vel ad eos mittebant aut portabant Sacerdotes. Vinum ſiquidem diu conſervatum aceſcit, & corrumpitur, nec poteſt ſine periculo effuſionis longe portari. *S.* Virgo Theoctiſte Leſbia, cum XXXV. annis in inſula Paro ſolitaria vixiſſet, inventa a viro ſæculari & venatore rogavit eum ut anno ſequenti unum ex intemeratis donis Corporis Chriſti ad illam afferret, quod ille attulit, eoque accepto migravit ad cœlum, ut narrat Metaphraſtes apud Surium die X. Novembris. Lucas junior Monachus, cujus vitæ excerpta edidit Franc. Combefis *Tom. 2. Auct. Biblioth. Patrum*, cum a Corinthi Archiepiſcopo quæſiviſſet, quomodo ſolitarii horrenda myſteria percipere poſſent, apud quos nec Synaxis erat, nec Sacerdos. Reſpondit ille, decere Sacerdotem adeſſe, quod ſi non adſit, conſervandas ſacras particulas, ſumptoque Chriſti Corpore loco ſacri laticis vini poculum bibendum, vini ſcilicet non conſecrati, qui Sanguinis locum ſuppleret: idque ex more, qui tunc apud ſolitarios vigebat. Semper etiam fuerunt homines vel ex nativitate, vel ob infirmitatem abſtemii, qui nec quidem odorem vini ferre poſſunt. Acceſſit & converſio gentium Aquilonarium, apud quas nec vinum naſcebatur, nec facile ferri poterat. Hos autem vel privare debemus divinæ menſæ participatione, vel dicendum ſola panis ſpecie communicaſſe. Legimus enim in quibuſdam regionibus vix repertum a fidelibus per eas iter agentibus vinum pro Sacerdote celebrante. Græci ſub una ſpecie communicant toto tempore Quadrageſimæ, quo Præſanctificatis utuntur, exceptis Sabbatis, & Dominicis. Aliis diebus quamvis doceant faciendam communionem ſub utraque ſpecie, factam tamen ſub una non damnant. Nec unquam legimus aut Græcos a Latinis ob duplicem ſpeciem, aut latinos a græcis ob unicam reprehenſos fuiſſe: nec ipſi Græci, qui poſt Schiſma nullam occaſionem prætermiſerunt vexandi Latinos, hoc diſſimulaſſent, ſi utramque ſpeciem ex præcepto Chriſti neceſſario ſumendam crediſſent. Imo

ipſi

ipſi ægrotis, & moribundis ſub una tantum præbent: nam ſingulis annis feria V. majoris hebdomadæ panem recentem ſolito majorem præparant, & conſecrant, cujus quartam partem Sacerdos abſumit, tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas *Meridas*, & communiori vocabulo *Margaritas* vocant. Sed antea conſecratum panem Chriſti Sanguine leviter humectant, tum ſacro diſco ignem ſubjicientes cunctum humorem exprimunt, & ſic adeo indureſcit, ut per totum annum a corruptione immunis ſervari poſſit (1). A pane vero ea ratione exſiccato modicum illud vinum, quo imbutus fuerat, omnino evaneſcit, & conſequenter remanet ſub ſola ſpecie panis Corpus Chriſti, quod ad ægrotum, cum opus eſt, deferentes, prius extrahunt e pyxide margaritam unam, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emolleſcant; eaque ſic perfuſa illum communicant. Agit de hoc ritu Græcorum docte & diffuſe Leo Allatius *Epiſt. 2. ad Nihuſium in ſuis Symmictis lib. 1.* Infantibus vero dant Græci more antiquo Euchariſtiam ſub ſola ſpecie vini, cochlear Sanguine intinctum ori ipſorum inſerentes ut lambant, quibus poſtea matres, vel nutrices a ſanctuario recedentes ubera præbent, ut ſanguinem ſimul cum lacte deglutiant, ut idem Allatius aſſerit in annotationibus de communione Orientalium additis ad Tract. de conſenſione utriuſque Eccleſiæ. Extat ibidem teſtimonium Abrahami Ecchellenſis Maronitæ, aſſerentis non ſolum Maronitas, ſed & reliquas nationes Orientales ſub unica panis ſpecie communionem præbere ægrotis, paſtoribus, ruſticis, & aliis, qui Eccleſiam adire non poſſunt, ad quos calicem deferre nec ſolent, nec tutum eſſet propter infideles, quorum dominio ſubſunt, & propter locorum diſtantiam, cum quatuor vel ſex vici Chriſtianorum longo itinere inter ſe diſſiti ſæpe unicam habeant Eccleſiam; ad quam omnes confluere nequeunt, & unicum Sacerdotem, qui ad abſentes ſolum panem Euchariſticum defert. Addit Gabriel Sionita *Epiſt. ad Nihuſium in ſymmictis Allatii*, eoſdem Maronitas & reliquos Orientales infantibus ſacro fonte nuper ablutis cochlear ſolo ſanguine delibutum ſugendum exhibere: iter quoque longum ingreſſuris & profecturis ad bellum ſacrum donum ſub una ſpecie panis ſecum ferendum concedi, ut ipſum ſumant vitæ diſcrimine imminente. Quod vero ſubjungit, duobus hiſce caſibus exceptis, cæteros omnes cujuſvis ætatis, & conditionis ſub utraque ſpecie communicare, id Sacerdotes Maronitæ in Urbe degentes a me conſulti de his intelligendum teſtantur, qui intra Eccleſiam communicant. Liber enim conſtitutionum Eccleſiæ Orientalis, quem citat Abraham Ecchellen. Epiſt. ad Nihuſium, poſtquam decrevit *cap. 3. ſect. 3.* non licere Sacerdoti præbere corpus ſine ſanguine, ſtatim ſubdit: *Exceptis ægrotis, & qui longe diſtant ab Eccleſia, & qui impedientibus ſunt diſtracti negotiis, ut ſunt paſtores & agricolæ, qui incolunt villas, nec habent Eccleſias, nec Eccleſiam remotam adire poſſunt: ſimiliter quoque mulieres, præſertim cum timetur, ne hinc accidat eis ignominia aliqua propter itineris diſtantiam: deferre autem ad hos calicem periculoſum eſt valde, ideoque corpus ſine ſanguine detur illis.* Simili modo apud Abaſſinos viaticum moribundis præberi ſub unica ſpecie panis Lucas Holſtenius ad Nihuſium ſcribit ex certa & fida Sacerdotis Abaſſini relatione: idque mihi ſciſcitanti duo ejus nationis Monachi viri graves, & ſenio venerabiles, quos per interpretem allocutus ſum, confirmarunt (2). Ipſe Chriſtus duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus ſub ſola ſpecie panis corpus ſuum præbuit, ut aſſerit Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. ubi explicans verba illa, *Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent*, ait: *Non incongruenter acci-*

Et quidem omnes fere Orientis Nationes ſub unica panis ſpecie eos, qui Eccleſiam adire non poſſunt, communicant.

(1)

(2)

accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a ſathana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Jeſus: ſed tamen a Chriſto facta eſt permiſſio uſque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci. Patet autem calicem a Domino conſecratum non fuiſſe, quia cum illis porrexiſſet panem, illico evanuit. Non nego aliquando ſimul cum Corpore (3) Chriſti Sanguinem quoque extra Eccleſiam delatum, in vita enim S. Mariæ Aegyptiacæ a Sophronio conſcripta legimus, quod cum in vaſta eremo annis XLVII. vitam rigidiſſimam egiſſet, ab Abbate Zozima Dei nutu reperta, ſibique mortem imminere cognoſcens, rogavit illum, ut reverſus in Monaſterium, divini Corporis & vivifici Sanguinis portionem in vaſo ſacro ſibi afferret, quia nunquam communicaverat, ex quo deſertum ingreſſa fuerat. Ille vero ſtatuto tempore mittens in modico calice intemerati Corporis, & pretioſi Sanguinis portionem ad eam attulit, quæ ſuſceptis ſacris myſteriis in pace quievit. Sed hoc exemplum, & alia ſimilia, ſi quæ adſunt, utramque ſpeciem neceſſario ſumendam eſſe non evincunt, & contraria totius Eccleſiæ praxi obruuntur. Ideo Synodus Tridentina a Spiritu Sancto edocta, ac ipſius Eccleſiæ judicium ac conſuetudinem ſequuta, declaravit & docuit Laicos & Clericos non conficientes, nullo divino præcepto obligari ad ſumendam Euchariſtiam ſub utraque ſpecie: deinde perpetuo fuiſſe in Eccleſia poteſtatem in adminiſtratione Sacramentorum ea mutandi & ſtatuendi, quæ ſuſcipientium utilitati, & illorum venerationi, ſalva manente ſubſtantia, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Quare gravibus, ac juſtis cauſis adducta veterem conſuetudinem ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, quæ jam fere deſierat, altera commutavit ſub una duntaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit. Quamvis autem ipſum Concilium (in fine ſeſſ. 22.) Summi Pontificis prudentiæ diſcutiendum reliquerit, an communio ſub utraque ſpecie alicui regno vel nationi permittenda quandoque foret, docuit tamen experientia rerum magiſtra id nec utile Reip. Chriſtianæ, nec ſalutare petentibus eſſe. Conſtat ex Actis conſiſtorialibus Pium IV. anno 1564. ſacro cœtui Cardinalium ſæpius repetitas Ferdinandi Imperatoris preces retuliſſe, quibus Germanicæ nationi uſum calicis concedi poſtulabat. Id ni fieret, brevi futurum ut graſſantem in illis Provinciis hæreſim omnes amplecterentur: hunc vero uſum unicum tanto malo remedium eſſe. Qua ſpe motus optimus Pontifex, Epiſcopis Germaniæ facultatem dedit deputandi Sacerdotes, qui ſervatis quibuſdam conditionibus, Fidelibus Laicis communionem ſub utraque ſpecie præberent. Verum nec fructus inde provenit, qui ſperabatur, nec petentium ſaluti, aut deviorum reductioni id profuit: imo ſtatim irrepſerunt abuſus, adeo ut Pius V. anno vix elapſo coactus fuerit quicquid de hac re Pius IV. permiſerat revocare, præcipiens ſub pœna excommunicationis, ut decretum de communione ſub una ſpecie ab omnibus inviolabiliter ſervaretur (4).

(3)

(4)

Nonnulla Orientalium placita de Communione aſſervata.

(1) *Ut per totum annum a corruptione immunis ſervari poſſit &c.*) Cum idem mos apud Syros nonnullos obſervaretur, cenſura notatus eſt a Jacobo Edeſſeno, qui exeunte ſeptimo ſæculo claruit: *Reprehenſione digni ſunt*, inquit ille apud eruditiſſimum Aſſemanum Tom. 4. Biblioth. Orient. pag. 243. *Qui poſcunt oblationem feriæ quintæ myſteriorum, & Sabbathi, Annunciationis oblationibus cæterorum dierum eam præferentes. Quoniam tam eorum, quam reliquorum dierum oblationes pares ſunt, nec altera eſt altera præſtantior, aut inferior. Quamobrem non decet eas in annum conſervari.* Neſtoriani etiam ſæculo decimo Græcis vitio vertebant, quod Euchariſtiam tamdiu ſervarent, donec putreſceret, & vermibus conſumeretur apud eumdem Aſſemanum loc. cit.. Itaque abhorrent ab hac diſciplina Syri, & Neſtoriani, ut erudite obſervatum Renaudotio in Hiſtoria Patriarch. Alexandr. pag. 429. Quod autem Græci tamdiu Sacramentum ſervare dicantur, donec corruptioni ſubjaceat, ca-

calumnia Neſtorianorum eſt, ex eo orta, quod Græci per integrum annum reſervent Euchariſtiam, quod tamen fit abſque periculo corruptionis, ut docet Allatius Epiſtola hic ab Eminentiſſimo Scriptore citata. Idem crimen Ruthenis objiciunt Joannes Sacranus Cracovienſis Eccleſiæ Canonicus in Elucidatorio errorum Ritus Ruthenici, & Joannes Laſchus Archiepiſcopus Gneſnenſis in Oratione habita in Concilio Lateranenſi V. & relata ab Odorico Rainaldo Baronii Continuatore ad an. 1514. num. 68. *Sacramentum Euchariſtiæ*, inquiunt, *quod die Cœnæ ſacræ conſecrant, illud ſolum dicunt pro infirmis procurandis valere, & non aliud, quod diebus aliis conſecratur; & tale ad anni decurſum conſervant in calice præparato, quod vermiculoſum, & tabidum infirmiori imprimunt cochleari*: Hæc tamen plenam fidem apud nos impetrare non merentur, cum multa Scriptores illi Ruthenis opponant, quæ falſa eſſe non dubitant Authores alii Ruthenorum rituum peritiſſimi. Refert hanc Moſcovitarum conſuetudinem Alexander Guagninus Veronenſis peditum in arce Virebella finitima Moſcoviæ Præfectus in Deſcriptione Moſcoviæ cap. 2. nunquam vero affirmat Euchariſtiam ſic aſſervatam corrumpi. Certum nihilominus eſt Græcorum morem repoſitam per annum integrum ſervandi Euchariſtiam ad viaticum infirmorum fuiſſe ab Innocentio IV. reprehenſum an. 1254. in litteris ad Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicæ Sedis in Cypro legatum his verbis: *Euchariſtiam in die Cœnæ Domini conſecratam uſque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent*. Fallitur Martene, dum lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. 5. art. 3. Innocentii IV. Epiſtolam ad quemdam Inſulæ Cypri Epiſcopum datam ſcribit. Clemens etiam Octavus in Inſtructione pro Epiſcopis Latinis, in quorum Diœceſibus Græci, vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt, Græcorum conſuetudinem improbavit: *Non aſſervetur*, inquit, *idem Sacramentum toto anno, ſi tamen aſſervatum fuerit, ſaltem in fine anni ſumatur*. Deinde præcipit, ut tollatur abuſus *tundendi, vel etiam miſcendi ſacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies Sacramenti Sacræ Euchariſtiæ feriæ V. Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſervent*. Neuter horum Pontificum Græcis periculum corruptionis objecit, ſed quamdam potius irreverentiam, quæ ab hoc ritu ſejungi non poſſe videtur.

(2) *Venerabiles, quos per interpretem allocutus ſum, confirmarunt*.) Suſpecta eſt Samueli Baſnagio Annal. Politico-Eccl. ad an. Dom. 209. num. 7. horum fides Monachorum, quos per interpretem allocutus eſt Bona Cardinalis, negatque apud Abaſſinos Euchariſtiam pro ægrotantium communione ſervari: Æthyopibus, inquit, non probatur mos ille recondendi Euchariſtiam, quæ moribundis ſit Viatico, teſte Zagazabo: Sacramentum Euchariſtiæ non ſervatur apud nos in Templis, ut fit hic apud Europæos. Nec ægroti Corpus Dominicum accipiunt, niſi dum convaluerint. Id fit, quoniam omnes tam Laici, quam Clerici conſueverunt illud ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere, Templum accedunt. Itaque non adducere in ſuſpicionem non poſſumus, quæ prædicant Abaſſini Monachi, quos Cardinalis Bona per interpretem allocutus eſt, nempe Viaticum moribundis Æthyopibus ſub ſola ſpecie panis fuiſſe miniſtratum, aut ſi vera dixerunt, id eos attinet, qui Romanam Religionem ſuſcepere. Jobus etiam Lodulphus de Æthyopibus lib. 3. Hiſt. Æthyop. cap. 6. num. 80. aſſerit, quod panem ſuum ſacrificalem, quem *Corban* vocant, quotidie recentem pinſunt, miramurque Latinos eum in craſtinum aſſervare, & num. 83. extra Ædem ſacram, in privatas domos myſteria ferre ſummum nefas putant, atque id neque Rex, neque Metropolita ſibi arrogarent; Hæc Lodulphus, quæ referens Daniel Papebrochius his argumentis infringit Tom. 5. Sanctorum Junii pag. 72. Sed hoc ſuperſtitioſe potius, quam religioſe cum aliis omnibus Orientis Eccleſiis . . . . . . in more olim fuerit, domum ſuam ferre: atque etiam nunc ſit uſitatum eamdem ſervare in Eccleſiis ad uſum infirmorum, quotieſcumque neceſſitas ad eam requiſierit. Et fortaſſe quoad prius punctum, aliud non intenditur in Habaſſia ſcilicet non adhiberi panem ad Sacrificium, niſi ipſo die coctum; conſecratum autem æque ac apud nos ſervari; Nam (ut de infirmis nihil dicam) infantibus eum ſolent cum Baptiſmo conferre. Quis autem credat nullos Baptizari, niſi tempore Miſſæ? Ego nihil definio, ſed ulteriori diſquiſitioni libens relinquo res tam procul poſitas. Hæc notiſſimus Papebrochius.

Reſpondetur Baſnagii cenſuræ in Card. Bona quoad Æthyopum, ſeu Abaſſinorum communionem.

(3) *Non nego aliquando ſimul cum Corpore Chriſti Sanguinem quoque extra Eccleſiam delatum*.) Nihil verbis Juſtini diſertius ad morem hunc confirmandum occurrit: *Qui apud nos vocantur Diaconi, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt*. Exuperius Epiſcopus Toloſanus, teſte Hieronymo Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem: *Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portabat in vitro*, Gregorii Nazianzeni, qui narrat Gorgoniam ſororem ſuam orat. in ejus funere intempeſta nocte ad Altare acceſſiſſe, & lacrymis, quibus, ut pharmaco corpus inungebat, admiſcuiſſe, ſi quid uſpiam antityporum pretioſi Corporis, & Sanguinis munus recondiderat.

(4) *Ab omnibus inviolabiliter ſervaretur*.) De hujuſmodi communione ſub unica ſpecie, qui plura velit, adeat Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. ſeculo 15. & 16. Diſſert. 12. art. 11. item Theol. Mor. Dogm. lib. 2. cap. 5. art. 5., & Hiacynthum Amat. de Graveſon. Hiſt. Eccl. Tom. 6. Col. 6. pag. 185. edit. Venet. D. Joſephum Cacheranum Theol. Aſſertivæ Tract. 9. lib. 2. cap. 1. §. 6., cui addo ejuſdem Religionis Cleric. Regul. D. Gregorium Roſſignolum de Euchariſtia ut Sacrif. & Sacram. quæſt. 8. art. 4., alioſque plures, quos recenſere non vacat.

§. III.

§. III.

Græcorum ritus in paranda Euchariſtia, quam pro Infirmis conſervant. Mos eorum diſcutitur Corpus Domini Sanguine intinctum communicantibus porrigendi. Viguit aliquando idem uſus in Occidente. Horribile exemplum damnationis Hæreticorum calamo intincto in Sanguine Chriſti.

GRæci hodie tradita ſibi ante aliquot ſecula a majoribus ſuis conſuetudine ſub utraque ſpecie, non ſeorſum, ſed ſimul mixta, populum communicant. Sacras enim particulas Sanguine perfuſas Sacerdos diſtribuit, ſingulis ſingulas præbens parvo cochleari, cujus tenue & oblongum manubrium (1) eſt in parvam crucem deſinens, quas ſinguli ore (1)
excipiunt. Suſpicatur Arcudius *lib.* 3. *cap.* 53. hanc communionem originem traxiſſe ex facto mulieris Macedonianæ ſupra commemoratæ, quæ, celebrante Chryſoſtomo, ſe catholicam ſimulans de manu ejus Euchariſtiam ſuſcepit, quam ancillæ occulte dedit, & alium panem ab eadem acceptum ori impoſuit, qui in lapidem verſus eſt. Sed nuſquam lego hoc factum occaſionem dediſſe veterem ritum immutandi, & ex ſcriptis Chryſoſtomi conſtat Diaconum ſanguinem diſtribuiſſe; quo munere fungi deſiit, cum Panis ſacer ſanguine tinctus cochleari præberi cœpit. Potius crediderim non tam fraudis evitandæ gratia, quam ob periculum effuſionis hunc uſum introductum, ut ſacra myſteria ſimul mixta populo diſpenſarentur. Humbertus Sylvæ candidæ Epiſcopus in libro adverſus calumnias Græcorum hunc ritum inſectatur, ſed acrius fortaſſis quam oportuit, totius enim Orientalis Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum, qui eoſdem ritus uſu approbarunt, auctoritatem revereri par eſt. Idem mos intinctum panem porrigendi viguit etiam in Eccleſia Latina: nam Ivo Carnoten. *P.* 2. *cap.* 11. & 85., & Gratianus *de conſecr. diſt.* 2. *c. Cum omne crimen*, afferunt decretum Julii I. vetantis communionem intinctam, quod iiſdem verbis extat in Concilio Bracarenſi III. habito anno 675. c. 1. ubi cum inter abuſus, qui irrepſerant, & hunc enumeraſſet, quod quidam intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigerent, id vetat deinceps fieri, quia hoc non recipit prolatum ex Evangelio teſtimonium, ubi ſeorſum Panis, ſeorſum Calicis commendatio memoratur. Micrologus item cap. 19. *Non eſt*, inquit, *authenticum, quod quidam Corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt, nam Ordo Romanus contradicit.*

Olim aliquando obtinuit uſus Communionis intinctæ etiam in Eccleſia Occidentali.

Exceptus eſt caſus neceſſitatis, & cautelæ in Canone Concilii Claromontani ſub Urbano II., quem refert Baronius Tom. XI. ex ſchedis Antonii Auguſtini. At vero Paſchalis II. etiam caſum neceſſitatis excluſit epiſt. 32. ad Pontium Abbatem Cluniacenſem, præcipiens, ut parvuli, & infirmi, qui Panem abſorbere non poſſunt, in ſolo Sanguine communicent, hoc decentius exiſtimans, quam intinctam Communionem permittere. Alicubi tamen invaluit uſus infirmos eo modo communicandi; adeo ut apud Ivonem *P.* 2. *cap.* 19. decretum hac de re ſancitum legamus a quodam Concilio Turonenſi: *Omnis Presbyter*, inquit, *habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de ſeculo. Quæ tantum ſacra oblatio intincta debet eſſe in Sanguine Chriſti, ut veraciter Presbyter poſſit dicere infirmo, Corpus, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi in remiſſio-*

 nem

nem peccatorum , *& vitam æternam* (2) . Sic Patres Turonenſes decre- (2)
verunt , ſed ratio , quam afferunt , quanti ponderis ſit , norunt Theologi:
neque enim Corpus Chriſti eſt ſine Sanguine . Alibi invaluit idem mos
pro omni populo , non alia ſane de cauſa , quam propter cautelam , ne
Sanguis effunderetur . Ritus antiquus Miſſæ a Joanne Epiſcopo Abrinca-
tenſi deſcriptus apud Menardum in Appendice libri Sacramentorum, vetat
Sacerdotem , & Miniſtros intincto pane communicare , excipit autem po-
pulum , *quem* , inquit , *intincto pane non auctoritate* , *ſed ſumma neceſ-
ſitate timore effuſionis Sanguinis Chriſti permittimus communicare* . In anti-
quis conſuetudinibus Monaſterii Cluniacenſis *lib.* 2. *cap.* 30. *tomo* 4. *Spi-
cilegii* ſtatutum extat de Communione intincta . In margine autem ex alio
Codice ratio addita eſt , id contra uſum aliarum Eccleſiarum eſſe , permitti
tamen propter novitios , & alios rudes , qui ſi Sanguinem ſeparatim ac-
ciperent , vix fieri poſſet quin aliquam negligentiam incurrerent . In
Anglia adeo propagatus erat hic uſus ; ut eum prolixe defendat Ernul-
fus Roffenſis Epiſcopus epiſt. ad Lambertum *Tom.* 2. *Spicilegii* ; Con-
cilium vero Anglicanum ſub Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi an. 1175.
cap. 15. prohibuit , ne quis quaſi pro complemento Communionis intin-
ctam alicui Euchariſtiam tradat . Erat autem duplex intinctio , una cum
Sanguine , altera cum vino communi , & hæc etiam aliquando viguit
pro pueris , & infirmis , qui panem ſiccum deglutire non poterant . In
præcitatis ſtatutis Cluniacenſibus *lib.* 3. *cap.* 28. Communio moribundi
ſic deſcribitur ; *Sacerdos Corpus Domini incenſat* , *frangit* , *& partem* ,
quam allaturus eſt , *ſuper Calicem tenet* , *& tam ipſe Calix* , *quam manus
Sacerdotis linteolo candidiſſimo cooperitur* . *Interea curatur*, *ut infirmi bucca
lavetur recepturi ipſum Corpus Domini* , *quod recipit vino intinctum*, *quo
epotato* , *ebibit quoque ablutionem Calicis* , ne videlicet aliquod fragmen-
tum in eo remanſerit : nondum enim in uſu erat panis ille tenuiſſimus ,
quo nunc utimur in ſacris Myſteriis , ut alibi oſtenſum eſt . De hac ipſa
intinctione loquitur , ni ſallor , Sanctus Proſper *cap.* 6. *dimidii temporis* ,
ubi narrat hiſtoriam mulieris energumenæ , quæ diebus ſeptuaginta nul-
lum cibum , nullumque potum ſumpſerat . Huic Sacerdos particulam
Corporis Domini tinctam præbuit , vino ſcilicet non conſecrato ſine aqua,
ut eam facilius deglutiret . Nunc omnes intinctiones abjerunt in de-
ſuetudinem , cum enim ad tollendos abuſus decreta , & præcepta non
ſufficerent , cœpit tandem Communio fieri ſub una ſpecie , nulluſque
locus intinctioni in Eccleſia Occidentali relictus eſt . Porro cum agimus
de Corpore Domini Sanguine intincto , alia quædam ſingularis intinctio
dictu horrenda mihi venit in mentem , quam ex Græcorum Annalibus
ſic narrat Baronius *ann.* 648. Cum perditiſſimus Pyrrhus Monothelita
poſt recantatam palinodiam , in priſtinum errorem lapſus eſſet : *Theodorus
Papa plenitudine convocata Eccleſiæ ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum
acceſſit* , *& Divino Calice expoſtulato ex vivifico Sanguine in atra-
mentum ſtillavit* , *& ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommu-
nicati fecit* . Simili modo ſcribit Nicetas in vita Sancti Ignatii Con-
ſtantinopolitani ſubſcripſiſſe Epiſcopos damnationi Photii Pſeudo-pa-
triarchæ calamo intincto Sanguine Domini vice atramenti ; quod ſane
horrendum eſt : ſed illi peculiares ſui conſilii rationes habuerunt (3) : (3)
Aliud factum his affine narravimus ſupra ex Auguſtino *cap.* 17. *in
fine* §. 4.

(1) *Cujus*

(1) *Cujus tenue, & oblongum manubrium, &c.*) Inſtrumento aliquo ad formam cochlearis compacto traditam, ſeu miniſtratam fuiſſe Fidelibus Euchariſtiam in Ægypto circa ſeculum quartum, relatum habemus in vita S. Marci Monachi apud Bollandum ad diem 5. Martii pag. 367. num. 3. Id, quod poſtea in Eccleſia Græca uſurpatum fuit, præbendo ſcilicet iiſdem Fidelibus particulam Euchariſtici Panis conſecrati Divino Sanguine intinctam, adhibito cochlearis inſtrumento, uti a Card. noſtro deſcribitur, cujus figuram ære impreſſam refert Clariſs. Pater Goar in Euchologio Græco pag. 152., quæ cochlearia, ſicut finiebant ad formam Crucis, ita ab Æthiopibus nuncupabantur *Cochlearia Crucis*, atque etiam iſta ad inſtar Patenæ, & Calicis propria oratione conſecrabantur.

Nonnulla ex medii ævi monumentis afferuntur Communionis intinctæ exempla.

(2) *In remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.*) Circa hujuſmodi Euchariſticam Communionem Chriſti Sanguine intinctam prætereundum non eſt quod refert Clariſs. Ludovicus Anton. Muratorius antiqu. Ital. medii ævi Tom. IV. Diſſert. 57. pag. 843. Ait ibi: In pervetuſto Antiphonario Bibliothecæ Metropolitanæ Mediolanenſis ſcripto circiter ann. 1150., quod antea ſpectabat ad Canonicam Vallis Travaliæ poſt deſcriptum Baptiſmi ritum; „ Tum ſequitur, inquit, „ Communio, quæ ſub his verbis miniſtra„ tur: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti San„ guine ſuo tinctum conſervet animam tuam „ in vitam æternam*: *Amen*. At quando Sa„ crum Viaticum ægrotis porrigebatur, ani„ madverti in uno antiquiſſimo Miſſali MS. „ Ambroſianæ Bibliothecæ hæc tantum verba „ olim fuiſſe in uſu apud Ambroſianos: *Cor„ pus Domini Noſtri Jeſu Chriſti conſervet ani„ mam tuam, &c.* Sed in altero itidem ve„ tuſtiſſimo Miſſali manuſcripto ejuſdem Bi„ bliothecæ, ubi habetur impoſitio manuum „ ſuper infirmum, nempe Olei Sancti Un„ ctio, ſubinde additur: *Communica eum, & „ dic*: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti San„ guine ſuo tinctum conſervet animam tuam, „ &c. Oratio, Domine Sancte Pater te fideli„ ter deprecamur, ut, accipiente fratre noſtro „ Sacroſanctam hanc Euchariſtiam Corporis, & „ Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, &c.* „ Proſequitur deinde Muratorius, & Cardi„ dinalis noſtri ſententiam confirmans hæc „ ſubdit: Ritum hunc porrigendi Laicis ſanis „ Hoſtiam ſacro Sanguine intinctam Orien„ tali Eccleſiæ a multis ſeculis familiarem „ proſcripſerat Synodus Bracarenſis, &c. De„ inde poſt pauca a dicto Eminentiſſimo mu„ tuata concludit his verbis: nemo autem „ inter ſacræ eruditionis cultores eſt, qui „ neſciat per undecim ſaltem ſecula ab exor„ dio Eccleſiæ miniſtratum fuiſſe & Laicis „ Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpe„ cie. Verum quod eſt ad ægros non idem „ ſemper, & ubique mos fuit. Invaluit au„ tem mos porrigendi iis ſacram Hoſtiam „ Chriſti Sanguine intinctam, ut eam faci„ lius deglutirent: Huc uſque Muratorius, qui & ex antiquiſſimo Rituali Manuſcripto membranaceo apud Monachos Benedictinos celebris Monaſterii S. Columbani Bobienſis aſſervato, & ante annos ſeptingentos exarato eadem ratione miniſtratam infirmis Euchariſtiam refert, cum ſimili pariter formula hoc pacto: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine ſuo inlitum, intinctam mundet te ab omni peccato, & conſervet animam tuam &c.* Quibus Uberius confirmantur; quæ de infirmorum communione profert Eminentiſſimus author.

Ritus peculiaris Græcorum ſubſcribendi calamo Sanguine Domini intincto Hæreticorum damnationem.

(3) *Sui Conſilii rationes habuerunt.*) Hic ritus ſubſcribendi calamis in calice tinctis Sanguine Domini loco atramenti maxime ad Hæreticorum damnationem peculiaris Græcorum fuit, hinc a Theodoro Papa, utpote Græco uſurpatus, cujus facti licet Anaſtaſius in ejus vita nullam mentionem fecerit; illius tamen meminere Theophanes in Chronographia pag. 219. edit. Venetæ, & Author Hiſtoriæ Miſcellæ lib. 18. apud Muratorium Rerum Ital. Script. Tom. 1. pag. 132. Paulus ſcilicet Warnafridus Diaconus Aquilejenſis, qui paulo poſt Theodorum, ſæculo nempe exeunte octavo vixit, & rem narrat iis verbis quæ Card. refert. Franciſcus porro Combefiſius in Hiſtor. Monothel. Diſp. 1. §. 13. ait: nihil ea, veluti Dominici Sanguinis abuſione, irreverentia gravius peccatum a præfatis Theodoro, Patribuſque Conſtantinopolitanis fuiſſe, uti nec a Baſilio, cum voluit ſecum Dominici Corporis particulam ſepeliri, ut ſupra diximus cap. XVII. §. 7., quod item oſtendit Martene loco jam ibi indicato. Hujus item ſubſcriptionis Dominico Sanguine factæ aliud exemplum profert Mabillonius lib. 2. de re Diplomatica cap. 22. §. 21. ubi Pactionem pacis inter Carolum Calvum, & Bernardum Comitem Toloſanum factæ Chriſti Sanguine confirmatam ſcribit fretus Odonis Ariperti teſtimonio.

C A P. X I X.

Communio puerorum. De ea quid ſenſerint antiqui Patres, & quæ veteris Eccleſiæ praxis fuerit. Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Euchariſtiæ, & mutuam Fidelium ſocietatem ſignificat. Quæ fuerit communio Laica, quæ Eccleſiaſtica. Quibuſdam olim negatum in fine Viaticum Euchariſtiæ. Examinantur Doctorum ſententiæ de Commnnione peregrina. De eulogiis, earumque uſu, ac diſtributione.

§. I.

Communio puerorum. De ea quid ſenſerint antiqui Patres.

Exponitur genuinus Patrum ſenſus circa Euchariſtiam Infantium, quam vere non putabant illis cum Baptiſmo neceſſariam ad ſalutem.

QUia ſupra de communione puerorum mentio frequenter facta eſt, operæ pretium erit, quid de illa ſenſerint antiqui Patres, & quid tandem definitum ſit, plenius explicare. Innocentius Papa ſcribens ad Patres Concilii Milevitani Epiſtolam adverſus Pelagianos, *quæ eſt* 93. *apud Auguſtinum;* & ipſe Auguſtinus *lib.* 1. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap.* 22. (1), *& lib.* 1. *de Peccatorum meritis cap.* 20. atque (1)
alibi ſæpe baptiſmi neceſſitatem ex neceſſitate Euchariſtiæ inferentes in ea ſententia fuiſſe videntur, quod etiam infantibus rationis uſu carentibus tribuenda eſſet neceſſario poſt baptiſmum Euchariſtia, adeo ut ſine ea ſalvari omnino non poſſent. Sed aliam fuiſſe illorum mentem, ſi ſcripta ipſorum diligentius excutiantur, perſpicuum eſt. Neque enim de reali, ſive Sacramentali Communione loquuti ſunt, ſed de ejus effectu, qui eſt unio, & incorporatio cum Chriſto, quæ etiam per ſolum baptiſmum ſit, ſine actuali Euchariſtiæ ſuſceptione. Quamvis ergo revera priſci Patres ſoliti ſint infantes communicare, non tamen ad communionem eis exhibendam ea ratione moti ſunt, quod eam crediderint ad eorum ſalutem neceſſariam. Plura congerunt Scholaſtici, ut hanc fuiſſe Auguſtini aliorumque Patrum ſententiam oſtendant, ſed his omiſſis, inſtar omnium & ſuper omnes mihi eſt auctoritas Concilii Tridentini, Seſſione ſiquidem 21. cap. 4. poſtquam declaravit parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem, ait: *Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt* (2): *Ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate* (2)
id feciſſe ſine controverſia credendum eſt (3). Neque aliter crediderunt (3)
ipſimet diſcipuli S. Auguſtini, is præſertim, qui primum inter eos locum tenet Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus. Is etenim Epiſt. ad Ferrandum Diaconum de baptiſmo Æthiopis moribundi cap. 11. manifeſte docet ex ea ſententia Salvatoris Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* non poſſe inferri, actualem communionem poſt baptiſmum neceſſariam eſſe ad ſalutem; quandoquidem effectum Euchariſtiæ in ipſa regeneratione baptizatus ſuſcepit factus Corporis Chriſti verum membrum. *Quod etiam*, inquit, *ſanctos Patres indubitanter crediſiſſe ac docuiſſe cognoſcimus*. Tum ſer-

ſermonem hac de re habitum a S. Auguſtino ſubjungit, ac tandem ſic concludit Epiſtolam. *Arbitror ſancte Frater diſputationem noſtram præclari doctoris Auguſtini ſermone firmatam, nec quicquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illo panis caliciſve conſortio; etiam ſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio privatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, invenitur*. (4). Hinc colligitur ſenſum Auguſtini non bene ab illis percep- (4) tum fuiſſe, qui perperam eum accuſant, quod Euchariſtiam parvulis neceſſariam ad ſalutem eſſe docuerit, contra Eccleſiæ definitionem, quæ hanc ſententiam inflicto anathemate condemnavit (5). Cautius loquutus (5) eſt Hugo a S. Victore doctrinæ Auguſtini ſectator egregius, qui veteris Eccleſiæ conſuetudinem attendens, tradendam quidem pueris Euchariſtiam ſub ſpecie vini docuit *lib. 1. de Sacram. cap.* 20. ſed cum cautela & limitatione: *Nam ſi in reſervando Sanguine Chriſti, vel miniſtrando pueris immineat periculum, potius ſuperſedendum videtur*. Tum ait pueris nullum imminere ſalutis periculum, ſi eos contingat abſque communione decedere, quia membrum Corporis Chriſti jam ſunt effecti per baptiſmum. Idem ſcribit Lanfrancus Cantuarienſis *Epiſt.* 33. ad Domnaldum Epiſcopum Hiberniæ, qua docte & ſubtiliter de Infantium communione pertractat. Horum autem aliorumque Patrum doctrinam, & verborum Chriſti expoſitionem ab illis traditam non conſiderans Radulſus Ardens Hugoni contemporaneus loquens de Euchariſtiæ neceſſitate ſerm. in die Paſchæ, *ſtatutum eſt*, inquit, *ut pueris mox baptizatis ſaltem in ſpecie vini tradatur, ne ſine neceſſario Sacramento diſcedant*. Et Radulſo antiquior Gualterius Aurelianenſis, qui vixit ſæculo nono, cap. 7. ſui Capitularis mandat, ut Presbyter ſemper Euchariſtiam paratam habeat, ut quando quis infirmatus ſuerit, aut parvulus ægrotaverit, ſtatim eum communicet, ne ſine viatico moriatur.

(1) *Pelagianorum cap.* 22.) Et lib. 4. cap. 4.

(2) *Cauſam pro illius temporis ratione habuerunt.*) In hanc rem magnus ille Catholicæ Fidei in Anglia ſtator, & Concilio Tridentino coævus Card. Alanus de Sacrif. Euch. lib. 2. cap. 37. *Habebat*, inquit, Eccleſia vetus ſuas indubie rationes, cur ſæpe daret Infantibus Euchariſtiam, fortaſſis, ut ita abduceret ſuos a menſa dæmoniorum, quia tunc temporis partem idolothyti etiam talibus in os ingerebant impii, vel certe, quia incredibiliter affecti dulcedine cœleſtis cibi nolebant parvulos propter innocentiam ex baptiſmo vere mundos tanto bono carere, præſertim cum gratiam Sacramentalem ex eo percepto conſequerentur, ſicut & nunc facerent, ſi illis miniſter vel ſua, vel Eccleſiæ voluntate vellet adminiſtrare, licet illud Cajetano non placeat. Ergo potuit (inquam) juſtas cauſas habere primitiva Eccleſia, ſed longe majores, tum ex natura, tum ex reverentia Sacramenti, tum ex longa Chriſtianarum rerum obſervatione ſecuta eſt poſterior Eccleſia, quæ aliquot ſæculis jam vetuit dari infantibus, inſanis, ac ſtultis, aliiſque ſimilibus mente captis, qui aut ſe digne probare, aut Corpus Domini recte judicare non poſſint: hæc Alanus.

(3) *Sine controverſia credendum eſt.*) Legendi inſuper hac de re D. Thomas lect. 7. in cap. 6. Joannis Card. Toletus ad dictum Cap. annot. 28. ubi fuſe, ac luculenter declarat veram S. Auguſtini, & Innocentii Papæ ſententiam, nequaquam hodiernæ conſuetudini eſſe contrariam. Item Natal. Alexand. ſæculo 5. pag. 129., ubi fuſe Sanctum Auguſtinum a Dallæi Calumniis vindicat, & præ cæteris Card. Noriſium in ſuis Vindiciis Auguſtinianis §. 4.; quos ſi attente legiſſet Binghamus, non ita malignus exaraſſet contra Eminentiſſimum noſtrum, quæ ſcripſit Orig. Eccleſiæ Vol. 6. lib. 15. cap. 4. §. 7. nec pene eadem contra Eccleſiam Catholicam Romanam, ac ſacroſanctum Concilium Tridentinum nuperrime Petrus Zornius in ſua Hiſtoria Euchariſtiæ Infantium Berolini edita 1736. effutiiſſet.

(4) *Quod illud Sacramentum ſignificat, invenitur.*) Fulgentium ſecutus Hugo a Sancto Victore, qui ſæculo XI. floruit, de Sacramentis lib. 1. cap. 20., ut ſolvat adductos in con-

contrarium Auguſtini textus; *Nec terreant vos* (inquit) *præmiſſa auguſtini verba; ipſe enim alibi, quaſi ea determinans dicit, nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis, Sanguiniſque Dominici participem fieri &c.*

(5) *Hanc ſententiam inſliſto anathemate condemnavit.*) Et ſane id manifeſte comprobatur; novum quippe non eſt, nec inſolitum Auguſtino appellare *manducationem Corporis Chriſti* unitatem Eccleſiæ, fidem charitate formatam, & manſionem in Chriſto; nam lib. 3. de peccat. meritis, & remiſs. cap. 4. docet parvulos non poſſe habere vitam extra Chriſti Corpus, *cui ut incorporentur, Sacramento Baptiſmatis imbuuntur* ſermone ad infantes, quem laudatus Fulgentius commendat, ſcribit, ut a noſtro Authore profertur *unumquemque fidelium Corporis, Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate efficitur membrum Chriſti*, & Tract. 26. in Joann. num. 15. ait: *Hunc itaque cibum, & potum ſocietate vult intelligi Corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia*, ac paucis interjectis diſtinguit apertiſſime Sacramentum a re Sacramenti, ex quo id poſtmodum S. Thomas, atque demum in hanc ſententiam concludit: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*; Similia leguntur cap. *Quid eſt* de Conſecr. diſt. 2. num.46. deprompto ex Beda in Epiſt. 1. ad Corinth. Præterea nulla certe concipi poteſt opinio magis remota ab Auguſtini principiis, quam quæ illi a Neotericis præcipue ſupponitur; ex ea enim ſequeretur vel non remitti Baptiſmo ſtatim ac rite confertur, peccatum originale, vel poſt quam remiſſum eſt, redire parvulos in Dei inimicitiam abſque ipſorum culpa, ubi contingeret, quod ante mortem Euchariſtiam non ſuſcepiſſent, ex quibus alterum concedere cogeretur, qui & parvulis ad ſalutem neceſſariam eſſe Euchariſtiæ ſumptionem aſſereret; ſicque in hac prava, erroneaque ſententia Baptiſmus ex ſe ſolo non eſſet verum Sacramentum, cum ſine Euchariſtia non poſſet tollere peccatum originale, & conſerre primam gratiam, quod ipſius proprium eſt; ſicuti & poſt lapſum, Sacramenti Pœnitentiæ cum remiſſione peccatorum ad eamdem reſtituere, quæ propterea Sacramenta mortuorum dicuntur; id autem Auguſtinum ſenſiſſe quis credat? Niſi enim temere arbitremur, quod abſit, maximum Eccleſiæ Doctorem ſibi ipſi contrarium fuiſſe.

Sane apertiſſime ſemetipſum, & quid de hac quæſtione ſentiat, expreſſit, tum Ep. 98. alias 23. ad Bonifacium: *Sicut*, inquit, (Parvulus) *credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo; cum autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetet, ſed intelligit, ejuſque veritati, conſona etiam voluptate coaptabitur. Hoc quandiu non poteſt, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adverſus contrarias poteſtates, & tantum valebit, ut ſi ante rationis uſum ex hac vita migraverit, per ipſum Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſtiano adjutorio liberetur.* Idem tunc etiam docet Epiſt. 166. alias 28. ad Hieronymum. Sed diſertiſſime ſupracitato opere de peccat. meritis, & remiſs. lib. 1. cap. 19. *Verumtamen*, inquit, *ſi parvulus percepto baptiſmate de hac vita emigraverit, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunicabiliter manens in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminat; Peccata enim ſola ſeparant inter Homines, & Deum, quæ ſolvuntur Chriſti gratia.* Quid clarius pro ſuo genuino ſenſu exprimere poterat Auguſtinus? Profecto intellexit alibi non de Sacramenti Euchariſtici perceptione in re, ſed in voto, uti & Innocentius I. ſupra ab Eminentiſſimo citatus, ac Gelaſius Papa Epiſt. 7. ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos contra Pelagianos ſcripta, qui Pontifices non de Sacramentali Communione Infantium, ſed de ejus effectu, quemadmodum ſupra exponit Eminentiſſimus Author. Hac proinde inſpecta, & probata totius Eccleſiæ traditione Concilium Tridentinum optime ſtatuit loco ſuperius indicato parvulos rationis uſu carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem.

§. II.

Quæ de eadem puerorum Communione veteris Eccleſiæ praxis fuerit.

Varia narrantur ex veterum monumentis circa Infantium communionem.

QUod vero Antiqui miniſtrare parvulis ſacra myſteria conſueverint ex eorum ſcriptis evidenter oſtenditur. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cœcilium, *per baptiſmum*, ait, *Spiritus Sanctus accipitur, & ſic a baptizatis, & Spiritum Sanctum conſecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur.* Idem libro de lapſis ab indigna communione horrendis exemplis deterrens, celeberrimam hiſtoriam narrat, quam etiam ex ipſo refert & ponderat Auguſtinus *Epiſt.* 23. cujuſdam infantulæ, quæ cum parentum incuria, & nutricis delatione panem vino mixtum de idolothytis comediſſet, ipſo Cypriano ſacrificante aderat, cum matre in Eccle-

ſia

ſia. *Ubi vero ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, & labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit.* Dionyſius in fine cap. 2. Eccl. Hierarch. *Omnibus*, inquit, *peractis, eum, qui initiatus eſt ad Euchariſtiam, vocat, & myſteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.* Et infra cap. 7. *Quod autem infantes, qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis, ſanctorumque divinæ communionis myſteriorum participes fiant, videtur hominibus profanis non immerito riſu dignum.* Mox hujus facti rationem reddit (1). Vetus hæc conſuetudo fuit, ut (1) quicumque baptizabantur ſive adulti, ſive infantes, ſacra ſtatim communione reficerentur. Liber Sacramentorum S. Gregorii editus a Menardo in officio Sabbati Sancti agens de baptiſmo infantium ait; *Qui etiam non probibentur lactari ante ſacram communionem, ſi neceſſe fuerit.* Jobius Monachus apud Photium, *primo*, inquit, *baptizamur, deinde ungimur, inde pretioſo Sanguine dignamur.* Theophanes Nicænus, cujus frontem verſibus conſcribi juſſit impius Theophilus Iconoclaſta, aſſerit, *Epiſt.* 3. *ad Sacerdotes* ſtatim poſt baptiſmum datam omnibus communionem. Hieronymus adverſus Luciferianos Hilarium ait non potuiſſe baptiſmum ſine Euchariſtia adminiſtrare, quia Presbyter non erat. Huc item reſpicit Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* 9. ubi explicans filii prodigi parabolam, *anulum*, inquit, *accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obſignat, atque ita exinde opimitate Dominici Corporis veſcitur, Euchariſtia ſcilicet.* Narrat Evagrius *lib.* 4. *Hiſt. Eccl. cap.* 35. dejecto Anthimo e throno Conſtantinopolitano, eique Menna viro orthodoxo ſubſtituto, hoc miraculum in puero Hebræo contigiſſe. Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, ut ſi quando multæ particulæ Corporis Chriſti ſupereſſent, Sacerdotes pueros incorruptos accerſerent, qui eas comederent. Cum his adfuit aliquando puer Hebræus, & cum cæteris ſacrorum myſteriorum particeps effectus eſt. Quod cum Pater didiciſſet, furore ac rabie ſuccenſus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum conjecit; qui triduo in igne, Deo protegente, illæſus permanſit, donec a matre eductus e fornace ipſe cum matre baptiſmum ſuſcepit, pater cruci affixus eſt. Hoc miraculum referunt Greg. Turonen. *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 10. & Nicephorus Calliſtus *lib.* 17. *cap.* 25. atque hic poſtremus addit ſe cum puer admodum eſſet ſæpenumero cum aliis interfuiſſe, & reliquias Sacramentorum ſuſcepiſſe. Vixit autem Nicephorus ſeculo XIV. ex quo infertur hunc morem in Urbe regia octo ſeculorum perſtitiſſe, nam Mennas claruit ſeculo VI. Joannes Moſchus *in Prato Spirituali cap.* 19. aliud miraculum narrans, quod pueris Apamienſibus accidit, qui per jocum ſacram Synaxim celebrantes verba conſecrationis ſuper panem & vinum protulerunt, eos potuiſſe ait illa verba ediſcere, quia conſuetudo tunc erat in Eccleſia, ut pueri ante ſacrarium aſſiſterent, & primi poſt Clericos communicarent. Eundem morem reliquias Sacramenti pueris miniſtrandi in Occidente quoque, ſaltem in Gallia, viguiſſe docet nos Concilium II. Matiſconenſe habitum an. 588. nam c. 6. ait; *Quæcumque reliquiæ Sacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes pueri ab illo cujus intereſt ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant* (2). Poſtea Concilium Turonenſe III. tempore (2)

Ca-

Caroli Magni cap. 19. Presbyteros admonendos eſſe ſancivit, ut cum ſacra Miſſarum ſolemnia peregerint, atque communicaverint, pueris aut aliis quibuslibet perſonis adſtantibus Corpus Domini indiſcrete non tribuant. Et Odo Epiſcopus Pariſienſis, qui vivebat an. 1175. in ſtatutis Synodalibus cap. 39. *Communium Præceptorum* diſcrete præcipit Presbyteris, ne hoſtias licet non ſacratas dent pueris ullo modo. Sic deſiit in Gallicana Eccleſia ſeculo XII. mos pueros communicandi (3), quem licet op- (3)
taverit inſtaurare ejuſdem ſeculi ſcriptor Hugo a S. Victore, aſſerit tamen loco ſupra citato jam ſuo tempore deſiiſſe, aliquo ejus veſtigio remanente; nam Presbyteri retinentes veterem formam, ſed non rem, vinum commune pueris recens baptizatis dabant pro ſanguine, quod Hugo ſuperfluum & dimittendum arbitrabatur. Ne vero reliquiæ Sacramenti ſupereſſent, ſæpe decretum eſt, ut tot dumtaxat particulæ conſecrarentur, quot erant parati ad communionem: Et ſi quid reſiduum foret, a Sacerdote ſeu Miniſtris comederetur, aliquot tantum particulis pro infirmorum communione reſervatis, quæ ſtatis diebus renovarentur. Quod ſi contingeret ut miniſtrorum incuria putreſcerent, ſtatuit Concilium Arelatenſe apud Ivonem *Parte* 2. *cap.* 59. ut igne comburantur, & cinis juxta Altare ſepeliatur, idque in uſu fuiſſe docet Algerus *lib.* 2. *cap.* 1.

(1) *Mox hujus facti rationem reddit.*) Item Juſtinus Martyr in Apologetico ad Antoninum.

De Puerorum Communione veterum Ritualium Rubricæ; & quandiu hæc Communio duraverit.

(2) *Eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.*) Vetus Ordo Romanus Biblioth. PP. Lugdun. Tom. X. pag. 84. „ De parvulis „ (inquit) providendum, ne poſtquam bap„ tizati fuerint ullum cibum accipiant, neque „ lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam „ communicent Sacramento Corporis Chriſti. Ita pariter Alcuinus de Offic. Eccleſ., ubi de Sabbato Sancto, in dicta Biblioth. PP. p.219. Baluzius in Reginonem lib. 1, cap. 49. duo adlegat Rituales libros ejuſdem ævi, qui eaſdem hac de re habent rubricas; Vide etiam Martene Tom. 1. de Antiqu. Eccleſiæ. Rit. pag. 430.

(3) *Mos pueros communicandi.*) Vide Pagium Critic. Baronii Tom. 3. ad an. 813. num. 14. ubi hunc morem adhuc ſeculo XII. viguiſſe oſtendit. Item Natalis Alex. ſec. X. parte 1. cap. 4. art. 6. ubi inſuper obſervat, cum Card. noſtro Sacrificii reliquias olim pueris miniſtrari ſolitas in Eccleſia Gallicana, & licet Concilium Turonenſe III. habitum an. 813. morem illum tollere decreverit, in quibuſdam tamen locis dictarum Provinciarum adhuc viguiſſe communionem puerorum ſeculo XII. Idque teſtari Guibertum Abbatem de Novigento, qui eodem ſeculo vixit, lib. 1. de Pignoribus Sanctorum cap. 2. §. 1. quod & confirmat Gilbertus Porretanus in Epiſtola ad Abbatem S. Florentii a Dacherio in notis ad dicti Guiberti Opera recitata in Appendice pag. 564.

§. III.

Communionis nomen æquivocum. Perceptionem Euchariſtiæ, & mutuam Fidelium ſocietatem ſignificat. Quæ fuerit Communio Laica, quæ Eccleſiaſtica.

EST autem nomen communionis æquivocum. Quamvis enim hodie nihil ſit, quod nomine communionis intelligatur, niſi ſola Euchariſtiæ participatio, hæc tamen vox latius olim patebat, & præter Euchariſtiam alia multa complectebatur. Congerunt in hanc rem plurima teſtimonia e veteris Eccleſiæ praxi viri eruditiſſimi Gabriel Albaſpinæus *lib.* 1. *Obſervat.* & Joannes Morinus *lib.* 2. *Eccleſiaſtic. exercitationum*. Et primo quidem duo veluti genera erant Chriſtianæ communionis, communio ſcilicet commercii ſive mutuæ cum cæteris Fidelibus ſocietatis, & communio Euchariſtiæ, quæ prioris perfectio, finis, & centrum eſt. Illa habitudinem habet, & relationem ad Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia: hæc verum Corpus ejuſdem reſpicit, quod ſumitur in Euchari-

chariſtia. Illa dicebatur communio ſine oblatione, utpote conſiſtens in ſola participatione orationum, & conſortii Fidelium: Hæc communio, cum oblatione iis conceſſa, qui Corporis, & Sanguinis Domini participes erant. Quia vero Eccleſia ex populo conſtat, cujus eſt inſtitui, dirigi, obſequi, & perfici; & ex Clero, ad quem ſpectat docere, Sacramenta adminiſtrare, dirigere, & perficere; ideo communio, quatenus reſpicit myſticum Chriſti Corpus, dividitur in Laicam, & Eccleſiaſticam. Eccleſiaſticæ tot ſunt ſpecies, quot ordinum gradus: aliter enim inter ſe & cum aliis Clerici minorum Ordinum, aliter Subdiaconi, & Diaconi, aliter Presbyteri, & Epiſcopi communicabant. Cum ergo aliquis ordinis ſui munia in pœnam alicujus delicti obire non poterat, is communione privari dicebatur, quia cum cæteris in his, quæ ſui ordinis erant, communicare vetitum illi, & illicitum erat. De hac communione antiqui Canones loquuntur, quoties Clericos, Diaconos, Presbyteros, ſive Epiſcopos communione privari præcipiunt. Quod ſi quis perpetua depoſitione a ſui gradus honore, & functione removebatur, is omne jus Eccleſiaſticæ communionis amittebat, & inter Laicos relegatus, ipſorum tantum communione fruebatur. Unde fit ut communio Laica, quæ Laicis honor eſt, Eccleſiaſticis dedecus eſſet, quia illis in pœnam irrogari ſolebat, cum admiſſo aliquo crimine e loco & gradu ſuo detruſi cum Laicis eſſe jubebantur. Recentiores qui audito nomine communionis, ejus veteri notione neglecta, id ſolum concipiunt, quod hodie ea voce ſignificatur, Laicam communionem nihil aliud eſſe putant, quam perceptionem Euchariſtiæ ſub unica ſpecie, aut extra cancellos more Laicorum, quod quam falſum ſit vel ex eo liquet, quod ſæpe Clericos ad Laicam communionem detruſos legimus eo tempore, quo etiam Laici ſub utraque ſpecie communicabant. Eſt igitur communio Laica jus ſocietatis & communicationis, cum cæteris Fidelibus in rebus tam ſacris, quam civilibus more Laicorum: ex quo conſequens erat, ut Clerici ad eam damnati, quandoquidem a gradu Clericali dejecti, in ordinem plebis redigebantur, in perceptione Euchariſtiæ inſtar Laicorum ſe gererent, eam ſumentes extra ſepta Altaris, aut ſub una vel utraque ſpecie, ſicut ex uſu Eccleſiæ tunc Laici ſumere conſueverant (1). (1)

Communionis Eccleſiaſticæ tot ſunt ſpecies quot Ordinum gradus.

Referuntur nonnulli Auctores, qui de hac Communione Laica ſcribunt.

(1) *Tunc Laici ſumere conſueverant.*) Atque hæc verior omnium eſt communionis Laicæ interpretatio, cui eruditorum omnium conſenſu ſubſcribit Ducangius in Gloſſario Tom. 2. pag. 872. Communio Laica eſt, inquit, illa, quæ Presbyteris, aut Clericis ex delicto aliquo imponebatur per pœnitentiam, vel in pœnam, ut videlicet non ut Presbyteri, & Clerici, ſed inter Laicos communicarent, hoc eſt in Laicorum Ordine deinceps cenſerentur, ita ut neque Miſſam facere, neque cum Clericis in Choro communicare poſſent. In conſimilem fere ſenſum de hujuſmodi Eccleſiaſticorum ad communionem Laicam detruſione in pœnam criminum, paulo ante ſcripſerat vir ſumma eruditione inſignis Petrus de Marca Archiepiſc. Pariſienſis in Diſſert. ſelect. Interpr. cap. *Clericus* q. 4. num. 16. apud Baluzium ad Dialogos Ant. Auguſtini de Emend. Gratiani pag. 571. *Clericum*, inquit, *non ſolum e conſenſu Cleri extra cancellos depulſum, & redactum in locum, & ordinem Laicorum ad communicandum Synaxi, ſed deturbatum omnino a corpore Cleri, & ad Laicam conditionem detruſum, ita ut ſepoſito privilegio, quod ante illi competebat, nunc pertineat ad forum ſeculare in cauſa civili, & criminali*. Huic adſtipulatur Gallus alter non ignobilis Scriptor Antonius Bellotte obſerv. ad Ritus Eccl. Laudun. pag. 639.

„ Laica igitur communio (inquit Clariſs. P. Ignatius Hiacynthus Amat. de Graveſon Ord. Præd. Hiſt. Eccl. IV. ſeculi Colloquio 6.) „ quæ Clericis ſacris, ſeu majoribus Ordinibus initiatis in pœnam alicujus capitalis delicti ab Eccleſia decernebatur, in hoc ſita erat quod intra Sanctuarium Euchariſtiam non ſumerent; ſolis quippe ſacro miniſterio dedicatis, ſeu Presbyteris, & Diaconis ingredi Sanctuarium, inibique communicare licebat. Hoc itaque privilegio Clerici majoribus Ordinibus initiati, „ Presbyteri ſcilicet, ac Diaconi in pœnam „ alicujus gravis, & capitalis criminis excidebant, nec niſi cum promiſcua Laicorum „ turba fas eis erat divina refici communione. Excludebantur etiam iidem peccantes „ Clerici, qui ad Laicam communionem

„ erant redacti, a Decimis, oblationibus, „ & prædiorum Eccleſiæ fructibus percipien- „ dis; Unde ex bonis patrimonialibus, vel „ aliorum liberalitate, vel ex proprio labo- „ re, ac induſtria victum ſibi quærere com- „ pellebantur. Quando tamen illi ſic ad di- „ ctam communionem laicalem redacti re- „ rum penuria laborabant, hiſque nihil ad „ victum ſupererat, Eccleſia, ut pia mater, „ victum illis ex commiſeratione ſuppedita- „ bat, eoſque admittebat ad menſam, quæ „ ad quotidianum victum apparari ſolebat „ fidelibus peregrinis, quos proprius Epiſco- „ pus per litteras formatas Eccleſiis, ad quas „ peregre ibant, commendabat. Hactenus Sorbonicus Doctor, & Theologus Caſanatenſis, cui pariter ſubſcribit nuperrimus, & celebris ſcriptor Franc. de Berlendis de Oblationibus Comm. §. 3. noviſs. edit. pag. 77. & ſeqq. Ante hos pariter in eamdem ſententiam pridem, ſcripſerat ſua multiplici eruditione notus Reverendiſſimus Petrus Annatus Congr. Doctrinæ Chriſt. Præpoſitus Generalis Appar. ad Theol. Poſit. lib. 3. noviſs. edit. Venetæ pag. 229. Ubi de memorata Clericorum dejectione ad Communionem Laicam luculenter diſſerit concludens quod Clericum reduci ad Communionem Laicam, erat ipſum reduci de Ordine Clericali, ſeu Eccleſiaſtico ad Ordinem Laicalem, & fieri quaſi de Clerico Laicum.

§. IV.

Duplex eſſe apud antiqnos Viaticum, abſolutionis ſcilicet, & Euchariſtiæ. Euchariſtiæ Viaticum quibuſdam olim in fine vitæ negatum.

Ex veteris Eccleſiæ diſciplina diverſitas animadverſionis erga delinquentes ex criminum diverſitate deſumpta.

ILlud autem difficilius videtur, quod aliquando antiqui Canones in fine tantum vitæ, aliquando nec quidem in fine Laicam communionem reis concedebant, ut cap. 2. Concilii Sardicienſis & cap. 18. Illiberitani. Sed quibus perſpecta eſt veteris Eccleſiæ diſciplina, ignotum eſſe non poteſt hanc diverſitatem animadverſionis ex criminum diverſitate proveniſſe. Quædam enim crimina adeo gravia cenſebantur, ut eorum reus non ſolum depoſitione puniretur, ſed etiam ad agendam pœnitentiam, tanquam indignius ipſa Laica communione, extra limen Eccleſiæ uſque ad finem vitæ inter *Flentes* ablegaretur, cui animam agenti concedebatur, ut tanquam Laicus fidelis prævia peccatorum abſolutione Euchariſtiam more Laicorum acciperet. At qui ſcelera atrociora perpetraverant, iis ſeveriore ſententia abſolutio quidem a peccatis, quæ nemini vere pœnitenti in fine negari ſolebat, concedebatur; ſed Viatico Euchariſtiæ privabantur, ut qui flagitiis ſuis Clericalem gradum vivendo deturpaverant, nec Viaticum quidem Corporis Chriſti in morte ſuſciperent, quod nulli Laico fideli ab hoc ſeculo decedenti negabatur. Hæc durior animadverſio an fuerit mitigata Can.13. magnæ Synodi Nicænæ, quo præcipitur, *ut ſi quis vita excedat, ultimo & neceſſario Viatico minime privetur*, controverſum eſt. Nam cum duplex apud antiquos Viaticum eſſet, nempe abſolutionis & Euchariſtiæ; hic per ultimum & neceſſarium Viaticum putat Albaſpinæus Sacramentalem abſolutionem, & ſolam admiſſionem ad conſiſtentiam a Patribus Nicænis indicatam, cui explicationi favere videtur idem Canon ſtatuens, quod ſi is ſupervixerit, ſit inter eos, qui communionem tantum orationis conſequuntur. Habertus vero *ad partem X. Liturgiæ obſerv. X.* contrariam ſententiam ſuſtinet, de Viatico Euchariſtiæ Canonem Nicænum loqui; idque deducit ex ſecunda parte ejuſdem qua ſancitur, ut cuilibet generaliter in exitu poſito, & Euchariſtiæ participationem poſcenti Epiſcopus cum probatione oblationem impertiat. Utraque ſententia probabili fundamento innititur, & per me liberum cuique erit, cui maluerit adhærere. Quæcunque enim fuerit Nicænæ Synodi mens, certiſſimum illud eſt, cujus gratia huc digreſſi ſumus, quibuſdam pœnitentibus propter horrenda crimina negatum in fine Viaticum Euchariſtiæ, & ſolam precum communionem cum Viatico abſolutionis conceſſam. Imo primis Eccleſiæ temporibus, ut Lib. I. Cap. XVII. oſtenſum eſt (1), (1)

Ido-

Idololatriæ, mœchiæ, & homicidio ipſam etiam abſolutionem negatam, quorumdam ſententia eſt, qui ad hanc non ad Euchariſtiam omnino referendos putant Concilii Illiberitani Canones, quibus decernitur, ut rei prædictorum criminum nec in fine ad communionem ſuſcipiantur. Arguitur hæc Synodus a nonnullis nimiæ ſeveritatis, ſed ſic ea tempora & fidelium mores ferebant. Fuit ergo, ut Innocentius I. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum ſcribit; *Obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia*, id eſt, ut admitterentur, qui lapſi fuerant in ordine pœnitentium, *ſed communio*, id eſt participatio cum fidelibus, & abſolutio ſine qua illorum conſortio frui non poterant, *negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore, communionem dari abeuntibus placuit*, nempe communionem reconciliationis de qua ab Exuperio interrogatus fuerat, *quaſi Viaticum profecturis*. Idem fere decernitur Can. 3. Concilii I. Arauſicani: *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione*, publica ſcilicet & ſolemni, quæ in Eccleſia fieri ſolebat, *eis communicari. Quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem ſufficienter Viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*. Legitimæ autem communionis tunc participes erant, cum plene reconciliati ad divina Myſteria percipienda admittebantur.

Prædictus ſeveriſſimæ diſtrictionis rigor erga criminoſos extremo ſupplicio puniendos, adhuc ſec. 13. & 14. in Anglia & Gallia uſurpatus.

(1) *Ut lib. 1. cap.* XVII. *oſtenſum eſt.*) Plura ibi ad hunc locum congeſſimus in notis Tom. 1. pag. 355. & ſeqq. quibus heic nihil aliud addendum cenſemus, niſi quod ex hac ſeveriori diſciplina priſcis olim temporibus frequentata, quamvis circa eamdem nonnullæ Eccleſiæ fuerint mitiores, quædam vero rigidiores; dici poteſt ortum traxiſſe diſtrictiſſimum illum uſum quondam in Anglia uſurpatum, & ſubinde a Conciliis Lambatenſi anni 1261. Londinenſi an. 1268. & a Regibus Alvredo, ac Eduardo reprobatum, illi ſimilem, qui in Gallia pariter in uſu erat. Confeſſionem nempe, ſeu Abſolutionem Sacramentalem proxime ad ultimum mortis ſupplicium ituris denegandi, qui nimius rigoris uſus uſque ad Caroli VI. an. 1380. regnum perſeveraverit, a quo juxta Conſtitutionem Clementis V. in Viennenſi Generali Concilio editam, & quæ habetur inter Clementinas lib. 5. tit. 9. cap. 1. ſancte, & laudabiliter fuit ſublatus, ſervata tantummodo praxi; illis licet contritis, & confeſſis divinum Viaticum Euchariſticæ Communionis non impertiendi, prout factum legitur an. 1475. cum Comeſtabili S. Pauli, cui antequam ultimo afficeretur ſupplicio, poſt factam Sacerdoti Sacramentalem Confeſſionem, denegata fuit expetita Sacra Euchariſtica Communio, illique dumtaxat pro eadem conceſſus panis benedictus, ſeu eulogiæ, de quibus infra §. VII. Tam gravis, & acerbus rigor a Sancto Pontifice Pio V. fuit impoſterum jure & merito damnatus; in ſuæ etenim Vitæ lib. 2. cap. 3. quædam ipſius Epiſtola refertur directa ſub die 25. Januarii an. 1568. ad Joannem Baptiſtam Epiſcopum Roſſanenſem ſuum in Hiſpania Legatum, qua illi præcipit ut Regi Catholico Philippo II. hoc ſignificet: *Placere nobis: ut ſupplicium ultimum ſubituris pridie, quam illo afficiantur, poſt Confeſſionem Sacerdoti factam, Dominici Corporis Viaticum concedatur, quod per totam Hiſpaniam, aliaſque Provincias, & loca ditionis ſuæ hortaberis eum, ut ſicuti ejus pietate dignum eſt, poſthac jubeat obſervari.* Atque ita priſtinus ille nimiæ ſeveritatis rigor alicubi tunc uſque retentus, deinceps integre ſublatus eſt.

Qui poſtea a S. Pio V. an. 1568. penitus ſublatus eſt.

§. V.

De Communione, quæ peregrina dicebatur. Quidam eam cum Laica confundunt, & varia de ejuſdem ritu judicia, atque decreta.

Variæ Eruditorum ſententiæ circa Communionem Peregrinam, quid proprie fuerit.

ERat & aliud genus communionis, quæ peregrina dicebatur, de qua variæ ſunt Eruditorum ſententiæ. Quidam, inter quos eſt Binius in notis ad Concilium Ilerdenſe (1), eam cum Laica confundunt: Sed (1) non eſt credibile veterem Eccleſiam eandem rem diverſis adeo vocabulis expreſſiſſe. Ingens quoque inter utramque diſcrimen fuit, Clerici enim ad Laicam damnati gradu ſuo in perpetuum carebant, peregrina vero mulctati, ut conſtat ex Concilio Agathenſi cap. 11. non ſemper ei pœnæ ſubjacebant. Alii exiſtimarunt communionem peregrinam nihil aliud eſſe, quam perceptionem Euchariſtiæ ſub una tantum ſpecie (2). Verum (2) quid magis alienum a diſciplina veterum Patrum, quam ut Euchariſtiæ etiam ſub una ſpecie ſumptionem tanquam pœnam irrogarent Clericis furti, & aliorum criminum reis, qui etiam in fine vitæ conſtitutis, & longa ac ærumnoſa pœnitentia functis eam aliquando denegabant? Franciſcus Boſquetus vir multæ eruditionis *In notis ad Epiſt.* 174. *lib.* 1. *Innocentii III.* peregrinæ communionis nomine pœnam ſuſpenſionis intelligit, cum Epiſcopus omni Pontificali poteſtate exutus, honorem dumtaxat habebat, & primam ſedem inter Presbyteros: quæ pœna ad alios deinde ordines, ut ipſe putat, translata eſt. At hæc communio non pœna, ſed ſolatium fuit: idque tributum Epiſcopis Novatianis poſt abiuratos errores legimus Can. 8. Concilii Nicæni, ut honore ſervato primi inter Presbyteros ſederent. Nec aliter explicandus eſt Canon 3. Synodi Rejenſis (anno 439. habitæ), quo nititur Boſquetus. Sermo enim in eo eſt de Armentario, qui Ebredunenſis Epiſcopus a duobus tantum ordinatus fuerat, cum multiplici Canonum tranſgreſſione: quam ordinationem irritam & nullam Synodus pronunciavit, vetuitque illi conſiſtere intra fines Alpium maritimarum. Quia tamen facti pœnitens ſe ignoranter deliquiſſe dicebat, permiſit ei extra illam Provinciam manere, & in aliqua Eccleſia ei miſericorditer attributa peregrina communione foveri, juxta decretum præcitatum Concilii Nicæni. Patet autem hanc communionem in ſolatium amiſſæ dignitatis conceſſam, eique potius ornamento quam pœnæ fuiſſe. Alia eſt ſingularis ſententia Gabrielis Henao, qui *lib. de Sacrif. Miſſæ p.* 3. *diſput.* 28. *ſect.* 49. *& ſequentibus* diffuſiſſime agens de communione peregrina, eam tandem fuiſſe concludit, ad quam Clerici admittebantur, quibus in pœnam alicujus peccati peregrinationes ſive perpetuæ, ſive ad tempus impoſitæ erant. Sed quamvis multa dicat, non tamen probat, quæ & qualis fuerit peregrinantium communio. Et hoc deinde ab illo demonſtrari oportebat, quod quando Canones de communione peregrina editi ſunt, ſolerent Clericis ad expianda peccata peregrinationes injungi. Cellotius *lib.* 6. *de Hierarchia cap.* 16. nihil ſacrum reſpicere hanc communionem exiſtimat, ſed tantum humanam ſocietatem & ſubſidia victus ac veſtitus Clericis erogata, quibus hæc pœna peregrinitatis imponebatur: dictam autem peregrinam autumat, quia ſic mulctati non merebantur tractari, ut cives Sanctorum & domeſtici Dei, ſed tanquam advenæ & peregrini. At hæc ingenioſa nominis explicatio eſt rem non attingens, de qua quæritur. Simili modo aberrant a ſcopo Scholaſtici & Canoniſtæ, qui cum ſolam Euchariſtiæ perceptionem audito commu-

mu-

munionis vocabulo mente concipiant, eam peregrinam dici ſcribunt, quæ olim peregrinis ſpeciali aliquo ritu, ſeparatim ab incolis loci præberi ſolebat. Alii dicunt eam eſſe, quæ ad finem uſque vitæ reſervabatur, quia ex hoc ſeculo migraturi quaſi in exteras regiones peregrinantur. Sed turpe eſt hujuſmodi ineptiis recenſendis tempus prodigere.

(1) *In notis ad Concilium Ilerdenſe.*) Et ante ipſum vetus Gloſſa in Gratianum cauſa 13. qu. 2. cap. 11. Item Joan. Steph. Durantus de Rit. Eccl. Cath. lib. 2. cap. 4. num. 8. aliique, atque inter Hæterodoxos Hoſpinianus Hiſt. Sacram. lib. 2. cap. 1.

(2) *Quam perceptionem Euchariſtiæ ſub una tantum ſpecie.*) Ita Bellarminus de Euchariſtia lib. 4. cap. 24. Georgius Caſſander de Commun. ſub utraque ſpecie, & Gerardus Joannes Voſſius Theſ. Theol. pag. 516. Scriptores Hæterodoxi, cum aliquot Scholaſticis exiſtimant communione peregrina ſignificari oblationem Euchariſtiæ præter ſtatos dies peculiaribus ritibus peregrinantium cauſa factam, pœnamque fuiſſe Clericorum, ſic inter peregrinos communicare. At iſtiuſmodi conſuetudinis in antiqua Eccleſia particularem pro peregrinantibus Euchariſtiæ oblationem faciendi, nullum huc uſque profertur exemplum; Omnes enim viatores, & peregrini ad extraneam accedentes Eccleſiam, ſi commendatitias afferebant literas ad communionem, in Eccleſia admittebantur, ubicumque commorarentur; ſi non adferrent, communio eis denegabatur, donec procurarent, non tamen prorſus rejiciebantur, ſed interim in reliquis externis rebus communicabant, & ſi qua eſſet eorum neceſſitas, Eccleſiæ, ad quam venerant, eleemoſynis alebantur, tametſi ab omni religioſa communione tamquam ſuſpecti arcerentur, donec prædictæ commendatitiæ literæ ab Eccleſia, a qua diſceſſerunt, haberi poſſent, ut infra Sirmondus, & Albaſpinæus, quibus ſubſcribere non diffitentur vel ipſi nuperi Scriptores Hæterodoxi Sherlochius, & Binghamus Orig. Eccl. lib. 17. cap. 3. §. 7.

Nullum huc uſque exemplum profertur ex veteris Eccleſiæ monumentis, quo particularis pro Peregrinis Euchariſtiæ Oblatio fieret, ut nonnulli opinantur.

§. VI.

De eadem peregrina Communione examinantur Doctorum Sententiæ, & Conjecturæ.

Quomodo olim exciperentur Eccleſiaſtici Peregrini advenientes; Epiſcopi, Presbyteri, aliique Clerici, ſine formatis, ſeu commendatitiis Epiſtolis.

SIrmondus *in Hiſtoria publicæ pœnitentiæ cap. ult.* & Albaſpinæus *lib. 1. obſervat.* tunc peregrina communione mulctatos fuiſſe Clericos crediderunt, quando in eo loco & ſtatu collocabantur, quo poni ſolebant Clerici peregrini, qui ſine literis commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, extra propriam Diœceſim peregrinabantur. Excipi enim benigne conſueverant, & ſumptibus Eccleſiæ ali, nullo prætermiſſo humanitatis officio: nemo tamen Clericorum cum illis, tanquam cum Clericis, communicabat, nec ullis ſui ordinis muneribus fungebantur. Sic ſtatuiſſe legimus Concilium Liptinenſe cap. 4. ut Epiſcopi, vel Presbyteri ignoti undecunque venientes in Eccleſiaſticum miniſterium non admitterentur ante probationem Synodalem. Hoc autem advenis nulla erat pœna, ſed ſic ferebat uſus Eccleſiæ, ut Clerici vagantes ſine Formatis ad ſuorum ordinum exercitia in aliena Diœceſi non admitterentur: quæ cautio etiam hodie adhibetur, ut ignoti, & extranei Sacerdotes non permittantur celebrare, niſi literas ſuæ Ordinationis oſtendant, tametſi in reliquis omnia illis officia Chriſtianæ charitatis impendantur. Cum vero Clerici alicui Eccleſiæ adſcripti functiones ſui ordinis exercere prohibebantur, id ſane pœna erat in hoc ſita, quod licet peregrini non eſſent, certumque domicilium, & gradum in propria Civitate, & Eccleſia obtinerent; ſic tamen cum eis agebatur, ac ſi peregrini forent, de quorum ſtatu, & conditione non conſtaret. Cumque ſui ordinis exercitio carerent, non tamen abſtenti erant a perceptione Euchariſtiæ, quæ nec peregrinis quidem, & ignotis negabatur, cum ſe vere orthodoxos eſſe docuiſſent. Putat Albaſpinæus deſumptam hanc pœnam ex legibus Romanorum, quibus ſancitum erat, ut deportati & extorres jus civitatis, & ea, quæ erant juris civilis, amitterent, illa tantum retinentes, quæ ſunt juris gentium, ut docent Ulpianus *l. 1. §. 2.*

& 4. ff. de legatis III. & Marcianus *ibid. de pœnis l.* 17. Agit de his erudite, ut ſolet, doctiſſimus vir Nicolaus Antonius *lib.* 2. *de exilio c.* 5. *num.* 10. *& cap.* 7. *num.* 12. Teſtatur quoque Svetonius in Claudio *cap.* 16. redactos quandoque Romæ viros illuſtres ad peregrinitatem: *Splendidum virum*, inquit, *Græciæque Provinciæ Principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo Judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit*. Hujus communionis ut pœnæ duo tantum concilia mentionem faciunt, Agathenſe ſub Symmacho, & Ilerdenſe ſub Joanne I. Agathenſe Can. 2. ait: *Contumaces Clerici ab Epiſcopis corrigantur, & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem*, conſortium ſcilicet cæterorum, *fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut eum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque ſuſcipiant* (1). Idem Can. 5. *Si quis Clericorum furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur*. Ilerdenſe Can. 16. *Si quis Clericus quacunque occaſione de omni facultate* Eccleſiæ *quippiam probatus fuerit abſtuliſſe, vel forſitan dolo aliquo ſuppreſſiſſe, reus ſacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina communio concedatur*. Anathema autem hic ſumitur in latiori ſignificatione pro quacunque Eccleſiaſtica pœna. Patet autem ex cap. 2. Agathenſi hac pœna mulctatos a cæterorum ſocietate ſubductos, ex matricula expunctos, gradu ſubmotos, & in ordinem redactos fuiſſe, donec per pœnitentiam diluto peccato matriculæ & corpori, a quo ſegregati fuerant, reſtituerentur. Sed quid proprie peregrinæ communionis nomine præcitata Concilia intellexerint, ex horum Canonum contextu colligere non poſſumus. Probabilis quidem eſt Sirmondi & Albaſpinæi conjectura, nec aliquid mihi occurrit, quo eam falſi arguere poſſim: optarem nihilominus eamdem ſolidioribus magiſque perſpicuis ex antiquitate argumentis fulciri. Moveor autem ad dubitandum eo confidentius, quod legerim ſupraſcriptam ſententiam ipſi Albaſpinæo poſtea diſplicuiſſe, ſeque plenius & uberius de ea ſcripturum in altera editione promiſiſſe, quod tamen non ſecit morte præventus. Quid igitur vere ſit peregrina communio, libenter diſcam a peritioribus, mihi enim non liquet; licebitque fateri cum viro nec indocto nec ignaro antiquitatis Guillielmo Lindano *lib.* 4. *Panopliæ cap.* 58. eam mihi non ſatis perſpectam eſſe (2).

Ex hoc Agathenſis Concilii Canone tria obſervanda deducuntur quoad Communionem Peregrinam.

(1) *Dignitatemque ſuſcipiant.*) Ex hoc Canone tria perſpicue veniunt deducenda. Primum, quod communio peregrina in eo ſita ſit, ut illa eſſe comperiatur, qua quis Clericus non ſit in proprio gradu, ſed in alieno, & inferiori; Secundum, falſam eſſe eorum opinionem, qui communionem peregrinam, non aliam a Laica eſſe volunt; cum ex hoc Canone conſtet Clericum in peregrina communione dejectum, ad ſuum priſtinum, & proprium poſſe redire gradum, Clerico e contra ad communionem Laicam redacto nullus detur ad Clerum regreſſus, cum ab eo ſit perpetua, & omnimoda depoſitione pulſus. Tertium vero, falſam pariter aliorum, vel eorumdem eſſe ſententiam, qui tenent peregrinam communionem, nihil aliud eſſe, quam communionem Euchariſtiæ ſub una tantum ſpecie, cum peregrinam communionem ſic in pœnam tribui conſtet, & abſurdum ſit atque ab omni ſana mente remotum Agathenſis Concilii Patres Clericis contumacibus ſuperbia elatis, & officium ſuum implere negligentibus in pœnam tribuiſſe Euchariſtiæ communionem etiam ſub una tantum ſpecie, quinimmo, & Clerico capitalis criminis reo, & ſacrilego, qui bona ſurripuiſſet Eccleſiæ, dum eidem mandant in pœnam, *ut peregrina ei communio tribuatur*. His tamen non obſtantibus nec dum ſatis clare perſpicitur quid vere, & proprie ſit communio peregrina, ut mox ſincere infra fatetur Eminentiſſimus author, pro qua diſcutienda plurimum certant eruditi.

Quæ licet non ſatis Emin. Authori ex ſui ingenua ſinceritate perſpecta, uberius tamen ex aliis monumentis illuſtratur.

(2) *Eam mihi non ſatis perſpectam eſſe.*) Communionem peregrinam, quam non ſatis ſibi perſpectam eſſe cum Lindano fateri non erubeſcit Eminentiſſimus author, vir modeſtiæ ſingularis, ita merito a Mabillonio laudatus in Præfat. ad Liturg. Gallic. num. 4. Etſi de eadem ſatisſuperque, ac doctiſſime diſſeruerit, uberius tamen dilucidatam noviſ-

ſime

ſime expoſuit vir ſingularis eruditionis Abbas Sancti Pontii Franciſcus Dominicus Bencinus in ſua Diſſertatione prima de Literis Encyclicis §. 20. num. 11., & ſeqq. pag. 301., 304., & 308., ubi pro eadem ab Eminentiſs. Authore, & a nobis, ut potis fuit, explicata; nonnulla affert Eccleſiaſticæ antiquitatis exempla; & quidem de iſtiuſmodi peregrinantibus in Canone vulgo Apoſtolico nuncupato 34. cautum eſt: *Nullum peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitiis recipite; his vero literis adlatis, interrogentur illi, & examinentur, & ſiquidem Prædicatores fuerint pietatis, recipiantur, ſin minus eis ſuppeditate, quæ ſunt neceſſaria, ſed ad communionem eos non admittite, multa enim per obreptionem ſiunt.* In Carthaginenſi I. Can. 7. Similis regula pro peregrinis data legitur: *Clericus, vel Laicus* non communicet in aliena plebe ſine literis Epiſcopi ſui, niſi hoc obſervatum fuerit, communio fiet paſſiva, id eſt alimenta iis tantum ſubminiſtrentur. Et in omnibus fere Conciliis Canon aliquis in eamdem ſententiam invenitur, ita Concil. Antioch. Can. 7. Laodicen. Can. 41. Milevit. Can. 20. Epaonen. Can. 6. & alia. Ut adeo qualiter Peregrini in peregrina tractari ſolebant, taliter diſciplina in peccantes Clericos in ſua ipſorum Eccleſia exerceretur. Ab officio ſuo, & Communione Sacramentorum arcebantur, quæ autem ad vitam ſuſtentandam neceſſaria erant, percipiebant, quæ proprie erat communio peregrina.

Nihil in hanc rem aptius demonſtrandam adferri poteſt, quam id, quod habet Syneſius Epiſt. 65. ad Theotimum ſcripta in cauſa Alexandri Epiſcopi Baſianopolitani in Bithynia, ut optime advertit Philippus Priorius Diſſert. de Lit. Canon. tit. 11. *Noſti igitur* (ſcribit Syneſius) *Venerande Pater, quomodo me geſſi, in Eccleſiam cum non admiſi, neque ſacræ menſæ participem feci; domi tamen eumdem honorem largitus ſum, qui inſontibus impendi ſolet.* Ita etiam S. Joannes Chryſoſtomus Monachos quoſdam Ægyptios, qui vexati a Theophylo Alexandrino eorum Epiſcopo, quod Origeniſtarum hæreſi ſuſpecti eſſent, Conſtantinopolim venerant, ut ea, quæ contra ipſos geſta erant coram Imperatore exponerent, ut narrant Socrates lib. 6. cap. 9., & Sozomenus lib. 8. cap. 13. Honorifice quidem illos excepit Chryſoſtomus, in Eccleſia orare permiſit, ſacrorum vero myſteriorum communionem ſe induſturum negavit, antequam cauſa eorum cognita eſſet. Atque hæc de communione peregrina dicta ſufficiant. De hac porro, qui plura velit, adeat Emmanuelem Scheleſtratium de Concilio Antiocheno can. 7. cap. 12. art. 3. Ubi fortaſſe præ cæteris hujuſmodi communionem diligentius excuſſit.

§. VII.

De Eulogiis, earumque uſu, ac diſtributione.

POſtremum genus communionis illud erat, quod per Eulogias fieri inſtituit vetus Eccleſia. Quid autem ſint Eulogiæ, & qua de cauſa inſtitutæ diximus ſupra Lib. I. Cap. XXIII. §. 12. Erat enim panis, qui ſupererat conſecrationi in particulas diſſectus, & in fine Miſſæ a Sacerdote iis diſtributus, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut non erant parati communicare. Id Græci, & Latini ſcriptores teſtantur Theodorus Balſamon *in Can.* 2. *Concilii Antiocheni*, Simeon Theſſalonicenſis *lib. de Divino Templo*, Nicol. Cabaſilas *in expoſitione Liturgiæ*, Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 67. Durandus in rationali *lib.* 4. *cap.* 53. Illis vero dumtaxat Eulogia præberi poterat, qui jus habebant ad communionem, cæteris negabatur, quibus vel nondum patebat aditus ad Euchariſtiam, vel ob aliquod crimen intercluſus erat; quales erant Catechumeni, Pœnitentes, & abſtenti a communione. Hoc edidit Theophilus Alexandrinus Can. 7. *Quæ in Sacrificii rationem offerunt, poſt ea quæ in ſanctorum uſum conſumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex iis bibat vel comedat, ſed ſolum Clerici; & qui cum eis ſunt fideles fratres.* Quia enim, ut explicat Balſamon, Altari oblata ſunt, & ex illis ſumptæ ſunt partes ad divina dona; qui ſunt imperfectiores ex iis edere non debent. Errant igitur, qui de Catechumenis aliter ſentiunt decepti loco quodam Auguſtini, quem male interpretati ſunt. Is lib. 2. de peccat. meritis & remiſs. cap. 26. ait: *Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari, & quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius*

Vide etiam, de Eulogiis Dominicum Guillel. Marloc. (p. 284. Hiſt. Metropolis Remenſis.)

quam

Errant qui decepti loco quodam Auguſtini, Catechumenis, non ſal, ſed panis Eulogias datas perperam arbitrantur. Item Eulogiarum variæ denominationes, & uſus.

quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt. At Auguſtinus non hic de pane, ut illi perperam exiſtimant, ſed de ſale loquutus eſt, quod Catechumenis dari ſolebat, ut Eruditis notum eſt (1). Negatas quoque (1)
Eulogias excommunicatis & graviorum criminum reis exemplo ſuo docuit Gregorius Turonenſis *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 15. agens de Meroveo Apoſtata, & *lib.* 8. *cap.* 20. de Urſicino Epiſcopo Cadurcenſi. Eamdem ob cauſam cautum eſt in Synodo Laodicena *Can.* 32. & in ſecunda Bracarenſi *Can.* 70. ne Fideles orthodoxi ab hæreticis Eulogias acciperent, quia cum illis communicare non debent. Solebant autem comœdi in Eccleſia, de qua re extat decretum Synodi Conſtantinopolitanæ tempore Alexi Comneni habitæ ad quintam Monachorum quæſtionem: quem ritum etiam a Latinis ſervatum legimus. Græci tamen recentiores, cum peregre proficiſcuntur, Antidoron ſive Eulogiam ſecum deſerre conſueverunt tanquam alexiterium in tempeſtatibus & periculis, ut ſcribit Goar in notis ad Euchologium *pag.* 155. Monachos item Cluniacenſes Eulogias in refectorio comediſſe antiquæ eorum conſuetudines teſtantur apud Lucam Dacherium *Tom.* 4. *ſpicilegii lib.* 2. *cap.* 30. his verbis. *Privatis diebus hoſtiæ non conſecratæ portantur in Refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis diſtribuantur*. Et infra *lib.* 3. *cap.* 12. Officium ſacriſtæ deſcribentes inter cætera ab eo agenda hoc recenſent. *Portat pyxidem cum hoſtiis non conſecratis in Refectorium, de quibus ſinguli prælibant, qui noluerunt, aut non potuerunt communicare*. Apud Chriſtophorum Brovverum *Antiquit. Fuldentium lib.* 3. *cap.* 12. extat libellus ſupplex Monachorum, quo inter cætera petunt, ut communionem fracti panis ante cibum quotidie ſumere non reſpuatur ſecundum exempla præcedentium Patrum. Et in Aquiſgranenſi Concilio cap. 68. decernitur, ut Eulogiæ fratribus a Presbyteris in Refectorio dentur, his nimirum, qui non communicaverant (2). Hæc enim, ut diximus, potiſſima cauſa fuit inſti- (2)
tutionis Eulogiarum, ut vices agerent Euchariſtiæ, & communioni ſuccederent, quæ olim frequentior erat. Nihilominus ſucceſſu temporis his etiam datæ ſunt, qui Euchariſtia refecti fuerant. Codinus *lib. de Officiis aulæ Conſtantinopol. cap.* 17. Imperatoris coronationem deſcribens; *Poſtquam*, inquit, *divinorum myſteriorum particeps effectus eſt, impoſita rurſus capiti corona egreditur ex tabernaculo, finitaque Liturgia & pane ſanctificato, quod antidoron nominamus, populo diſtributo, de quo poſtquam & ipſe participavit, & benedictionem a Patriarcha cæteriſque præſentibus Epiſcopis accepit, eorumque manus deoſculatus eſt, aſcendit ad locum Catechumenorum*. Idem aſſerit Cantacuzenus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 41. Permanſit hujus ritus veſtigium aliquod in quibuſdam Provinciis in quibus panis die feſto benedicitur, & in fruſta diviſus aſtantibus poſt Miſſam, etiamſi communionem perceperint, diſtribuitur in ſignum fraternæ communionis & charitatis. Ab hac vero publica & ſolemni Eulogiarum diſtributione aliæ privatæ exortæ ſunt inter Eccleſiaſticos & religioſos, qui ut ſupra oſtenſum eſt Lib. I. Cap. XXIII. panes ſibi invicem mittebant velut Symbolum Religioſæ fraternitatis (3). Atque hinc factum puto, ut nomen (3)
Eulogiarum, ad cujuſcunque generis munuſcula translatum ſit, loquendi formula ab Hebræis deducta, qui munus benedictionem appellant, ut 1. Reg. cap. 25. *Accipe benedictionem, quam attulit ancilla tua*: ubi in textu Hebraico eſt *Beracah*, in Græco *Eulogia*, quæ voces idem ſignificant. Sic Eulogias accipit S. Benedictus, cum *cap.* 54. *ſuæ regulæ* Monachis prohibet ne abſque licentia Abbatis ſibi invicem Eulogias mittant. Sic Marculſus *lib.* 2. *Formularum* exhibens formulam, qua Epiſcopus alteri

Epiſ-

Epiſcopo in reſurrectione Domini eulogias mittit. Sic Magiſter in regula *cap.* 76. modum præſcribens, quo debent ſuſcipi eulogiæ Miſſæ ad Monaſterium a Summo Pontifice, ſive a Sacerdotibus (4). Sic alii Scriptores paſſim, quos prætermitto; nam de eulogiis hoc ſenſu acceptis non eſt hic locus diſſerendi. Multa congerit de his Gretſerus lib. 2. de benedictionibus,

(1) *Ut Eruditis notum eſt.*) Videantur, quæ ſupra dicta ſunt lib. 1. cap. 16. §. 3. circa finem. Eminentiſſimo noſtro Scriptori ſuffragantur Michael Duſreſne Soc. Jeſu in Diſſertationibus Sacris, & Hiſtoricis de antiq. Sacram. ritibus, rebuſque in eorum uſu, & adminiſtratione controverſis Diſſert. 2. p. 1. cap. 1. apud ejus fratrem Carolum Duſreſne in Gloſſario med. & infimæ Latinit. vet. edit. Tom. 3. pag. 735. Etenim poſtquam de Sacramenti, myſteriique nominibus copioſe egerat, inter alia hæc addit, & obſervat apud Auguſtinum, ſalem, qui Catechumenis dabatur Sacramentum Euchariſtiæ loco cum Fideles communicarent, præſertim ad feſtos Paſchatis dies, atque adeo Catechumenis etiam Eulogiæ, ſeu Panes benedicti interdicerentur. Noviſſime etiam ex Proteſtantibus Petrus Zornius in ſua Hiſtoria Euchariſtiæ infantium cap. 17. §. 3. Balthaſarem Cellarium, licet ejuſdem ſuæ ſectæ Profeſſorem, aliter tamen ſentientem jure perſtringit, dicens nihil illius obſervatione ineptius, & inſulſius fingi poſſe; ajebat Cellarius in Diſſert. hiſtorica de Catechumenis, atque in hanc diſſerebat ſententiam cap. 4. §. 8. *Cum etiam ad Euchariſtiæ Sacramentum, a quo ſemper excludebantur Catechumeni, admitti non poſſent, peculiarem pro iis Miſſam, quam aliqui ſiccam vocant, Sancti Patres inſtituerunt, ubi loco Euchariſtiæ, panis, quem ſanctificatum vocant, iiſdem præberi ſoleat:* Hactenus Cellarius, quem cum cæteris ſymniſtis ſuis in hoc argumento tractando non ſatis verſatos eſſe Zornius ipſe pronunciat.

Indicantur nonnulli Authores, qui Card. Bonæ ſententiam tuentur.

Supereſt reſpondendum hoc loco R. P. Auguſtino Macedoni Minoritæ, viro per Litterarium Orbem admodum famoſo, qui in ſua Diſquiſitione Eccleſiaſtica de Azymo, & Fermentato cap. 6. pag. 190. plura, ut ibi aſſolet, contra Card. noſtrum obtrudit quoad memoratum S. Auguſtini textum, quem de ſale Cathecumenis dato, non de eulogiis optime interpretatur Cardinalis. Quia vero jam illi ad juſtas Liturgici Authoris vindicias abunde ſupra lib. 1. cap. 23. §. 3. edit. Rom. Tom. 1. pag. 154. ſatisfecimus, paucula hic tantum ſubdere viſum eſto. *Vellem,* (ait inter cætera Luſitanus Doctor de Card. Bona loquens) *ut mitius ageret, & ut aliquod ſuæ ſententiæ fundamentum afferret, ſed nullum prorſus adducit, ſua nixus authoritate, quam, &c.* Apage, itane apud Macedonem Cardinalis eminenti doctrina, ac ſingulari pietate omnibus clariſſimi tam deſpecta erit authoritas, ut illi ullo modo fidere non dignetur Conimbricenſis Magiſter? Cum alias nihil afferat hoc loco idem Purpuratus Princeps, niſi quod Eruditis notum eſt. Profecto inſcius incidens Macedo in foveam, quam fecit, vel invitus ſubdere cogitur, recte, & opportune dicens: *Quam authoritatem ego elevare nec volo, nec poſſum*, neque enim revera hanc Cardinalis aſſertionem nedum elevare, ſed nec infirmare poterit Luſitanus Minorita, cum eam apertiſſime prodant Concilii Carthaginenſis III. can. 5., quo ſtatuitur, *ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal*, & ratio additur: *Quia ſi Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari*. Quid clarius exprimi poterat juxta Synodi mentem, cui interfuiſſe Auguſtinus dicitur? Nulla hic mentio alicujus Panis benedicti Catechumenis dati, quinimmo prorſus excluſi per illa verba: *Non detur, niſi ſolitum Sal*. Numquid Macedoni unum, & idem erunt Panis, & Sal, ut hoc dumtaxat expreſſo Panis intelligi debeat? quis unquam audivit talia de erudito homine, qui ſibi ex placito ſuo fingit Panem benedictum, ſeu Eulogias Catechumenis datas, cum id nullibi in veterum ſcriptis traditum legatur.

Iterum reſpondetur P. Auguſtini Macedonis exceptionibus contra Card. noſtri ſententiam.

Audivimus hac de re Carthaginenſe Concilium, quod ſolitum Sal, non Panem, Catechumenis dari præcipit. Audiatur & iterum Auguſtinus, qui Confeſs. lib. 1. cap. XI., ubi de Catechumenatu ſuo loquens: *Signabar*, inquit, *jam ſigno Crucis ejus,* (Chriſti) *& condiebar ejus Sale*: De Pane profecto nihil habet. Auguſtino ſuffragatur Hieronymus in Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem, ubi ait: *Sal propterea Catechumenis datur in myſterio, ut nos eſſe ſal terræ, ideſt Dei ſapientiam, noſcamus*: Eodem ſenſu Ven. Beda Comment. in Eſdram lib. 2. cap. 9. Catechumenos initiari Sale ſapientiæ diſerte profitetur. Hunc autem antiquum Eccleſiæ morem a dicta Carthaginenſi Synodo, ac memoratis Patribus præſcriptum confirmant Capitularia Caroli Magni lib. 7. cap. 190., ſive ut alii legunt 263., ubi præcipiunt eodem modo, quo laudati Patres, nempe, *ut in Paſchate Sacramentum Catechumenis non detur, ſed tantum benedictum Sal a Sacerdotibus pro Communione tribuatur*. Vide & Addit. 4. cap. 63. & 76. Item Sacramentaria Leonis, & Gelaſii PP. apud Muratorium, alioſque jam ſupra Tom. 1., ſeu ad lib. 1. cap. 16. nota 4. & 5. pag. 342. indicatos veteres Canonum Collectores, ac Latinorum Rituum Expoſitores, quos longo agmine ſingulos referre non vacat. Horum nonnullos hactenus ineditos iis adjungendos refert Clar. Edm. Martene Tom. 1. de ant. Eccl. Rit., ubi de Sacramento Baptiſmi. Porro quamvis Auguſtino Macedoni plerique ſuffragentur in hac ſua ſententia clariſſimi noſtri temporis Scriptores, quos recitat dicta Diſſert. de Azymo, & Ferment. pag. indicata, quibus item adhærere non dubitat recentiſſimus P. Franc. de Berlendis

Cleric. Reg. Theat. in ſuo egregio Opere de Oblationibus noviſs. edit. §. 1. num XIV. pag. 33. & 34. Nihilominus nos iſta non movent; ita enim perſpicue, & clare ſe exprimunt Carthaginenſis Synodus, atque alii Patres, qui unanimi conſenſu, ut vidimus, Sal quidem Catechumenis dandum affirmant, non Eulogias, aut aliquem Panem benedictum, de quo apud ipſos hoc loco nulla fit mentio, clariſſime, inquam, aſſerunt, ut alibi nulla poſſint interpretatione traduci; ſi enim, non ſimpliciter Sal, ſed hujus nomine Panem Sale conditum, ut Caſalius cap. 2. de Ritibus, & Macedo loco citato pag. 196. adſtruere nituntur, voluiſſent dicti Patres intelligi, id profecto abſque dubio diſerte annuiſſent, ſicut alias in conſimilibus rebus eos feciſſe comperimus; cum vero *Sal tantum benedictum a Sacerdotibus* Catechumenis dandum, & non aliud, hoc certe ipſum ſolum eos intelligi voluiſſe tenendum eſt.

Quodque ita profecto ſit, aſſeveranter tradit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſc. nobilis ineuntis ſeculi ſeptimi Scriptor, & dictis antiquis Patribus vicinus, lib. 2. Offic. Eccleſ. cap. 20., ubi de Catechumenis loquens, inter cætera hæc habet: *Sales autem in miniſterio Catechumenis dandos a Patribus ideo eſt inſtitutum, ut eorum guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque diſſipentur a ſapore Chriſti, nec ſint fatui, & retro reſpiciant, &c.* His tamen non obſtantibus, adhuc in ſua perſiſtens ſententia opponit Macedo, & dicit pag. 195. *Nuſquam legere me in Auguſtino memini Sal pro Sacramento dari Catechumenis, immo nec in aliis Patribus. Lego quidem Salem baptizandis porrigi, & inter Sacramentalia recenſeri: pro Sacramento nunquam legi.* Hæc, & alia bene multa in hunc ſenſum profert Luſitanus Theologus.

At magno iſti noſtri Cardinalis Antagoniſtæ reſpondentes miramur admodum, & valde obſtupeſcimus eximium hunc omnigenæ eruditionis virum, atque Sanctorum Patrum, ut ita dicam, helluonem, in ipſo Auguſtino, cujus textum refert pag. 193. lib. de catechizandis rudibus cap. 26. num. 50. non advertiſſe, quod ibi Sanctus Eccleſiæ, ac primi ſubſellii Doctor de Sale Catechumenis dato ſic ſcribit: *De Sacramento Salis, quod accipiet* (Catechumenus) *cum ei bene commendatum fuerit, &c.*, ubi plura ſubdit circa hanc Salis benedicti in os Catechumeni immiſſionem, quam Sacramentum vocat, unde expreſſe ait lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 21. *An Catechumeni Sacramentum, Baptiſmi Sacramento præferendum putamus?* Ritus ſcilicet, ac cœremonias, quæ Catechumenis ante Baptiſmum adhibentur, quas idem Auguſtinus tract. 4. in Joannem *Sacramenti* nomine donat. Sed cæteris ante Baptiſmum adhiberi ſolitis ritibus, hunc, quo Sal peculiari benedictione conſecratus dabatur Catechumenis, per antonomaſiam *Sacramentum* appellarunt veteres, *Catechumenorum* propterea dictum, Sacramenti vocabulo latius accepto, uti tamquam de ſigno rei ſacræ optime exponit Clar. Carolus Duſreſnius in Gloſſario med. & inſr. Latin. ex noviſs. edit. Veneta Tom. 6. col. 28., cui lubenti calamo inter alios recentiores Theologos ſubſcribit Anonymus ex Ord. Prædic. Doctor Sorbonicus de Re Sacramentaria contra Hæreticos lib. 2. cap. 4. Tom. 1. pag. 195. quæſt. 15., ubi ad hanc interpretationem: „ Quid „ ergo S. Auguſtinus, aliique Patres intelligant nomine Sacramentorum, quæ Catechumenis conſerri ſolita fuiſſe affirmant? „ Reſpondet illos Sacramenti nomen improprie ſumere pro eo omni, quod rei ſacræ „ ſymbolum eſt, etſi gratiæ conferendæ virtutem non habeat: negare autem non poſſumus, inquit: *Salis deguſtationem, inſufflationem in aures, exorciſmos*, aliaque ejuſdem generis, quæ erga Catechumenos antiquiſſima traditione ſervantur, ſacram ſignificationem habere, & ad Baptiſmum, „ aliaque Sacramenta ſuſcipienda diſponere. Hæc ille, quibus conſonant ea, quæ Operis initio Tom. 1. pag. 1. & 2. profert de multiplici vocis Sacramenti ſignificatione. Atque hactenus dicta ſint ſatis ad vindicandam Cardinalis noſtri ſententiam de Sale Catechumenis dato, non autem Pane, uti perperam ſuis inopportunis exceptionibus Auguſtinus Macedo propugnare contendit.

(2) *Qui non communicaverant.*) Antiquæ etiam Conſuetudines Monaſt. Floriacenſis de die Cœnæ Domini agentes, *Ipſa die*, inquiunt, *Sacerdos cantat Miſſam de die ad centum pauperes, & finita Miſſa ſingulis ſingulæ dantur hoſtiæ non conſecratæ.*

(3) *Velut ſimbolum religioſæ Fraternitatis.*) Idque item evincitur magni Arſenii teſtimonio, nam ut refert Author incertus de vitis Patrum, interprete Pelagio Romanæ Eccleſiæ Diacono lib. 15. nu. 8. Cum quidam caricas Monachis miſiſſet, non ſunt auſi partem ex eis Arſenio tranſmittere, quia paucæ erant; ille autem cum hoc audiſſet, non eſt egreſſus juxta morem ad opus Dei cum Fratribus celebrandum dicens, excommunicaſtis me, quia non dediſtis Eulogiam, ex qua non fui dignus accipere. Quo audito ædificati ſunt omnes, & Presbyter portans ei de caricis illis, adduxit eum in Congregatione gaudentem; Marcum Epiſcopum ob ſpretam Eulogiam punitum Auctor vitæ S. Melanis ſcribit apud Bollandum die 6. Jannarii. Porro de formula benedictionis Eulogiarum vide Tom. I. Hiocmari p. 711. c. 7. De triplici genere Eulogiarum vide ſupplem. Concil. Gall. 69. 2.

(4) *A Summo Pontifice, ſive a Sacerdotibus*,) Sic etiam Leo IV. in Epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ, *de Eulogiis*, inquit, *ad ſacra Concilia deferendis nihil invenimus a Majoribus determinatum, ſed ſicut unicuique Presbytero placuerit.*

CAP.

CAP. XX.

Ablutio, & gratiarum actio poſt Communionem. Orationes pro his, qui communicarunt. Oratio ſuper populum. Dimiſſio aſtantium, dicente Diacono, Ite Miſſa eſt. *Cur hæc dimiſſio certis diebus omittatur. Conſummatio Miſſæ, & populi Benedictio. Ejus origo, & ritus diverſi. Evangelium poſt Miſſam. Uſus ipſius recentior. Receſſus Sacerdotis ab Altari. Hymnus trium puerorum. Sacrarum veſtium depoſitio. Finis Libri.*

§. I.

Ablutio, & gratiarum actio poſt Communionem.

Diutius in diſquiſitione Communionis immorati ſumus, ita exigentibus priſcis Eccleſiæ inſtitutis, jam ad finem Divini Sacrificii accedendum eſt. Poſtquam omnes communicaverunt, ait Micrologus *cap.* 23. dicit Sacerdos, *Quod ore ſumpſimus*, (1) *Domine, pura mente capiamus* (1), *& de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum*. Hanc orationem ſecreto recitandam plerique Codices MSS. inſinuant. Altera, quæ nunc dicitur, cum digiti, & Calix abluuntur, videlicet, *Corpus tuum, Domine, quod ſumpſi, &c.* carent veteres libri, nec eam reperi, niſi in Miſſa edita ab Illyrico (2). Lotionis manuum poſt Communionem (2) mentio fit in Ordine Romano, ſed non ablutionis, quæ nunc ſumitur a Sacerdote; tantummodo monet, ut Diaconus caute procuret, ne quid in Calice, aut Patena Sanguinis, vel Corporis Chriſti remaneat. Ritus Miſſæ a Joanne Epiſcopo Abrincacenſi deſcriptus apud Menardum poſt Communionem Sacerdotis, & aliorum, ait: *Particulam, quæ in Calice remanſit, Sacerdos ſumat, & poſt Diacono Calicem ad mundandum, & ſumendum quod remanſit, porrigat, qui in ſiniſtrum cornu Altaris Calicem cum Patena deferat, ubi partem ſibi accipiat, & partem Subdiacono tribuat. Poſt mundato utroque utrique participent. Acolythus vero alterum Calicem Sacerdoti ad mundandos digitos deferat.* Sed quid fieret de ablutione, non dicit: puto autem projectam in Sacrarium (3), nam in antiquis Eccleſiis, præſertim Monachorum ſingula (3) Altaria a parte epiſtolæ parvam habent piſcinam in hunc uſum paratam. In libro Uſuum Ordinis Ciſtercienſis *cap.* 53. hic modus ablutionis præſcribitur. *Si quid reſiduum fuerit de Sanguine, bibat illud Diaconus cum Calice, poſtquam fiſtulam reddiderit Subdiacono. Quam fiſtulam antequam reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte ſugendo a Sanguine Domini evacuet, Subdiaconus vero tenens fiſtulam contra faciem ſuam in tranſverſo, eat ad Sacerdotem per retro Altare miniſtrare vinum in Calice. Qui, recepto Calice, reſpergat digitos ſuos in ipſo, quem ponens ſuper Altare, eat ad piſcinam abluere in ipſa digitos aqua. Quibus terſis redeat ad Altare ſumere vinum, quod dimiſit in Calice. Quo ſumpto, iterum aſpergat Calicem vino. Quo hauſto ponat illum non reclinatum ſuper Altare juxta patenam.* Eadem fere leguntur in aliis Ritualibus Monachorum poſt annum milleſimum ſcriptis. Nihil autem antiquius occurrit, niſi quod ſemper ſumma diligentia Miniſtri Altaris curarunt, ne quæ reliquiæ Sacramenti, ut ſuperius diximus, peracta Synaxi remanerent, iis particulis exceptis, quæ pro communicandis infirmis conſervabantur.

De Orationibus ſecreto dicendis poſt Communionem.

(1) *Quod ore ſumpſimus, &c.*) Antiquiſſima eſt hæc Oratio, & reperitur in Sacramentariis Leonino, & Gelaſiano, quibus tamen deeſt vox *pura*, & additur *quæſumus* ante *mente*.

(2) *In Miſſa edita ab Illyrico.*) In Miſſali Meldenſi ante Communionem dicit Sacerdos: *Domine Jeſu Chriſte* .... deinde meditatur aliquantulum ſilens, & communicat, dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam meam in vitam æternam*: Ex bibens Sanguinem: *Sanguis Domini noſtri* ... ... Deeſt *Domine, non ſum dignus*, & poſt communionem dicit: *Perceptio Corporis, & Sanguinis .... non veniat in judicium*: Accipit ablutionem dicens: *Quod ore ſumpſimus*. Vino perfuſionis ſumpto, lavet manus, lavandoque dicat: *Nunc dimittis ſervum tuum in pace .... Gloria Patri ....* lotis manibus Sacerdos ad Altare reverſus extergat Calicem linteo. Concilium Colonienſe anno 1280. Sacerdotibus, ſi plures Miſſas celebraverint, ita præſcribit: *Et nunc in prima Miſſa poſt perceptionem Sanguinis non utatur ablutione vini, & aquæ, ſed reſervet in tuto, & honeſto loco, & eam accipiat in ſecunda Miſſa, vel det honeſtæ Perſonæ jejunæ, quam noverit ad hoc eſſe paratam*. Concilium Nemauſenſe anno 1284. cap. de Euchariſtia: *Præcipimus, quod in Calice magis de vino, quam de aqua ponatur, & quod Sacerdos totum accipiat Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum. Duas receptiones faciat juxta conſuetudinem Eccleſiæ Nemauſenſis, videlicet primam de vino puro tantum, ſecundam de vino, & aqua, & cum iſta ſecunda ſimul perſundat digitos ſuper Calicem, & poſtea accipiat*.

Innoc. III. (Cap. Ex parte de celebratione Miſſ.) rogatus fuit primo: *An Sacerdos poſt Sacramenta ſumpta perfundere debeat manus*. Secundo, *quo cum liquore*. Tertio, *utrum illam perfuſionem debeat ſumere*. Quarto, *an poſt illam ſumptam debeat, ſeu poſſit iterum celebrare*. Ad hæc ſcripſit Pontifex: *Semper Sacerdos debet vino perfundere, poſtquam totum accepit Euchariſtiæ Sacramentum, niſi cum eodem die aliam debuerit Miſſam celebrare, ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, aliam celebrationem impediret*. Ante hunc Pontificem autem nulla ablutionum mentio, nec apud Amalarium, Alcuinum, Rupert. Radulphum Tungren. Microl., Hugonem a S. Victore, alioſque; Doctor Alexander de Ales 4. parte quæſt. 37. art. 2. ſect. 4. *His peractis* (ait) *Sacerdos abluit manus, non quia aliquid immundum ex contactu Dominici Sacramenti contraxerit, ſed potius ob reverentiam Sacramenti, & ut indignitatem ſuam memoret, & ut indignum exiſtimet, ut manus, quæ Corpus incorruptibile contrectaverunt, corpus corruptibile, vel aliud immundum contingant, donec ſtudioſe laventur; & etiam, ut ſi quid incaute inhæſerit manibus, ex contactu Dominici Sacramenti abluatur. Ablutionis autem aqua debet in locum mundum honeſte diffundi, ut altitudo Sacramenti reverentius honoretur. Trina vero Sacerdotis ablutio; in principio, in medio, & in fine deſignat munditiam cogitationis, locutionis, & actionis*. D. Thomas 3. part. qu. 83. art. 5. ad 10. *Quod vinum ratione ſuæ humiditatis eſt ablutivum, & ideo ſumitur poſt ſuſceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad rationem Sacramenti*. Unde extra de celebr. Miſs. cap. ex parte: *Semper Sacerdos .... eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Chriſti tetigerit*.

Cur Sacerdos abluat digitos poſt ſumptionem Sacramenti, & cur ipſos ter abluat.

Leo Papa IV. in Orat. Synodali ad Parochos Tom. VIII. Concil. Labbei: *Locus* (ait) *in Secretario, aut juxta Altare ſit præparatum, ubi aqua effundi poſſit, quando vaſa ſacra abluantur, & ibi linteum nitidum cum aqua dependeat, ut ibi Sacerdos manus lavet poſt communionem*. Idem præſcribit in ſuis Conſtitut. Ratherius Veronenſis Epiſcopus, in Conciliis Labbei Tom. IX. col. 1268. Sanctus Uldaricus in veteribus Uſibus Cluniac. lib. 2. cap. 30. *Si quid aquæ remanſerit in Calice inter lavandum, effundit in caveam de lateritiis tegulis factam in proximo Altaris, ſicut altera facta eſt paululum remotius, ubi Diaconus, & alii ſubminiſtri manus ſuper eam lavent*. In antiquis Uſibus noſtri Ordinis Ciſter. cap. 21. 53. poſt Communionem: *Sacerdos Calicem ponens ſuper Altare, eat ad piſcinam abluere in ipſa digitos aqua, quibus terſis ad medium linteum ad hoc ipſi paratum, redeat ad Altare ſumere vinum, quod dimiſit in Calice*. In Statutis antiquis Eccleſ. Rotomagenſis, quæ creduntur edita circa initium ſeculi 13. ſub Archiepiſc. Petro de Collomedio, ſic legitur: *Provideant Presbyteri, quod piſcinas habeant juxta Altare decentes ablutionibus curſum liberum exhibentes, nec ſine opertorio relinquantur*. Ita pariter in Conſtit. Synod. Odonis Epiſcopi Pariſienſis cap. ult. nu. 24. 28. in Conciliis Labbei Tom. X. col. 1801. In Concil. Salmurienſi an. 1253. cap. 3. In Synodo Bajocenſi ann. 1300. cap. 21. 22., & apud Durandum in Rationali lib. 1. cap. 1. num. 39. Juxta plura item antiqua Miſſalia, Carnutenſe, Antiſſiodorenſe, Trecen. Meldenſe, &c. Sacerdos ab Altari ad piſcinam procedens dicebat: *Agimus tibi gratias, &c.*, & Canticum *Nunc dimittis, &c.*

De Orationibus dicendis in Purificatione Calicis, & digitorum ablutione.

Nunc in purificatione Calicis dicitur: *Quod ore ſumpſimus, &c.* Quæ Oratio ſeculo 9. in ſingulari dicebatur a Fidelibus, qui communicaverant, ſcilicet: *Quod ore ſumpſi, Domine, mente capiam*. Ex Horis Caroli Calvi, vulgo dictis. Quod idem legitur in Miſſali ſec. 12. Abbatiæ Martianæ Diœceſis Atrebaten., & aliis, quæ refert Le Brun pag. 637. Tom. 1. Oratio hæc antiquiſſima eſt, & dicebatur in fine Miſſæ in nocte Nativit. Domini in Miſſali Goth. Cod. Sacram. p. 265., & in 4. Ordine Romano. Ad ablutionem autem Calicis, & digitorum dicitur: *Corpus tuum, Domine, &c.*, quæ Oratio excerpta eſt ex vetuſſimo Miſſali Gothorum, in quo ſic legitur: *Corpus tuum, Domine, quod accepimus, & Calicem tuum, quem potavimus, hæreat in viſceribus noſtris; Præſta Deus omnipotens, ut non remaneat macula, ubi pura, & ſancta intraverunt Sacramenta*. Ita habetur apud Card. Thomaſium Cod. Sacram. Eccl. Rom. pag. 392., cui etiam conſimilis legitur in Miſſa edita a Matthia Flacco Illyrico, credita antiqua Miſſa Latina, de qua alias

nonnulla

nonnulla dicta ſunt, & dicentur in fine hujus Tomi. In Ordine Romano 10. nu. 15. legitur: *Feria ſexta præſenti*, (loquitur de die Paraſceve) *& quando celebratur pro defunctis; perfuſionem facit in Calice*. Ordinem hunc eſſe ſeculi XI. conjicit Pater Mabillonius; ſed nullum recognoſcit fundamentum ad præfigendum hoc tempus; unde ſcriptus fortaſſe fuit an. 1200. Ita Le Brun Tom. 1. 4. parte art. 9. pag. 637., qui & opinatur ex Miſſali Gothico deſcriptam dictam Orationem, & in reliquarum Eccleſiarum poſtea uſum introductam. Eadem Oratio, ſed aucta legitur in Codice inſignis Eccleſiæ Sancti Gatiani Turonenſis ann. circiter 800. edito a Martene lib. I. de antiq. Eccl. Ritib. cap. 4. art. 12. p. 536. *Corpus tuum, quod ſumpſi, Domine Deus meus Jeſu Chriſte, & Sanguis tuus, quem potatus ſum, adhæreat, obſecro, in viſceribus meis, & non ſit mihi in judicium, & damnationem, ſed ſit mihi in refugium, & ad ſalutem animæ, & corporis, & proficiat mihi peccatori, & his omnibus, pro quibus tibi obtuli, Salvator Mundi, Rex Gloriæ, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis*; In MS. Pontificali Prudenii Trecenſis Epiſcopi ab eodem Martene vulgato pag. 533. ita refertur: *Corpus Domini noſtri, quo paſti ſumus, & Sanguis ejus, quo potati ſumus, adhæreat in viſceribus noſtris, & non nobis veniat in judicium, neque ad condemnationem, ſed proficiat nobis ad ſalutem, & ad remedium vitæ æternæ. Amen, &c.*

(3) *Puto autem projectam in Sacrarium.*) Probabilius ſumptam cenſerem a Sacerdote. Id namque præſcribit Uldaricus in Conſuetudinibus Cluniacenſibus, quas in hac re non conſtat a reliquarum Eccleſiarum uſu fuiſſe diverſas: *Mox autem*, inquit Uldaricus lib. 2. cap. 30. *Ut ille Miniſter, qui ſuperat, digitis Diaconi vinum ſuperfudit, accedit extra reclinatorium, deferens alium Calicem minorem cum ampulla, quam ſubminiſtravit Diacono, & poſt ab eodem recipit, ut Sacerdos quoque digitos illos lavet, quibus Dominicum Corpus tractavit, quos nunquam in majoris Miſſæ Calice abluere licet: Quo ſumpto, iterum vinum in Calice funditur, ut ipſe aliquantulum Calix abluatur, & a Sacerdote ſumitur.* Idem ſtatuunt Conſuetudines MSS. Divionenſes Sancti Benigni apud Martene de antiq. Monach. Ritibus lib. 2. cap. 4. pag. 191. *Mox autem*, inquiunt, *ut Subdiaconus cum ſcutella diſcedit, ille Miniſter, qui digitis Diaconi vinum ſuperfudit, accedit deferens ſiniſtra linteolo involuta Calicem: dextra vero ampullam cum vino, ut Sacerdos quoque lavet digitos illos, quibus Dominicum Corpus tractavit. Quo ſumpto iterum vinum in Calicem funditur, ut ipſe etiam Calix aliquantulum proluatur, & a Sacerdote ſumitur, quod dum ſumit, faciem verſus Altare, & verſus Orientem vertit.*

Ablutionem digitorum probabilius a Sacerdote ſumptam fuiſſe videtur, quam in Sacrarium projectam.

§. II.

Orationes pro his, qui communicarunt. Oratio ſuper Populum.

Diaconus vero ex præſcripto Ordinis Romani videns omnes com-
municaſſe, faciebat ſignum Crucis in fronte, ut Prior ſcholæ can-
torum ex eo intelligeret, quando deberet poſt Antiphonam, quæ Com-
munio vocatur; gloriam S. Trinitati pſallere, & verſum repetere. Olim
enim poſt ipſam Communionem pſalmus, & Diacono innuente, verſicu-
lus *Gloria Patri* cantari ſolebat, cum Antiphonæ repetitione. Tum ſur-
gens Pontifex e ſede ſua, & veniens ad Altare, dabat orationem ad
complendum (1). Sic enim in libro Sacramentorum S. Gregorii nun- (1)
cupatur Oratio, quæ nunc dicitur Poſtcommunio, quia nimirum ea re-
citata pro gratiarum actione, Sacrificium completur. Optime Auguſtinus
differens de Sacramentorum celebratione epiſt. 59. ad Paulinum, *Parti-
cipato*, inquit, *tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*. Porro
iſtæ orationes pro communicantibus inſtitutæ ſunt, quando omnes, vel
plerique, qui aderant Sacrificio, communicabant: nam & ipſum Com-
munionis vocabulum improprie hic uſurparetur, niſi plures de eodem
Sacrificio participarent. Quamvis autem mos ille deſierit, nihil tamen
in orationibus immutatum eſt; ſed ideo retentæ ſunt, ut ſciamus quid
olim factum ſit, & ex ipſo precationum tenore ad priſtinum fervorem
excitemur. Accedit & alia ratio, quam tangit Walfridus Strabo *cap.*
22. quia licet totius Miſſæ decurſu pro his maxime, & quaſi nomina-
tim oretur, qui ibi offerunt, atque communicant: cæteri tamen in
fide, & devotione offerentium, atque communicantium perſiſtentes,
ejuſdem oblationis, & communionis participes fiunt, tanquam ejuſdem

actionis

Digitized by Google

actionis cooperatores. Hinc infert Radulſus Tungrenſis *propoſ.* 23. ante has orationes communicare eos debere, qui earundem orationum benedictione foveri deſiderant: neque ut fieri ſolet cum notabili ſacrorum Rituum tranſgreſſione uſque ad finem Miſſæ differenda communio (2). (2)
Eſt & alia oratio, quæ dicitur ſuper populum, quam Amalarius *lib.* 3. *cap.* 37. ultimam benedictionem vocat, & potiſſimum in Quadrageſima frequentatur, Diacono præcinente *Humiliate capita veſtra Deo*. Cur vero hæc addi ſoleat, diebus præſertim ſolemnis jejunii ſic ediſſerit Micrologus cap. 51. *Orationem ſuper populum in Quadrageſima ideo frequentamus, quia oratio poſt Communionem pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem & ſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, ut Communione careret, adjecta eſt oratio ſuper populum, in qua non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus perſolvebatur. Vel potius ideo quia omnes juxta atteſtationem S. Ambroſii in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio poſt Communionem pro benedictione ſufficere poſſet*. Aliam rationem affert Honorius in gemma animæ *cap.* 67. dicens: *Statutum eſt, ut panis poſt Miſſam benediceretur, & populo pro benedictione Communionis partiretur: ſed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit* propter jejunium, *orationem ſuper populum dici Eccleſia inſtituit, ut per hanc particeps Communionis ſit*. De hoc enim Fideles ſemper ſolliciti fuerunt, ut ſecum invicem unionem, & communicationem ſervarent, vel Euchariſtiæ participatione, vel Eulogiæ, ſeu antidori, quod loco ſacri doni dabatur, perceptione, vel ſaltem mutuo orationum conſortio (3). In libro Sacramentorum Sancti (3)
Gregorii, & in nonnullis Miſſalibus MSS. ſunt in pleriſque Miſſis etiam extra Quadrageſimam hujuſmodi orationes ſuper populum, quas ex veteri Anglicano Miſſali ſuæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ *Tom.* 3. *p.* 2. inſeruit Cornelius Schultingus. Excepta autem hac oratione ſuper populum, tot ſunt numero Collectæ ad complendum, quot initio dictæ ſunt: quibus recitatis ſalutat populum Sacerdos conſueta formula *Dominus vobiſcum*.

(1) *Dabat Orationem ad complendum.*) Sub Communionis finem, qua Fideles juxta varios Eccleſiarum ritus, quorum nonnullos ſupra deſcripſimus, olim Corpus, & Sanguinem Domini participaverant, tunc Sacerdos celebrans in Miſſa ſolemni Cantoribus innuebat ut finem Antiphonæ, quæ in Miſſalibus vocatur *Communio*, imponerent, & cantarent *Gloria Patri, &c.*, qua populi Communio abſolvebatur: ac proinde ſic ait Ordo Romanus III. *Finita Antiphona, quæ repetitur ad repetitionis verſum, Pontifex ad Altare dat Orationem ad complendum*: Quæ Oratio in noſtris Miſſalibus vocatur *Poſtcommunio*, olim dicta *Complenda*, cum ſit illa poſt Communionem ultima Miſſæ Oratio, de qua Guillelmus Durandus in Rationali lib. 4. cap. 56. *Antiphona*, inquit, *quæ Poſtcommunio a pluribus nuncupatur, ideo ſic appellata eſt, quoniam poſt Communionem, ſive in ſignum, quod Communio expleta eſt, concinitur*. Ob hunc veterem Eccleſiæ ritum in omnibus Liturgiis, ac Cœremonialibus confirmatum, tempus ad diſtribuendam Euchariſtiam illud ſemper aptius, ac convenientius exiſtimatum fuit, quod inter Sacerdotis Communionem, & hanc poſtremam Orationem intercedit: *Eſt autem legitimum tempus* (inquit Walafridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 22.) *communicandi ante ultimam Orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis eſt, qui communicant*: Et ipſa Eccleſia inter Miſſalis Romani Rubricas idem præſcribens, hoc in loco Celebrantem admonet: *Si qui ſunt communicandi, eos communicet*. Quamobrem inter Acta Eccleſiæ Mediolanenſis ad hanc diſciplinam, quoad fieri poteſt, ſartam, tectamque ſervandam hæc verba leguntur: *Hoc inſtitutum Parochus ſervare ſtudeat, ut quod antiquiſſimi juris eſt, intra Miſſarum ſolemnia poſt Sanguinis ſumptionem, præbeat Sacram Euchariſtiam*. Sed de hac re mox dicemus in Nota ſequenti.

(2) *Uſque ad finem Miſſæ differenda Communio.*) Confirmat hoc loco Cardin. noſter id, quod antea dixerat ſupra cap. 17. §. 6. his verbis: „ Recte vero obſervat Morinus „ lib. 8. de Pœnitentia cap. 14. ſervatum

„ antiquitus in Eccleſia Corpus Chriſti prop-
„ ter infirmorum communionem, addens ho-
„ diernam conſuetudinem plures particulas re-
„ ſervandi ad fideles in ipſa Eccleſia, etiam
„ extra Sacrificium communicandos a Men-
„ dicantibus primum introductam, & ab aliis
„ deinde uſurpatam ipſo Romano Rituali re-
„ fragante, in quo nunc etiam decernitur
„ propter infirmos aſſervari. Sanis veteri ritu
„ nullus erat communionis uſus extra Sacri-
„ ficii actionem, niſi cum permiſit Eccleſia
„ ut accepta myſteria domum deferrent: Ita
„ ibi noſter Liturgicus Doctor. Quamvis autem vera ſint iſta, præcipue in Miſſa ſolemni, de qua maxime videtur loqui idem Em. Scriptor; nihil tamen obſtat quin hodierna conſuetudo, ut ut fuerit a Mendicantibus primum introducta, communicandi ſcilicet fideles in Eccleſia quidem, ſed poſt Miſſam, vel etiam extra ejuſdem Sacrificium de particulis ad hunc effectum in Pyxide reſervatis, una ex iis obſervationibus Eccleſiaſticis extet, de quibus inquit Tertullianus initio Libri de velandis Virginibus: *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis &c. Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ, & converſationis admittunt novitatem &c.* Quemadmodum ſupra Tom. 1. ad lib. 1. cap. 6. plura de hiſce Rituum varietatibus paulatim in Eccleſia proceſſu temporis invectis congeſſimus ibi pag. 91. & ſeqq. Hinc idem ibidem cap. 2. de hujuſmodi rebus ad diſciplinam ſpectantibus loquens in hæc verba concludit ad noſtrum propoſitum opportuna: *Non poſſumus*, ait, *reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis. Una nobis, & illis fides &c. Semel dixerim una Eccleſia ſumus; Ita noſtrum eſt quodcumque noſtrorum eſt.* Sic ex antiquiſſimo adoleſcentis Eccleſiæ conſuetudinum Africano Scriptore hodierna hujuſmodi obſervantia, de qua nobis ſermo, quamvis aliquot tantum ab hinc ſeculis, ut creditur a Mendicantibus introducta, etiamſi a primitiva diſſimilis, ex his profecto nihilominus eſt, *quæ jam diſciplinæ, & converſationis admittunt novitatem*, utpote quæ non extranea, ſed ab iis invecta, *cum quibus communicamus jus pacis, & nomen fraternitatis*. Quamobrem dum ſciente, & non reclamante Eccleſia jam a longo tempore ab aliis Sacerdotibus extra Mendicantes, admiſſa, atque etiamnum hodie pleriſque in locis uſurpata, & ad praxim fere communem deducta nemine contradicente perſeverat, nihil aliud nobis concludendum occurrit, niſi quod cum præfato Tertulliano dicendum videtur: *Non poſſumus reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, utpote non extraneam &c.*

De communione Populi extra Miſſam ex hodierna conſuetudine, an licet antiquæ praxi difformis, toleranda ſit, ac permittenda.

Et ſane, ut cum D. Thoma Aquinate loquar, qui prima ſecundæ ſummæ Theolog. quæſt. 107. art. 4. in corp. in hiſce inſtitutis poſtmodum recenter inductis ex diſpoſitione Sanctorum Patrum, ait eſſe *moderationem attendendam, ne converſatio fidelium oneroſa reddatur*: Quod & multo antea dixerat de iiſdem Auguſtinus Epiſt. 119. ad inquiſitiones Januarii de quibuſdam, ubi etiam ait, *quod ipſam religionem noſtram, quam in manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam, nec ſervilibus oneribus premi*. Ne igitur communio adſtantis populi intra Sacrificium ex frequentato Eccleſiæ uſu poſt Sacerdotis communionem diſtribuenda, iis, qui non communicant, & finem Miſſæ, ut integre præcepto ſatisfaciant, expectare coguntur, gravis nonnihil, & oneroſa ut plurimum reddi contingat, ideo prudenter Gavantus Commentar. in Rubricas Miſſalis Rom. Parte II. tit. x. num. 6. hæc ſequentia ſubdit, dicens quod „ Regulariter
„ hoc loco facienda eſt communio ex Ama-
„ lario Præf. ad lib. de Eccl. Off. & Walafr.
„ cap. 22. ſed hodie, quia plurimi exoptant
„ finem Miſſæ, & eos tædet expectare alios
„ ut communicent, præſertim ſi multi ſint
„ communicandi, differri ſolet communio
„ uſque ad peractam Miſſam: Tolerandum
„ videtur, ſi multi communicent, non au-
„ tem ſi pauci: Et ii fortaſſe privantur fru-
„ ctu Orationum earum, quæ poſt Commu-
„ nionem dicuntur, ut notat Micrologus cap.
„ 19. *Ante has Orationes*, inquit, *communi-*
„ *care non negligant quicumque earumdem Ora-*
„ *tionum benedictione foveri deſiderant*. Gavanto ſubſcribit Clar. Meratus ipſius Annotator num. XXIII., qui & ſequentibus numeris plura de miniſtranda Euchariſtiæ communione Fidelibus adſtantibus ſcite, & luculenter diſſerit.

Toleranda videtur hæc conſuetudo, ſi multi fuerint communicandi, non vero, ſi pauci.

Ita & alter noviſſimus ejuſdem inſtituti Cler. Regul. Theatinorum egregius Scriptor Franciſcus de Berlendis in ſuo Opere de Oblationibus Commun. §. v. num. 8. edit. Ven. pag. 153. ubi petita venia, ac præſtito, ut decet, laudatis Joanni Morino, & Cardinali noſtro ſummis viris in re Liturgica peritiſſimis, reſpective ipſis convenienti omni venerationis obſequio, nihilominus contra eorum ſententiam ſupra expreſſam pluribus oſtendere nititur „ Antiquiſſimis, & remotioribus
„ Eccleſiæ ſeculis (ideſt multo ante exortos
„ Mendicantium Ordines), interdum con-
„ ſuetudinem viguiſſe etiam extra Miſſam
„ fidelibus ſanis Euchariſtiam elargiendi. Et poſt nonnulla: Omnibus, inquit, omiſſis,
„ de quibus compertum eſt extra Sacrificium,
„ Euchariſtia conſervata communicaſſe, dico
„ in promptu eſſe rationes, & exempla,
„ quibus probari poteſt Euchariſtiam in Ec-
„ cleſiis etiam pro aliis cuſtoditam fuiſſe,
„ prout eorum pietas, aut neceſſitas exige-
„ re poterat, pro quo demonſtrando poteſt
„ quidem a caſibus modo narratis non leve
„ efformari argumentum. Quandoquidem ſi
„ nulla aderat deformitas fidelibus Euchari-
„ ſtiam concedendi, nedum extra Sacrificium,
„ verum etiam extra Eccleſiam, ſecum eam
„ deferendi, propriis manibus, domi, in iti-
„ neribus, in locis deſertis illam ſumendi,
„ nihil indecorum, immo major fuiſſe vi-
„ detur decentia ipſam in Eccleſiis eis di-
„ ſtribuere, utique extra Sacrificium, a Sa-
„ cerdotibus tamen, dum ſecus fieri nequa-
„ quam poſſet; nam quamvis verum ſit quod
„ adſtantes Sacrificio, ejuſdem etiam debe-
„ rent eſſe participes, nullum tamen mihi

„ licet

„ licet diligenter inquirenti datum unquam „ eſt ſtatutum videre, quo in Eccleſiis pro- „ hibeatur extra Sacrificium Communio illis, „ qui Sacrificio intereſſe nequiverant. Hactenus recens de antiquis Oblationibus Scriptor, qui & bene multa in eam diſciplinam olim etiam uſu receptam alicubi fuiſſe, ac veterum aliquot Sanctorum exemplis comprobatam evincit. Deinde iis, tum ex ſubſequentibus Eccleſiæ ſeculis fuſo calamo relatis ita concludit pag. 162. „ His tanquam neceſſariis „ notitiis præmiſſis modo ſermonem ſic in- „ ſtituamus. Si S. Hieronymus duabus ſuis „ Epiſtolis teſtatur Fideles Romæ ſuo ævo „ quotidie Euchariſtiam accepiſſe, & addu- „ ctis auctoritatibus Socratis, Sozomeni, S. „ Innocentii, Liturgiarum, Scriptoris Ponti- „ ficalis, & Grimoldi aperte oſtenditur Ro- „ mæ S. Hieronymi ætate quoſdam hebdo- „ madæ dies fuiſſe aliturgicos, & ſine Sa- „ crificio (de quibus ſupra actum eſt lib. 1. ad cap. XVIII. §. 2. & ſeqq. ſive Tom. 2. p. 3.) „ inferri neceſſe eſt, & indubitanter conclu- „ di fideles etiam extra Sacrificii actionem „ Romæ communionem percepiſſe, & con- „ ſequenter Domini Corpus non pro in- „ firmis tantum, ut Cardinalis Bona, & „ Morinus opinantur, ſed pro ſanis etiam „ in Eccleſiis ſervatum fuiſſe „ Sic laudatus de Oblationibus Scriptor, qui & plura in ejuſdem ſuæ concluſionis probationem ex ſequioris ævi monumentis producit.

Vindicatur Card. Bona a P. de Berlendis exceptione.

Verum pace eruditiſſimi viri Card. noſter, etſi Morinum hac in opinione ſequutus videatur, dicit quidem aſſervatam pro infirmis Euchariſtiam, ſed non pro infirmis *tantum*, & quamvis addat: Sanis veteri ritu nullum fuiſſe communionis uſum extra Sacrificii actionem; id nihilominus intelligendum, vel in Miſſa dumtaxat ſolemni, ac publica, vel ſi in privata, id de ordinaria, non vero de extraordinaria fidelium communione aſſertum, uti ſatis conſtat ex dictis. Neque item officit, quod hujuſmodi introducta conſuetudo communicandi Fideles etiam ſanos extra Miſſam, uſurpata dicatur ipſo Romano Rituali refragante, id quoad antiquum gratis damus, non vero de novo; id enim editum ſub Summo Pontifice Paulo V. & deinde ſub Urbano VIII. poſt varia monita ad Euchariſtiæ diſtributionem ſpectantia ulterius præſcribit: *Ut perpetuo aliquot particulæ conſecratæ eo numero ſerventur, qui uſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſſit*. Quibus verbis admodum diſtincte approbat morem communicandi de particulis reſervatis, non modo infirmos extra Sacrificium, verum etiam ſanos: Subdit utique alio in loco tempus accommodatius, & conformius orationum ſignificationi, (quod equidem negari nequit), eſſe communionis perceptionem intra Miſſam poſtquam Celebrans ſe communicaverit: *Communio populi*, inquit, *intra Miſſam ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda, cum Orationes, quæ in Miſſa poſt communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent*. Rationabilis autem cauſa, ob quam aliquando poſt Miſſam ſit facienda populi communio, ea profecto eſſe videtur, quam ex quodam PP. Prædicatorum Miſſali an. 1254. exarato refert P. Le-Brun Tom. 1. Cærem. Miſſæ pag. 642. ubi ſic legitur: *Si aſtet magna multitudo expectans finem Miſſæ poterit differri communio uſque poſt Miſſam &c.* Hac de cauſa, cui poſt Gavantum alioſque mox laudatos Authores ſubſcribit item Clar. P. D. Franciſcus Maria Magius Cler. Regul. Theat. Sacrorum Rituum peritiſſimus in Galateo Relig. diſp. 32. num. 1. ubi ait legitimam, ac rationabilem eſſe cauſam differendi communionem poſt Miſſam, ſi multi ſint communicandi, alioſque tædeat tandiu expectare finem Miſſæ, quam audire debent: Eo ferme conſimili modo id in præſenti contingentia indultum, quo Rubrica Miſſalis Parte II. tit. 8. nu. 3. Celebranti permittit, qui inter Miſſam, & in *Memento* plures perſonas, & varia negotia Deo commendare cupit, ut hoc ante Miſſam faciat, eadem prorſus ratione: *Ne circumſtantibus ſit moroſus*: Quamvis in antiquis Liturgiis intra ipſius Miſſæ actionem fieret longa nominum recitatione, uti late ſupra dictum eſt, cum de Diptychis vivorum, & mortuorum in Miſſa loqueremur. Sed & quot alii ritus per multa ſecula frequentati, ſubinde etiam in tota Eccleſia juſtis de cauſis ceſſavere? Id eruditis ſatis ſuperque notum eſt, ac proinde ſubſiſto, & ad populi dimiſſionem tranſeo.

(3) *Vel ſaltem mutuo Orationum conſortio.*) Hinc in feſtis ſolemnibus, ac Dominicis, in quibus non ſervabatur jejunium, nec dicebatur Oratio ſuper Populum, ſed hujus loco diſtribuebantur Eulogiæ, de quibus ſatis actum eſt ſupra cap. præcedenti §. VII.

§. III.

§. III.

Dimiſſio adſtantium, dicente Diacono: Ite Miſſa eſt: *Cur hæc dimiſſio certis diebus omittatur.*

TUm Diaconus dimittit populum dicens: *Ite Miſſa eſt* (1): Idem enim eſt Miſſa ac miſſio ſive dimiſſio, ut initio Libri I. explicavimus. Græci quoque in fine Liturgiæ *Apolyſin* canunt, id eſt dimiſſionem. Nam peracta communione Sacerdos dicit ſecreto Orationem pro gratiarum actione, poſtea Diaconus hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Reſpondet chorus; *In nomine Domini*. Deinde Sacerdos benedicit populum, & diſtributis Eulogiis facit Apolyſin, cujus varias formulas pro varietate feſtivitatum exhibet Euchologium *pag.* 922. Communis hæc eſt, *Gloria tibi Chriſte Deus noſter, ſpes noſtra, gloria tibi*. Apud Clementem *lib.* 8. *Conſtitut.* dimiſſio populi his verbis fit; *Ite in pace*. Ordo Romanus antiquiſſimus debere ait unum ex Diaconis, cui præceperit Archidiaconus, finita Oratione ad complendum dicere ad populum *Ite Miſſa eſt*. Etiam Ethnici Sacrificiis peractis licentiam abeundi a Sacerdotibus accipiebant, qui certa formula licere cunctis diſcedere alta voce indicabant. Apulejus *lib.* 11. *fabulæ Mileſiæ* ſacris peractis unum inquit de ſublimi ſuggeſtu ſolemni ritu clamaſſe, *Populis miſſio*; quæ vox abire omnibus fas eſſe ſignificabat. Putabant ſiquidem viri ſapientes indecens eſſe, ut qui ſimul convenerant nulla habita licentia diſcederent. In funere Romanorum combuſto cadavere, collectiſque in urna cineribus, Præfica noviſſimum verbum alta voce pronunciabat, *Ilicet*, quod eſt *Ire licet*; quo audito, qui funus comitati fuerant domum redibant. Virgilius, *Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba*, id eſt *Ilicet*, ut Servius exponit. Briſſonius *lib.* 2. *de formulis* dimiſſum ſenatum ſcribit his verbis: *Nil vos moramur Patres conſcripti*. Concionis vero dimittendæ hæc erat formula: *Si vobis videtur, diſcedite Quirites*. Chriſtianis autem ſæpe præcipiunt Canones, ne conventum deſerant nondum expletis Miſſarum ſolemniis, ut alibi notavimus, & ideo tempus quo abire liceret, Diaconi voce indicendum fuit. Chryſoſtomus Homil. de Eccleſia non contemnenda. *Ingreſſus es in Eccleſiam o homo: ne exeas niſi dimittaris*. Cur vero certis diebus omiſſa dimiſſione per verba *Ite Miſſa eſt*, dicat Diaconus, *Benedicamus Domino* (2), hanc rationem affert Micrologus cap. 46. *Congrue in feſtivis diebus* Ite Miſſa eſt *dicitur, quia tunc generalis Conventus celebrari ſolet, qui per hujuſmodi denunciationem licentiam diſcedendi accipere ſolet. Ad quotidiana autem Miſſarum ſolemnia non generaliter ab omnibus, ſed a Religioſis convenitur, qui plus ſpiritualibus negotiis, quam ſecularibus invigilant, qui & reliqua dum licet officia frequentant. Ergo convenienter illis poſt Miſſam, ut non ſtatim diſcedant, ſed ut Dominum benedicant, denuntiatur. Huic aſſertioni & Eccleſiaſtica conſuetudo videtur adſtipulari: quia cum* Ite Miſſa eſt *dicimus, ad populum vertimur, quem diſcedere jubemus: cum autem* Benedicamus Domino *dicimus, non ad populum, ſed ad Altare, id eſt ad Dominum vertimur, noſque ipſos non ad diſcedendum, ſed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen quod* Ite Miſſa eſt *infra Adventum Domini, & Septuageſimam non recitetur; non quaſi eo tempore nullus fiat conventus, qui ſit dimittendus, ſed potius pro triſtitia temporis inſinuanda*. Hæc Micrologus non ſatis appoſite, illi enim probandum erat, quod olim quotidianis Miſſarum ſolem-

(1)

(2)

lemniis populus non intereſſet. Crederem potius tunc omiſſam dimiſſionem, cum fideles Miſſa peracta non ſtatim abibant (3), ſed permanebant (3)
in Eccleſia, donec recitatis Canonicis precibus, & ſtatione ſoluta abire fas erat: Deinde extenſum hunc morem ad Miſſas minus ſolemnes & quotidianas. Dimiſſo populo inclinatus Sacerdos in medio Altaris recitat Orationem incipientem, *Placeat tibi S. Trinitas*, quam in omnibus fere Miſſalibus antiquis reperi, etiam in ſcriptis ante annum milleſimum (4). (4)
Extat item in Miſſa Illyrici, & in aliis apud Menardum. In Liturgia Chryſoſtomi orat ſimiliter Sacerdos pro omnibus pro quibus obtulit Sacrificium (5). In Miſſa Maronitarum ſic orat Sacerdos priuſquam diſce- (5)
dat ab Altari: *Mane in pace Altare ſanctum, ad te revertar in pace. Oblatio, quam accepi a te ſit mihi in propitiationem debitorum, & in remiſſionem peccatorum, ut adſtem ante thronum Chriſti ſine damnatione, & confuſione. Neſcio utrum revertar offerre ſuper te aliam oblationem, vel non.*

Varii Eccleſiarum Ritus annunciandi dimiſſionem populi, ſeu de Ite Miſſa eſt, aut Benedic. Domino.

(1) *Ite Miſſa eſt.*) In Eccleſiis Senonen. Laudunen., & Noviodunen. Diaconus dicens *Ite &c.* vertit ſe, non ad Populum, ſed verſus Septentrionem. Latet autem particularis hujus ritus ratio, niſi forte, quia ad latus illud vertit ſe Diaconus lecturus Evangelium. In Diœceſi autem Senonenſi Sacerdos ipſe vertit ſe ad latus illud juxta Cœremonias in fine Ritualis impreſſas anno 1694., ubi legitur; quod poſt quam Celebrans dixerit *Dominus vobiſcum*, vertit ſe una cum Diacono, & Subdiacono Septentrionem verſus dum Diaconus canit *Ite Miſſa eſt* pag. 478. Senone, & Nioduni, vertite etiam ad Septentrionem, dicens: *Benedicamus Domino, & Requieſcant in pace*; apud Carthuſianos Diaconus Altare verſus dicit *Ite Miſſa eſt*. Juxta veterem ritum in Hiſpaniarum Eccleſiis finis Miſſæ, qui a Sacerdote, vel Diacono annunciabatur, his terminis concipiebatur; dicet Presbyter, vel Diaconus: *Solemnia completa ſunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, votum noſtrum ſit acceptum cum pace*. ℟. *Deo gratias*. Ita Miſſale Mozarab. Diaconus autem dimiſſionem indicit Celebrantis nomine, ut innuunt tres primi Ordines Romani: *Aſpicit ad Pontificem, ut ei innuat, & dicit ad Populum: Ite Miſſa eſt*. Ordo I. num. 21., *uti ei innuat &c.* Ord. 2. num. 15., *ut ei annuat, & dicat ad Populum: Ite Miſſa eſt*. Ordo 3. 18. Pariſiis, Lauduni, Andegavi, & Mete, Sacerdos ſubmiſſa voce Diacono dicit *Ite &c.* vel *Benedicamus*, vel *requieſcant &c.* Miſſ. Laudun. 1702. Cœremon. Metenſe 1695. Veroduni Diaconus flexis genibus accipit a Sacerdote: *Ite Miſſa eſt*, ejus caſulam oſculatur, reſpondet *Deo gratias*; ſurgit, & ad Populum converſus canit *Ite Miſſa eſt*, dum Sacerdos dicit *Placeat &c.* Le-Brun tom. 1. pag. 661. In Eccleſiis Cathedral. Pariſienſi, Narbonenſi, Catalaunen., & Meldenſi, Diaconus dicens: *Ite Miſſa eſt*; tenet in manibus baculum Paſtoralem Epiſcopi, ut nempe ſignificet, ſe Pontificis authoritate dimiſſionem indicere.

(2) *Benedicamus Domino.*) Veteri ritu generaliter dicendum erat: *Ite Miſſa eſt*; in diebus frequentis conventus, in diebus feſtivis, & ſtationum, ut juxta Can. 26. Conc. Aurelian. I. Populus non ante diſcederet, quam Miſſæ ſolemnitas compleretur. Juxta hanc regulam: *Ite Miſſa eſt*; dicebatur nono ſeculo omnibus diebus Dominicis etiam in Quadrageſima ex Ord. Roman. I. Luculenter oſtenditur dictum fuiſſe in ſingulis feriis Quadrageſimæ omnibus enim jejunii, & orationis diebus Populus Sacrificio intererat, nec licebat recedere ante orationem, *quæ oratio, ſeu benedictio ſuper Populum nuncupatur* Ord. *Rom. I. num.* 24. Dicitur oratio ſuper Populum; finita oratione dicit Diaconus: *Ite Miſſa eſt; ſimili modo agitur ſecunda feria &c. Per totam Quadrageſimam*, & num. 25. *Miſſa finita dicit Diaconus: Humiliate capita veſtra Deo, & inclinant ſe omnes ad Orientem, & Pontifex Orationem ſuper Populum Diaconus Ite Miſſa eſt*. Succeſſu temporis ſolemnis hæc dimiſſio per Diaconum indicta habita eſt, ut ſignum gaudii; hancque ob cauſam dici deſiit in Quadrageſimæ diebus tum Dominicis cum ferialibus. Hincque origo generalis Rubricæ de non dicendo *Ite Miſſa eſt*, niſi in Miſſis, in quibus diceretur *Gloria in Excelſis*. Microl. de Eccl. Obſ. cap. 46. *Semper cum Gloria in Excelſis, ſemper cum Te Deum, & ite Miſſa eſt, recitamus, ſciendum tamen, quod ite Miſſa eſt, infra Adventum Domini, & Septuageſimam non recitetur, non quaſi eo tempore nullus fiat conventus, qui ſit dimittendus, ſed potius triſtitia temporis inſinuanda; ſic & Gloria in Excelſis dimittitur*. Ex quibus verbis colligere eſt Micrologum retractaſſe ſententiam, in qua dixerat, quod non dicebatur *Ite &c.*, quia Populus certis diebus non conveniret ad Sacrificium. Priori autem Micrologi ſententiæ ſubſcribens Card. Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 27. ait: Videtur, neſcio quid lugubre preſeferre, quod non publica denuncietur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedat.

Quemadmodum perſuaſum erat: *Ite Miſſa eſt* dictum fuiſſe ad dimittendum populum, aliquid ab hac regula excipere operæ pretium habitum eſt, non dicendum, nempe *Ite Miſſa eſt*, quum ſequebatur Officium, cui intereſſe debebat populus. Et revera Micrologus cap. 35. præcedentibus adnotationibus addit,

quod

Digitized by Google

quod in nocte Nativitatis dicitur: *Benedicamus Domino*, non autem *Ite Miſſa eſt*; ne populus ſe dimiſſum cenſens, abeſſet a laudibus. Idem obſervat Beleth. cap. 49. *Sed in prima Miſſa Natalis Domini non debet dici Ite Miſſa eſt, ne videatur Populus licentiam habere forte abeundi*. Hunc ritum obſervatum fuiſſe in Eccleſiis Germaniæ probant Miſſalia Colonienſe anno 1133. Auxburgenſe 1555. Ultrajecten. 1497., & 1540. Lundenſe in Dania 1519. Rubricæ Miſſalis Treviren. 1585. Idem etiam nunc obſervatur in Eccleſiis Metenſi, Tullenſi, Verodunenſi, & in aliquibus Gallicanis, ut videre eſt in Miſſalibus Viennenſi anno 1519. Narbonen. 1528., & 1572. Durand. lib. 4. cap. 57. Prima tamen Miſſa in Natali Domini in quibuſdam locis clauditur per *Benedicamus Domino*. In pleriſque autem Galliæ Eccleſiis, ne populus a Laudibus diſcederet, ut intra Miſſarum ſolemnia, ideſt inter Antiphonam communionis, & poſt communionem Laudes recitarentur, ſtatutum eſt, uti legitur in Rubricis MSS. Eccleſiæ Narbonen. & Magalonenſis (Montem Peſſulanum translatæ). Poſt quas Diaconus dimittit dicens: *Ite Miſſa eſt*, quod etiam nunc obſervatur Remis, Lauduni, Pariſiis, Aureliani, apud Carmelitas, & Dominicanos. Juxta ordinarium Quintinopolitanum anno 1401. etiam ſi Laudes inter Miſſarum ſolemnia cantarentur, nihilominus in fine Diaconus dicebat: *Benedicamus Domino*, quia hoc officium a Miſſa auroræ excipiebatur. Durand. lib. 4. cap. 57.

In aliquibus locis, ut Cabillone, & Tornaci, juxta Ordinaria MSS. harum Eccleſiarum non dicebatur *Ite Miſſa eſt*, neque *Benedicamus Domino*; Sed omnia claudebantur Antiphona *Ecce completa ſunt &c.*, & reſpondebatur *Deo gratias*; quod etiam nunc obſervatur Antiſſiodori. Romæ etiamſi in hac ſolemnitate Laudes non dicantur intra Miſſam, cujus ſtatio eſt S. Mariam Majorem, in fine dictum fuit *Ite Miſſa eſt*; Ea forte de cauſa, quia ad hanc Stationem vocabatur populus pro Miſſa tantum, non vero pro Laudibus. Quidquid ſit, pro levibus hiſce varietatibus, quas obſervavimus, colligitur ſervatam fuiſſe communiter primam notionem hujus dimiſſionis *Ite Miſſa eſt* inſtitutæ ad dimittendum populum; dictum autem fuiſſe *Benedicamus Domino*, quum exiſtimatum fuit populum non fuiſſe dimittendum; ſive vero hæc, vel illa verba adhiberentur ad annunciandam dimiſſionem populi, iſte nihilominus his auditis non diſcedit, nec diſcedere debet, niſi prius a Celebrante benedictionem accipiat, uti præcipitur in cap. *Convenit de Conſecr. diſt.* 5. Porro dicta verba *Benedicamus Domino* recitantur a Sacerdote, non ad populum, ſed ad Altare converſo, uti ex Micrologo cap. 46. notat Gavantus, ea ratione, quia ibi peculiari modo Dominus adeſt, a quo omnis fons vitæ, & benedictio procedit. Eadem denique verba deſumpta ſunt ex ſacra Scriptura, vel ex Apoſtolo, vel ex Pſalmiſta, aut ex Cantico, ſeu Hymno trium Puerorum.

Quoad Miſſas pro Defunctis Stephanus Eduen. de Sacram. Altaris cap. 18. Scribit a ſexcentis annis omiſſum *Ite Miſſa eſt*, & dictum *Requieſcant in pace*, & paulo poſt eum Beleth. cap. 49. *Dicitur in Miſſa pro Defunctis requieſcant in pace, quod ex ſola conſuetudine generali natum eſt*. Evidens autem habetur, quod quum in his Miſſis populus totus ſit in Orationibus pro Defunctorum ſolatio, non eſt dimittendus per *Ite Miſſa eſt*, eo vel maxime, quod Miſſam ſæpe ſequantur cadaveris inhumatio, aliæque preces, quas exequias vocant, a quibus detinentur adhuc adſtantes. Porro illa verba *Requieſcant in pace*, quæ in fine Miſſæ pro Defunctis Sacerdos Celebrans profert, ea pariter dicit verſa facie ad Altare, quia, ut notat Gavantus, ſermo eſt de abſentibus, idemque Sacerdos ipſa recitat verba ſemper in numero plurali, etiamſi pro uno tantum Miſſam celebret, cujus Ritus meminit Durandus in Rationali lib. 4. cap. 47. & ante ipſum mox laudatus Stephanus Eduenſis loco indicato. Et quidem iſtius formulæ ſic terminandæ ratio eſt, ut nimirum hujus Officii finis reſpondeat principio, ſeu introitui Miſſæ in quo pro Defunctis in communi æterna poſtulatur requies, idcirco quia Miſſa pro illis ſingulariter applicatur, eapropter in ejus initio, medio, & fine requies in pace æterna iis deſideratur, & petitur, dum dicitur *Requieſcant in pace*, & reſpondetur *Amen*, ideſt fiat, quod poſtulatur.

Nono ſæculo Miſſa abſolute claudebatur per verba *Ite &c.* Sic eam terminat Joannes Abrinc. ſæculo x. Et ſic etiam nunc teſte Le-Brun Tom. 1. pag. 66. nominatur in aliquibus Gallicanis Cathedralibus. *Finitis vero omnibus* ait Florus de Act. Miſs. *Adſtanti, & obſervanti populo abſolutio datur inclamante Diacono* Ite Miſſa eſt: *Miſſa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimiſſio, ideſt abſolutio ..... Miſſa Catechumenorum fiebat ante actionem Sacramentorum, Miſſa Fidelium fit poſt conſecrationem, confectionem, & participationem eorumdem Sacramentorum Amen*. Amal. lib. 3. cap. 36. *Dicit Diaconus* Ite Miſſa eſt, *ſingularis enim legatio Chriſti Miſſa pro nobis ad Patrem, habens judicia ſua ſecum paſſionis...... O utinam quando audivimus a Diacono* Ite Miſſa eſt, *mens noſtra ad Patriam illam tendat, quo caput noſtrum proceſſit, ut ibi ſimus deſiderio, ubi deſideratus cunctis gentibus nos expectat cum ſuo trophæo*. Explicatur itidem *Ite Miſſa eſt* ab Amalar. Eclog. de Offic. Miſsæ Capit. Franc. Tom. 2. Col. 1366. Ad verba *Ite &c.* reſpondet populus *Deo gratias* ad imitationem Apoſtolorum, qui poſtquam a Jeſu Chriſto ad Cælos aſcendente benedicti fuere, reverſi ſunt repleti gaudio, laudantes, benedicentes, & gratias Deo inceſſanter agentes. Claudius De-Vert hoc reſponſum reſpicit, ut additionem ſuperfluam, velletque quod Diacono dicente: *Ite Miſſa eſt*, populus ab Eccleſia recederet Tom. 1. pag. 141. 2. Edit. vero Tom. 3. pag. 416. At reſponſum hoc *Deo gratias* nullo modo eſt additio, ſed eamdem præſefert antiquitatem, quam *Ite Miſſa eſt*. Legitur enim in Amalario ſicut, & omnibus Ordinibus Romanis, & proprie ad hoc reſponſum terminabatur Officium, ut ait Joan-

nes Abrinc. ſeculo XI. de Officio pag. 26. *Clero reſpondente Deo gratias Officium finiat*. Et Beleth. ſeculo 12. hoc reſponſum exiſtimat neceſſarium : *oportet nos reſpondere Deo gratias &c.* cap. 49. Etiamſi Carthuſiani in Miſſa nondum admiſerint benedictionem, & Evangelium Sancti Joannis, non recedunt tamen ad verba : *Ite, &c. Stamus, donec reſponderimus Deo gratias, vel in Miſſis Defunctorum. Amen; quo reſponſo ſignamus nos, & inclinamus, & ſinguli per ordinem eximus.* Ordin. Carthuſ. c. 31. n. 16.

(3) *Cum Fideles Miſſa peracta non ſtatim abibant.*) Adjuvat hanc Bonæ conjecturam mos, qui olim vigebat in quibuſdam Eccleſiis non dimittendi populum in prima Miſſa Nativitatis Domini, quia poſt Miſſam recitandæ erant Laudes. Id obſervat Micrologus cap. 34., uti jam ſupra breviter indicatum eſt: *In Natali Domini*, ait, *finitis nocturnalibus vigiliis, Miſſam Dominus dixit ante matutinales Laudes, cum Benedicamus Domino; non cum Ite Miſſa eſt, completur, ne Populo quaſi licentiam abeundi infra matutinales Laudes dediſſe videamur, quas ſtatim poſt Miſſam, iterum concrepantibus ſignis, incipere ſolemus.* Beleth. cap. 49. *In prima Miſſa Natalis Domini, non debet dici Ite Miſſa eſt, ne videatur Populus licentiam habere redeundi.* Cœremoniale MS. Tullenſis Eccleſiæ, citatum a Claudio Duvert. Tom. 3. pag. 417. In fine Miſſæ dicitur: *Benedicamus Domino, quia nondum datur licentia exeundi de Eccleſia.*

(4) *Etiam in ſcriptis ante annum milleſimum.*) Hæc Oratio, cum primum inſtituta fuit, ad Miſſam non pertinebat, ſed dicenda erat a Sacerdote, poſtquam, expletis omnibus, ſacras veſtes erat depoſiturus, ut habent Microl. cap. 22. Alex. Halen. initio ſeculi XIII., & Radulphus Tungrenſis initio ſeculi XV. Id autem conforme eſt titulo huic Orationi appoſito, in quam plurimis Miſſalibus uſque ad ſeculum XVI. *Finita Miſſa, aut poſt Miſſam, vel poſt finitam Miſſam.* Miſſale Ciſterc. anno 1512. ex Micrologo, Durando, Radulpho Tungrenſi, & pluribus Miſſalibus eruitur, quod ubi dabatur benedictio, ante hanc Orationem dabatur, ut hæc nimirum ſemper poſt Miſſam recitaretur, uti ex Bellotte in obſerv. ad Ritus Eccleſ. Laudun. pag. 677. notat Cajetanus Maria Meratus Comment. ad Gavant. Part. I. tit. 13. nu. 4. Aſt ſicuti pluribus in locis ritus recitandi hanc Orationem antiquior eſt illo benedictionem impertiendi. Miſſale Romanum benedictionem poſt illam collocavit benedictionem. Hæc Oratio legitur in pluribus Sacramentariis poſt finem ſec. 9. Hanc ſemper recitarunt Carthuſiani, & legitur in Ordinariis Cluniac. Ciſtercienſ., & Premoſtraten., aliorumque Ordinum Regularium, quin & in aliquibus antiquis Miſſalibus benedictio præcedit hanc Orationem; ita in Miſſali Romano Venetiis impreſſo an. 1493. in altero Romæ 1500. in Miſſali Remenſi anno 1553., aliiſque pluribus.

(5) *Pro quibus obtulit Sacrificium.*) Dicens: *Qui benedicis benedicentes te, Domine, & ſanctificas eos, qui confidunt in te; Serva Populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: Eccleſiæ tuæ plenitudinem conſerva, ſanctifica eos, qui diligunt decorem domus tuæ, tu eos viciſſim gloria reple Divina tua poteſtate, & ne derelinquas nos, qui ſperamus in te. Dona pacem Mundo, Eccleſiis tuis, Sacerdotibus, Imperatoribus noſtris, Exercitui, & omni Populo tuo, quia omne datum bonum, & omne datum perfectum deſurſum eſt deſcendens a te Patre luminum, & tibi gloriam, & gratiarum actionem, & adorationem referimus Patri, & Filio, & Sancto Spiritui nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.*

§. I V.

Conſummatio Miſſæ, & Populi benedictio. Ejus origo, & Ritus diverſi.

SEquitur recentiori ritu benedictio, quam olim ante communionem Epiſcopus largiri ſolebat, ut ſuo loco oſtendimus; illi enim potiſſimum convenit Populum benedicere, qui peculiari quadam ratione Chriſtum Summum Sacerdotem, & Epiſcopum animarum noſtrarum repræſentat. Cum autem in uſu erant Pontificales benedictiones, nulla in fine Miſſæ præſcripta erat: & in Miſſali Vaticano MS. *num.* 4743., in quo ritus Epiſcopalis benedictionis fuſius explicatur, hoc peculiariter notatur, quod quando hæc ſolemnis benedictio datur ante communionem, non eſt neceſſe in fine Miſſæ iterum benedicere. Atque hinc, ut puto, factum eſt, quod tam in Ordine Romano, quam in antiquis Sacramentorum Libris nulla fiat mentio benedictionis in fine Miſſæ (1). Quod (1)
vero aſſerunt recentiores ex Amalario *lib.* 3. *cap.* 36., & ex Rabano Mauro *lib.* 1. *cap.* 33. datam olim hanc benedictionem, antequam Diaconus diceret, *Ite Miſſa eſt*; error eſt a nobis alibi indicatus, & exploſus, ex eo proveniens, quod lecto locis citatis nomine benedictionis,

illud

illud protinus mente conceperunt, quod nunc ea voce intelligitur, neſcientes, vel non advertentes olim Collectis, ſive Orationibus tributum hoc nomen. Cum igitur Amalarius, & alii ejuſdem ævi dicunt, conſummato Sacrificio, Populum a Sacerdote benedici, de poſtrema Oratione loquuntur, quæ Poſtcommunio vocatur, idque ex verbis Rabani manifeſtum eſt. *Poſt Communionem*, inquit, *& poſt ejuſdem nominis Canticum*, poſt Antiphonam ſcilicet, quæ Communio nuncupatur, *data benedictione a Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi*. Clarius Vvalfridus in fine cap. 22. *Statutum eſt Aurelianenſi Concilio, ut Populus ante benedictionem Sacerdotis non egrediatur de Miſſa. Quæ benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis Oratio.* Illa ſcilicet, quæ ad complendum dicitur, de qua paulo ante loquutus eſt. Et ad hanc procul dubio reſpexit Decretum Aurelianenſe Capitulari Caroli Magni inſertum lib. 1. cap. 71. *Ut Fideles, quando veniunt ad Miſſarum ſolemnia, non exeant ante completionem benedictionis ſacerdotalis*. Ritu veteri Ciſtercienſi, qui paucis ab hinc annis mutatus eſt, nulla extat in fine Miſſæ benedictio, ſed Sacerdos, dicta Oratione, *Placeat tibi S. Trinitas*, oſculatur Altare dicens, *Meritis, & precibus iſtorum, & omnium Sanctorum ſuorum miſereatur noſtri omnipotens Dominus: Amen*. Sicque ſignans ſe, & inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthuſiani, cujus rationem ex Joanne de Indagine hanc aſſignat Joannes Bechoffen in expoſitione Miſſæ edita Baſileæ ann. 1519., quia qui Populum non habent, non obligantur ad hujuſmodi benedictionem dandam: Carthuſiani autem non habent Populum. Auctor libri de Eccleſiaſticis obſervationibus ſub nomine Micrologi (2), qui vivebat prope annum 1090. multa (2) congerit *cap.* 21. de benedictione poſt Miſſam, tum ex Canonibus a nobis alibi perpenſis, tum ex epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem perperam S. Hieronymo attributa; ſed his omiſſis hoc ſolum obſervo uſum benedictionis in fine Miſſæ jam eo tempore in aliquibus Eccleſiis introductum fuiſſe, ſic enim Capitulum concludit. *Soli communicantes confectioni Sacramentorum antiquitus intererant, quibus Oratio poſt communionem, quæ pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere. Apud modernos autem, cum jam Populus communicare ceſſaret, nec tamen a Divinis Miſteriis ſe ſubtraheret; neceſſario permiſſum eſt, ut a Presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus diſcedere videretur. Sive autem ea occaſione, ſive alia hoc Presbyteris permitteretur ab Epiſcopis, adeo tamen in uſum jam uſquequaque venit, ut nequaquam abſque gravi ſcandalo a Presbyteris in Populo prætermitti poſſit, niſi forte Apoſtolica Sedes generaliter, & ſynodaliter prohibere voluerit*. Mozarabes præter benedictionem, quæ datur ante communionem, aliam dant in fine Miſſæ his verbis, *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater, & Filius*. Græci ſæpe benedicunt, aliquando cum dicerio, vel tricerio cereo, ſcilicet duplici, vel triplici, aliquando ſola manu ſignum Crucis efformantes (3). In fine autem Liturgiæ Sacerdos depoſitis (3) ſacris veſtibus rurſum benedicit Populum dicens: *Cuſtodiat Dominus Deus omnes vos ſua gratia, & humanitate perpetuo, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen*. Et Populus reſpondet: *Benedicentem, & ſanctificantem nos, Domine, conſerva in multos annos*. Et in pace cum Deo diſcedunt. In Ordine Romano alia quædam benedictio commemoratur (4), quam (4) dat Pontifex, poſtquam peractis omnibus ad Miſſam pertinentibus receſſit ab Altari. Eo enim deſcendente in Presbyterium Epiſcopi primum dicunt, *Jube Domine benedicere*, & ille reſpondet, *Benedicat nos Dominus.*

Hæc autem benedictio nihil aliud eſt, quam ſalutatio Pontificis, & licentia abeundi. Maronitarum benedictio in fine Miſſæ hæc eſt. *Benedictio Domini noſtri Jeſu Chriſti veniat de cœlo, & requieſcat ſuper me, & ſuper vos, ac ignoſcat debitis veſtris, & dimittat defectus veſtros, & requieſcere faciat animas defunctorum veſtrorum, & ſcribat nomina veſtra in libro Regni celeſtis, ac nos, & vos eripiat Deus a damnatione, & confuſione in die judicii juſti, & recti. Pater, & Fili, & Spiritus Sancte tibi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* In veteri Teſtamento *Numer.* 6. Deus ipſe formulam docuit, qua Sacerdotes filiis Iſrael benedicerent. *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Ex hac autem deſumpta formula Epiſcopalis benedictionis jam ſupra dictum eſt. *Benedictio*, ait Tertullianus lib. de teſtim. animæ cap. 2. *Inter nos ſummum eſt diſciplinæ, & converſationis ſacramentum. Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quam Chriſtiano neceſſe eſt* (5). De (5)
ritu vero ſuſcipiendæ benedictionis, an, & a quibus flexis genibus ſive ſtando ſuſcipi debeat, extat diſſertatio Iſaaci Haberti adverſus Franciſcum Menardum J. C. *ad partem XI. Liturgiæ Patriarchalis obſerv.* 6., in qua, & in tribus antecedentibus diffuſe agit de benedictione. In Miſſis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad ſolemnitatem, qua carent officia defunctorum. In quodam tamen Miſſali MS. hanc aſſignatam legi, *Deus, qui eſt vita vivorum, & reſurrectio mortuorum, benedicat vos in ſecula ſeculorum* (6). Carmelitæ poſt benedictionem ante medium Altaris (6)
genuflexi dicunt Antiphonam *Salve Regina* cum verſu, & oratione: tempore autem Paſchali dicunt ſtantes: *Regina Cœli.*

(1) *Nulla fit mentio benedictionis in fine Miſſæ.*) Et ſane in Sacramentariis Gregoriano, Gelaſiano, & Leonino non habentur, niſi Orationes ſuper Populum, poſt Communionem, ideoque, ut optime etiam notat Eminentiſſimus Author, Scriptores Liturgici, qui nono ſeculo floruerunt, nullam de hujuſmodi benedictionibus Epiſcopalibus mentionem fecerunt, ſed ſolum ultimam Orationem, quam Celebrans dicit ante *Ite Miſſa eſt*, benedictionem appellarunt.

De hac Benedictione nulla ante annos mille mentio facta habetur.

(2) *Sub nomine Micrologi.*) Ciſtercienſes, & Præmonſtratenſes 30. poſt Micrologum annos excitati, nullam de hac benedictione in ſuis Ordinariis fecere mentionem. In Miſſali PP. Prædicatorum anno 1254. *Si conſuetudo Patriæ fuerit, & extranei adfuerint, hoc expectantes, det benedictionem ſecundum modum Patriæ*, Miſſale MS. idem ſervarunt Carmelitæ, legitur enim in eorum Miſſali Venetiis 1514. *Si conſuetudo Patriæ fuerit, det benedictionem, & non aliter.* Idem præſcribitur in Ordinario Gullielmitarum an. 1274. Ord. MS. ex quibus conſtat morem hunc paulatim fuiſſe introductum, & firmatum. Carthuſiani in novis ſtatutis: *Sacerdotes noſtri Ordinis, dum celebrant in Eccleſiis, quæ non ſunt de Ordine noſtro, conforment ſecum aliis Sacerdotibus ... . in benedicendo Populum poſt Miſſam.* Stat. 3. compil. cap. 1. n. 78. Mos hic impoſterum fere univerſaliter fuit receptus, etiam ſi variatum aliquid ſit, tum circa verba, tum circa Crucis ſigna. Alii dicebant: *Adjutorium noſtrum &c., ſit nomen Domini, &c. Benedicat nos (vos, nos, & vos) Divina Majeſtas, & una Deitas. Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus Sanctus ✠. Amen.* In Miſſalibus Carnut. 1500. Remenſi 1505. Edven. 1523. Veſontien. 1426. Matiſconenſe 1532. S. Dionyſii in Gallia 1550. Laudunen. 1557. Senonen. 1575., &c. In antiquis Miſſalibus *de Liſieux* legitur: *Divina virtus Pater, &c.* In aliquibus locis dicebatur: *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater, & Filius.* Miſſale Narbonen. 1528., & 1576. juxta Miſſalia Rom. uſque ad S. Pium V. legitur: *Benedicat vos, &c.*, aut *in unitate Sancti Spiritus, &c.* quod idem legitur in Miſſali Gratianopolit. anno 1522. Quoad Crucis ſigna juxta Rituale Sancti Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis anno 1612. Presbyteri benedictionem impertiebantur cum tribus Crucis ſignis dicendo: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus Sanctus ✠. Amen.* Ita Rituale Gebennenſe pag. 326., quod & faciunt, quando etiam benedicunt cum Sacramento, idemque fit Ritu Pariſienſi. Quoad Miſſam autem ſpectat, Miſſalia omnia Pariſienſia poſt annum 1615. in hoc cum Miſſali Romano conveniunt, quod unico Crucis ſigno dicitur: *Benedicat vos.* Cœremoniale vero anni 1662. præſcribit Parochis, ut cantent *Benedicat vos, &c.*, & Chorus concinendo reſpondeat: *Amen.* Cœrem. Pariſ. pag. 155. Novum autem Cœremoniale, ſicut & Miſſalia annorum 1685., & 1706. præſcribunt ſervari locorum conſuetudines, & dari benedictionem *alta, vel ſubmiſſa voce.* In pluribus Parochiis Pariſien. S. Benedicti, S. Sulpitii, S. Opportuni, aliorumque in fine Pa-

rochialis

rochialis Miſſæ Parochi benedicunt unico Crucis ſigno, canentes nihilominus: *Adjutorium, &c. ſit nomen, &c.* Et in hoc ſervant ritum, quo utebantur Presbyteri omnes ante Miſſale anni 1615. Alios peculiares Gallicanæ Eccleſiæ ritus, vide apud Le Brun Tom. I. pag. 681. & ſeqq. Refert ipſe loco citato, quod Archiepiſc. Armenus Cæſareæ in Cappadocia, & Epiſcopus Sebaſte in Armenia, qui annis 1714., & 1715. in pluribus Pariſiorum Eccleſiis celebrarunt, cantantes in fine Miſſæ, cum Cruce benedicebant Populo.

Ordo Miſſæ a Burchardo ſcriptus circa finem ſeculi 15. non alia exhibet pro benedictione verba, quam *Benedicat vos, &c.* tria tamen denotat Crucis ſigna, ut æque qui in medio, quam iis, qui a latere ſunt, benediceretur; addens, quod ſi totus Populus conſiſtat in medio, unicum ſufficiet Crucis ſignum. Reſervata tandem fuere communiter tria Crucis ſigna pro Miſſa Epiſcopali, ea fortaſſis de cauſa, quod ad hanc frequentior Populi multitudo conveniret. S. Pius V. unicum abſolute Crucis ſignum pro Presbyteris omnibus abſque exceptione præſcripſit.

In Miſſis Defunctorum nulla datur benedictio, nullaque reperitur in antiquis MSS. Sacramentariis, in quibus tot Epiſcopales Benedictiones leguntur, ut obſervavit Durandus, qui aſſerit in Miſſis Defunctorum omitti ſolemnitates, quia totus eſt cum Populo Sacerdos in ſublevandis Defunctis. Benedictio autem pro ſolis eſt adſtantibus, nihilominus in Diœceſi Claromont. datur æque in Miſſis omnibus benedictio, & juxta antiqua Miſſalia legebatur benedictio propria pro Defunctis, quæ his verbis concepta legitur in Miſſali Romano Venetiis edito 1563. *In Miſſa pro Defunctis .... benedicat Populum dicens: Deus vita, &c.*, ut in §. 4. Eminent., aſt nullibi ſervatur.

(3) *Signum Crucis efformantes.*) Vide Goar in Euchologio Græc. pag. 87. & 175.

(4) *Alia quædam benedictio commemoratur.*) Hunc ritum ita deſcribit Ordo Romanus I. *Deſcendente autem illo* (Pontifice) *in Presbyterium, Epiſcopi primum dicant; Jube Domine benedicere. Reſp. Benedicat nos Dominus.* ℟. *Amen. Poſt Epiſcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde Schola, deinde Milites Draconarii, ideſt qui ſigna portant: Poſt eos Bajuli, poſt eos Ceroſtratarii, poſt quos Acolythi, qui rugam obſervant, poſt eos extra Presbyterium Crucem portantes, deinde Manſionarii, Juniores.* Ex quo perſpicis hujus conſuetudinis vetuſtatem. Ordo Rom. II. pag. 51. Poſt Monachos, & Scholas, reliquos generatim commemorat, deinde omnes Proceſſores, & Manſionarii. Singulorum autem petitioni Pontifex reſpondere ſolebat, ut ex Ordine Rom. III. diximus: Dicentibus autem Epiſcopis, ſive Presbyteris, vel ſequentibus Ordinibus *Jube Domine benedicere*; Reſpondet Pontifex: *Benedicat nos Dominus. Amen.* In Ordine Romano IV. ſolus Cantor cum Schola benedictionem poſtulat a Pontifice, idque diebus tantum ſolemnioribus. Diebus vero ſolemnibus, ideſt præcipuam feſtivitatem habentibus, peracta Miſſarum ſolemnitate, precedente Pontifice, occurrat ei Cantor cum Schola, & dicat: *Jube Domine benedicere*, reſpondeaturque a Pontifice: *Benedicat nos Deus*, & tota Schola alta dicat voce. *Amen.* Ex hoc eodem Ordine colligitur Pontificem dediſſe benedictionem, etiam ante Miſſarum ſolemnia, cum in Sacrarium ingrediebatur.

(5) *Quam Chriſti no neceſſe eſt.*) Incongruum hoc loco non erit obſervare cum eruditiſſimo P. Cajetano Merati Comment. in Rubric. Gavanti parte 1. tit. 13. pag. 243. col. I. Quod olim Presbyteri etiam ter Populo benedicebant; cui rei teſtem ampliſſimum damus, Burchardum Magiſtrum Cœremoniarum Cappellæ Pontificiæ, qui hæc habet: Deinde extenſis manibus hinc, & inde ſuper Altare, ipſum Altare oſculatur, erigit ſe, & adhuc tranſverſus ad illud, voce intelligibili elevans oculos ad Deum, & manus extendens, elevans, & jungens dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*. Junctis ſic manibus ante pectus, ac demiſſis ad terram oculis, vertit ſe ad manum ſiniſtram, hoc eſt ad latus ſuum dextrum, & per gyrum tertium Populo benedicit. Primo verſus cornu Epiſtolæ, ubi manu dextra ſignum Crucis producens ſuper Populum voce intelligibili dicens: *Pa ✠ ter*, tum in medio ſimili voce: *& Fi ✠ lius*; deinde verſus cornu Evangelii dicens: *Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.* Hic ritus uſque ad Pium V. perduraſſe videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit, ter Populo benedicendi in Miſſis privatis, quamquam conceſſerit, ut in Miſſa ſolemni priorem conſuetudinem obſervarent. Nam inter Rubricas Miſſalis Romani anno 1557. hanc lego: In Miſſa ſolemni omnia facit ut ſupra, hoc excepto, quod ter Populo benedicit; primo a cornu Epiſtolæ dicens: *Pater*; ſecundo ad medium Altaris, dicens, *& Filius*; tertio a cornu Evangelii, dicens, *& Spiritus Sanctus*. Tandem trina hæc Presbyterorum benedictio prohibita eſt in Miſſali Romano, Clem. VIII. authoritate recognito, in quo diſerte præſcribitur, ut Presbyteri etiam in Miſſa ſolemni unã tantum benedictionem impertiantur.

Ritus trinæ Benedictionis in Miſſa olim permiſſus, nunc in Miſſali Romana abrogatus.

(6) *Benedicat vos in ſecula ſeculorum.*) Hanc ipſam benedictionem impreſſam legi in duobus Miſſalibus Venetiis editis an. 1559., & 1563. apud Juntam, quod ita inſcriptum eſt, Miſſale Romanum juxta conſuetudinem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ fideli ſtudio, ac diligentia ad vetera exemplaria reviſum, & emendatum, quorum exemplaria reperi in noſtro Monaſterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Montis Soractis, ibique hæc habentur in fine Canonis Miſſæ: in Miſſa vero pro Defunctis: *Sacerdos dicat, requieſcant in pace.* ℟. *Amen*; Deinde benedicat Populum, & dicat: *Deus vita vivorum, &c.*, uti ex Eminentiſſimo, & reſpondeatur *Amen.*

(7) *Dicunt Antiphonam Salve Regina.*) Non tantum Carmelitæ, ſed & aliæ nonnullæ Eccleſiæ ex antiquo uſu; inter quas Panormitana, Monregalenſis, & Meſſanenſis apud Joannem de Joanne Tract. de Div. Siculorum Officiis pag. 133. poſt Evangelium Sancti Joannis recitant Antiphonam *Salve Regina*, ut ex dictarum Eccleſiarum Synodis.

§. V.

§. V.

Evangelium poſt Miſſam. Uſus ipſius recentior.

DEnique Sacerdos, poſtquam a Deo benedictionem Populo precatus eſt, legit initium Evangelii ſecundum Joannem (1), in quo Fi- (1)
dei orthodoxæ quædam veluti anacephalæoſis continetur. Præclarum de eo teſtimonium cujuſdam Platonici refert Auguſtinus *lib.* 10. *de Civitate Dei cap.* 29. dicens: *Initium Sancti Evangelii, cui nomen eſt ſecundum Joannem, quidam Platonicus ſicut a Sancto ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ præſedit Epiſcopus, ſolebamus audire, aureis literis conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat* (2). Hoc in noviſſima Miſſalis recognitione Pius V. legi præ- (2)
cepit, cum antea certa ſine lege ex ſola conſuetudine a quibuſdam dici, ab aliis omitti pro cujuſque arbitrio ſoleret, ut Paris Craſſus teſtatur in Cœremoniali Summi Pontificis inedito *cap.* 65. Qua de cauſa in quibuſdam Miſſalibus tam editis, quam MSS., tam Romanis, quam aliarum Eccleſiarum, nihil de eo decernitur, ſed dicta Oratione *Placeat tibi Sancta Trinitas*, oſculetur, inquiunt, Altare, & recedat, dicens Canticum trium Puerorum. Ita Miſſale Romanum a Paulo III. recognitum, & Lugduni editum ann. 1550. Silent etiam de illo vetus MS. Bibliothecæ Barberinæ *num.* 1858., & aliud recentiori manu deſcriptum, quod oſtendit mihi vir natalibus, & eruditione conſpicuus Camillus de Maximis inter R. E. Cardinales a Clemente X. nuper adſcriptus. Zacharias Andrianus Brixienſis in expoſitione Miſſæ, quam edidit an. 1573. cum omnes ejus partes minutiſſime explicet, nihil prorſus dicit de Evangelio in fine: ſed data benedictione recitandum eſſe ait Canticum *Benedicite* (3). Miſſale (3)
MS. *num.* 101. Bibliothecæ Palatinæ Vaticanæ, & aliud Vaticanum *num.* 3807 hoc ipſum Evangelium dici ſtatuunt, dum exuitur Sacerdos, vel poſt veſtium depoſitionem. Sariſburienſe editum poſt Orationem *Placeat*, ſignat ſe, inquit, & recedit, & in redeundo dicit Evangelium *In principio*. Ordo Miſſæ editus Romæ ann. 1502. a Joanne Burchardo Præfecto cœremoniarum Summi Pontificis, & Miſſale pro regno Norvegiæ impreſſum Haſniæ anno 1519. Auguſtanum item anno 1510., & alia quædam typis excuſa ante Pium V. ipſum legi conſtituunt, priuſquam Sacerdos ab Altari recedat. Teſtes ſunt ejuſdem conſuetudinis Stephanus Brulefer Armoricus Ordinis Minorum, qui vivebat anno 1480. in declaratione myſteriorum Miſſæ, & Joannes Bechoffen Auguſtinianus ſupra citatus. Suſpicor autem hanc conſuetudinem a Pio V. lege firmatam ex eo traxiſſe originem, quod olim Fideles hoc initium Evangelii collo appenſum tamquam amuletum geſtare ſolebant, ut refert Maldonatus *initio comment. in Joannem num.* 15. Cumque difficile foret, ut ipſum ſinguli ſibi in membranis exarari facerent, aut exaratum ſollicite cuſtodirent, ſaltem curarunt, ut ipſum poſt Miſſarum ſolemnia audirent: cumque hoc in ſuperſtitionem aliquando degeneraſſet, Concilium Salegunſtadienſe ann. 1022. can. 10. ne ulterius fieret, hoc edicto ſancivit: *Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ habent in conſuetudine, ut per ſingulos dies audiant Evangelium*, In principio erat Verbum, *& Miſſas peculiares, hoc eſt de Sancta Trinitate, aut de S. Michaele, & ideo ſancitum eſt, ut hoc ulterius non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis Fidelium audire velit pro reverentia S. Trinitatis, non pro aliqua divinatione* (4). (4)

Recitatio initii Evangelii S. Joannis in fine Miſſæ a S. Pio V. præcepta.

(1) *Legitur*

(1) *Legitur initium Evangelii ſecundum Joannem.*) Evangelium hoc eſt ultima additio, quæ Miſſæ univerſaliter facta ſit. Jam ab annis 500. Sacerdotes plurimi ſubmiſſa voce illud recitabant ex devotione in initio gratiarum actionis: Hos deinde populorum devotio impulit, illud alta voce ad Altare recitare, donec S. Pius V. decreto firmaret, ut quicumque Romano utebantur Miſſali, dictum Evangelium S. Joannis in fine Miſſæ legerent. Et ſane quod antea Evangelium iſtud, non ex præcepto, ſed ex devotione tantum recitaretur, ex eo clare dignoſcitur, uti ſcribit Gullielmus Burius in Brevi notitia Romanorum Pontificum de S. Pio V. ubi de ipſo ſic ait: *Inter alia ordinavit in fine Miſſæ a Sacerdotibus dici Evangelium S. Joannis* (*quod ante non ex mandato hinc inde dicebatur*) *quia eſt veluti compendium Myſteriorum principalium Fidei noſtræ, Sanctiſſimæ Trinitatis, creationis Mundi, Incarnationis Chriſti, quæ profitetur Sacerdos ſuo, & totius Eccleſiæ nomine.* Antea igitur legebatur Evangelium illud ad libitum Sacerdotis. Et revera ita reperitur in Sacerdotali veteri Leonis Papæ X. tanquam in fine Miſſæ dicendum, ſed adhuc non ſub præcepto, ut communiter cenſetur; alii enim legebant illud ad Altare, alii idem recitabant dum redirent ab Altari ad Sacrarium, alii ipſum legebant in Sacrario, antequam ſacras veſtes deponerent, alii dum eaſdem exuerent. Ita Miſſale MS. Bibliothecæ Palatinæ num. 501. & Vaticanum num. 3807. Pariter Miſſale Remenſis Eccleſiæ an. 1553. Sicut & illud Noviomenſis an. 1541. aliaque nonnulla memorata apud Meratum Addit. in Gavantum Parte I. Tit. XIII. edit. Venetæ in fol. Tom. 1. pag. 99. num. IV. Alii denique non legebant omnino, ut fit etiamnunc a Carthuſianis; ſed de hoc vario Eccleſiarum Ritu circa hoc Evangelium S. Joannis iterum infra dicetur nota 4.

(2) *Proponendum eſſe dicebat.*) De quo etiam vide Svarez diſp. 83. Sect. 1. ubi fuſe de eo agit.

(3) *Recitandum eſſe ait Canticum Benedicite.*) Miſſalia, de quibus ſupra impreſſa Venetiis in Ordine Miſſæ poſt benedictionem nihil dicunt de Evangelio Sancti Joannis, ſed poſt eumdem aiunt: *reverſus in ſacrarium Sacerdos*, ſe veſtibus exuens dicit Antiphonam *Trium puerorum &c.* attamen in fine Miſſarum, ad Miſſam pro ſponſo, & ſponſa, ultimo dicunt; det benedictionem, & dicat, ut ſolitum eſt, Evangelium Sancti Joannis *In principio &c.* ex quo confirmatur, quod ſupra Eminen. Author notat ex Paride de Craſſis ex conſuetudine ab aliquibus lectum ante S. Pium V. Evangelium Sancti Joannis. Et ſane adhuc perſeverat in Eccleſia Metropolitana Pariſienſi uſus non recitandi ad Altare ultimum Evangelium, ſive ſit Sancti Joannis, ſive ſit proprium, ſed ſimul ac Diaconus pronunciavit, *Ite Miſſa eſt*, chorus dimittitur, vel ſi dies exigat ſubhebdomadarius, confeſtim ſextam horam inchoat, non præmiſſo *Pater*, nec *Ave*, ipſeque Celebrans regreditur in veſtiarium cum Miniſtris, ubi dictum Evangelium recitat. Ita Claudius Caſtellanus Canonicus Pariſienſis in Epiſt. ad Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum data pridie nonas Februarii an. 1672.

(4) *Non pro aliqua divinatione.*) Huic §. de Evangelio Sancti Joannis addendum eſt, quod tradit Martene de antiqu. Monach. Ritibus lib. 2. cap. 4., videlicet quod in Rituali Caſinenſium, in Conſuetudinibus Monachorum Germaniæ, aut Cluniacenſium, in libro Uſuum Ciſtercienſium, & in ordinario Carthuſienſium nulla penitus fit mentio ejuſdem Evangelii, idem addit loco cit. n. 19. quod prima Ritus iſtius mentio occurrit ſibi in ordinario Monach. Burſfeldenſium, in quo præſcribitur, quod Sacerdos benedictione completa, incurvatus ante Altare dicat hanc Orationem: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* Deinde erigendo ſe dicat: *Dominus vobiſcum*, & *Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem.* Cæterum adeo verum eſt recentem eſſe hujus Evangelii præſcriptionem in fine Miſſæ, ut PP. Societatis Jeſu promiſcue legerent, vel Evangelium S. Joannis, vel illud de B. M. V. *Loquente Jeſu ad turbas &c.* Juxta eorum Conſtitutiones, & adhuc quædam Galliarum Eccleſiæ veterem hunc ritum obſervant, non legendo in fine Miſſæ memoratum S. Joannis Evangelium, ut notat Dumoleon in ſuo Itinere Liturgico. Denique, qui ſolemniter celebrat in Pontificio Sacello, ejuſdem Evangelii recitationem nunc in fine Miſſæ omittit. Videri poſſunt in hanc rem Bellotte in Rit. Eccl. Laudun. pag. 679. Le-Brun Tom. 1. pag. 687. aliique.

§. VI.

Receſſus Sacerdotis ab Altari. Hymnus trium Puerorum. Sacrarum veſtium depoſitio. Finis Libri.

Lecto demum Evangelio (1) Sacerdos ab Altari recedens, & ſacris veſtibus ſe exuens Hymnum recitat trium puerorum ex veteri conſuetudine cujus meminit Micrologus *cap.* 22. Miſſa Codicis Tiliani apud Menardum, *Expletis omnibus*, inquit, *Epiſcopus rediens ad ſacrarium cum Diaconibus, & cæteris cantet Hymnum trium Puerorum*. Idem fere ait Miſſa Illyrici. Quod vero Micrologus, & poſt eum recentiores a Concilio IV. Toletano decretum fuiſſe aſſerunt, ut hoc canticum a Sacerdote poſt Miſſam diceretur, id omnino falſum eſt, erroríque cauſam præbuit ritus Eccleſiaſtici, qui tunc in Hiſpania vigebat, ignorantia. In eo ſiquidem Concilio multa ſancita ſunt, quæ ad ritum Mozarabicum pertinebant; atque inter cætera decretum eſt, ne Hymnus trium Puerorum omitteretur. Hunc autem non quotidie dicunt Mozarabes, ſed diebus tantum Dominicis, & in ſolemnitatibus Martyrum: nec in fine Miſſæ, ſed in principio ante Epiſtolam, iiſdem fere verbis, quibus canitur ritu Romano Sabbatis quatuor Temporum, ut ex eorum Miſſali evidens eſt: atque ideo Concilii decretum nullo modo ſpectat ad canticum, quod poſt Miſſam a nobis recitatur. Clariſſime hoc patet ex ipſius decreti tenore, Can. 13. qui in nova editione eſt 14. *Hymnum trium Puerorum, in quo univerſa cæli terræque creatura Dominum collaudat, & quem Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa celebrat, quidam Sacerdotes in Miſſa Dominicorum dierum, & in ſolemnitatibus Martyrum canere negligunt: proinde hoc ſacrum Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ vel Galliæ in omnium Miſſarum ſolemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amiſſuri, qui & antiquam hujus Hymni conſuetudinem, noſtramque definitionem exceſſerint*. Quædam Eccleſiæ pro cantico *Benedicite* recitant Hymnum *Te Deum laudamus* (2).

Et hic finis eſt divini, ac tremendi Sacrificii, hæc meta ſuſcepti operis, cui multo tempore inſudavi, dubio ſane, ac minus felici eventu. Sæpe enim volenti & conanti vel ingenii vires, vel rerum antiquarum notitia, vel alia ſubſidia deſuerunt: nec fieri potuit, quin per loca ſalebroſa in tenebris ambulans interdum offenderim. Sed & aliquando, quod ultro confiteor, labore & ægritudine feſſo ac defatigato ſomnus obrepſit. Viam nihilominus ſtravi, & facem prætuli peritioribus, atque minus occupatis, ut penetralibus auguſtiſſimi Myſterii intimius ſe inferant, abdita veteris Eccleſiæ monumenta diligentius perquirant, & ſubtilius excutiant: cumque aliquid incautius, & negligentius a me ſcriptum offenderint, ignoſcant primum, meoſque conatus ac vigilias non deſpiciant, deinde amica manu corrigant & emendent, & quæ omiſi ſuppleant. Si quid vero boni repererint, Deo adſcribant, non mihi; ipſique mecum gratias agant bonorum omnium largitori, cui eſt laus, honor, & gloria per infinita ſecula. Amen.

(1) *Lecto demum Evangelio &c.*) Reſpondet Chorus, ſeu Populus, aut ejus nomine Miniſter, *Deo gratias*, ut Miſſa, quæ vere, ac proprie Sacrificium Euchariſticum eſt, tota in gratiarum actionem deſinat; hoc tanquam ſigillo ſacram univerſim Liturgiam obſignantes, Davidis Regis exemplo, qui Pſalterium ſuum concluſit Pſalm. 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus &c.*, quo Dei populum invitat ad laudes Domini, & erga

ergi ipſum ardentiſſimum ſuum demonſtraret affectum. Quare ejuſdem ultimum Pſalmi verſiculum ea abſolvit clauſula. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*; eodem ferme ſenſu, ac tres pueri in eorum cantico, ubi omnia opera Domini Domino ſingulatim benedicere invitant. Sic ex S. Dionyſio cap. 3. Eccl. Hierarchiæ *in ſacram gratiarum actionem Liturgia definit cum Eccleſiæ ſacra plenitudine*. Et Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum: *Quibus peractis, & participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit*. Et ſane ſubdit idem Auguſtinus Epiſt. 77. ad Aurelium. *Quid melius in animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nihil dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt*, & maxime in hoc diviniſſimo ſuæ Carnis, & Sanguinis Sacramento. Gratias igitur agamus Deo Patri, qui propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Unigenitum Filium ſuum dare dignatus eſt, & pariter cum illo omnia nobis donavit. Gratias Deo Filio, qui (ut „ inquit D. Thomas Opuſc. 57.) ſuæ divi„ vinitatis volens nos eſſe participes, noſtram „ naturam aſſumpſit, ut homines Deos fa„ ceret factus homo; Et hoc inſuper quod „ de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit „ ad ſalutem; Corpus namque ſuum pro no„ ſtra reconciliatione in ara Crucis hoſtiam „ obtulit Deo Patri, Sanguinem ſuum fudit „ in pretium ſimul & lavacrum, ut redempti „ a miſerabili ſervitute a peccatis omnibus „ mundaremur; Et ut tanti beneficii jugis „ in nobis maneret memoria, Corpus ſuum „ in cibum, & Sanguinem ſuum in potum „ ſub ſpecie panis, & vini ſumendum fide„ libus dereliquit „. Gratias Deo Spiritui Sancto, qui ſeptiformis munere nos hoc dono donorum omnium maximo ſanctificat in Chriſto Jeſu Domino noſtro; Gloria tibi Trini„ tas, æqualis una Deitas, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

(2) *Quædam Eccleſiæ pro Cantico Benedicite recitant Hymnum Te Deum laudamus &c.*) Sane pleræque non deſunt Eccleſiæ, quæ pro gratiarum actione hoc canticum adhibent: *Te Deum laudamus*, ſi tamen inter cantica, & non potius inter hymnos numerandum, ut putat Rupertus Abbas lib. 2. in Regulam S. Benedicti cap. 7. Quod licet in ſacris litteris non inveniatur, divinitus tamen a Sanctis Ambroſio, & Auguſtino compoſitum fuiſſe perhibetur ex antiqua traditione communiter recepta, a qua non eſſe recedendum ait Card. noſter in Divinæ Pſalmodiæ cap. 16. §. 12. num. 3. utpote ab Eccleſia Catholica acceptata, atque ad praxim deducta, qua paſſim in gratiarum actionibus Deo referendis pro aliquo accepto Beneficio publice in piis ſacris Conventibus canticum illud religioſe cantandum uſurpat. Ut ut ſit idem canticum, ſeu hymnus dicatur, vere Euchariſticus eſt, & gratiarum actionis, qui a Sacerdotibus poſt Miſſam æque ac canticum *Benedicite* trium Puerorum dici poteſt; ſed ſervanda uniuſcujuſq; Eccleſiæ conſuetudo.

Atque ſic tandem ſuſcepto Operi optatum finem imponimus. Hæc autem habui adjicienda iis, quæ de ſacra Liturgia ſuccincte docuit Card. noſter, non pro rei majeſtate, qua nulla ſublimior excogitari poteſt, ſed pro virium tenuitate proferre. Plura ſane potueram ex ampliſſimo veterum Scriptorum, ac monumentorum penu idem opus uberius exornare, at præſtabilius viſum eſt in tanta rerum copia ſervare mediocritatem, & poſterorum induſtriæ, quæ ſuperſunt, relinquere; Dicamque & illum, quod S. Maximus martyr in fine opuſculi de Eccleſiaſtica Myſtagogia ſcribit: *Hæc ergo*, inquit, *pro viribus expoſui, ea, quæ ſunt magis myſtica, & altiora attingere non auſus. Danda eſt autem venia imbecillitati meæ, & ſuſcipiendum eſt potius, quam reprehendendum, ſi quod dari poteſt, datur. Deo enim gratum, & acceptum eſt quidquid pro viribus pure, & ſincere ex animo datur, etiamſi cum magnis collatum videatur exiguum*. Dignare itaque Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi Summe Pontifex ſempiterne benigno vultu reſpicere de excelſo throno gloriæ tuæ, quæ de hoc tuo admirabili Sacerdotio, quo tranſiturus de hoc mundo ad Patrem factus Sacerdos tuæ victimæ, & victima tui Sacerdotii Corporis, & Sanguinis tui auguſtiſſimum Sacrificium inſtituiſti. Dignare, inquam, quæſo, Domine miſericorditer ſuſcipere, quæ de eodem poſt Cardinalem Bona, te item opitulante ſcribere auſus ſum, non alio prorſus fine, niſi quem ille piiſſimus habuit, ad majorem ſcilicet gloriam tuam, ut nempe Fideles tui hoc tam ſublime myſterium impenſius colerent, & profectu accreſcente frequentent, reliqui vero miſoliturgi, ac ſectis adhærentes, diviniſſimi hujus Sacramenti Catholicam, & Orthodoxam veritatem tam clare illis oſtenſam agnoſcant, & amplectantur, neque amplius ipſam averſantes, eidem refragari præſumant. Faxit Chriſte Jeſu Domine, & utinam Te, quem hactenus ſub ſpeciebus velatum conſideravimus in terris, revelata tandem facie contemplari mereamur in Cælis, fructu Euchariſtici hujus, ac divini Sacrificii fruituri, & reddituri Sacrificium laudis, gratiarumque actionis, dum videbimus eum ſicuti eſt, & oſtendet nobis divitias gloriæ ſuæ in ſalutari ſuo. Interim ſi quæ in hoc Liturgico Opere vere, recteque diſquiſita ac explanata ſunt, Deo Optimo Maximo ſupremo bonorum omnium largitori gratias agentes maximas, quod non obſtante inclinata jam mea ætate, & quampluribus infirmitatibus in eo lucubrando perpeſſis, ipſe ſcit, qui laborem & dolorem conſiderat, nos miſericorditer de his omnibus eripuit; Ipſi propterea, Beatiſſimæ ſemper Virgini, Divo Bernardo Abbati, Sanctiſque omnibus hoc qualecumque ſit munus, offerimus. Si quæ vero in eodem forte minus recte, aut vere in Catholico ſenſu, quod abſit, exarata ſunt, nec dicta, nec ſcripta volumus. Lectoris benignitati, ut ignoſcat, commendo, Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ judicio, ut emendet, & corrigat, lubens ſubjicio, Dei gloriæ, ut acceptabilia ſint, ſi merentur, habere dignetur, toto corde, & affectu, deſidero, & exopto; eadem oratiuncula Deum deprecans, qua Libros ſuos

Operis clauſula, & pro ea gratiarum actio.

de

de Trinitate concludit Magnus Auguſtinus: *Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcumque dixi hic de tuo, agnoſcant & tui: Si quæ de meo, & Tu ignoſce, & tui.* Ac denique Votum pium pii & Catholici Scriptoris Verepei ſic de Chriſto in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento latente, ac diviniſſimo ejus Sacrificio canentis in hanc rem meum eſto:

„ Chriſti ſancta Caro, ſummi Caro plena ſtuporis,
„ Plena voluptatis, plena timoris Ave.
„ Cuncta Paleſtinæ ceſſant libamina gentis,
„ Unica pro multis hoſtia ſacra manet.
„ Te Rex Melchiſedech, Te victima Paſchatis Agnus,
„ Te cibus Eliæ, Mannaque dulce refert.
„ Rex conviva ſedes, Te das, Te porrigis ipſum:
„ Unum mille ſimul corpora Corpus alis.
„ Sumeris, & ſumptus rurſum ſine fine reſumi,
„ Nec tamen abſumi, diminuive potes.
„ O ſacra, quæ vitam præſtas, mortemque repellis,
„ Erigis e terris: Et ſuper aſtra locas.
„ In carnem ſuſcepta Caro, carnalia tolle
„ Omnia: paſce, fove, conſociaque Deo.

F I N I S

Libri ſecundi, & Tomi tertii.

APPENDICES, ET SUPPLEMENTA.

APPENDIX I. Ad Cap. XII.

CARD. BONA.

UT fidem liberem quam ſupra dedi Lib. I. Cap. XII. addo hic veluti Appendicem Miſſam ante annos centum & amplius editam Argentinæ a Matthia Flacco Illyrico, de cujus antiquitate, uſu, & auctoritate quid ſentiendum ſit, non ſine diligenti examine ibidem expoſui. In editione Illyrici ſic inſcribitur: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto authenticoque Codice deſcripta*. Sed titulus mentitur; eſt enim ipſamet Miſſa Romana variis orationibus interpolata.

MISSA LATINA.

INcipit Ordo Sacramentorum: *In primis, quomodo Sacerdos Apologetica celebrare debeat, antequam ad Miſſarum celebrationem accedat. Mox antequam ſacerdotalibus induatur veſtibus, ſi locus acciderit, vel tempus permiſerit, flexis genibus ante Altare cantet ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum litania, qua finita dicat:* Pater noſter, Credo in Deum Patrem omnipotentem, *poſt has preces.*

Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Dominus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ a ſæculo ſunt.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum eſt enim.

Non derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris a me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me reſpice.

Fac mihi Domine ſignum in bono *, ut videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

* Hæc eſt prima nota verſionis italicæ, etenim in vulgata legitur *in bonum*.

Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me, da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.

Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

Egredere Domine in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam a nobis.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

 Pec-

Peccavimus cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus Domine.

Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum : cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis : neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum : neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Libera nos Deus in mirabilibus tuis : & da gloriam nomini tuo.

Extende Domine brachium tuum : & libera animas noſtras, ne pereamus.

Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui : viſita nos in ſalutari tuo.

Memor eſto Domine congregationis tuæ : quam poſſediſti ab initio.

Cuſtodi nos Domine, ut pupillam oculi : ſub umbra alarum tuarum protege nos.

Protege nos Domine a facie impiorum, qui nos afflixerunt.

Eſto nobis Domine in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvos nos facias.

Eſto nobis Domine turris fortitudinis, a facie inimici.

Da nobis Domine auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

In Domino * faciemus virtutem : & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

* Ejuſdem ſecunda ; in vulgata quippe legitur *in Deo*.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Deus tu converſus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Sacerdotes tui induantur juſtitia ** ; & ſancti tui exultent.

** Tertia ; in vulgata *juſtitiam*.

Domine Deus virtutum converte nos : & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Domine exaudi orationem meam : Et clamor meus ad te veniat.

His autem precibus finitis, dicat Sacerdos has Orationes :

Dominus vobiſcum. *Oremus.*

OMnipotens mitiſſime Deus reſpice propitius preces meas, & libera cor meum de malarum tentatione cogitationum, & Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum merear.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & quod delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat.

Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus miſericordiam tuam nobis oſtende ſupplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, ſed indulgentiam ſentiamus.

Omnipotens Deus miſericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam conſequamur.

Poſtea

Poſtea ſurgens ad induendum ſe veſtimentis ſacerdotalibus primo dicas .

INtervenientibus pro nobis omnibus Sanctis , & electis tuis, actiones noſtras quæſumus Domine , & aſpitando præveni , & adjuvando proſequere , ut omnis oratio , & cuncta noſtra operatio a te ſemper incipiat , & per te cœpta finiatur .

Tunc lavet manus hunc verſum dicendo .

LAvabo inter innocentes .

Oremus .

LArgire ſenſibus noſtris omnipotens Deus , ut ſicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum , ſic a te mundentur interius pollutiones mentium , & creſcat in nobis augumentum ſanctarum virtutum .

Cum ſe exuerit quotidianis veſtibus , dicat .

COnſcinde Domine ſaccum meum , & circumda me lætitia ſalutari .

Hos Pſalmos interim , dum paratur Epiſcopus , circumſtantes Clerici cantent .

QUam dilecta tabernacula &c. Benedixiſti Domine terram &c. Inclina Domine aurem tuam &c. Fundamenta ejus in montibus &c Domine Deus ſalutis meæ . Credidi propter quod locutus ſum . Memento Domine .

Ad induendum Ephot , vel Amictum .

HUmeros meos ſancti Spiritus gratia tege Domine, reneſque meos vitiis omnibus expulſis præcinge ad ſacrificandum tibi viventi, & regnanti in ſecula ſeculorum .

Ad Albam .

CIrcumda me Domine fidei armis , ut ab iniquitatum ſagittis erutus valeam æquitatem , & juſtitiam cuſtodire .

Oratio ad Albam .

OMnipotens ſempiterne Deus , te ſuppliciter exoro , ut fraude omnium fuſcatorum exutus alba veſte indutus te ſequi merear ad regna , ubi vera ſunt gaudia .

Ad Cingulum .

CIrcumcinge lumbos meos Domine zona juſtitiæ , & circumcide vitia cordis , & corporis mei .

Ad Præcinctorium .

PRæcinge me Domine virtute , & pone immaculatam viam meam.

Ad Stolam .

STola juſtitiæ circumda Domine cervicem meam , & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam .

Oratio ad Stolam .

DIrumpe Domine vincula peccatorum meorum , ut jugo tuæ ſervitutis innixus valeam tibi cum timore , & reverentia famulari.

Ad Subtile .

INdue me Domine veſtimento ſalutis , & circumda me lorica fortitudinis .

Ad Dalmaticam .

INdumento hoc typico priſcorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto veſtitus humiliter poſtulo , ut ex commemo-

memoratione paſſionis tuæ, fiam tibi Domine Jeſu Chriſte jugiter gratioſus, qui vivis &c.

Ad Caſulam.

INdue me Domine ſacerdotali juſtitia, ut induci merear in tabernacula ſempiterna.

Oratio ad Caſulam.

INdue me Domine ornamento humilitatis, & charitatis, & concede mihi protectionem contra hoſtem inſidiatorem, ut valeam puro, & caſto corpore laudare nomen tuum ſanctum in ſecula ſeculorum. Amen.

Cum Mappulam acceperit.

INveſtione iſtius mappulæ ſubnixe deprecor Domine, ut ſic operer in temporali converſatione, quatenus exemplo priorum patrum in futuro merear perenniter gaudere per omnia &c.

Cum Mappulam induerit.

DA Domine virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam immundam, ut ſine pollutione mentis, & corporis vaeam tibi ſervire. Amen.

Ad induendas manus.

CReator totius creaturæ dignare me indignum famulum tuum indumentis juſtitiæ, & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conſpectum tuum aſſiſtere merear mundus.

Ad Annulum.

CIrcumda Domine digitos meos virtute, & decora ſacrificatione.

Ad Rationale.

DA nobis Domine veritatem tuam firmiter retinere, & doctrinam veritatis plebi tuæ digne aperire.

Poſtquam infulatus fuerit, dicat hanc Orationem.

ROgo te altiſſime Sabaoth, pater ſancte, ut me tunica caſtitatis digneris accingere, & meos lumbos baltheo tui amoris ambire ac renes cordis, ac corporis mei charitatis igne perurere, quatenus pro peccatis meis poſſim digne intercedere, & aſtantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas ſingulorum hoſtias immolare: me quoque audacter Domine ad te accedentem non ſinas perire, ſed dignare me mundare, lavare, ornare, & leniter, ac benigne ſuſcipere, Pater ſanctiſſime, qui cum Filio, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Inde Confeſſio ſingularis.

DOmine Deus omnipotens, qui es trinus, & unus, & ubique præſens, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ ſi non confiteter, te tamen latere non poſſunt, quia peccavi nimis in cogitationibus, in locutionibus, diverſiſque operibus malis, & multis, & quia ego miſer, & miſerabilis, Domine propter duritiam, & nequitiam cordis mei, niſi tu adjuves me, in ipſa peccatorum meorum morte perduro, propterea propter te miſerere mei, qui vivis & regnas.

His omnibus rite peractis dicat Epiſcopus preces has.

EXurge Domine adjuva nos: Et redime nos propter nomen tuum.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam : & ſalutare tuum da nobis.

Ne intres in judicium cum ſervis tuis Domine : quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Propitius eſto peccatis noſtris Domine : propter nomen tuum Domine.

Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Sequuntur Orationes.

Oremus.

FAc me quæſo omnipotens Deus ita juſtitia indui, ut in ſanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum conſortium adipiſcar tibi placentium Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat. Qui &c.

Alia.

AUres tuæ pietatis mitiſſime Deus inclina precibus meis, & gratia Sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis myſteriis digne miniſtrare, atque æterna charitate diligere merear. Per &c.

Ad Incenſum imponendum.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſit benedictum hoc incenſum in odorem ſuavitatis Domino, & in remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum. Amen.

Ad oſculandum Evangelium.

PAx Chriſti in viſceribus noſtris permaneat.

Cum egreditur Epiſcopus de Sacrario, dicat.

DEduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

Eccleſiam intrans, dicat.

INtroibo in domum tuam Domine, & adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu meo * viam tuam.

Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. Deus propitius eſto mihi peccatori.

* In vulgata legitur: *in conſpectu tuo viam meam.*

Interim cum Proceſſione egrediens ad gradus hunc Pſalmum pro ſecum deducentibus eum cantet.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit &c.

Cum Verſu.

VIrga tua, & baculus tuus &c.

Quo finito, ſubjungat Orationem hanc.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui es magnus, & mirabilis Dominus, qui nobis donaſti introitum in Sancta Sanctorum, Incarnationem Unigeniti Filii tui Domini noſtri obſecrantes, poſtulamus benignitatem tuam, quia in timore ſumus, & tremore, volentes aſſiſtere ante ſanctum, & glorioſum Altare tuum, ut emittas ſuper nos donum gratiæ Spiritus Sancti, & innoves animas noſtras, & corpora, ut mundo corde offeramus tibi Sacrificium, donum fructiferum in re-

remiſſionem peccatorum noſtrorum, & populi tui per gloriam, & humanitatem Jeſu Chriſti Filii tui, qui tecum &c.

Coram Altare autem ſtans cum Proceſſione proferens Confeſſionem det Indulgentiam Miniſtris hanc.

INdulgentiam, & remiſſionem ipſe occultorum omnium cognitorum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, una cum Spiritu Sancto contritionem ſpiritus, gemitum cordis, & confeſſionem oris veſtri blande, & venerabiliter ſuſcipere dignetur, quique mulieri peccatrici omnia peccata dimiſerat lachrymanti, & latroni ad unam confeſſionem clauſtra aperuit Paradiſi, ipſe vos redemptionis ſuæ participes ab omni vinculo peccatorum abſolvat, & membra aliquatenus debilitata ſuæ medicina miſericordiæ ſanata, corpori ſanctæ Eccleſiæ redeunte gratia reſtituat, atque in perpetuum ſolidata cuſtodiat. Qui vivit, & regnat.

Data Indulgentia adnectat has Orationes.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus te humiliter deprecamur, ut non nos permittas perire, quia tua creatura ſumus, ſed concede nobis ſpatium vitæ vivendi, ut ante diem exitus noſtri per veram pœnitentiam, fidemque rectam, & puram confeſſionem tibi omnipotenti Domino in hac præſenti vita placere mereamur. Per &c.

Alia.

PRæſta quæſumus omnipotens, & miſericors Deus, ut reatus noſtri confeſſio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per &c.

Alia.

FAmulorum tuorum quæſumus Domine delictis ignoſce, & qui placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini Dei noſtri, & iſtorum, atque omnium Sanctorum tuorum interceſſione ſalvemur. Per eumdem &c.

Deinde in eodem loco Presbyteris illum ducentibus, & Diacomis præbeat oſculum pacis, ipſique poſt acceptam pacem ab Epiſcopo, ſinguli aſcendant ad cornu Altaris, oſculantes illud. Et redant Presbyteri ad ducendum Epiſcopum ad Altare, & in aſcendendo dicat orationem hanc.

DOminus vobiſcum
Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

AUfer a nobis quæſumus Domine iniquitates noſtras, ut ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire.

Et dum pervenerit ad Altare, imponat per ſe Antiphonam.

INtroibo ad Altare Dei, ad Dominum, qui lætificat juventutem meam.

Cum Pſalmo: Judica me Deus, diſcerne cauſam meam de gente.

Quo finito has adnectat preces.

DElictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitias meas non abſcondi, iniquitates meas ego cognoſco, & delicta mea contra me ſunt ſemper. Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam; quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe

Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.

Egredere Domine in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

Tunc ſalutat Evang. dicens.

PAx Chriſti, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, confirmet, & conſervet corda, & corpora noſtra in vitam æternam. Amen.

Deinde oſculetur Altare dicens hanc orationem.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris Altaribus adſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiam, concede quæſo per hujus Sacramenti myſterium meorum mihi veveniam peccatorum, ut tuæ majeſtati digne miniſtrare, atque æterna charitate diligere merear. Per &c.

Poſt hæc ſecreto dicat hanc confeſſionem.

SUſcipe confeſſionem meam unica ſpes ſalutis meæ Domine Deus meus Jeſu Chriſte, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triſtitia, accidia, ſomnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, periurio, falſitate, mendacio, vanagloria, levitate, & ſuperbia perditus ſum, & omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis extinctus ſum, qui juſtificas impios, & vivificas mortuos, juſtifica me, & reſuſcita me Domine Deus meus. Qui vivis, &c.

Alia.

COnfiteor tibi peccata mea æterne Pontifex, & Sanctorum miniſter, & veri tabernaculi Sacerdos, qui ſemel in anno in myſteria ſancta intraſti, & ſanctum immaculatum agnum proprii corporis tui ad hoſtiam dediſti pro peccatis meis. Tibi confiteor, quia debitor ſum tibi non ſolum decem millia talenta delictorum meorum, ſed totius vitæ meæ reddere rationem debeo, quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfecte a me cuſtoditum ſcio, in quo ego ſermone, viſu, auditu, geſtu, greſſu, opere, cogitatione, aut ſuaſione, vel conſenſu me deliquiſſe profiteor. Sed nunc Domine prævenio faciem tuam in confeſſione, & in conſpectu Angelorum, & omnium Sanctorum confiteor tibi peccata mea, veniam poſtulo pro delictis meis, teque obſecro, ut in hoc tempore accepto exaudias me, & in his diebus ſalutis adjuves me, ut in præſenti perfecte valeam recognoſcere peccata mea, & æterno Judici confiteri, & per id veniam mereri omnium delictorum meorum, quatenus ad tremendum Judicium tuum ſecurum me ab omnibus accuſationibus inimici facias pervenire. Per &c.

Alia.

EGo miſer peccator, qui me præ omnibus Chriſtianis ſceleratiſſimum puto, & ſcio, confiteor Domino, & omnibus Sanctis ejus, omnibus ſceleribus, & flagitiis infinitis ab ineunte ætate uſque in præſentem diem me ſemper occupatum fuiſſe, ſine aliquo Divini timo-

timoris intuitu , maxime autem in fornicationibus nimiis , & variis , ſedula ebrietate hoc perpetrante , negligentiis omnigenis , perjuriis , mendaciis , invidia , ſuperbia , malitia , gula , avaritia , rapina , furto, in vanagloria , in arrogantia , in inobedientia , in contumacia , in duritia mentis , in contradictione , in murmuratione , in indignatione , in detractione , in ira , in odio , in maledictione , in ſuſurratione , in triſtitia , in lætitia vana , in loquendo , in reticendo , in increpando immoderate , in remittendo incaute , in dilectione vana , in riſu , in joco , in ſcurrilitate , in diſcordia , in ſeminando diſcordiam , in ficta amicitia , in dando , & accipiendo , in omnibus ſenſibus corporis me corruptum eſſe confiteor , & omnibus peſtibus , quæ ad mortem pertinent , me gravatum , & repletum eſſe profiteor ; in tantum ut nec homicidii me ſecurum confidam , quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos eſſe , quos aliquatenus vivificare potuiſſem , ſi de his , quæ ſuperflua erant , propenſiorem eis curam impendiſſem . Hæc omnia cum ſemper feciſſem , nunquam ea pura confeſſione purgavi , vel debita pœnitentia minui , ſed ſemper gravibus graviora adjeci , pro his omnibus , & aliis innumerabilibus , quæ non ſolum non numerare , ſed nec ad memoriam reducere potero , veniam a miſericordioſiſſimo Domino peto , quia neſcio , ubi fugiam ab ira ejus niſi ad illum .

Poſt confeſſionem ſingularem ſequuntur orationes .

TUam Domine clementiam deprecor , ut mihi veniam peccatorum meorum concedas , & me in mandatorum tuorum cuſtodias obſervatione , nec non etiam me indignum exaudire digneris pro omnibus , quorum confeſſiones , vel eleemoſynas ſuſcepi , vel qui ſe confidentia charitatis mihi commendaverunt , ut ſive vivunt , ſive in tuæ pacis ſpe requieſcunt , tuæ propitiationis perpetualiter ſentiant adjumentum .

Salva me Domine Rex æternæ gloriæ , qui potes ſalvare , da mihi & velle , & operari , & perficere , quæ tibi placent , & mihi expediunt , da in perturbatione auxilium , in perſecutione ſolatium , & in omni tentatione virtutem , tribue de præteritis veniam , de præſentibus malis emendationem , de futuriſque digneris largiri cuſtodiam . Amen .

Alia .

OBſecro Domine Jeſu cunctas Civitatis meæ portas juſtitiæ facias , ut ingreſſus in eas confitear nomini tuo , tuæque majeſtati cum miniſtris cæleſtibus eam crebrius inviſenti non fætor elati cadaveris occurrat . Sed occupet ſalus muros illius , & portas ejus laudatio .

Alia .

DEus Omnipotens miſerere ſupplici tuo , quia non ſum ſicut innumeri ſervi , contemptu ſeculi ſublimes , juſtitiæ merito glorioſi , caſtitatis laude angelici , velut etiam multi illorum , qui poſt flagitia publica , pœnitendo tibi meruerunt eſſe devoti , qui etiam , ſi quid boni , tua gratia largiente fecero , quo fine hoc faciam , quave a te diſtrictione penſetur , ignoro .

Alia .

INdignum me Domine fateor tuis ſacris , qui innumeris quotidie fuſcor peccatis , nam qui te blandis verbis rogare præſumo , improbis ſæpiſſime factis offendo , tu enim mihi medicinam ingeris ægro , ego ſanitati meæ indeſinenter contraria ago , legem tuam

ſacris

ſacris inditam paginis lego, ſanam vero diſciplinam infelix negligo, ad tuum quidem Altare, quaſi devotus accedo, ſed a præceptis tuis contumaci corde recedo, quaſi dignum me in oculis hominum oſtendo, ſed in tuo conſpectu, quem occulta non fallunt, diverſis ſceleribus pollutus ſordeo. Sed tuum eſt Domine Deus dare peccatori cor cumpunctum, fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem ſcelerum. Meum eſt, ſi donaveris, delicta deflere, tuum eſt, eas, ut nubem, cito delere, & licet palmam amiſerim innocentiæ inimico ſuadente, ſaltem per confeſſionem veniam merear, te miſerante, ut tibi ſit gloria, laus, & honor, cuncta regenti in ſecula ſeculorum &c.

Alia.

DEus propitius eſto mihi peccatori, quia tu es immortalis, & ſine peccato ſolus Domine Deus meus, indulge mihi indigno famulo tuo & peccatori, quia peccator ſum, & indignus, qui præſumo ad ſanctum Altare accedere, & invocare te, quia peccavi coram te, & coram Angelis tuis: ſed per illorum interceſſionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum, & confirma me in ſancta Eccleſia tua in fide Orthodoxorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ.

Alia.

DOmine Jeſu Chriſte Redemptor Mundi propitius eſto mihi peccatori omnibus modis in peccatis jacenti, quia tu ſolus Domine immortalis es, & ſine peccato; indulge mihi miſerrimo præſumenti accedere ad ſanctum Altare tuum & invocare te, quia peccavi ab infantia mea uſque nunc coram te, & coram Angelis, & omnibus Sanctis tuis, ſed per illorum interceſſionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque peccatorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Alia.

DEus miſericordiæ & veritatis, clementiam tuam ſuppliciter deprecor, ut mihi miſero innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi, quatenus te miſerante in hac vita ſecundum tuam voluntatem purgatus ad æternæ beatitudinis participationem pertingam, cunctis etiam in corpore, ſive extra corpus viventibus, qui mihi ſpiritali, vel carnali conjunctione cohærent, & qui ſe mihi vel confitendo, vel rogando commendaverunt, nec non & quorum pecunias, vel eleemoſynas ſuſcepi, vel qui per meam negligentiam, ſeu malitiam corrupti ſunt, manum miſericordiæ tuæ porrigas, & per ineffabilem largitatem tuam adoptatam eis indulgentiam peccatorum concedas, & ad requiem beatorum ſpirituum perducere digneris. Per &c.

Alia.

CLementiſſime Chriſte fidelium animarum redemptor, propitius quæſo adeſto meis indignis precibus exauditor, qui ad immolandam ſacræ tuæ paſſionis hoſtiam tremens aſſiſto, dum multifaria, & noxia me accuſantia crimina recognoſco, debita Altaribus tuis indignus ſacrificia tuo conſpectui offerre præſumo, qui ante tuæ Majeſtatis præſentiam jaceo, corpore, mente, cordeque pollutus, ſed habeas inter hæc tuum antidotum Chriſte, quo ſanare bone Medice animarum vulnera noſti. Conſcriptum quæſo contra me, Arbiter alme, dele peccati chirographum, ne ultor a me ſuum ultra valeat

 exige-

exigere nummum. Ob hoc tuam Domine clementiam indigno ore, menteque depoſco, ut ſereno familiam tuam, ſacri tui nominis officia præſtolantem digneris aſpicere vultu, ne per me indignum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum ſanctum fundendo ſanguinem eſſe redemptio, ſed tua nos ſemper, & ubique protectione conſerva, ut quos pretioſo ſanguine redemiſti in terris, æterna facias cum ſanctis tuis gloria numerari in cœlis, qui cum æterno Patre vivis, & regnas Deus in unitate Spiritus Sancti in ſecula ſeculorum. Amen.

Has Orationes interim dicat, donec cantentur Verſus ad Introitum, & Kyrie eleiſon, & deinde carmen Angelorum.

GLoria in excelſis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, Hymnum dicimus tibi. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens; Domine Fili unigenite Jeſu Chriſte altiſſime, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis, quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Jeſu Chriſte, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Hæc ſequens Oratio dicatur ab Epiſcopo interim donec Hymnus Angelicus finiatur.

Oremus.

DEus, qui juſte iraſceris, & clementer ignoſcis, qui etiam non mortem peccatorum, ſed vitam deſideras, me miſerum, fragilemque peccatorem delictorum ſordibus plenum a tua pietate non repellas, neque reſpicias ad peccata mea, quæ male vivendo commiſi, ſed ad immenſas miſericordias tuas, quibus gratuito munere peccantibus ſubvenire conſuevisti, obſecro itaque Domine, ut immemor ſis peccatorum meorum, & memor miſericordiarum tuarum, vota, preceſque meas dignanter ſuſcipias, & diſſimulatis fragilitatis meæ peccatis labia mea aperias, & ad confeſſionem me tuæ laudis placatus admittas, qui per incarnationem, & humanitatem D. N. J. Chriſti Filii tui dediſti pacem hominibus, & cœleſtium Collegium Angelorum, da me, & de tuæ pacis ubertate repleri, & de Angelicæ ſocietatis unitate lætari; ſicque me facias his temporalibus officiis intereſſe, ut ad tuas miſericordias in æternum cum illis decantandas perpetuis electorum tuorum choris aggregari præcipias. Per &c.

Finita Angelica laude miſſalem orationem dicat Sacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & Evangelium, ideſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentiæ Epiſcopus dicat has orationes.

ANte oculos tuos Domine Deus conſcientiæ teſtis aſſiſto, rogare non audeo, quod impetrare non mereor, tu ſcis Domine, quæ aguntur in nobis, erubeſcimus fateri, quod non timemus admittere: verbis tibi tantum obſequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle noſtris actibus approbamus. Sed parce Domine confidentibus, ignoſce precantibus, miſerere te rogantibus. Et quia meus ſenſus in Sacramentis tuis infirmus eſt, & apud te non habent peccatores verba ſine crimine, præſta Domine, ut ſi ex nobis indignis, duri cordis verba non ſuſcipis, per temetipſum veniam largiaris. Qui vivis, &c.

Chri-

Alia.

CHriſte parce, miſerere mei, non ſecundum merita mea, ſed ſecundum miſericordiam tuam. Noli me deſpicere peccatorem. Noli me reprobare, ſed ſuſcipe me ſecundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea, miſerere mei Domine, quia peccavi tibi, da mihi fontem lacrymarum, fons vitæ, & lux luminis, concede mihi in præſenti vita veram pœnitentiam de peccatis meis, & in bono perſeverantiam. Domine exaudi orationem meam. Qui vivis, &c.

Alia.

QUæſumus immenſam pietatem tuam Deus, ne nos pro noſtra iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in via recta diſponas, nec ſicut meremur delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati noſtræ invicta bonitate ſubvenias, omnibuſque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

MOrdacis conſcientiæ ſtimulis, & delictorum noſtrorum recordatione commoniti Dominum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid dicto, facto, cogitatione deliquimus, ſive lubricæ ætatis impulſu, ſive errore ignorantiæ commiſimus, pietas Domini noſtri ſolvere, ac perdonare dignetur, ut te Domine annuente, valeamus, quæ mala ſunt, declinare, & quæ bona ſunt, conſequenter explere, & quia nos feciſti ad tua Sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibuſque errantibus indulge, juxta magnitudinem pietatis tuæ.

Alia.

SI ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, & plagas quas vel duriſſimas in hac vita pati poſſumus conferamus, minus eſt, quod patimur, majus eſt, quod meremur; peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non evitamus, in flagellis tuis fragilitas noſtra frangitur, & iniquitas non mutatur; mens ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur, vita in dolore ſuſpirat, & tamen in opere non emendat. Si expectamur, non corrigimur; ſi vindicas non duramus, confitemur in correptione, quod fecimus, obliviſcimur in viſitatione, quod flevimus; ſi impreſſeris manum, facienda promittimus, ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus, ſi ferias, clamamus, ut parcas, ſi parcis, iterum te provocamus, ut ferias; ſi anguſtiæ veniunt, tempus petimus pœnitentiæ, ſi miſericordia ſubveniat, abutimur patientia, quæ pepercit: adhuc plaga illata vix præterit, etiam non recolit mens ingrata, quod pertulit: ſi citius nos exaudias, ex miſericordia inſoleſcimus, ſi tardius, ex impatientia murmuramus. O Domine volumus te ſervare, quod feceris, non timemus negligere, quod juſſeris, habes Domine confitentes reos, parce quia pius es. Novimus, quod niſi dimittas, recte nos punias; ſed apud te eſt multa miſeratio, & propitiatio perabundans; præſta ſine merito, quod rogamus, qui feciſti, qui te rogarent. Clamantibus autem ad te nobis Domine miſerere. Moveat pietatem tuam vox fidelis, & flebilis, atque illa de qua totum ſperamus pietas non reputet, quod offendimus, dum reſpicit, quod rogamus; & cum ſit grandis miſeria eſſe nos reos, major tibi ſit clementia erga nos miſeros. Erige nos Domine Deus noſter, & alleva miſericordia tua, ut commu-

nione ſalutis, & gaudio charitatis, dum ipſi ſalvari ex munere tuo cupimus, etiam fide, & pace cunctarum gentium gaudeamus. Per Dominum &c.

Alia.

ANte conſpectum tuæ inæſtimabilis majeſtatis, ſancta Trinitas, & vera Unitas omnipotens æterne Deus non ſine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate vilis admodum precator accedo, & reus conſcientiæ aſſiſto teſtis, accuſo ego me, & non excuſo, ſed coram teſtibus, ſcilicet omnium Sanctorum tuorum reliquiis, vel omnibus Sanctis tuis in Cœlo, in Terra, confiteor omnes injuſtitias meas tibi, quatenus per eorum merita, & interceſſiones remittas omnem peccati mei impietatem, quia ego peccavi in cælum, & coram te: etiam non ſum dignus vocari Filius tuus, peccatorum ſordibus involutus, ſed tu occultorum cognitor miſerere mei: & reſuſcita me de morte animæ meæ, & ſeptiformis gratia Spiritus Sancti illumina cor meum, & doce me facere voluntatem tuam ubique, quia Deus meus es tu. Amen.

Alia.

MIſerere Deus omnibus errantibus, & ad te pertinentibus, & his omnibus miſereſce, pro quibus debitores ſumus exorare vivis, ſive defunctis, vel quorum eleemoſynas, & confeſſiones ſuſcepimus, & nomina ad commemorandum conſcripſimus, quatenus his omnibus miſericorditer indulgeas, & vitam æternam concedas, nec non perſequentibus nos, & calumniantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ. Amen.

Alia.

SUccurre mihi Deus meus antequam moriar, antequam me tormenta rapiant, antequam me tenebræ obvolvant; Deus enim judicii tui teneor peccati pavore, iram tuam formido; ſi enim vix juſtus ſalvabitur, ego impius ubi ero, quid faciam, dum venerit tremendi judicii dies? Cum examen judicis venerit, quid reſpondeam? Quid vero dicturus ſum, cum ante Tribunal Chriſti fuero præſentatus? Melius fuiſſet non in ſeculo procreatum, quam æterna ſupplicia perpeti cruciaodum: Peccavi enim ſæpe in verbo, in facto, in cogitatione, & peccavi crudeliter, nullum invenitur peccatum, cujus ſordibus non ſim ego miſer inquinatus, nullus eſt morbus vitiorum, a quo non contraxi contagium. Semper delicta mea iteravi: plurimos pravis moribus ad iniquitatem perverti: exemplis vitæ meæ multi ſubverſi ſunt. Obſecro vos omnes choros Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum, ut oretis pro me, ut miſereatur mei Deus, & deleat peccata mea, uti auferat iniquitatem meam, & recipiat me in gaudium ſempiternum. Tu Domine miſericors, clemens, & pius nullum relinquis, nullum reſpuis, nullum ſecludis a miſericordia tua. Converte animam meam in requiem Paradiſi. Tu ovem errantem requiſiſti, & inventam tuis humeris reportaſti ad gregem; quæſo hanc viliſſimam animam manibus attrahe, & offer benedicto, & immortali Patri tuo, coram Cherubim, & Seraphim, & coram ſanctis Angelis, ut deliciis Paradiſi fruens, cum eis dicere poſſim: Gloria Patri immortali, Gloria Filio immortali, gloria Spiritui Sancto immortali, in ſecula ſeculorum. Amen.

Do-

Alia.

DOmine Jeſu Chriſte, qui me tuo ſanguine redemiſti, exaudi me peccatorem quotidie peccantem, & in peccatis nimiis jacentem. Tibi ſoli peccavi, te Chriſte confeſſus ſum. Ego peccavi coram te, & coram omnibus ſanctis tuis, in verbis, & in factis, in omnibus cogitationibus meis, quibus excogitare potui. Infelix ego homo innumerabilia ſunt peccata mea: miſerere mei Deus, omnipotens Deus. Veniam peto coram te, & Sanctis tuis de univerſis peccatis meis præteritis, præſentibus, & futuris. Deus propitius eſto mihi peccatori, & da mihi licentiam in hac vita agendi pœnitentiam, per quam deleam omnia peccata mea, quia neſcio ubi fugiam, niſi ad te Chriſte, quia tu es vita vivorum, & reſurrectio mortuorum. Orate pro me miſero omnes Sancti Apoſtoli, & Martyres, Confeſſores, & Sanctæ Virgines, atque Viduæ, & omnes Sancti, & Electi Dei; orate pro me, ut Deus omnipotens illuminet vultum ſuum ſuper me miſerum, & miſereatur mei. Qui vivit, & regnat &c.

Alia.

DOmine Jeſu Chriſte integritatis amator muni cor meum ab omnibus ſagitiis, & inſidiis inimici, & extingue in me omne incendium libidinis & ad veram humilitatem, & patientiæ tranquillitatem converte, pectus meum ſuccende charitatis ſtimulis, ut odio habens omnem viam iniquitatis, poſſim cunctis diebus vitæ meæ tibi complacere. Qui vivis &c.

Alia.

TUam Domine clementiam precor, ut mihi famulo tuo remiſſionem cunctorum tribuas peccatorum, & omnibus pro quibus debitor ſum exorare, vivis, ſive defunctis, miſericordiæ tuæ munus impendas, ut ad æternam vitam tua gubernatione perveniant, & tuæ ubique gratiæ dona percipiant. Per &c.

Alia.

PRojectis nobis Domine in condemnationem operum noſtrorum, da capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus, & quia tibi Domine non ſunt occulta, quæ geſſimus, concede, ut in nobis, non oris ſit tantum confeſſio, ſed etiam cordis, nec excuſatio criminum, ſed lamentatio peccatorum. Siquidem caſtos cordis noſtri oculos laſciviæ violavit aſpectus, ſunt mores corrupti, diſciplina violata, ſimulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio ſtulta, mens dubia, concupiſcentia carnalis, ſollicitudo terrena, oblivio animæ, negligentia ſanctitatis, ſuper hæc autem mortis timor increvit. Miſerere nobis Domine, miſerere nobis, & da de præteritis malis veniam, de præſentibus emendationem, & de futuris cautelam. Qui vivis &c.

Alia.

IMpellit me peccatorem miniſtrandi officium, hoſtiam ſalutarem offerre pro populi delicto: ſed terret conſcientia indebiti ſacerdotii pro reatu, ſi a me omnium ſacerdotum peripſema ſacrificium offertur, pollutæ conſcientiæ crimen augetur. Si tantæ majeſtati, & univerſæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adſcribitur, inter hæc tuæ omnipotens Deus libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accuſante conſcientia pertimeſco, ne me indignum, quæ-

ſo,

ſo, miſericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis.

Suſpende, precor, interventu iſtorum, & omnium Sanctorum meritis ſecurim, donec cultor vineæ admoveat cophinum ſtercoris ad radicem infructuoſæ arboris. Parce mihi Domine clementiſſime pœnitenti, qui David poſt lapſum clementer ad veniam revocaſti, qui Petri miſericors amare flentis lacrymas reſpexiſti; qui Latronem in Crucis patibulo tanti facinoris reum, divina gratia illuſtraſti; cui mox obtinuit confeſſio propitium Dei Filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia ſempiterna, dum confeſſor in cruce, poſſeſſor extitit Paradiſi propter crucem, ſed quia verba veniæ tuæ pietatis indigent, quæ indigni ſacerdotis opera non commendant, ſaltem adſtantium vota ſuſcipe, ut & mihi ſuis apud te precibus veniam, & eorum meritis ſacrificia, noſtrorum vulnerum nobis conferant medicinam. At quia Omnipotens pro omnium peccatis factus eſt hoſtia ſalutaris, adſis nobis juſtificatio pro delictis Jeſu Chriſte Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas &c.

Oratio pro ſemetipſo.

SAlva me Domine Rex æternæ gloriæ, qui potes ſalvare, & da mihi, ut valeam & operari, & perficere, quæ tibi placeant, & mihi expediant: Domine ſancte Pater omnipotens Deus da mihi in tribulatione auxilium, in perſecutione ſolatium, & in omni tempore tentationis virtutem.

Domine ſancte, piiſſime Pater, da mihi de præteritis delictis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris largire cuſtodiam, quia malum dimittere non poſſum, nec bonum facere, niſi ſuccurrat mihi miſericordia tua magna, ut te merear cognoſcere, & timere, & amare ex toto corde Domine Jeſu Chriſte Redemptor omnium, qui es refugium pauperum, & conſolator tribulatorum, per tuam magnam miſericordiam ſis mihi conſolatio in omnibus anguſtiis, & tribulationibus meis, quia non habeo in alium ſpem niſi in te, quia tu es refugium meum, & virtus in tribulationibus meis, quæ invenerunt me nimis. Propterea clamo ex toto corde ad te, ut exaudire me digneris, & hæc omnia, quæ indignus precor, clementia tuæ pietatis merear adipiſci, & quicquid illud eſt quod infelicitas mea a te petere non ſapit, aut non præſumit, id tu pro tua pietate, ac majeſtate tribue, quia tu es conſolatio, & protectio vitæ meæ in omni tempore &c.

Oratio in quacumque tribulatione.

DEus, qui Contritorum non deſpicis gemitum, & merentium non ſpernis affectum, adeſto precibus noſtris, quas pietati tuæ pro tribulatione noſtra effundere præſumimus implorantes, ut eas clementer ſuſcipere digneris, tribuaſque, ut quicquid contra nos diabolicæ, atque humanæ moliuntur adverſitates, ad nihilum redigas, & conſilio pietatis tuæ allidas, ut nullis adverſitatibus læſi, ſed erepti de omni tribulatione, & anguſtia, læti tibi in Eccleſia tua ſancta gratias referamus per Chriſtum, per quem te ſumme Deus rogamus, ut preces has attendas, & propitiabili dignatione ad hanc noſtram orationem reſpicias, quam tibi pro ereptione, ac relevatione a preſſura noſtræ infirmitatis offerimus, jam Domine reſpice ſuper nos vultu placabili, & miſericordia ſingulari a nobis amove, quod ſævitia malorum promittit, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum

in

in conſiliis adverſitas alligat, quod ex judicio imminet, quod ex ſententia pendet, quod conſpiratione machinatur, quod accuſatione confringitur, quod propriæ merentur iniquitates, quod alienis fictionibus alligamur, quod preſſuris dejicimur, quod cruciatibus premimur, quod anguſtiis anguſtiamur, non juſtitiam tuam, quæſumus Domine in injuſtitiis noſtris exerceas, ſed potius pietatem tuam in iniquitatibus noſtris manifeſta; non nos in perſecutione dejicias, non per intolerantiam perdas, ſed per tribulationem exerce, per pietatem attolle, per miſericordiam rege, quo te protegente ab inimicorum jaculis tuti, a præſenti tribulatione exempti, te Dominum vivum in Trinitate conſona laudemus voce. Qui cum Unigenito Filio tuo, ſanctoque Paraclyto Spiritu vivis, & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio Paſtoris dicenda pro ſe, & pro ſubditis.

DImitte Domine Deus omnipotens quicquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris noſtri increpatio momordit in ſubditos, quicquid minus de boni perfectione diximus parce, quicquid incongruum, vel minus temperate protulimus, ignoſce. Non incautum præſumptio puniat, ſed agnoſcentem me iniquitates meas, miſerationis tuæ pietas abſolvat, & quia non mihi alibi eſt fiducia, niſi in miſericordia tua, Tu & os meum præconio veritatis perarma, & opus pleniore ubertate ſanctifica, ut & indignum ſalves, & commiſſum mihi gregem pro tua pietate ſanctifices. Quidquid in illis vitiatum eſt, ſana, & quidquid in me vitioſum inſpicis, cura; ſi quæ vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt delicta, propitius dimitte. Si quo etiam me ignorante, vel ſciente ceciderunt in crimine, atque ſi exempli mei offendiculo proruerunt, manu miſericordiæ tuæ inde eripe, & pro talibus culpis miſero mihi non reſtituas ultionis vicem. His tamen, quibus increpationis viſus ſum adhibere judicium, increpatio proficiat ad ſalutem. Et oratio hæc interpellans commiſſo eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortalibus pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam contractam abluas de regendi incommoditate offenſam. Præbe Deus aurem ſacrificiis noſtris, & me, mihique commiſſos tuis adſcribe in paginis, quo cum Grege mihi credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde Deus noſtrorum cordium habitaculum, expulſione carnalium vitiorum, & quia in ſubditis conor ſummam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis, pacificus merear te judicante coronari cum Angelis. Fac ergo quæſumus nos pie Deus adſpicientes in conſpectu tuo flammeſcere tuæ gratiæ dono, ut zelus domus tuæ nos comedat, atque ita per vigorem Sancti Spiritus regentes ſubditos temperemus, ut ex diſciplina noſtri regiminis capiant lucrum, & illorum duritia frangatur, ac vita ſanctificetur. Suſcipe Domine noſtrorum votorum libamina, & per hæc quidquid in ſubditos correctionis verbo, vel merito impertimur, non ad diſcordiam noſtri, ſed ad dulcedinis perpetuæ gaudium, & nobis, & illis profeciſſe gaudeamus: ablue nos omnipotens Deus & alieno, & proprio delicto, ut in utroque & ſpiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiducialius tuo nomini ſupplicemus. Per &c.

Cum

Cum Incenſum ante Evangelium in thuribulum mittitur, dicat Sacerdos.

ODore cœleſtis inſpirationis tuæ accendat, & impleat Dominus corda noſtra ad audienda, & implenda Evangelii ſui præcepta. Qui vivis &c.

Benedictio ejuſdem.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti benedicatur incenſum iſtud, & acceptabile fiat in odorem ſuavitatis.

Deinde inclinanti ſe Diacono dat benedictionem Dei, dicens.

BEnedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper te, & aperiat Chriſtus Dominus os tuum ad digne, idoneeque pronunciandum ſanctum Evangelium ſuum. Dominus Deus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut nuncies competenter Evangelium pacis.

Diaconus accipiendo, vel oſculando Evangelium, dicat.

DA mihi Domine ſermonem rectum, & bene ſonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, & omnibus audientibus propter nomen ſanctum tuum in vitam æternam. Amen.

Perlecto autem Evangelio, Diaconus dicat.

PEr iſtos ſermones ſancti Evangelii tui indulge mihi Domine omnia peccata mea.

Et cæteri omnes dicant.

Pax tibi.

Tunc allato incenſo, ſimulque Evangelio ad ſalutandum, dicant ſinguli.

PEr iſtos ſanctos ſermones Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti, indulgeat nobis Dominus univerſa peccata noſtra.

Quando incenſum offertur, dicant ſinguli.

DIrigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine.

Tunc Sacerdos incipiat Symbolum, ideſt.

CRedo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ. Viſibilium omnium, & inviſibilium; Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem. Qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Bapiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam futuri ſeculi. Aman.

Finito Symbolo Apoſtolorum dicat Sacerdos.

DOminus vobiſcum.
Et cum ſpiritu tuo.

Deinde

Deinde lavat manus, hanc Orationem dicens.

LArgire ſenſibus noſtris omnipotens Pater, ut ſicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur interius pollutiones mentium, & creſcat in nobis ſanctarum augumentum virtutum. Per &c.

Hæc prædicta Oratio dicenda eſt a Sacerdote cum manus lavat, ſive ante Miſſam, vel interim, ſeu poſtea.

Tamdiu autem, quamdiu Offertorium, & Verſus canuntur, has dicat Orationes.

DOmine Deus omnipotens, fac me peccatorem hodie, ſecundum magnam miſericordiam tuam accedere ad ſanctum Altare tuum, & præſta ut non ſit mihi hoc ſacrificium reatus ad pœnam, ſed ablutio ſalutaris ad veniam. Per &c.

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus juſtos, de immundis mundos, munda cor meum, & corpus meum ab omni cogitatione mala, & ſorde peccati, & fac me digne, atque ſtrenue ſanctis Altaribus miniſtrare tuis, & concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hoſtias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, & offenſionibus meis, & innumeris quotidianis exceſſibus: & pro Grege mihi commiſſo, & famulis, & famulabus tuis, qui mihi confeſſi ſunt peccata ſua, & ſuas eleemoſynas largiti ſunt. Et pro populo mihi ſubjecto, & omnibus circumſtantibus, omnibuſque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus odio execrabili inſectantibus, & Eccleſiæ mihi commiſſæ adverſantibus, cunctiſque ſimul fidelibus Chriſtianis. Et per eum ſit tibi meum votum, atque ſacrificium acceptabile, qui ſe tibi Deo Patri pro nobis obtulit in ſacrificium, qui eſt ſummus Sacerdos, & Pontifex, & ſolus ſine macula peccati Jeſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia &c.

Alia.

MAjeſtatem tuam totis viribus Deus piiſſime humili prece depoſco, & exoro, ut remittas crimina, quæ caro fragilis a tentatione iniquorum ſpirituum nequiter admiſit, etiam reverti ad ea ultra non ſinas, ſed confirma me in juſtificationibus tuis, & perſeverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conſpectum majeſtatis tuæ aſtare, & ſacrificium tibi Domine caſto corpore, & mundo corde digne offerre. Per &c.

Cum autem ornatum fuerit Altare, antequam oblationes accipiat, has Orationes, humillime ante Altare ſe flebiliter accuſans dicat.

ANte oculos tuos Domine reus conſcientiæ teſtis aſſiſto, rogare non audeo, quod impetrare non merear; Tu ſcis Domine, quæ aguntur in nobis, erubeſcimus confiteri, quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obſequimur, corde mentimur, & quod velle nos dicimus, nolle noſtris actibus approbamus. Sed parce Domine confitentibus: ignoſce peccantibus: miſerere te rogantibus: Et quia meus ſenſus in ſacramentis tuis infirmus eſt, & apud te non habent peccatores verba ſine crimine, præſta Domine, ut ſi ex nobis indignis, & peccatoribus duri cordis verba non ſuſcipis, per temetipſum veniam largiaris. Qui vivis, & regnas &c.

Alia.

DEus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique contriti cordis ſacrificium offerri, hoc ſacrificium, quod ego indignus famulus

mulus tuus confiſus de tua miſericordia, tuæ immenſæ majeſtati offerre præſumo, acceptare dignare; & ut ipſe tibi Sacerdos, & ara, & templum, & ſacrificium eſſe merear, propitiatus concede, quo per miniſterii hujus exhibitionem peccatorum meorum adipiſci merear remiſſionem, mihique & his omnibus, pro quibus offertur tuam miſericordiſſimam propitiationem concede. Per &c.

Alia.

CONſcientia quidem trepidi Domine ad Altare tuum accedimus, ſed fiduciam de tua miſericordia retinemus, & licet ad celebranda ſacrificia ſemper inveniamur indigni, tamen ſi recedimus, veremur de inobedientia condemnari, pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis noſtri interiora purgare digneris, precamur etiam, licet culpabiles ſimus, noſtrorum tamen tibi ſint placita myſteria conſecrata.

Alia.

ANte conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ reus aſſiſto, qui invocare nomen ſanctum tuum præſumo, miſerere mihi Domine homini peccatori, ignoſce indigno Sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce mihi Domine præ cæteris capitalium criminum labe polluto, & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, ſcilicet vitiis, ac voluptatibus carnis aggravatus ſum; recordare Domine, quod caro ſum, in tuo conſpectu etiam cæli non ſunt mundi, quanto magis ego homo terrenus immundus, ſicut pannus menſtruatæ. Indignus ſum Domine Jeſu Chriſte, ut ſim vivens, ſed tu, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; da mihi veniam in carne conſtituto ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui merear in cælis &c. Qui vivis &c.

Alia.

ALtiſſime Deus ignoſce mihi peccatori, quia totius vitæ meæ ſuperavit me iniquitas; quo vultu te conſpiciam Domine, vel quibus verbis me coram tuis conſpectibus excuſabo? nec enim potero abſcondi ante te, qui ſecreta cordis conſideras. Væ mihi peccatori, qui ſancto Altari tuo indignus aſſiſtens, nullum apud voluntatem tuam mentis ornatum exhibui: ſed tu Domine miſerator, & miſericors, qui creaſti cuncta ex nihilo, qui me quoque immeritum formaſti, & ſtatuiſti digne tibi ſervire, non me repellas a cœleſti tuo ſacrario, nec confundas me ante conſpectum tremendæ Majeſtatis tuæ.

Ego vero tibi ſervire, tibi Domine placere propoſui, ſed per meam negligentiam non implevi; ego ergo tam in terris, quam in cælo deſtitutum, & nudum me eſſe conſpicio, quia mandatorum tuorum non cuſtodivi præcepta. Non eſt igitur mihi ſpes ſalutis in operibus meis, ſed anima mea in ſola pietatis tuæ immenſitate ſuſpenſa eſt, & in multitudine miſericordiæ tuæ confidit, ut eam ſalvam facias Domine Jeſu Chriſte, qui non vis mortem peccatorum, niſi ut convertantur, & vivant. Reſpice ſecundum magnam miſericordiam tuam ſuper me miſerum, & rumpantur funes peccatorum meorum, ut non peream. Reſpice in me Domine de ſede Majeſtatis tuæ, & tenebras cordis mei radio tuæ lucis expelle; protege me Domine ſcuto veritatis tuæ, ac fidei, ut me diaboli jacula ignita non penetrent; & quicquid illud eſt, quod infelicitas mea a te petere non ſapit, aut non præſumit, id tu Domine pro virtute tua tribue, quod animam meam

ſalvet

ſalvet a morte, & exeunti mihi de hoc cæno tenebrarum manum porrigas, & lumen oſtendas, & illud indulge, quod feci, & concede ne amplius faciam. Amen.

Alia.

IGnoſce quæſo mihi Domine, quem maculatæ vitæ conſcientia trepidum, & criminum meorum confuſio fecit eſſe captivum, & qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus aſſiſto, profero ad te, ſi digneris Domine captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, deſolationes Eccleſiarum, ſed quoniam me eadem, quæ populum catena peccati conſtringit; ideo omnes lugeo paſſiones: non obſit Domine populo tuo oratio ſubjugata peccatis, per me offertur votum, per te Domine meum compleatur officium, quia vivis & regnas &c.

Tunc accedens ad Altare, & illud oſculando dicat.

ORo te Domine omnipotens Deus, ut per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic continentur, eorum interceſſionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea. Qui vivis &c.

Tunc convertat ſe ſuſcipere oblationes Presbyterorum, aliorumque.

Quando quis oblationem in manum Epiſcopi, vel Presbyteri offert, dicat.

TIbi Domino Creatori meo offero hoſtiam pro remiſſione omnium peccatorum meorum, & cunctorum fidelium tuorum vivorum, ac defunctorum.

Pro ſemetipſo, & pro cuncto populo Chriſtiano.

TIbi Domino Creatori meo offero hoſtiam placationis pro delictis meis, & populi tui, peto Domine, ut des nobis veniam omnium peccatorum noſtrorum.

Pro Rege, & Antiſtite noſtro, & pro cuncto Clero, ac pro omni Populo Chriſtiano.

TIbi Domino creatori meo offero hoſtiam placationis, & laudis pro me, & pro Rege noſtro, & pro Antiſtite noſtro, ac pro cuncto populo chriſtiano, peto Domine, ut des nobis vitam æternam.

Epiſcopus vero, vel Presbyter oblationes accipiens dicat.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offert famulus tuus N. & præſta, ut in conſpectum tuum tibi placens aſcendat &c.

Poſt acceptas oblationes a Clero, vel Plebe accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblatam ita dicendo:

ACceptum ſit omnipotenti Deo, & omnibus ſanctis ejus ſacrificium tuum.

Klenienſque Diaconus ante Epiſcopum offerat dicens hoc Offertorium.

SUſcipe Domine ſancte Pater hanc oblationem, & hoc ſacrificium laudis in honorem nominis tui, ut cum ſuavitate aſcendat ad aures pietatis tuæ. Per &c.

Et Epiſcopus accipiens oblationem a Diacono, dicat.

ACceptabilis ſit omnipotenti Deo oblatio tua.

Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens.

SUſcipe ſancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo, & vero, quia te pro æterna ſalute cunctæ Eccleſiæ tuæ ſuppliciter exoro. Per &c.

Alia.

SUſcipe clementiſſime Pater hoſtias placationis, & laudis, quas tibi offero ego indignus famulus tuus, quia tu ſcis figmentum meum, quia peccavi in conſpectu tuo, & non ſum dignus tibi hoſtiam offerre, ſed tu clemens, & miſericors indulge mihi, & indulgentiam quærentem placatus ſuſcipe clementiſſime. Qui vivis &c.

Iſtæ Orationes cum oblationes offeruntur ad Altare dicendæ ſunt, & eſt hæc prima quotidiana, & generalis.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in honorem Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum quorum hodie feſtivitas celebratur, & quorum hic nomina, & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. &c.

Pro ſemetipſo.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro innumerabilibus peccatis atque offenſionibus meis, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me cuſtodias, pro ſalute corporis, & animæ meæ, ut hic te donante mandata tua cuſtodiam, & in futuro præmia æterna conſequi merear. Per.

Alia pro ſemetipſo.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & miſerrimo omnium hominum, & pro meis peccatis innumerabilibus, quibus peccavi coram te in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me cuſtodias, & pro ſanitate corporis, & animæ meæ, & pro gratiarum actione de tuis bonis, quibus quotidie utor. Domine averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Apologia Sacerdotis.

SUſcipe confeſſionem meam unica ſpes ſalutis meæ Domine Deus meus, quia peccavi in lege tua, in cogitationibus, in verbis, in factis, & multa ſunt peccata mea, & negligens ſum de opere Dei, & de ordine meo, quia peccavi de vanagloria, de ſuperbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falſo teſtimonio, de perjurio, de adulterio, de opere Dei, quod ego negligenter feci, de concupiſcentia carnali, de riſu, de auditu, de viſu, de gula, de crapula, vel de omnibus malis meis; quæ ego negligenter commiſi, veniam inde peto Domine, quia culpabilem me recognoſco.

Alia.

DEus, qui per os David locutus es, vovete, & reddite Domino Deo veſtro, te ſuppliciter exoro, ut me famulum tuum vigilanter cuſtodias, & oblationem, quam tibi pro memetipſo offero, interveniente Beata Maria ſemper Virgine, clementer accipias, qui vivis &c.

Alia

Alia.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus, & peccator famulus tuus tibi offerre præſumo pro abſolutione peccatorum meorum, quatenus te Domino miſerante mihi remiſſio, & indulgentia peccatorum concedatur.

Pro familiaribus, ac fratribus, & ſororibus.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & noſtræ congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris, & pro omni populo Chriſtiano, & pro omnibus eleemoſynas nobis facienribus, & pro his etiam, qui ſe commendaverunt in noſtras orationes, & qui noſtri memoriam in ſuis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia conſequi mereamur æterna.

Pro Rege, & Populo Chriſtiano.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege noſtro, & ſua venerabili prole, & ſtatu regni ſui, & pro omni populo Chriſtiano, & pro eleemoſynariis noſtris, & pro his, qui noſtri memoriam in ſuis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro conſequi præmia æterna mereantur. Per &c.

Pro Eccleſia Catholica.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Eccleſia tua ſancta catholica tibi offero, ut tibi grata ſit, & ipſi ſalutaris ſemper exiſtat. Per &c.

Pro ſalute vivorum.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro ſalute famuli N. tui, quatenus te donante percepta venia peccatorum, vitæ quoque ſempiternæ immenſa gaudia percipere mereatur.

Pro Infirmis.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro infirmo famulo tuo N. ut mentis & corporis recepta ſanitate, in Eccleſia tua ſancta tibi laudes referat, & de *verbere* tuo æterna præmia conſequi mereatur.

Pro Defuncto.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui N. ut per hoc ſalutare ſacrificium purgata ſanctorum tuorum conſortio coadunari mereatur. Per &c.

Pro Defunctis.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum, famularumque tuarum, & requiem æternam dones eis inter tuos ſanctos, & electos, ut in illorum conſortio vita perfruantur æterna. Per &c.

Alia.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro omnibus in tui nominis confeſſione defunctis, ut te dexteram auxilii tui porrigeme vitæ perennis requiem habeant, & a pœnis impiorum ſegregati, ſemper in tuæ laudis lætitia perſeverent. Per &c.

Pro omnibus univerſalis.

SUſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro, & cuncta congregatione ſancti Petri, meiſque parentibus, fratribus, benefactoribus, fidelibus, amicis, meiſque propinquis, & omnibus circumſtantibus, cunctiſque, qui ſe mihi commendaverunt, &

qui

qui pro me orant, ſeu pro quibus debitor ſum, exorare tam vivis, quam defunctis, tibi offero, quatenus te Domine miſerante, eis & mihi remiſſio, & indulgentia peccatorum concedatur, & vita æterna condonetur. Per &c.

Tunc imponat oblatam Altari, & dicat.

SAnctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus fiat. Qui tecum vivit &c.

Deinde Diaconus accipiat a Subdiacono vinum, & miſceat cum aqua in calice, dicens.

DEus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti, da nobis quæſumus per hujus aquæ, & vini myſteria ejus divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ dignatus eſt fieri particeps Jeſus Chriſtus.

Tunc Diaconus calicem offerat ſuper Altare, & Epiſcopo offerat.

IMmola Domino ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota, ſit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, & dum oraveris ad eum, exaudiat te.

Et Sacerdos calicem offerens dicat Offertorium iſtud.

OFferimus tibi Domine calicem ſalutaris, & deprecamur clementiam tuam, ut in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat.

Sequitur Oratio.

DOmine Deus Jeſu Chriſte, qui in cruce paſſionis tuæ, de latere tuo ſanguinem, & aquam, unde tibi Eccleſiam conſecrares, manare voluiſti, ſuſcipe hoc ſacrificium Altari tuo ſuperpoſitum, & concede clementiſſime, ut pro redemptione noſtra, & etiam totius mundi in conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat. Qui vivis &c.

Poſito calice ſuper Altare, dicat Sacerdos.

OBlatum tibi Domine calicem ſanctifica, ut nobis Unigeniti tui D. N. Jeſu Chriſti ſanguis fiat. Qui tecum &c.

Tunc benedicat utrumque elevata manu, & dicat.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſit ſignatum, ordinatum, ſanctificatum, & benedictum hoc ſacrificium novum.

Adjungat.

VEni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium tibi præparatum. Qui vivis &c.

Poſtea accipiens Epiſcopus thus a Diacono, ponat in thuribulum, dicens.

PEr interceſſionem ſancti Gabrielis Archangeli ſtantis a dextris Altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum incenſum iſtud Dominus dignetur benedicere, & in odorem ſuavitatis accipere.

Hæc Oratio dicenda eſt, dum incenſo miſſo in thuribulum, ipſum thuribulum ſuper panem, & calicem circumducitur.

MEmores ſumus æterne Deus, Pater omnipotens, glorioſiſſimæ Paſſionis Filii tui, Reſurrectionis etiam ejus, & Aſcenſionis ejus in cælum. Petimus ergo Majeſtatem tuam, ut aſcendant preces humilitatis noſtræ una cum incenſo iſto in conſpectum tuæ clementiæ, & deſcendat ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem plenitudo Divinitatis: deſcendat etiam Domine illa Sancti Spiritus incomprehenſibilis, inviſibiliſque majeſtas, ſicut quondam in Patrum hoſtias deſcendebat. Per eumdem ejuſdem &c.

Cir-

Circumiens autem Altare cum incenſa Epiſcopus aut Presbyter dicat.

INcenſum iſtud a te benedictum, aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

Sequitur.

DIrigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine.

Quando odor Incenſi porrigitur Sacerdoti & fratribus, dicat unuſquiſque eorum.

ACcendat in nobis Dominus ignem ſui amoris, & flammam æternæ charitatis.

Tunc Sacerdos humillime ſe convertat ad circumſtantes dicens.

ORate pro me peccatore fratres, & ſorores, ut meum, & veſtrum ſacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conſpectum ſuum.

Tunc reſpondeatur ei a ſingulis.

SUſcipiat omnipotens Deus de manibus tuis Sacrificium, & Orationes tuæ aſcendant in memoriam ante Dominum, ipſeque te exaudiat, qui te conſtituit interceſſorem pro peccatis noſtris.

Orent pro te omnes ſancti, & electi Dei, memor ſit omnis Sacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Immola Domino ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.

Exaudiat te Dominus orantem pro noſtra omnium ſalute.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua.

Dominus ſit in corde tuo, & in ore tuo, & ſuſcipiat ſacrificium ſibi acceptum de manibus tuis pro noſtra, omniumque ſalute.

Tunc converſus Sacerdos ad Altare fundat pro ſemetipſa hanc Orationem ante Secreta.

DOmine Jeſu Chriſte fides, & fiducia noſtra, & tota in hujus præſentis vitæ ærumna conſolatio noſtra, me indignum, & peccatorem propitius reſpice, & placatus exaudi, & mitte ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui hanc oblationem ſuſcipiat, & ante conſpectum tuæ miſerationis repræſentet in memoriam mei ad laudem, & gloriam nominis tui. Qui vivis &c.

Tunc incipiat ſecreta, quibus finitis, & præfatione dicta, quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus, *decantant, hæc Oratia curſim dicenda eſt a Sacerdote.*

DOmine Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, me miſerum, fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate, neque adſpicias ad peccata, & ſcelera mea, & immunditias, turpeſque cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, ſed ad miſericordias tuas & ad fidem, devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam deprecantur miſericordiam, & quia me indignum inter te, & populum tuum medium fieri voluiſti, fac me talem, ut digne poſſim tuam exorare miſericordiam pro me, & pro eodem populo tuo.

Domine adjunge voces noſtras vocibus ſanctorum Angelorum tuorum, & ſicut illi te laudant inceſſabiliter, & infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu te mereamur laudare inculpabiliter in hac peregrinatione. Per &c.

Hac Oratione finita, antequam Sacramenta incipiantur, iterum ſe Domino commendet dicens.

FActurus memoriam ſalutaris hoſtiæ totius mundi, cum illius dignitatem, & meam intueor fæditatem, conſcientia torqueor pecca-

catorum : verum quia tu Deus multum miſericors es , imploro , ut digneris mihi dare ſpiritum contribulatum , qui tibi gratum Sacrificium revelaſti , ut eo purificatus vitali hoſtiæ pias manus admoveam, quæ omnia peccata mea aboleat , & ea deinceps in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat , omnibuſque fidelibus vivis , & defunctis pro quibus tibi offertur , præſentis vitæ , & futuræ ſalutis commercia largiatur . Qui vivis , & regnas , &c.

Deinde cum ſumma reverentia incipiat , Te igitur , *& Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis cantent ipſos Pſalmos , uſque dum* Te igitur *finiatur .*

EXaudiat te Dominus .
Ad te Domine levavi animam meam .
Miſerere mei Deus ſecundum magnam .
Domine refugium .
Qui habitat in adjutorio .

Deinde Preces .

SAlvum fac ſervum tuum Domine Deus meus ſperantem in te.

Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei Domine , & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum .

Vitam petiit a te , & tribuiſti ei Domine longitudinem dierum in ſeculum , & in ſeculum ſeculi.

Oculi Domini ſuper juſtos , & aures ejus in preces eorum.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos , quemadmodum ſperavimus in te.

Exurge Domine , adjuva nos , & redime nos propter nomen tuum.

Domine exaudi orationem meam , & clamor meus ad te veniat.

Oratio pro Sacerdote .

GAudeat Domine quæſumus famulus tuus beneficiis impetratis , & cui fiduciam ſperandæ pietatis tribuiſti , optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum .

Alia communis .

PRecibus noſtris quæſumus Domine aures tuæ pietatis accommoda, & orationes ſupplicum , occultorum cognitor benignus exaudi ; ut te largiente ad vitam perveniamus ſempiternam . Per &c.

Infra actionem .

IN primis una cum famulo tuo Papa noſtro N. & pro omnibus orthodoxis , atque Apoſtolicæ Fidei cultoribus Pontificibus, & Abbatibus , Gubernatoribus , & Rectoribus Eccleſiæ Sanctæ Dei , & pro omni populo ſancto Dei.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum , cunctorum ſcilicet conſanguinitate mihimet , vel familiaritate , & amicitia conjunctorum , cunctorumque ſua mihi peccata confitentium , meque in tuo nomine bonis reficientium , & omnium circumſtantium.

Hanc etiam oblationem humilitatis meæ , & devotionis , quam tibi offero pro peccatis meis , & criminoſis actionibus meis caſtigandis, & dimittendis, pro cæca , & lapidea cordis mei duritia diſſolvenda , & illuminanda , quæſo Domine , ut placatus accipias , & ſinum pietatis ſuper me expandas , meque illumines , ſenſum aperias , ſpiritum corrigendi tribuas , & ad te miſero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas . Per Chriſtum Dominum &c.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus .

Iſtud

Iſtud præfer in eodem Canone, quando concilium, vel conſilium aliquod agitur, poſtquam dixeris, æterno Domino vivo, & vero.

HAnc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negocii qualitate, de quo in præſentis diſputationis actione ventilatur, ut benigne ſuſcipias, ſuppliciter deprecamur, quatenus, non humano, ſed tuo ſancto conſilio æquoque judicio miſericorditer terminatum, vel directum, juſtitiæ, veritatiſque termino finiatur, atque ſecundum tuam voluntatem modis omnibus ordinetur, & compleatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Communicantes, & memoriam venerantes.

Pro ſemetipſo.

MEmento Domine, & miſerere mei, multi enim, & magni ſunt languores mei, mali ſunt & peſſimi, ſed major eſt miſericordiæ tuæ multitudo, miſerere mei Domine, qui veniſti in multitudine miſericordiæ, & ſana languores animæ meæ, miſerere mei Domine, & per hoc unicum mundi remedium aliquod ſtillicidium cœleſtis gratiæ arido cordi meo infunde ad cognoſcendum te.

Nobis quoque peccatoribus.

Pro ſemetipſo, & pro debitoribus.

MEmento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. præcipue deprecor pro his, qui memoriam mei coram te in ſuis precibus faciunt, vel qui ſe meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conſpectu, ſua mihi delicta confeſſi ſunt, & qui mihi, vel congregationi tuæ aliquid charitatis officio ſive pietatis, vel largitatis ſuæ ſtudio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis, vel conſanguinitatis, ſeu tuæ charitatis affectu conjuncti ſunt; mihi quoque indigniſſimo famulo tuo propitius eſſe digneris, & ab omnibus delictorum offenſionibus me emundare. Per &c.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro ſemetipſo in eodem Canone dicenda.

MEmento etiam mei, quæſo Deus, & miſerere: & licet hæc ſancta indignis meis manibus tibi ſancte Pater omnipotens æterne Deus offerantur Sacrificia, qui nec invocare ſanctum, ac venerabile nomen tuum dignus ſum; tamen, quæ in honore, laude; & memoria glorioſiſſimi, & dilectiſſimi Filii tui D. N. J. C. offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis accendantur. Per eumdem Chriſtum Dominum &c.

Nobis quoque peccatoribus.

Item pro ſalute vivorum, & mortuorum.

MEmento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum intercedentibus meritis ſuppliciter quæſumus omnipotens Deus, ut famulos, ac famulas tuas, quorum eleemoſynas accepimus, ſeu qui nobis familiaritate conjuncti ſunt, larga miſericordia tua protegas, & ab omnibus impugnatoribus defendas, ut tua ubique protectione ſalventur, & animabus famulorum, famularumque tuarum, videlicet omnium orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora hic, & ubique requieſcunt, vel quorum nomina hic in libro vitæ ſcripta eſſe videntur, indulgentiam, & remiſſionem omnium tribuas peccatorum, & in conſortio electorum tuorum habere digneris.

Hic recites nomina quorum velis.

ISTis, & omnibus in Fide Catholica quieſcentibus locum pacis, refrigerii, & quietis ut indulgeas, deprecamur. Per Chriſtum &c.

Nobis quoque peccatoribus.

MEmento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis, ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis ut indulgeas, deprecamur. Per Dominum.

Nobis quoque peccatoribus.

Expleta ſecreta, & oratione Dominica cum dixerit.

PAx Domini ſit ſemper Vobiſcum.

Miſceatur Corpus Dominico Sanguini, & dicatur.

HÆC Sacroſancta commixtio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. fiat omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis, & ad æternam vitam capeſſendam præparatio ſalutaris. Per eumdem &c.

Fiat commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

Non mittat Epiſcopus in Calicem partem oblatæ, ut Presbyteri ſolent, ſed expectet, donec finita benedictione Epiſcopus communicare debeat: & tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenenſque ſuper Calicem immittat dicens.

SAcri Sanguinis commixtio cum Sancto Corpore D. N. J. C. proſit omnibus ſumentibus ad vitam æternam.

Oratio.

COncede Domine Jeſu Chriſte, ut ſicut hæc Sacramenta Corporis, & Sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contuliſti; ita mihi famulo tuo indigno, & omnibus per me ſumentibus, hæc ipſa myſteria non ſint ad reatum, ſed proſint ad veniam omnium delictorum per te Jeſu Chriſte &c.

Poſt hæc dicta oſculetur Altare, dicens.

DOmine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem Eccleſiæ tuæ, eamque ſecundum tuam voluntatem pacificare, & adunare dignare.

Deinde convertat ſe ad circumſtantes, pacemque ferat, dicendo.

HAbete vinculum pacis, & charitatis, ut apti ſitis ſacroſanctis Miſteriis.

Et ipſi invicem ſe pacificando dicant.

PAx Chriſti, & Eccleſiæ abundet in cordibus noſtris.

Quando Corpus Dominicum Sacerdos in manus accipit, dicat.

PAnem cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo.

Sequitur oratio.

PErceptio Corporis tui Domine Jeſu Chriſte, quam indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat ad judicium, & condemnationem, ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamen mentis, & corporis, qui cum Patre &c.

Alia.

FIat mihi obſecro Domine hoc Sacramentum tuum, quod indignus, & peccator præſumo percipere confiſus de tua larga clementia

ad

ad viſcera miſericordiæ tuæ, & gratiam ſalutis, ad ſanitatem animæ, & corporis, remiſſionemque omnium peccatorum, ut non ad judicium, ſed ad remedium, illud merear percipere Salvator mundi &c.

Cum Corpus ſumitur.

CORpus D. N. J. C. ſit mihi remedium ſempiternum in vitam æternam.

Quando Calicem in manus accipit Sacerdos, dicat.

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.

Sequitur oratio.

COmmunicatio, & confirmatio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. proſit mihi in remiſſionem omnium peccatorum meorum, & conſervet me ad vitam æternam.

Alia ad utrumque.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus da mihi hoc Corpus, & Sanguinem Filii tui ita ſumere, ut per hoc merear remiſſionem omnium peccatorum accipere, & tuo ſancto Spiritu repleri, quia tu es Deus, & præter te non eſt alius, cujus glorioſum nomen permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

Cum Sanguis ſumitur.

SAnguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat me in vitam æternam.

Poſt perceptam Communionem.

DOmine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificaſti, libera me per hoc ſacrum Corpus, & Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus, & univerſis malis meis, & fac me tuis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum ſeparare digneris. Qui vivis &c.

Alia.

COrpus tuum Domine, quod accepi, & calix quem potavi, adhæreant in viſceribus meis, & præſta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua ſancta introierunt Sacramenta. Qui vivis &c.

Deinde Presbyteris, & Diaconis Corpus in manus accipientibus, & communicantibus dicitur ſingulis.

PAx tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Alia.

VErbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.

Calicem vero cum ſacroſancta commixtione dando unicuique dicat.

HÆc ſacroſancta commixtio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. proſit tibi ad vitam æternam.

Subdiaconis autem, ac alio Clero communicet hoc modo dicens.

PErceptio Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. ſanctificet corpus, & animam tuam in vitam æternam. Amen.

Populo quidem communicando dicat.

COrpus, & Sanguis D. N. J. C. proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & ad vitam ætenam. Amen.

Interim dum communicant, dicat.

IGnoſce Domine, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen ſanctum tuum aſſumo, & immundorum actuum ſecreta confiteor, non habeo apud te verba ſine crimine, tu enim conſcientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta noſti, & immunditias meas tu ſolus agnoſcis. Miſerere mei Domine, miſerere, mihi ignoſce myſterii tui ſecreta tractanti, nec indignum miſericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo teſtimonium boni operis non agnoſcis, officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes. Salvator miſerere mei.

Poſt perceptam communionem.

QUod ore ſumpſimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. Per &c.

Oratio.

OBſecro etiam te piiſſime omnium auxiliator, ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie cum conſcientia polluta nomen ſanctum tuum præſumo invocare, Corpuſque Chriſti Filii tui, & Sanguinem indignus audeo accipere: quin magis per hoc me expurges ſedulo, & munias ab omnium inimicorum jaculo, ac per eum in me habitare digneris, quem ad hoc miſiſti, ut redimeret nos ab omni inquinamento ſpiritus, & carnis per ipſum unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, nos omnes ab omni libera malo, & in omni bono conſerva. Qui tecum &c.

Alia.

COnſervent nos Domine munera tua, & æternam vitam tribuant nobis. Per &c.

Alia.

CUſtodi intra nos Domine gratiæ tuæ munus, ut adverſus omnia præſentis, & futuri ſeculi mala, Euchariſtiæ, quam percepimus viribus, & virtute muniamur. Qui vivis &c.

Alia.

PRæſta Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, ut qui Corpus, & Sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus, & bibimus, fiat ad ſalutem, & ad redemptionis remedium ſempiternum omnium criminum noſtrorum. Per &c.

Poſtquam Diaconus dixit Ita Miſſa eſt, *veniat Sacerdos ante Altare, & oſculando dicat.*

PLaceat tibi Sancta Trinitas obſequium ſervitutis meæ, & præſta, ut Sacrificium, quod oculis tuæ Majeſtatis obtuli, ſit tibi placens, mihique, & omnibus, pro quibus illud obtuli, ſit te miſerante propitiabile. Qui vivis &c.

Finita Miſſa accedat ad Altare, & oſculetur illud dicens.

MEritis, & interceſſionibus Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & iſtorum atque omnium ſanctorum ſuorum miſereatur noſtri omnipotens Deus, qui vivit &c.

Expletis omnibus, Epiſcopus de Altare ad Sacrarium rediens cum Diaconibus, & cæteris quibus voluerit, cantet Hymnum trium Puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino.
Laudate Dominum omnes gentes.
Laudate Dominum in ſanctis ejus.

Poſtea,

PAter noſter, qui es in cœlis.

Et

Et Preces.

CONfiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultent juſti in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Non nobis Domine non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui Domine induantur juſtitia, & ſancti tui exultent.

Non intres in judicium cum ſervis tuis Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Domine Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Benedicat nos Dominus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Domine exaudi orationem meam; & clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, quem omnia opera benedicunt, quem cœli glorificant, quem Angelorum multitudo conlaudant, quæſumus te, ut ſicut tres pueros de camino incendii, non ſolum illæſos, ſed etiam in tuis laudibus conclamantes liberaſti; ita nos peccatorum nexibus obvolutos, velut de voragine ignis eripias, ut dum te pari benedictione laudamus, criminumque flammas, operumque carnalium incendia ſuperantes, hymnum tibi debitum jure, meritoque reddamus. Per Dominum noſtrum &c.

Alia.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius per interceſſionem eorum, & merita omnium Sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, atque tormentorum. Per Dominum &c.

Alia.

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut omnis oratio, & cuncta noſtra operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per &c.

Explicit Ordo de Officio Miſſæ.

ALTERA APPENDIX.

IDEM CARD. BONA.

COntinet hæc Appendix Fragmentum Miſſæ ab initio uſque ad Evangelium ad inſtar ſuperioris variis precationibus interpolatæ hactenus ineditum, de quo legenda ſunt, quæ ſupra notavimus *Lib. I. Cap. XII.* §. 4. Atque utinam integram Miſſam haberemus, ſed a Codice MS. avulſa erant in fine plurima folia. Erat Codex Monaſterii S. Vincentii Ordinis S. Benedicti, nunc aſſervatur in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Chiſii.

Incipit Ordo qualiter Miſſa celebrari debeat. In primis Sacerdos dicat Orationem ad calceandum ſe.

Calcea

Calcea Domine pedes meos in præparatione Evangelii pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.

Ad manus lavandas. *Largire ſenſibus meis omnipotens Pater, ut ſicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur interius pollutiones mentis, & creſcant in nobis ſanctarum augumenta virtutum. Per Chriſtum &c.*

Ad mappam. *Da Domine virtutem manibus meis ad abſtergendam omnem maculam immundam, ut ſine pollutione mentis & corporis valeam tibi ſervire. Per Chriſtum.*

Ad amictum. *Obumbra Domine caput meum umbraculo ſanctæ fidei, & pelle a me nubila ignorantiæ.*

Ad albam. *Indue me Domine veſtimento ſalutis, & circunda me lorica fortitudinis.*

Ad zonam. *Domine accinge in me cuſtodiam mentis meæ, ne ipſa mens infletur ſpiritu elationis. Amen.*

Ad ſtolam. *Stola juſtitiæ circunda Domine cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.*

Ad caſulam. *Indue me Domine ornamento humilitatis, charitatis, & pacis, ut undique munitus virtutibus poſſim reſiſtere vitiis, & hoſtibus mentis & corporis.*

Ad manipulum. *Da mihi Domine ſenſum rectum & vocem puram, ut implere poſſim laudem tuam. Amen.*

Deinde cantet cum circumſtantibus Clericis hos Pſalmos, *Quam amabilia*, id eſt Pſal. 83. qui ſic incipit in verſione Italica & propria Romanæ Eccleſiæ, de qua egimus Lib. II. Cap. III. *Benedixiſti. Inclina Domine. Pater noſter.* Verſ. *Exurge Domine, adjuva nos. Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos. Deus tu converſus vivificabis nos. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Non intres in judicium cum ſervo tuo. Propitius eſto Domine peccatis noſtris. Domine exaudi orationem meam.*

Oremus.

AUres tuæ pietatis mitiſſime Deus inclina precibus meis, & gratia Sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere merear. Per Dominum noſtrum &c.

Tum dicat apud ſe. *Rogo te Deus Sabaoth altiſſime, Pater ſancte, ut tunica caſtitatis digneris me accingere, & lumbos meos baltheo tui amoris ambire, ac renes corporis mei igne charitatis exurere, quatenus pro peccatis meis te Dominum meum digne poſſim intercedere, & aſtantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas ſingulorum tibi hoſtias immolare. Me quoque indignum audacter ad te accedentem non ſinas perire, ſed dignare me tua pietate mundare, lavare, ornare, tibique idoneum & dignum miniſtrum efficere, leniter me ac benigne ſuſcipere. Præſta mihi hoc omnipotens Pater per Unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum vivit, &c.*

Fac me quæſo omnipotens Deus ita juſtitia indui, ut in ſanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum conſortium adipiſcar tibi placentium Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat. Per Chriſtum &c.

Deinde cum Clerici inceperint *Gloria* poſt Introitum, procedat antecedente eum Diacono, & ante Subdiacono cum libro Evangelii, & ante Subdiaconum acolytho cum thymiamate; ante quem duo alii acolythi præcedant cum candelabris & luminaribus, & ſic ordinate exeant a Secretario cum Antiphona, *Redime me & miſerere mei, ut in Eccleſiis benedicam te Deus Iſrael*: & Pſalmo *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum*: & ut pervenerint ante Altare incipiant Pſalmum cum Antiphona *Introibo ad Altare Dei*. Pſal. *Judica me*

Deus

Deus, *& diſcerne cauſam meam*, cum *Gloria Patri*, & repetitur Antiphona. Deinde inclinati faciant confeſſionem Diacono ſtante ad dexteram Sacerdotis cum Acolytho, & Subdiaconus a ſiniſtris teneat librum Evangelii contra faciem ejus.

Sequitur Confeſſio.

Confiteor Deo omnipotenti, *& iſtis*, *& omnibus Sanctis ejus*, *& vobis fratribus*, *quia ego miſer peccavi nimis in lege Dei mei cogitatione*, *ſermone*, *& opere*, *pollutione mentis & corporis*, *& in omnibus malis*, *quibus humana fragilitas contaminari poteſt*, *propterea precor vos*, *ut oretis pro me miſero peccatore*.

Precibus & meritis ſanctæ Dei genitricis, *& Virginis Mariæ*, *& omnium Sanctorum ſuorum miſereatur vobis omnipotens Dominus*, *& dimittat vobis omnia peccata veſtra præterita*, *præſentia*, *& futura*: *liberet vos ab omni malo*, *conſervet vos in omni opere bono*, *& perducat nos pariter Chriſtus Filius Dei vivi in vitam æternam*. *Amen*.

Indulgentiam, *& abſolutionem*, *& remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum*, *& ſpatium veræ pœnitentiæ*, *per interceſſionem omnium Sanctorum ſuorum tribuat nobis omnipotens*, *pius*, *& miſericors Dominus*. *Amen*.

Verſ. *Converte nos Deus ſalutaris noſter*.
Reſp. *Et averte iram tuam a nobis*.
Dignare Domine die iſta.
Sine peccato nos cuſtodire.
Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos.
Quemadmodum ſperavimus in te.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aufer a nobis quæſumus Domine iniquitates noſtras, *ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire*. *Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces*, *& confitentium tibi parce peccatis*, *ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus*, *& pacem*. *Per Dominum &c.*

Quibus expletis Subdiaconus apertum librum præbeat Sacerdoti oſculandum. Oſculato autem Evangelio, quod eo die legendum eſt, dicat: *Pax Chriſti*, *quam nobis per Evangelium ſuum tradidit*, *conſervet*, *& confirmet corda noſtra*, *& corpora in vitam æternam*, *Amen*. Et Subdiaconus claudens librum ponat ſuper Altare in ſiniſtro cornu. Cum vero inceperint in choro *Kyrie eleiſon*, acolythi deponant candelabra in pavimento. Diaconus vero accipiat thuribulum de manu acolythi, & accedens oſculetur Altare, quem ſubſequitur Sacerdos, & inclinatus oret prius hujuſmodi.

Ad te Plaſmator meus, *Redemptor meus*, *Salvator meus*, *ego miſerrimus ſervus tuus ad te cordis devotione confugio*. *Tu quia pius es*, *miſerere mei*, *& ſuſcipe confeſſionem meam unica ſpes ſalutis meæ*, *Domine Deus meus*; *Nam gulæ*, *ebrietatis*, *& crapulæ vitiis quotidie ſine intermiſſione deſervio*, *& delector*. *Fornicationis*, *pollutionis*, *& libidinis ſtercoribus ab ipſa pene pueritia putrefactus ſum*: *& omni ſpurcitia*, *& immunditia libidinis intus*, *exteriuſque maculatus ſum*. *Triſtitia*, *acedia*, *ſomnolentia*, *iracundia*, *concupiſcentia*, *cupiditate*, *avaritia*, *invidia*, *malitia*, *odio*, *detractione*, *ſuſpicione*, *ſimulatione*, *perjurio*, *falſitate*, *mendacio*, *negligentia*, *inobedientia*, *vanagloria*, *levitate*, *ac ſuperbia perditus ſum*: *& omni mala cogitatione*, *locutione*, *ſive actione*, *atque omnibus malis*, *& iniquitatibus extinctus ſum*. *Sed tu qui juſtificas impios*, *& vivificas mortuos*, *juſtifica me*, *& reſuſcita me Domine Deus meus*.

De-

Deinde ſurgat, & oſculetur Altare, dicens: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris Altaribus aſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiam, concede quæſumus per hujus ſacramenti myſterium, meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majeſtati digne miniſtrare merear. Per &c.*

Et ſic accepto thuribulo de manu Diaconi, faciat incenſum ſuper Altare, & reddat eidem Diacono porrigens ei oſculum. Diaconus vero faciat incenſum circum Altare, & reverſus odorem præbeat Sacerdoti, redditoque thuribulo Acolytho ſtet poſt Sacerdotem, & Subdiaconus retro poſt eum. Finitis in choro *Kyrie eleiſon*, ſi tempus fuerit, dicat Sacerdos *Gloria in excelſis Deo*. Deinde verſus ad populum, cum quo verti debet & Diaconus, dicat *Dominus vobiſcum*, & orationem. Qua dicta Subdiaconus contra Altare legat Epiſtolam, quam dum incipit, Sacerdos, & Diaconus ſedeant in ſedilibus ſuis ad dexteram partem Altaris, juxta quos, & Subdiaconus poſt lectam Epiſtolam ſedeat. Deinde canatur Graduale, Alleluja, vel Tractus, ſeu Sequentia. Interim vero dicantur a Sacerdote vel Miniſtris iſtæ Orationes.

Oratio.

BEnigniſſime, ac miſericordiſſime, ſereniſſime ac clementiſſime Deus, cui omnis Angelica famulatur virtus, cuique quicquid ſanctum ac mundum eſt, obſequitur, ante conſpectum divinæ majeſtatis tuæ aſſiſto reus, ſacroſancti myſterii uſurpator ſatis indignus: quin & invocare ſanctum ac venerabile nomen tuum non ſum idoneus, quippe qui ſum innumerabilibus criminibus prægravatus, ſuperbia inflatus, cenodoxia turgidus, invidia demolitus, acedia anxiatus, libidine fracidus, laſcivia diſſolutus, iracundia ſtimulatus, odio inveteratus, detractione perditus, protervia tumidus, ventris ingluvie & gulæ appetitu immoderatus, fallacia repletus, immunditia ſordidatus, amore ſeculi nimis detentus, avaritia irretitus, jactantia elatus, hypocriſi ſubdolus, contentione pertinaciſſimus, diſcordia fraudulentus, ſuſurratione promptiſſimus, rancore cordis & puſillanimitate affectatus, torpore ignavus, in jurando inconſideratus, ſcurrilitate aſſiduus, verbis otioſis & ſuperfluis atque criminoſis deditus, fornicatione tam ſpirituali, quam corporali graviter pollutus, & in cunctis voluptatibus, in quibus humana fragilitas labi poteſt, miſerrime præcipitatus, & in omnibus omnino vitiis, atque criminibus, in quibus cogitando, loquendo, & operando peccari poteſt, coram examine æquitatis tuæ me graviter peccaſſe, & reum eſſe recognoſco, & confiteor. Sed tu piiſſime & miſericordiſſime Deus, ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis homo vivens, quippe qui eſt fœnum areſcens, & corruptibilis caro, quotidieque ad non eſſe tendens omnino. Quis ergo poteſt mundum de immundo conceptum ſemine facere, niſi tu, qui ſolus es Deus? Sicut enim pannus menſtruatæ, ſic immundi ſumus ante majeſtatem claritatis tuæ Domine. In tuo namque conſpectu nec ipſi cœli ſunt mundi, quanto magis nos creati in carne corruptibili, atque homines terreni & immundi? Quid enim digne offerat mortalis immortali, corruptibilis incorruptibili, mutabilis incommutabili? Sed ut hoc valeret fieri, incarnatus es pro nobis Fili Dei, mundus, & incorruptibilis permanens ſicut es. Sacramentum quoque corporis & ſanguinis tui electis tuis tradidiſti, quo efficeremur de immundis mundi, de peccatoribus ſancti, de incæſtis caſti, & de fœditate nitidi, & quo poſſemus ante majeſtatem gloriæ tuæ apparere præclari.

clari. Ergo tu Domine Sacerdos ſumme, ſanctificator, & ſanctificatio ſacerdotii, miſerere mihi homini peccatori, parce indigno ſacerdoti, ignoſce myſterii tui ſecreta tractanti, nec indignum miſericordiæ tuæ judices, quem pro aliis rogare permittis, & in quo teſtimonium boni operis non agnoſcis, officium ſaltem creditæ non recuſes diſpenſationis. Et fiat mihi hæc ſacroſancti myſterii frequentatio omnium ſcelerum meorum indulta propitiatio, Salvator mundi. Qui vivis &c.

Alia Oratio.

DEus miſericordiæ, & veritatis clementiam tuam ſuppliciter deprecor, &c. *Extat ſupra in Miſſa Illyrici.*

Alia Oratio.

DEus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum. *Ut ſupra in Miſſa Illyrici.*

SEQUITUR LITANIA.

CHriſte audi nos.
Pater de cælis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancte Sanctorum Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, ora.
S. Mater Domini, ora.
S. Virgo Virginum.
S. Regina cælorum.
S. Mater miſericordiæ.
S. Michael.
S. Gabriel.
S. Raphael.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli.
S. Joannes Baptiſta.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ.
S. Petre.
S. Paule.
S. Andrea.
S Jacobe.
S. Joannes.
S. Jacobe.
S. Philippe.
S. Bartholomæe.
S. Mattheæ.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ.
S. Dionyſi.
S. Stephane.
S. Corneli.
S. Cypriane.
S. Sebaſtiane.
S. Chryſante.
S. Georgi.
S. Aureli.
S. Proceſſe.
S. Januari.
S. Hermes.
S. Vite.
S. Mercuri.
S. Cæſari.
S. Pancrati.
S. Adelberte.
S. Cyriace.
S. Evatici.
S. Phocas.
SS. Joannes & Paule.
SS. Tiburti & Valeriane.
SS. Fauſtine & Jovita.
SS. Prime & Feliciane.
SS. Sergi & Bacche.
SS. Nazari & Celſe.
SS. Feliciſſime & Agapite.
SS. Nicander & Marciane.
SS. Valentine & Hilari.
SS. Cirine & Maxime.
SS. Quadraginta Martyres.
S. Fortunate cum ſociis tuis.
Omnes ſancti Martyres.
S. Gregori.
S. Martine.
S. Ambroſi.

S. Pauline.
S. Maxime.
S. Felix.
S. Nicolae.
S. Remigi.
Omnes Sancti Pontifices & Confeſſores.
S. Benedicte.
S. Maure.
S. Placide.
S. Severine.
S. Romane.
Omnes Sancti Monachi & Heremitæ.
S. Scholaſtica.
S. Cæcilia.
S Daria.
S. Catherina.
Omnes Sanctæ Virgines.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Ab inſidiis dæmonum, libera nos Domine.
A periculo mortis, libera.
Ab immundis cogitationibus.
A dominatu omnium vitiorum.
A cæcitate cordis.
Ab omni malo.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut parcas nobis, te rog.
Ut nobis ſpem certam dones.
Ut fidem rectam tribuas.
Ut charitatem perfectam conferas.
Ut cunctorum in nobis vitiorum monſtra mortifices.
Ut omnium nos virtutum prærogativa vivifices.
Ut nobis per incarnationem tuam introitum in ſancta ſanctorum pandas.
Ut per hoc ſacroſanctum myſterium animas & corpora noſtra renoves.
Ut per hoc conſcientias noſtras purifices.
Ut hoc terribile myſterium non ſinas nobis fieri ad judicium.
Ut iſtud ineffabile ſacramentum mundis manibus tractemus.
Ut puris mentibus ſumamus.
Ut indulgentiam omnium peccatorum per hoc conſequamur.
Ut per hoc tibi ſemper inhærere valeamus.
Ut per hoc & tu in nobis, & nos in te manere mereamur.
Ut gratiam S. Spiritus cordibus noſtris infundere digneris.
Ut cunctum populum chriſtianum pretioſiſſimo ſanguine tuo redemptum conſervare digneris.
Ut locum pœnitentiæ nobis concedas.

Pater noſter. *Verſ.* Converte nos Deus ſalutaris noſter.
Dignare Domine die iſta.
Miſerere nobis Domine.
Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos.
Delicta juventutis meæ & ignorantias meas.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
Non intres in judicio cum ſervo tuo Domine.
Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Non nobis Domine, non nobis.
Exurge Domine adjuva nos.
Domine exaudi orationem meam.

Sequitur Oratio.

ADjuva nos Domine Deus noſter tuorum deprecatione Sanctorum, ut omnium beatorum Angelorum, Archangelorum, cunctorumque Spirituum ſupernorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, Viduarum, Innocentium, atque omnium fidelium tibi in cælo & in terra miniſtrantium, quorum hodie feſta geruntur per univerſum mundum, eorum nos peccatores & indigni quod optamus, & indigemus opportuno tempore ſentiamus auxilium. Per te Jeſu Chriſte Salvator mundi. Qui vivis &c.

Alia

Alia Oratio.

COnſcientia quidem trepida, omnipotens Deus, ad altare tuum accedo, ſed ſi dimitto, vereor de inobedientia condemnari. Parce ergo mihi Domine indigno famulo tuo, & licet ad tanta myſteria celebranda ſemper indignus inveniar, tamen fiduciam de tua miſericordia retineo. Pro qua re Deus omnipotens dignare me paterna pietate, placidoque vultu reſpicere, & cordis mei interiora purgare; & ſi ego reatu culpabilis exiſto, beatæ tamen & glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, & omnium ſanctorum tuorum obtentu ſint tibi in omnibus placita mea miniſteria. Qui vivis &c.

Alia Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, ubique præſens, ubique totus, tibi confiteor omnia peccata mea, quæ ſi non confiterer, te tamen Domine, quem occulta non fallunt, latere non poterant: quia peccavi nimis in cogitationibus, locutionibus, diverſiſque operibus malis, & multis. Et quia ego miſer & miſerabilis propter duritiem cordis mei, niſi tu adjuves me, in ipſa peccatorum meorum morte perduro, propterea precor te, miſerere mei. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Alia.

DEus, qui de indignis dignos, de immundis mundos, de peccatoribus efficis juſtos, munda cor meum & corpus meum ab omni ſorde & contagione peccati, & fac me dignum ſacris altaribus tuis miniſtrum, & concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus miniſtraturus accedo, hoſtias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro omnibus peccatis, & offenſionibus meis, & innumeris quotidianis exceſſibus, & pro omnibus, qui ſe meis indignis precibus commendaverunt; ſed & pro omnibus fidelibus chriſtianis, & pro omnibus circumſtantibus, omnibuſque mihi familiaritate, vel conſanguinitate conjunctis, & pro omnibus etiam, qui mei memoriam in ſuis orationibus faciunt: & per eum ſit tibi meum votum atque ſacrificium acceptabile, qui ſe tibi Deo Patri obtulit in ſacrificium Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui tecum &c.

Alia.

INdignum me Domine fateor tuis ſacris, qui innumeris quotidie fuſcor peccatis. *Extat totidem verbis in ſuperiori Miſſa Illyrici.*

Alia.

ALtiſſime Deus, ignoſce mihi &c. *Extat etiam ſupra, aliquot verbis additis, & immutatis.*

Alia.

IMpellit me miniſtrandi officium hoſtiam ſalutarem offerre pro populi delicto, ſed terret conſcientia inditi ſacerdotii &c. *Habetur item in ſuperiori Miſſa.*

Cætera deſunt.

R. P. HONORATI

A Santa Maria Carmelitæ Diſcalceati ex Provincia Aquitaniæ

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

Tom. III. Lib. 5. Diſert. 3. Art. 4.

De Miſſa Latina, quam Matthias Flaccus Illyricus Lutheranus in publium edidit, cenſuræ, & animadverſiones.

§. I.

Variæ de Liturgia iſta opiniones.

ANNO 1557. hic Lutheri aſſecla typis commiſit Argentorati Liturgiam quamdam Latinam, quæ per ipſum vim habebat in Galliis ſeculo ſeptimo, antequam ibi Ordo Romanus admitteretur; & depromta ab eo fuit e Bibliotheca Palatini Rheni, ſacrique Imperii Electoris, religioſeque deſcripta: Eam hoc pacto inſcribit. *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa ſeptingenteſimum Domini annum in uſu fuit, bona fide e vetuſto, antiquoque codice deſcripta.* In Epiſtola vero nuncupatoria ad Othonem Henricum luculentius diſſerit, quid ipſe de hac Liturgia ſentiat. *Eſt vero hæc Miſſa ex veteri codice bona fide deſcripta, quam in uſu fuiſſe in Occidente opinor circa Gregorii tempora, antequam Romana miſſandi ratio ubique recepta eſt, quod in Germania quidem, & Gallia circa Caroli Magni tempora factum eſt, fere octingenteſimo a Nativitate Domini anno, in Hiſpania vero multo ſerius.*

Lutheranus hic ſeverus ſibi initio blanditus fuerat, fore, ut Liturgiæ hujus Editio commoda non pauca Sectæ ſuæ adverſus Eccleſiam Romanam afferret: ratus ſe inde deſumere poſſe argumenta concluſa, eam ab antiquis rei Divinæ ritibus defeciſſe. Sed ſua ipſa malitia cæcus præter mentem arma contulit Eccleſiæ, quibus Sectæ ſuæ errores oppugnaret. In hac namque Miſſa Dogmata fidei multa, & varii Eccleſiæ ritus conſtanter aſſeruntur, V. G. Mariæ virginis, & Sanctorum invocationes; vera Jeſu Chriſti in Euchariſtia præſentia; preceſque pro vivis, & vita functis, & id genus alia. Ita plane pronunciat Gregorius Uvicellius in defenſione Liturgiæ Eccleſiaſticæ his verbis: *Matthias Flaccus Illyricus edidit repertam Miſſam Latinam, triumphans de Theſauro tanto adverſus Catholicos, quam vel cæcutienti homini appareat totum illud, quod edidit, contra Lutheri, Calviniique Sectas edidiſſe; ſed & Catholicis nobis rem longe gratiſſimam feciſſe.*

Atque adeo cum Lutheri diſcipuli probe animadvertiſſent, novum hoc opus eos lethali ritu confodere, igni damnarunt quotquot exempla illius in manus eorum inciderunt; idque diligentia tanta præſtitum ab iis eſt, ut ejus exemplaria rariſſima effecta ſint. Nihilominus divinæ Providentiæ fuit ſalutari ratione cavere, nec cuncta perirent, & duo vel tria in Galliis reperta ſunt. Menardus certe exemplar hujus vidit, expendit, confertque cum alia Liturgia in notationibus *in Sacramentarium* Sancti Gregorii. Guillelmus de Peyraco alio uſus eſt, quod ad Johannem Fileſacum Sorbonicum Doctorem ſpectabat. Cointius declarat, Antonium Vionium, Dominum Heruvalenſem ſibi conceſſiſſe, ut Miſſam hanc ex exemplari ſuo deſcriberet, & quoniam vetuſtum hoc monumentum rariſſimum eſt, illud edendum fuſe curavit in annalibus Gallicis. Bona denique poſtquam diu in caſſum Romæ alibique opus hoc conquiſivit, invenit aliquando in Bibliotheca Imperiali.

Porro Literati viri de duobus diſſentiunt. Primo an Liturgia hæc, quam e ſitu atque oblivione Illyricus vindicavit, ſit vetus Miſſa Gallicana. Deinde an ita revera ſit antiqua, ut fert opinio. Nemini dubium erit Proteſtantem hunc utrumque tueri. Titulus namque, quem præfixit huic Liturgiæ, atque ea, quæ addidit in Epiſtola nuncupatoria ad Electorem Palatinum, de hoc admodum facile perſuadere quemque poſſunt. Guillelmus de Peyraco in Hiſtoria Eccleſiaſtica de aula, æque ac Cointius loco paulo ante laudato, Miſſæ hujus antiquitatem propugnant atque hanc eamdem eſſe, ac illam, quam nos Liturgiam Gallicanam appellamus; Georgius Uvicelius, Bona, Thomaſius, Mabillonius contendunt, Miſſam hanc eamdem eſſe, atque Romanam nunc uſitatam, cui tamen multa adjecta ſunt. Menardus id unum intendit evincere, eam videlicet non eſſe X., vel XI. ſeculo antiquiorem: unde facile colligimus uſum ex hac ſententia

non

non habuiſſe in Galliis ante tempora Caroli Magni.

Antequam nonnulla animadverto in diverſas Scriptorum iſtorum opiniones, operæ pretium duco hallucinationem Flacci Illyrici aperire, cum in animum ipſi venit oſtendere hujus Miſſæ momento Eccleſiæ Latinæ fuiſſe Liturgiam ſuam eo pacto diſpoſitam, ut ſemper eadem eſſet, nihilque ſingulare præſeferret pro diverſis anni ſolemnitatibus vel Sanctorum feſtis diebus. Quemadmodum etenim Græci, inquit Hæreticus hic, unam dumtaxat habent Miſſæ formulam, quam in dies ſingulos repetunt; haud aliter nullum diſcrimen dierum erat in Liturgia Latinorum.

Verum non eſt multi operis ſententiæ hujus falſitatem demonſtrare ex eadem Miſſa, quam Lutheranus hic in vulgus edidit. Caret namq; *Introitu, Epiſtola, Graduali, Evangelio, Offertorio, Secretis, Præfatione, Communione, & Poſt-communione*; atque hæc omnia in hac Miſſa in univerſum tantum indicantur, quandoquidem varietate ſolemnitatum, quæ poſtulant collectas, Epiſtolas, Evangelia, ſecreta, præfationeſque diverſas quæque feſtis ſingillatim reſpondeant, hæc digeſta erant ex ordine *in Lectionariis, & Miſſalibus* particularibus, ut paſſim fit. Qua de re intereſt ſolummodo conſulere *Sacramentarium* S. Gregorii *Lectionarium*, & tria vetuſta Miſſalia edita a Thomaſio, & Mabillonio; ut quiſque percipiat in Eccleſia Latina præter id, quod *commune* Miſſæ appellamus, & ferme ad Canonem refertur, extitiſſe introitus, Gradualia, Epiſtolas, Evangelia, Offertoria, Præfationes, & ſimilia his ex diverſitate feſtorum, & ſolemnitatum.

Neque Græcorum exemplum ab Auctore noſtro productum ſententiam ejus in tuto ponit. Quamquam etenim verum ſit, eos in præſenti Liturgias tantum communes habere, nihilominus videmus in ipſorum Euchologiis, & Ritualibus Miſſas pro Sanctorum feſtis, & Eccleſiæ ſolemnitate diſtinctas. Denique ſi Lutheranus hic tantiſper attendiſſet ad hæc Miſſæ ab ſe editæ verba: *Finita Evangelica laude, Miſſalem dicat orationem Sacerdos, deinde lectio recitetur*, tum cognoviſſet, *Miſſalem orationem* eam eſſe, quæ poſt Gloria in Excelſis &c. recitatur, & pertinet ad Sanctum eo die cultum. Quare licet hæc Liturgia conferta ſit tot orationibus, nihilo ſecius nulla eſt, quam vocare poſſimus *orationem Miſſalem*, neque ulla Epiſtola, vel Evangelium proprium &c., & quoniam neceſſe erat has Miſſæ partes temporum, & ſolemnium dierum ratione variare, uti mos fuit Eccleſiæ naſcentis, atque inſtitutum Patribus perſpectum: ideo in hac Liturgia digeſtum eſt Commune dumtaxat, reliqua in alio libro ſepoſita, ut ex ordine Feſtorum communi huic adjungerentur.

Auguſt. Prol. in Epiſt. 1. Joann., & Tract. 9. in eand Epiſt. Iſid. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 116. Vigilius Papa Ep. 2.

§. II.

Momenta, quibus Vuicellius, & Bona perducti ſunt, ut Liturgiam hanc oppugnarent.

Momenta, quibus compulſi ſunt Authores iſti doctiſſimi, ut Flacci Illyrici ſententiam de Liturgiæ hujus natura, atque antiquitate improbarent, ad hoc rediguntur. 1. Qui, ajunt, ſcire poteſt hæterodoxus hic Miſſam a ſe juris publici factam vetuſtiorem eſſe Pipino Gallorum Rege? Quodnam affert ejus rei argumentum, vel teſtimonium? 2. Contendunt Liturgiam hanc haud ferre inſignia veteris Miſſæ Gallicanæ. 3. Eamdem eſſe cum Miſſa Romana. 4. Nullum Auctorem Eccleſiaſticum de ea locutum fuiſſe, neque apparere eam ab ullo, vel Summo Pontifice, vel Concilio confirmatam fuiſſe. Ex quibus efficiunt aliquem privatum Epiſcopum eam lucubraſſe, ut certis diebus ſolemnibus eam recoleret: neque unquam in Galliis uſitatam fuiſſe.

Prima, & quarta difficultas tolluntur.

Ut occurramus primo, & quarto argumento a Bona petito animadvertendum eſt nos ſummo huic viro debere duo non modica fragmenta veteris Miſſæ Gallicanæ. Primum reperit in Bibliotheca Reginæ Svecorum num. 626., quod alias ad Petavium Supremi Senatus Pariſienſis Conſiliarium ſpectabat, atque in hoc cum initio, tum etiam in fine folia quædam deſiderabantur. Alterum fragmentum deprompſit Cardinalis hic a Bibliotheca Palatina Vaticani. Cum horum MSS. primum antiquius ſit, ejus Synopſes fuſas exhibuit, & cum aliis Miſſæ Mozarabicæ contulit, atque ex utriuſque Liturgiæ ſimilitudine in eam ſententiam deſcendit, ut crederet veterem Miſſam Gallicanam non differre a Mozarabica, niſi Orationibus.

Quibus præjactis, parata eſt utrique Bonianæ difficultati reſponſio: Flacco Illyrico idem jus eſſe propugnandi Miſſam, a ſe editam, priſcam Gallicanam eſſe, quod habet Cardinalis hic afferendi aliam repertam in MS. Reginæ Svecorum eſſe Germanam Galliarum Liturgiam. Hic conjecturam capit 1. ex æquabilitate Rituum Miſſæ hujus, & Mozarabicæ, atqui nos probavimus, etſi Liturgiæ iſtæ in aliquibus ſimiles ſint, in aliis tamen longe admodum diſtare: immo argumentis multis efficiam capite ultimo Liturgias omnes Græcas, & Latinas iiſdem partibus conſtare, quamvis eadem non ſit verborum, & precum diſpoſitio. Et propterea ſimilitudo duarum Liturgiarum iſtarum in aliquibus Ritibus leviſſima conjectura eſt ad affirmandum, Miſſam in MS. Reginæ Svecorum contentam, veterem Gallicanam

eſſe:

eſſe: 2. vim facit in antiquitate Codicis ſui MS., qui ante nongentos annos, ut ait, atque monent caracteres, deſcriptus fuit. Sed ſi fas eſt Flaccum Illyricum audire, MS. ejus majoris vetuſtatis notas gerebat, ſi quidem VII. ſeculi fuiſſet. Quibus poſitis liceat per Bonam, nos ab eo ſciſcitari haud ſecus, ac ille ſciſcitatur ab Illyrico. Quodnam affert eorum, quæ dicit, vel argumentum, vel teſtimonium, nimirum Liturgiam, quæ legitur in MS. Reginæ Svecorum, Miſſam Gallicanam eſſe? Quod etenim attinet ad Scriptorum teſtimonia, ipſe nullum profert, quod eſt argumentorum, per ſe ruunt, ut compertum ſtatim erit cum ex dictis, tum ex dicendis. Præſtolamur adhuc, Cardinalem hunc in medium producere Decreta Conciliorum, & Pontificum, in quibus de hac Liturgia Gallicana mentio fiat. Quare non moleſte feret nos adverſus ſe colligere, quod ipſe in rigidum hunc Lutheri Sectatorem colligit, ſcilicet jactatam Miſſam ſuam Gallicanam opus eſſe alicujus Epiſcopi privati, neque unquam communem in Galliis uſum habuiſſe. Nonne ipſe quoque fatetur Miſſam ſuam Turonenſis, vel alterius Gallicanæ Eccleſiæ propriam fuiſſe? *Ex quo ſuſpicor hoc Miſſale, vel Turonenſis, vel alterius Gallicanæ Eccleſiæ fuiſſe Sancto Martino ſpecialiter dedicatæ.*

Objectio ſecunda diſpellitur.

CErtiſſima, inquiunt, nota, quam Gallicanæ Miſſæ afferat nobis Hilduinus Abbas, eſt in ea mentionem fieri tormentorum Martyrum, Sanctorumque virtutum, & prodigiorum: *cujus rei in Miſſa Illyrici ne minimum quidem veſtigium extat.* Ceterum tormenta hæc, & præclara Sanctorum facinora in Præfationibus præſertim Gallicanæ Miſſæ narrabantur. At qui ex Bonæ ipſius confeſſione in hac Miſſa Latina, *deſunt Introitus, Collectæ, Epiſtola, Graduale, Evangelium, Offertorium, Præfationes, Communio, & Poſt-communio.* Qua igitur ratione propugnare poteſt eruditus Criticus hic, in hac Latina Liturgia iſtorum omnium mentionem non fieri, ſi præfatione caret? Nonne Flaccus Illyricus quærere ab illo poſſet: *Quo teſte, quove argumento* id probet in Miſſa Latina ab ipſo vulgata de Martyrum ſuppliciis ſermonem interjectum non fuiſſe? Si Præfatio hæc non extat, ecquis ſcire hominum poteſt, quid in ſe ſe contineat?

RESPONSUM ARGUMENTI TERTII.

Miſſa Latina a Flacco Illyrico vulgata, eadem eſt, ac Miſſa Eccleſiæ Romanæ. Hoc Loci fit Synopſis hujus Liturgiæ.

UT argumento huic perſpicue obviam eamus, & liqueat anne Miſſa Latina eadem ſit, atque illa, qua nunc utitur Occidens, ut Wicellius, Bona, aliique credidere, nihil magis in rem eſt, quam huc afferre quoſdam Ritus Miſſæ hujus, qui ab Ordine Romano longe abſunt.

Præparatio Sacerdotis, atque alii Ritus uſque ad Canonem.

ANtequam Epiſcopus, vel Sacerdos induat veſtes ſacras, quamplurimas fundit preces; ſtatim *flexis genibus coram Altari dicat Septem Pſalmos Pœnitentiales, cum Litania*; deinde *Pater noſter*, *Credo in Deum*, & Orationes alias non paucas, poſtquam manus lavat, atque exuit quotidianas veſtes. *Quum ſe exuerit quotidianis veſtibus, dicat: conſcinde Dñe* &c., atque in unoquoque ornamento ſacro ſumendo peculiarem recitat orationem, interim dum Clerus hoſce Pſalmos canit,

Quam dilecta tabernacula &c.
Benedixiſti Domine Terram &c.
Inclina Domine aurem tuam &c.
Fundamenta ejus in Montibus &c.
Domine Deus ſalutis meæ &c.
Credidi, propter quod locutus ſum &c.
Memento Domine &c.

Epiſcopus, vel Sacerdos amictus veſtibus omnibus ſacris, orationem quamdam, & confeſſionem privatim dicit: *Dñne Deus Omnipotens* &c. & plures alias precationes orationeſq; adjungit, quibus abſolutis, thus ponit in Thuribulo, atque Evangelium oſculatur. *Cum egreditur de Sacrario*, nonnullas preces huic rei conſentaneas pronunciat; Ritu ſupplicationis ad Altare ducitur, dum canitur Pſalmus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit* &c., quem ſequitur alia oratio.

Cum pervenerit ad Altare ſubmiſſa voce *confeſſionem* facit, Miniſtris abſolutionem impertitur, multaſque preces fundit. *Deinde in eodem loco Presbyteris illum ducentibus, & Diaconis præbeat oſculum pacis, ipſique poſt acceptam pacem ab Epiſcopo, ſinguli aſcendant ad cornu Altaris oſculantes illud. Et redeant Presbyteri ad ducendum Epiſcopum ad Altare, & in aſcendendo dicat hanc orationem, Dominus vobiſcum* &c. Poſtquam aſcendit ad Altare, incipit Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei* &c. additque Pſalmum: *Judica me Deus* &c., quem excipit oratio ſatis prolixa. Poſtea Evangelium ſalutat, atque Altare quaſdam orationes recitans oſculatur.

Hoc

Hoc loci Sacerdos ter ſecreto facit confeſſionem ſuam. Primam hoc pacto: *Suſcipe confeſſionem meam, unica ſpes ſalutis meæ* &c., ſecunda ita incipit: *Sed nunc Domine prævenio faciem tuam in confeſſione*, &c. In tertia hæc Deo loquitur: *Ego miſer & peccator, qui me pro omnibus Chriſtianis ſceleratiſſimum puto, & ſcio, confiteor Domino* &c. Tres haſce confeſſiones comitantur duodecim orationes prolixæ, quo tempore Clerus canit *Kyrie eleiſon*, & *Gloria in excelſis* &c.. Finita Angelica laude, legimus in Sacramentario: *Miſſalem orationem dicat Sacerdos, deinde lectio recitetur, atque inter lectionem, & Evangelium, ideſt tempore Gradualis, & Alleluja, ac Sequentiæ, Epiſcopus dicat has orationes*: hæ autem ſunt duodecim. Quo in loco animadvertenda ſunt hæc verba: *Miſſalem orationem*, ſcilicet eam, quæ feſto congruit, ac *Sequentia*, quæ ſignificant Graduale, vel Pſalmum, qui in Miſſis omnibus canebatur. Epiſcopus deinde orat pro ſemetipſo, pro quacumque alia neceſſitate, & pro omnibus ſibi ſubditis.

Expleto Symbolo, Sacerdos extollit manus, dicens: *Largire ſenſibus noſtris &c.* duaſque alias orationes, dum canitur *offertorium*. *Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has orationes humillime ante Altare, ſe flebiliter accuſans, dicat: Ante oculos tuos Domine* &c. quam precationem ſequuntur quinque aliæ, poſt quas oſculatur altare, dicens: *Oro te Domine* &c. quæ verba *cum ornatum fuerit altare*, ſignificant fortaſſe expandi conſueviſſe ſuper altare id, quod vocamus *Corporale*, aliaque parari, quæ ſacrificii ſancti celebrationi conferri debebant.

Tunc convertat ſe, ait Rubrica: *ſuſcipere oblationes Presbyterorum, aliorumque*, quæ fiebant pro ſemetipſo, pro Rege, pro Epiſcopo, pro Clero, pro Populo Chriſtiano, his verbis: *Tibi Domine Creatori meo offero hoſtiam placationis & laudis pro me, pro Rege noſtro, & pro Clero noſtro, & pro cuncto Populo chriſtiano, peto Domine, ut des nobis vitam æternam*. Sacerdos ſuſcipiens oblationem, dicebat: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero famulus tuus N. & præſta, ut in conſpectum tuum placens aſcendat*.

Abſolutis orationibus Subdiaconus offert hoſtiam Diacono, hicq; Sacerdoti. *Accipiens a Diacono dicat: Acceptabilis ſit Omnipotenti Deo Oblatio tua* &c. Sacerdos vero offerens hoſtiam Deo, recitat orationes duas, aliaſque multas. Prima vocatur *quotidiana*, & generalis, quæ incipit: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc Oblationem* &c.; poſtea duas dicit pro ſemetipſo, & proſequitur oblationem hoſtiæ tribus orationibus, quæ in hac Liturgia vocantur; *Apologiæ Sacerdotis*, in quibus denuo peccata ſua confitetur: *Suſcipe confeſſionem meam* &c. deinde multas ſubtexit orationes: primam *pro familiaribus, ac fratribus, ac ſororibus*; ſecundam, *pro Rege & Populo chriſtiano*; tertiam, *pro Eccleſia Catholica*; quartam, *pro ſalute vivorum*; quintam, *pro infirmis*; ſextam, ſeptimam, & octavam, *pro Defunctis*: poſtremam, & generalem pro orbe univerſo, orationes hæ omnes incipiunt ab his verbis: *ſuſcipe ſancta Trinitas* &c. quibus precibus abſolutis, Sacerdos ponit in altari hoſtiam, quam uſque adhuc præ manibus habuerat, dicens: *Sanctifica Domine hanc oblationem* &c.

Ad hæc fit oblatio calicis; thus adhibetur altari, ſed precibus longe pluribus, quam quæ in Miſſa Romana recitantur. Sacerdos vertit ſe ad populum, dicens: *Orate pro me peccatore. Tunc reſpondetur ei a ſingulis: ſuſcipiat omnipotens Deus de manibus tuis ſacrificium. Fundat pro ſemetipſo hanc orationem ante ſecreta: Domine Jeſu Chriſte* &c. Et rurſus ſe Deo alia oratione commendat.

Deinde cum ſumma reverentia, ita habet Sacramentarium, *incipiat: Te igitur &c. & Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis, cantent illos Pſalmos, uſque dum Te igitur finiatur*. Pſalmi ſunt iſti, quos aliæ preces ſequuntur:

Exaudiat te Dominus &c.
Ad te Domine levavi animam meam &c.
Miſerere mei Deus ſecundum &c.
Domine refugium &c.
Qui habitat in adjutorio &c.

A Canone uſque ad finem Miſſæ.

Quod ſingulare eſt in canone hujus Miſſæ: 1. In oratione *communicantes* &c. nulla mentio fit Mariæ Virginis, Apoſtolorum, vel Martyrum; ſed alibi pluribus in locis hujus Liturgiæ. 2. Poſt hæc verba *Æterno Domino vivo, & vero*, quæ præcedunt *communicantes*, in Miſſa Romana, cum urget aliqua neceſſitas, in hac parte canonis additur hæc precatio: *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro hujus negotii qualitate, de quo in præſenti* &c. deinde Sacerdos addit: *Memento cunctorum ſua mihi peccata confitentium*: quod alibi quoque repetit. Sacerdos poſtea recitat orationem pro ſemetipſo, atque aliam pro iis, pro quibus orare debet; quibus adjungit duas alias, alteram pro ſalute vivorum, atque alteram pro requie defunctorum.

3. Poſt hæc verba Liturgiæ Romanæ *Nobis quoque peccatoribus*, in quibus petimus *donari nobis partem, & ſocietatem cum Sanctis Apoſtolis, & Martyribus, cum Joanne, Stephano*, &c. in Miſſa Latina nihil horum legitur, neque ulla benedictio ex iis, quæ ſunt in Ordine Romano.

4. In univerſo Liturgiæ hujus canone nunquam memorantur Apoſtoli, vel Martyres, niſi duobus his verbis: *Et Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum*.

5. Quamvis in Canone Miſſæ Romanæ adnotatum ſit, Sacerdotem efformare ſuper hoſtiam, & calicem ſeptemdecim vicibus ſignum crucis, nullum tamen hujus rei in Miſſæ noſtræ canone veſtigium eſt.

6. Audi Rubricam ſatis ſingularem: *Non mittat Epiſcopus in calicem partem oblatæ, ut Presbyteri ſolent, ſed expectet, donec finita benedictione Epiſcopus communicare debeat. Et*

tunc

tunc accipiens, quam antea fregerat, tenenſque ſuper calicem, immittat, dicens: ſacri ſanguinis commixtio &c. Poſtquam autem preces multas, dum ſuſcipit corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti, protulit: *deinde Presbyteris, & Diaconibus, corpus in manus accipientibus ac communicantibus, dicitur ſingulis: Pax tecum. Subdiaconibus autem, ac alio Clero communicet . . . . populo quidem communicando dicat: Corpus & ſanguis Domini &c.*

7. Nihil in hac Miſſa *de Agnus Dei*. Sacerdos etenim tributo adſtantibus Corpore Dominico, recitat orationes multas, iiſque expletis Diaconus ait: *Ite, Miſſa eſt*, neque Evangelium S. Joannis recitatur. Denique pleræque Canonis partes non ſunt omnino eadem ratione diſpoſitæ, atque in Miſſa Romana, & conſtant pluribus orationibus, aliterque rem exprimentibus.

Quæ cum ita ſint, non video, cur ii, qui tantiſper animum attenderint hucuſque dictis de ritibus Miſſæ Latinæ, perſpecturi ſint in ea cum Wicelio, & Bona Liturgiam Romanam; verumque eſſe poſſit, hanc eamdem eſſe, ac illam, qua utitur in hanc diem. „ Quid enim ibi, *inquit prior*, niſi Miſſam Latinam, quæ „ hodie in uſu generali eſt, eadem omnino „ eſt cum uſitata; Miſſa Illyrici, *ſubdit alter*, „ a Romana non differt, immo eadem eſt. Nullius ſane frugis eſſet, affirmare ex utriuſque Scriptoris mente, nullum aliud diſcrimen eſſe inter haſce Liturgias; „ niſi quod locupletior eſt illa quidem, pluſque precum „ continet. „ Quamvis autem hæ duæ Miſſæ in omnibus uſque ad Canonem convenirent, quod tamen non eſt, ut ex dictis apparet; quis tueatur, partem aliam, quæ præcipua eſt, atque ad Miſſæ naturam pertinet, non differre in his duabus Miſſis? Lectoris judicium ſit.

Illud unum ſubjiciam, Menardum, poſtquam contulit canonem Miſſæ Latinæ cum canone Liturgiæ Sancti Gregorii, hæc memoranda verba proferre: *Porro in Miſſa ab Illyrico edita Canon in multis a Canone communi multum diſcrepat*; quod probat enumerando diſſimilia utriuſque Canonis loca.

Bona quoque veteris hujus Miſſæ prolixitatem admodum exaggerat. *Abhorrent*, inquit, *plerique a prolixitate*, ſed myſteriorum Sanctorum celebratio brevior ne erat ſancti Gregorii ætate? Cognoſci res poterit ex his memorandis ſancti hujus Pontificis verbis: *Tantiſque podagræ doloribus affligor, ut vix in duabus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam & Miſſarum ſolemnia celebrare.*

Liturgiæ SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi fere nihil breviores Latina ſunt, & tamen Divus Proclus nos docet ſanctos Doctores iſtos: *Liturgiæ prolixitatem faſtidientium . . . . . redactam in compendium Eccleſiam recitandam exhibuiſſe.* Quæ quidem habet de Sancto Baſilio, de Sancto vero Joanne Chryſoſtomo ſubjungit: *Eum multa ſuſtuliſſe, brevioremque peragendi modum perſtrinxiſſe*. Quarto igitur ſeculo Liturgia Græca non poterat non eſſe longior multo, quam Latina, quoniam hæc nihilo ferme eſt illa prolixior, etſi a ſanctis Baſilio, & Joanne Chryſoſtomo non parum contracta fuerit.

Judicium Thomaſii, & Mabillonii de Miſſa Latina.

CONveniunt Literati viri iſti cum Bona, & Wicelio, Miſſam Latinam, a Flacco Illyrico typis commiſſam nihil aliud eſſe niſi Miſſam ſolemnem, vel Pontificalem ex Ritu Romano peractam, quæ ab illa in eo uno diſcrepat, quod Epiſcopus ſecundum hanc recitat Orationes multas privatim, dum chorus canit introitum Miſſæ, Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, &c. Graduale, Symbolum Apoſtolorum, & Sanctus, &c. Ordo ille Illyricianus, *inquit Mabillonius*,„ Miſſam Pon- „ tificalem continet ſecundum Ritum Roma- „ num, & quidem nihil aliud fere, quam „ orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, „ dum chorus canendo occupatur. Locus hic duas rurſus movet difficultates, quarum prima eſt *Miſſam Latinam* ſolemnem eſſe ſecundum ritum Romanum; alia vero eam ab hac non diſcriminari, niſi in precum numero ab Epiſcopo recitandarum, dum chorus canendo occupatur.

Quidquid attinet ad primam difficultatem, in ſequentem articulum differamus, in quo ſpero me probaturum inter certiores notas vetuſtatis Liturgiæ a Flacco Illyrico in medium productæ, eſſe ordinem hujuſmodi, qui Miſſis dumtaxat ſolemnibus, & magnifice celebrandis accommodatur. Quod igitur eſt Orationum, & precum Miſſæ Latinæ, quæ cenſentur veluti adjectæ Ordini Romano, extra controverſiam puto eas tamquam graviſſimas partes ad Liturgiam Latinam pertinere, neque unquam reperies alicubi ſignificare ſacramentarium hoc, libitum fuiſſe Sacerdoti eas recitare vel præterire, contra vero ubique cogitur ad eas dicendas, uti nos monent hæc ſenſa: *Has adnectat preces. Has Orationes interim dicat Epiſcopus, dum Clerus canit introitum Miſſæ, Gloria in excelſis, Graduale, & reliqua.*

Quem latet omnes veteres Liturgias, quæ ad nos uſque pervenerunt, uti Mozarabicam, Æthiopicam, eam qua utebantur priſci Malabares, quæque refecta fuit anno 1599. ab Indorum Primate, redundare hujuſmodi precibus, quæ nunquam habitæ ſunt inſtar rerum additarum, ſed inſtar partium officii publici, quæque nihil minus ad Liturgiarum iſtarum ritus ſpectant, quam ſpectent orationes aliæ a Sacerdote recitandæ? Ad judicium revoca Liturgias SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, atque in iis deprehendes preces multas, quas Sacerdos proferre debet, dum Clerus canit *introitum*, Hymnum, quem Græci *Sanctum* appellant, aliaſque Miſſæ partes.

Incumbit ne choro aliquid canere ab offertorio expleto ad Præfationem uſque? Nihiloſecius præter orationes tres deſignatas, quas Sacerdos proferre debet tempore *Offertorii: Tandiu autem, quamdiu Offertorium, & verſus canuntur, has dicat Orationes*; alias ſex addit, antequam oblationes admittat: *Has*

Orationes humillime ante Altare ſe flebiliter accuſans, *dicat*, ſed quod majori animadverſione dignum eſt, poſtquam aſtantes, ſive Eccleſiaſtici, ſive alii oblationes ſuas detulerant, quo tempore Sacerdos preces multas recitabat, ipſe per ſe ſe hoſtiam offerebat, & quindecim orationes Deo fundebat, quibus abſolutis: *Tunc imponat oblatam Altari, & dicat: Sanctifica Domine &c.*

Nonne refert etiam Liturgia hæc preces quam plurimas, quas Sacerdos, & Miniſtri recitare debent, dum thus Altari adhibetur, vel Sacerdos orat pro populo? Poſt hunc orationum numerum: *Tunc incipiat ſecreta, quibus finitis, & Præfatione dicta, quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus decantant hæc, oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote*. Diceſne igitur in Miſſa Latina nihil eſſe, in quo ab Ordine Romano diſtinguatur, niſi orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, dum chorus cantu diſtinetur? Cum interea ab offertorio uſque ad Præfationem recitentur orationes plus quam quadraginta partim longæ, partim breves, licet tum chorus nihil canat.

In numerum quoque rediges orationum, quæ *Miſſam Latinam* amplificent, eas, quæ Sacerdos recitat ab initio canonis uſque ad finem? Vel id Eruditi noſtri fateantur neceſſe eſt, vel deſerant principium ſuum: *nihil aliud forte, quam Orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, dum chorus canendo occupatur*. Siquidem canonis ſpatio chorus Pſalmos multos canit: *deinde*, ait Sacramentarii hujus Rubrica, *cum ſumma reverentia incipiat, Te igitur &c., & Miniſtri ſtantes in gradibus ſuis, cantent iſtos Pſalmos, uſque dum, Te igitur &c. finiatur*.

Exaudiat te Dominus &c.
Ad te, Domine, levavi animam meam &c.
Miſerere mei Deus, ſecundum &c.
Domine refugium &c.
Qui habitat in adjutorio &c.

§. IV.

Objecta Menardi adverſus Miſſæ Latinæ antiquitatem.

Menardus in notis ad lib. Sac. S. Greg p. 381. & 383.

MEnardus duabus fultus conjecturis probare nititur Miſſam Latinam a Flacco Illyrico vulgatam ad x. circiter ſeculum pertinere. Conjecturam primam ſtatuit in duobus MSS. Codicibus, quos edidit in fine Sacramentarii Sancti Gregorii, inſcripſitque: *Codex Ratholdi*, & *Codex Tiliani*. Ille exaratus fuit, inquit, anno 986., hic vero anno 1032. Qua poſita animadverſione in hunc modum argumentatur. Multa ſunt in Liturgia, publici juris facta ab hoc Heterodoxo, quæ inſtituta ſunt multo poſt S. Gregorium, quæque non ſunt in MS. Ratholdi Abbatis Corbejenſis, ſunt autem in MSS. deprompto ex Bibliotheca Tiliana, quod longe poſt aliud conſcriptum fuit. Unde colligere ſe poſſe dicit *Miſſam Latinam* compoſitam fuiſſe quinquaginta annorum ſpatio, qui inter duorum MSS. epocam fluxerunt.

Ego vero non crediderim argumentum hoc magni ponderis. Negotium hic non eſt de tempore, quo Liturgiæ iſtæ conſcriptæ fuerunt, ſed de tempore, quo confectæ, & tamen doctiſſimi hujus Benedictini conjectura petita eſt a tempore Scriptoris. Præterea ubinam reperis Liturgiam aliquam minus vetuſtam eſſe, quam aliam, quia novum aliquem ritum præſefert? Nonne patet, id operum genus ſucceſſu temporum creſcere, & ſecundum loca, atque homines additamenta multa ſuſtinere? Præterquamquod in ſpem non mediocrem ducor fore, ut oſtendam Menardo, Miſſam utramque, de quibus loquitur, licet ſeculo x. atque xı. ſcripta ſit, vetuſtiorem tamen eſſe. Ter reperimus, ſubjungit Menardus, in Miſſa Flacci Illyrici literam N., quæ plerumque loco nominum propriorum deſignatur; cum tamen, ut adnotare pergit, *hac figura uti cœperint Scriptores paullo ante annum poſt Chriſtum natum milleſimum*. Ex quo inferre poſſumus Miſſam hanc ante illud tempus lucubratam non fuiſſe.

Ut objectum hoc de medio tollamus, conſiderandum eſt, Mabillonium propugnare tom. 5. de Geſtis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & non multi operis eſſet illud compluribus etiam MSS. aſſerere, literam N. uſu receptam fuiſſe ante annos octingentos, ut per eam nomen proprium indicarent; cum antea ponerent *ill.* cum linea ſub ipſo, quaſi diceret *ille* vel *illa*: atque ita videre eſt in formulis Marculphi, & in vetuſtis MSS. licet igitur concludere cum Mabillonio expendente Menardi conjecturas, hunc *quædam in contrarium opponere, ſed quæ rem non evincunt*.

Si igitur *Miſſa Latina*, ut hactenus oſtendere curavi, vetus Gallicana non eſt; ſi differt a Romana; ſi quæ eruditi Scriptores omnes, quorum ſenſa retulimus, decepti ſunt de natura, atque uſu hujus Miſſæ, quodnam eſt igitur ingenium ejus, inquiet aliquis? Quandonam confecta fuit, quandonam adhibita ab Eccleſia? Equidem poſtquam diligenti lance hanc Liturgiam ſuſpendi, mihi videor videre, eam non modo vetuſtiſſimam eſſe, ſed fontem, atque originem Miſſarum omnium Latinarum, atque Eccleſiam Romanam ea uſam fuiſſe, antequam Gelaſius Papa & D. Gregorius Romanum Ordinem inſtituerent. Statim autem aperio, me ajentibus argumentis ſuper re hac carere, & tantummodo conjecturas in medium producere, quas Eruditorum cenſuræ libenter ſubjicio.

ARTICULUS V.

De antiquitate Miſſæ Latinæ, ab Illyrico Flacco vulgatæ.

§. I.

De Miſſa ſolemni primis Eccleſiæ ſeculis uſitata.

THomaſius, & Mabillonius in ea opinione ſunt, ut credant Miſſam Latinam eſſe Miſſam ſolemnem ex Ritu Romano celebratam. At qui hoc idem principium in cauſa eſſe poteſt, ut inferamus eam in uſu fuiſſe ſeculo IV., vel V. ineunte. Quid namque eſt Miſſa *Pontificalis*, *Solemnis*, *Canonica*, *Capitularis*, *Publica*, *vel Generalis* (hæ voces etenim in idem recidunt) niſi ea, quæ antiquitus canebatur, & celebrabatur magno cæremoniarum, & Miniſtrorum apparatu, cui Clerus univerſus intererat, ſinguli ex onere muneribus ſuis fungebantur, & populus aſtabat, offerebat ad Altare, & ſacræ Euchariſtiæ particeps erat? Hæc omnia neceſſaria ſunt, ut ideam illam perficiamus, quam Patres de ſolemni Miſſa ante ſeculi IV. finem celebrata nobis tradiderunt.

Sancti Juſtinus, Cyprianus, aliique quatuor priorum ſeculorum Patres, locuti ſemper ſunt de myſteriorum ſacrorum celebratione, tamquam de re publica, & ſolemni, quæ coram univerſo Clero, & populo de ſacrificio participante peragenda erat: neque unquam aliter, niſi urgente neceſſitate, fiebat.

Conſtitutiones Apoſtolicæ deſcribunt nobis Liturgiam ſacram inſtar magni, & frequentis cœtus conſtantis Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Clero, omnibuſque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus. Ab Epiſcopo ad clericorum infimum ſinguli munere ſuo fungebantur, & in tanti ſacrificii partem veniebant Epiſcopus, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, & cæteri Chriſtiani. Traditio hæc initium ducit a Chriſto Domino, qui Euchariſtiam inſtituit coram Apoſtolis, qui tum Eccleſiam omnem referebant, & ſinguli participes fuerunt. S. Paulus ad Corinthios, ſcribens ea, quæ a Chriſto Domino didicerat, & D. Lucas in Actis Apoſtolicis nullam aliam nobis rei divinæ imaginem exhibent, niſi conventus fidelium omnium congregati *in participatione fractionis panis*.

Animadvertit Bona, quatuor prioribus Eccleſiæ ſeculis fas nemini fuiſſe divinis Myſteriis intereſſe, qui pariter offerre, & ſacrificare non poſſet, quod exprimitur in aliquibus Miſſæ orationibus, in canone, & *poſtcommunione: ſupplices rogamus, ac petimus; hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ offerimus præclaræ majeſtati tuæ &c. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt* &c. *Quod ore ſumpſimus, Domine, pura mente capiamus* &c. *Satiaſti familiam tuam muneribus ſacris*. Quæ verba pro certo ponunt, aſtantes omnes non magis debuiſſe aliquid pro ſacrificio offerre, quam Euchariſtiam recipere. Idem mos nititur etiam cuidam Canoni Concilii Illiberitani celebrati ſub IV. ſeculi initium, in quo dicitur: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*. Quæ verba ſignificant, tum opus fuiſſe ut communicaret, qui jus haberet offerendi ad Altare, & rem utramque dividi nullo modo potuiſſe.

Eadem conſuetudo tam firmiter ſervabatur, ut cum irrepſiſſent quidam mali uſus ineunte ſeculo IV. Concilium Antiochenum II., Julio I. Pontifice celebratum anno circiter 336. juſſerit fideles omnes communicare debere; & ſi qui detrectent, ejiciendos eſſe ab Eccleſia, atque a fidelium communione removendos. Octavus canon Apoſtolorum idem de Clericis decrevit: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius Ordinis Eccleſiaſtici oblationis factæ particeps non extiterit, cauſam dicito. Et ſi juſta fuerit, veniam conſequatur; ſin minus, a conſortio ſegregetur, ut Autor offenſionis factus populo, & ſuſpenſionem præbens in offerentem*. Patres primi Concilii Toletani anno 400. coacti ſequens decretum ediderunt. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra civitatem, vel in loco, quo Eccleſia eſt, aut caſtello, aut vico, aut villa ad Eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, clericus non habeatur*. Simile autem vero fit, canonem hunc ſermonem habere de Miſſa ſolemni, quoniam jubet, ut cujuſcumque ordinis Clerici interſint.

§. II.

Miſſa Latina confecta fuit ſub exitum ſeculi IV., vel initium ſeculi V.

NUllum eſt firmius de Liturgiæ hujus antiquitate argumentum, quam quod eruere poſſumus e cæremoniis Miſſæ ſolemnis, quæ in Miſſa Latina accuratiſſime ſervatæ fuerunt. Sunt autem hujuſmodi: *Pſalmos interim, dum paratur Epiſcopus, circumſtantes Clerici cantent. Cum proceſſione egrediens Presbyteris illum ducentibus & Diaconis præbeat oſculum pacis. Accipiat Diaconus de manu Subdiaconi oblata*. Clerici igitur, Presbyteri, Dia-

coni

coni, & Subdiaconi aderant, & miniſteria ſua exercebant. Deinde in ea legimus ſæpe thus adhiberi ad Altare, magnificas fieri cæremonias, & complures preces recitari, demum non paucas Miſſæ partes ſolemniter cani.

Duo ritus, qui Miſſæ ſolemnis ſeculo iv. naturam veluti conſtituebant, *in Miſſa Latina* perſpicue reperiuntur. Miſſa publica dicta eſt non a loco, quia olim a cryptis abditiſque locis ajebatur, ſed a conventu *populi circumſtantis*. Ritus primus eſt *oblationes*: *Tunc convertat ſe ſuſcipere oblationes Presbyterorum, aliorumque*, nimirum aſtantium, qui communicare tenebantur, atque hæc fortaſſe præcipua eſt Miſſæ ſolemis nota. *Deinde*, ait Ordo Liturgiæ hujus, *Presbyteris, & Diaconibus corpus in manus accipientibus, ac communicantibus, dicitur ſingulis*: *Pax tecum*; tum Subdiaconi, & reliqui e Clero communicabant. Poſtremo populus univerſus, Subdiaconi, Clerici, & Fideles ſub utraque ſpecie communicabant, ut monent verba utriſque ab Epiſcopo prolata: *Corpus, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, proſit tibi ad vitam æternam, vel ſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & ad vitam æternam*.

Ecce, ut mihi videor, quo pacto *Miſſa Latina* complectitur cæremonias omnes, quæ in ſolemni Miſſa primis ævis exercebantur, & præ cæteris oblationem ad Altare, & totius Cleri, & Populi communionem, quæ Miſſæ publicæ naturam efficiunt, ut aliqua ratione affirmare poſſimus, id Miſſæ ſolemnis genus ab initio v. ſeculi obſoleviſſe, quandoquidem deſiit omnino neceſſitas offerendi, ut jus ad communionem acquireretur: licet ſeculis inſequentibus ad noſtra uſque tempora Miſſarum publicarum, & ſolemnium uſus extiterit. Quod attinet ad reliquos ritus, ætatibus poſterioribus Clerus tantummodo in Miſſa ſolemni particeps erat Sacramenti, quod demum ad Diaconi, & Subdiaconi communionem contractum fuit; idque moris eſt in aliquibus Baſilicis Urbis Romæ, in iis autem, in quibus conſuetudo hæc omnino defecerat, eam Pontifices ſummi iterum revocarunt, ut Rituum veteris Eccleſiæ memoria non periret. Opinio eſt, Lugduni, & Viennæ veſtigia aliqua perſeverare Miſſæ ſolemnis, cui Clerus univerſus intererat.

Ut argumentum iſtud in ampliſſima luce collocemus, meminiſſe oportet voces iſtas *oblatio*, *& communio* eſſe ambiguæ ſignificationis. Utraque enim dupliciter intelligi poteſt; oblatio primo ſignificat quidquid fideles publice ad Altare offerebant, ſive adhibendum eſſet in ſacrificio, uti panis, & vinum, ſive inſumendum in victu, veſtituque Miniſtrorum, ſive erogandum pauperibus, atque aliis rebus hujuſmodi; quod oblationum genus concilia ſæpe ſanxerunt, quoties fidelium charitas ſuper hac de re deferveſcebat. *Conc. Matiſc. II cap. 4.* *Statuimus*, inquiunt Patres Concilii Matiſconenſis celebrati anno 585. *ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini*. Secundo *Oblatio* interpretatur revera pro pane, & vino, quem Fideles ad Altare offerebant, ut ex eis Euchariſtia conficeretur, atque hæc Oblatio jus communicandi tribuebat.

Duo pariter *Communionis* genera diſtinguebantur. Alia enim erat participatio cum Fidelibus; quique hoc privilegio gaudebant, adeſſe poterant conventibus eorum, ſocietate lætari, & publicis precibus aſſiſtere: at hoc *Communionis* genus jus non afferebat ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Alia, quæ revera appellanda *Communio* eſt, ſita erat in ſumptione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti. Porro iis tantummodo, qui panem, & vinum pro Sacrificio offerebant, jus erat communicandi hoc ſecundo modo, ut decernit Concilium Illiberitanum: *Epiſcopum placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*. Et carebat facultate offerendi ad Altare quicumque Euchariſtiam non accipiebat.

Quæ omnes animadverſiones colligere nos monent, *Miſſam Latinam*, ut ſerius, confectam fuiſſe ſeculo v. ineunte, quo tempore Clerici & Fideles omnes, divinis officiis aſtantes tenebantur communicare, indicta pœna ſeparationis a ſocietate Fidelium, ut ſtatuunt Canones a nobis laudati, & nemo poterat oblationem ferre ad Altare, niſi communicaret, ut ſancitum eſt in Concilio Illiberitano. Quod ſi hi duo ritus Miſſæ ſolemnis poſt ſeculi v. initium obſoleverunt, certum eſt *Miſſam Latinam* ante illud tempus deſcriptam fuiſſe; neque enim apparet ritus in Liturgia uſui publico propoſita firmari potuiſſe, qui tum amplius non obtinerent. Pontifices quidem, & Concilia edere decreta poſſunt ad diſciplinam reſtituendam, atque in dignitate priſtina collocandam; ſed Liturgiæ ordo innititur uſui præſenti Rituum, qui ſtatuuntur, non vero moribus iis, qui jam deſueverunt.

§. III.

Efficitur teſtimoniis Patrum, conſuetudinem fuiſſe primorum Eccleſiæ ſeculorum, offerre & communicare ſingulis diebus in Miſſa ſolemni.

NOn eſt multi operis efficere teſtimoniis Patrum Eccleſiaſticorum morem offerendi, & communicandi quotidie ſub initium ſeculi v. nondum omnino ceſſaſſe. Sanctus Hieronymus ait: *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper Chriſti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo*: atque ex eodem Patre non abſimilis erat Eccleſiarum Hiſpanicarum conſuetudo. S. Auguſtinus nos docet in Africa Fidelium opiniones utroque trahere; & D. Ambroſius Chriſtianos hortatur, ut quotidie communicent; ſed id vitæ genus inſtituant, quo gratiæ hujus indigni non efficiantur. Mos Fidelium communicandi Miſſæ illi, cui intererant, in Oriente deſiit ante ſeculum v., ut conjicere poſſumus ex Chryſoſtomi verbis: *Fruſtra eſt quotidianum Sacrificium, fruſtra adſtamus Altari; nemo*

eſt, qui participet; necnon ex dictis Athanaſii, aliorumque patrum Græcorum, qui haud raro de exiguo eorum, qui ad divinam menſam accedebant, numero conquerebantur.

Cum itaque uſus percipiendi Euchariſtiam in dies ſingulos ceſſaverit initio V. ſeculi, alius quoque offerendi ad Altare publici Sacrificii tempore ademptus eſt; quoniam ii, qui panem, & vinum pro Sacrificio non deferebant, ex Canone Concilii Illiberitani poteſtatem communicandi non habebant. Dicendum eſt itaque, antehac *Miſſam Latinam* extitiſſe, in qua reperimus cæremonias omnes, quæ Miſſam ſolemnem conſtituunt; ſcilicet Presbyteros, Diaconos, Clerum omnem, & Populum aſtantes, offerentes, quotidie ad ſacrum Epulum accedentes, ut exprimitur in Oratione quadam Sacerdotis poſt Communionem: *Obſecro ..... ne ad damnationem æternam mihi proveniat, quod quotidie, cum conſcientia polluta nomen ſanctum tuum præſumo invocare, Corpuſque Filii tui, & Sanguinem indignus audeo accipere*; utque ferebat conſuetudo ante ſeculum V. ſecundum veterum Eccleſiæ Patrum teſtimonia.

Antequam autem finem facio diſputationis hujus, meminiſſe oportet, Miſſæ hujus ſolemnis uſum locis, & temporibus reſpondiſſe. S. Juſtini ætate Dominicis tantum diebus Res divina celebrabatur, in qua participes erant Aſtantes cuncti, & Diaconi ad abſentes Euchariſtiam deferebant. S. Auguſtinus ait: *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica Menſa præparatur, & de Menſa Dominica ſumitur. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur. Alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico.*

Quæ diximus de Miſſa ſolemni, non tollunt priſcam conſuetudinem celebrandi Miſſas privatas, ubi unus tantum Clericus erat, qui eidem miniſtraret. Hæc namque conſuetudo laude digna non eſt Chriſtiana ipſa Religione recentior, cum Apoſtoli, homines Apoſtolici, eorumque Succeſſores eam retinuerint, ejuſque perſpicua teſtimonia legi poſſint apud Tertullianum, Euſebium, Sozomenum, atque alios. S. Cyprianus memorat Sacrificium Miſſæ, quod ſæpe in Martyrum carceribus recolebant. Ex Hiſtoria percepimus, S. Ambroſium olim feciſſe ſacrum in quadam domo privata: & S. Gregorium Nazianzenum Patrem in ſuo cubiculo, uti narrat S. Gregorius Nazianzenus; ecce itaque privatæ Miſſæ vetuſtiſſimæ.

§. IV.

Alia Argumenta pro antiquitate Miſſæ Illyricianæ.

PErpetua fuit cujuſque ætatis conſuetudo, Sanctorum memoriam in Myſteriis celebrandis recolere, ut appareret Eccleſiam militantem triumphantis Eccleſiæ participem fieri. Hic tamen mos pro temporum ratione non unus fuit. Ab initio Eccleſiæ ad uſque ſeculum V. nullus vir Sanctus de nomine vocabatur; ſed ſatis tum erat, invocaſſe Deiparam Virginem, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, alioſque Sanctos in univerſum, ut ipſis intercedentibus, Deus Chriſtianorum preces admitteret. Quod cognoſcere poſſumus in Liturgiis omnibus, quæ ad exordium uſque ſeculi V. exaratæ fuerunt. In Liturgia Sancti Cyrilli Hieroſolymitani, Sacerdos tantum dicit. *Hoc Sacrificium tibi offerimus, ut muneribus Glorioſæ Virginis Mariæ, eorum qui ante nos dormierunt, in primis Patriarcharum, , Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum &c.* Memoria Sanctorum in Miſſa S. Baſilii hoc modo fit. *Cum primis Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Prædicatoribus, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, Doctoribus, & omni juſto Spiritu, qui in fide conſummatus eſt. Præcipue cum Sanctiſſima illibata, ſuper omnes benedicta, Deipara ſemper Virgine Maria.* S. Joannes Chryſoſtomus eaſdem ferme adhibet voces in ſua Liturgia.

Ex quibus compertum habemus, quatuor prioribus ſeculis nullum nomen ad Altare proferri conſueviſſe ſingillatim, præter illius Sancti, de quo feſtum celebrabatur, præcipue ſi Martyr fuiſſet: neque enim tribus prioribus ſeculis confeſſorum in Miſſæ Canone mentio fiebat ſingularis. In Canonem vero ſecundum Romanum Ordinem, qui incipiente ſeculo V. conſcriptus fuit, cœperunt inferre nomina Apoſtolorum, & Martyrum, atque exinde nulla Liturgia prodiit ſive ex Oriente, ſive ex Occidente, quæ Apoſtolorum, & multorum Martyrum nomina non complectatur. Auctores Liturgiæ Mozarabicæ, quæ ante tempora ſancti Gregorii Papæ vulgata fuit, hujus quoque adjuncti obliti non ſunt. Idem cognoſcimus in quadam vetuſta Miſſa a Menardo in publicum producta in fine Sacramentarii ſancti Gregorii, quæ titulum refert: *Miſſa vetus ex Codice Ratholdi*, & non poterat non eſſe antiquiſſima, quippe ſeculo IX. exſcripta ex MS., quod longe vetuſtius erat. Eamdem rem animadvertimus in alia Miſſa, quam idem Auctor appellat: *Miſſa vetus ex Codice Tiliano*. Ævo IV. legimus, S. Gregorium Niſſenum memoriam Sancti Baſilii die ejus anniverſaria recurrente celebraſſe, S. Gregorium Nazianzenum idem præſtitiſſe pro S. Athanaſio. Hinc S. Martinus unus eſt ex primis apud Latinos, cujus nomen ſanctis Dypticis adſcriptum ſit: nimirum in Miſſa Mozarabica.

Non eſt prætereundum, in Textu Sacramentarii D. Gregorii poſt Martyrum nomina magnum hunc Pontificem, ſeu quempiam alium addidiſſe nomina *Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti*, ſed ſanctorum illorum nomina e Canone ſublata fuerunt. Apoſtolorum, & Martyrum multorum nomina digeſta ſunt in Miſſæ

Æthio-

Æthiopum , quæ ut ſerius ad medii ſeculi V. ætatem pertinet ; pluribus etenim in locis meminit trium Conciliorum OEcumenicorum , quorum poſtremum Epheſinum eſt congregatum anno 431. non tamen Concilii Calcedonenſis , quod locum dat conjecturæ , Miſſam hanc editam fuiſſe , antequam Synodus illa cogeretur , ſcilicet anno 450. Miſſa Chriſtianorum Malabarum in Indiis referta eſt nominibus Apoſtolorum , Martyrum , aliorumque Sanctorum , quæ quidem videtur antiqua , quoniam , ut cenſere poſſumus ex quibuſdam illius contextus locis , conſcripta fuit paulo poſt mortem Gregorii Papæ .

Quæ animadverſiones nos ducunt ſponte ſua , ut colligamus , *Miſſam Latinam* exaratam fuiſſe ante finem ſeculi IV. , vel ſub initium V. , ſi namque præcedenti ætate non erat Eccleſiaſticæ conſuetudinis nomina Apoſtolorum , & Martyrum ſigillatim in Liturgia exprimere , ut oſtendimus Liturgiis Ss. Cyrilli , Baſilii , & Johannis Chriſoſtomi , ſi mos hic non cœpit, niſi ſub initium ſeculi V., & deinceps conſtanter perſeveravit , quod nemini dubium eſſe poteſt , ſequitur *Miſſam Latinam* IV. ſeculo inſtitutam fuiſſe ; quippe caret Sanctorum peculiaribus nominibus , & mos hic dumtaxat manſit ad exordium uſque ſeculi V. , quo tempore Canon Romanus inerebuit . Hæ duo autem enunciationes probandæ ſunt .

Expende *Miſſam Latinam* a ſummo capite ad finem , & plane cognoſces nullum nomen peculiaris Sancti in ea eſſe , & Mariæ Virginis , Angelorum , & Sanctorum in univerſum nomina referri . *Obſecro vos* , inquit Sacerdos , *omnes Choros Sanctorum* , *Patriarcharum* , *Prophetarum* , *Apoſtolorum* , *Martyrum*, *& omnium Sanctorum* .... *orate pro me omnes Apoſtoli* , *atque Martyres* , *Confeſſores* , *& Sanctæ Virgines* , *atque Viduæ* , *& omnes Sancti* , *& Electi Dei* . Porro morem hunc non enunciandi nomen Sanctorum extitiſſe dumtaxat uſque ad initium ſeculi V. , quo Canon ſecundum Ordinem Romanum in Eccleſiam introductus fuit , id ſtatuendum eſt .

Quod ut præſtemus vi , & ratione , duo in anteceſſum certo ſcienda ſunt . Primum quisnam ſit Auctor Canonis ; alterum , quo tempore vixerit . Quod attinet ad primum Caput , opiniones in admodum diverſa abierunt . Sunt qui hanc Miſſæ partem adjudicent Muſeo Presbytero Maſſilienſi , vel Voconio Africano Epiſcopo in Mauritania , qui referente Gennadio quaſdam conſcripſerat Liturgias . Alii ejus Autorem faciunt D. Gregorium Papam, ſed egregius hic Doctor nobis fidem facit , Canonem e Scholaſtico quodam lucubratum fuiſſe . Vox hæc *Scholaſticus* , non eſt nomen homini proprium , ſed eruditum ſignificat , præſtantem ingenio , & literis , quo ſenſu Hieronymus dixit : *Seraphim Epiſcopus* , *ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit* .

Latet in incerto , qua Scholaſticus hic ætate vixerit . Opinio eſt , eum ſeculo amplius Gelaſium Pontificem præceſſiſſe ; atque adeo ſub finem quarti floruiſſe , quod eſt ſatis ſimile vero , quandoquidem partem Canonis apud ſanctum Ambroſium reperimus . Quidquid autem ſit de tempore , quo Scholaſticus hic inter nos fuit , illud ſatis eſt conſilio meo , ſanctos homines nuncupatos de nomine in Canone non fuiſſe niſi ad exitum IV. ſeculi , quod certe ante illud tempus non contigit , ſi verum eſt , ut Auctor quidam teſtatur, S. Hieronymum juſſu Damaſi , Sanctorum , de quibus in Canone , indicem texuiſſe .

Si igitur Canonis Auctor , vel ille , qui præ cæteris in hanc Miſſæ partem nomina Apoſtolorum , Martyrum , aliorumq; Sanctorum intulit ; in vivis erat , exeunte ſeculo IV. commodum eſt hanc conſecutionem eluere , *Miſſam Latinam* ante hac exaratam fuiſſe , cum ex quatuor priorum ſeculorum more deſint in ea quæcumque Sanctorum nomina ſingularia .

§. V.

Miſſa Latina *vetuſtiſſima eſt omnium Liturgiarum cum Græcorum , tum etiam Latinarum , quæ ad noſtram notitiam traductæ ſint .*

POſtquam ſtatuimus *Miſſam Latinum* , ut ſerius confectam fuiſſe initio ſeculi V. conſequitur pariter eam antiquiſſimam eſſe Liturgiam , qua uſi ſunt Oriens , atque Occidens , quæque ad noſtram notitiam manaverit . Quare non modo inſtituta fuit ante Gregorianam , Mozarabicam , & Gelaſianam, ſed præceſſit quoque illas , quæ tribui ſolent Muſæo Presbytero Maſſilienſi , & Sidonio Apollinari , qui abierunt e vita ante medium ſeculum V. , & Gelaſii I. Pontificatum . Eo namque tempore , quo uterque Scriptorum iſtorum vixit , obſoleverat jam Miſſa ſolemnis ſenſu a nobis explicato , ut conjicere licet ex Sanctorum Hieronymi , Auguſtini , atque Ambroſii a nobis laudatis locis .

Porro ſi S. Hilarius ex Hieronymi dictis *Librum Myſteriorum* digeſſiſſet , fieret ſimillimum veri , magnum hunc Epiſcopum *Miſſæ Latinorum* Auctorem eſſe ; quoniam hoc poſito primus eſſet Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui rem hujuſmodi litteris commendaverit . Hæc item Miſſa id quoque commodi haberet, ut omnibus Liturgiis Græcis , quæ extant , vetuſtior eſſet ; idque eo magis , quo S. Baſilius , qui Patrum omnium Græcorum primus operi huic ſtudium navavit , ad Epiſcopi dignitatem aſſumtus fuit anno 370. Hilarius vero præcedenti deceſſerat .

Duo ſane argumenta nobis probant S. Hilarium , vel aliud ejuſdem temporis *Miſſæ Latinæ* Auctorem habendum eſſe : Primum ſit ineunte ſeculo IV. Miſſam ſolemnem , qua ratione a nobis deſcripta fuit celeberrimam in Eccleſia fuiſſe . Secundum , eodem tempore Liturgias longiſſimas fuiſſe , & quamplurimis collectis redundaſſe . Quod in cauſa fuit ex Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano

litano, ut D. Baſilius, & Johannes Chryſoſtomus ad compendium redigerent Miſſam nomine Sancti Jacobi vulgatam, ſive aliam, qua Chriſtiani eo ævo utebantur. Et quidem cum mos Euchariſtiam quotidie ſuſcipiendi prius in Græca, quam in Latina Eccleſia ceſſaverit, & Fidelium pietas admodum debilitata fuerit, mirum non eſt Græcos Patres ſuſtuliſſe multa ex Liturgia ſua, antequam id in Occidente cogitarent; ubi liquet uſum Miſſæ magno precum orationumque numero refertæ ad uſque Sancti Gregorii Papæ ætatem perſeveraſſe; cum hic Liturgiam a Gelaſio inſtitutam inſtauraverit, *Multa ſubtrahens*, ut Johannes Diaconus, & Berno Abbas animadverterunt.

Quamvis lateat, quid ſingillatim Gregorius in Gelaſii Miſſa abrogaverit, Eruditi tamen quatenus id aſſequi poſſunt ex Auctorum locis a nobis citatis exiſtimant, S. Gregorium emendaſſe dumtaxat nimium collectarum numerum, varietatemque orationum ſervato ordine, & partibus Miſſæ Gelaſianæ. *Gregoriani a Gelaſiano totum diſcrimen eſt in varietate, & numero earum orationum, quas collectas vocant. Nam & cætera utriuſque eædem partes ſunt.* Ex iiſdem Authoribus apparet *Miſſam Latinam* non differre a Gregorii Miſſa, niſi magno *Collectarum*, & precationum numero. *Ordo Illyricanus Miſſam Pontificalem continet ſecundum Ritum Romanum, & quidem nihil fere aliud, quam Orationes privatas.*

Quoniam vero, ut placuit ſapientibus viris, iſtis *Miſſæ Latinæ* ordo idem eſt, ac Romanus, multaque in utraque Liturgia ſimilia ſunt, illud ſequitur vel *Miſſam Latinam* ad Liturgiam Romanam, vel hanc e converſo ad illam accommodatam fuiſſe. Tres conjecturæ efficere poſſunt, *Miſſam Latinam* a Romana deductam minime fuiſſe. Prima eſt multa in eis diſtare invicem, præſertim in Canone, quod non accidiſſet, ſi *Miſſa Latina*, ut erudite Critici noſtri monuerunt, Romanum Ordinem præſeferret. Cæterum quam primum originem ſcrutabimur cum ſimilitudinis, tum diſſimilitudinis *Miſſæ Latinæ* a Romana. Altera conjectura eſt uſum offerendi ad Altare, & quotidie Menſa Divina fruendi jamdiu obſoleviſſe Gregorii ætate, & vim habuiſſe, cum *Miſſa Latina* producta fuit. Tertia ſit, ſi *Miſſa Latina* ex Romanorum Ordine efformata fuiſſet, nullo modo eidem additum iri tot collectas, quæ ſeculi illius ingenium non referebant; bene vero IV., & V. Denique non omiſiſſent in *Miſſa Latina* ritus multos, quos Gregorius adjunxit; quique in univerſum ſervati ſunt in omnibus Liturgiis exinde conſcriptis, ex gr. ſigna multa Crucis, quæ in Canone collocata ſunt, & quorum nullum in *Miſſa Latina* ſupereſt veſtigium.

§. VI.

Miſſa Latina *ſons eſt, & origo omnium Liturgiarum Eccleſiæ Occidentis.*

IDem ferme dicere licet de *Miſſa Latina* non ſecus, atque dictum eſt de Liturgia S. Jacobi, ſive de alia ſeculo V. uſitata, quod erat Eccleſiæ Græcæ. Videlicet quemadmodum illa, ut diu perſecuti ſumus, ſons habenda eſt, & origo Miſſarum omnium, quæ pro divinis Eccleſiarum Græcarum rebus inſtitutæ ſunt; ita non abſimilem dignitatem huic tribuendam eſſe, ſi cum Miſſis aliis pro Latina Eccleſia deſcriptis, conferatur.

Dicendum ſortaſſe eſſet, *Miſſam Latinam*, de qua modo, Miſſam eſſe D Petri, quam S. Clementis nomine vendicant, ſcilicet, quam S. Pontifex, vel alius primorum ſeculorum Scriptor lucubraverat ex iis, quæ didicerant a Principe Apoſtolorum, vel collegerant ex inſtitutis ejus, vel ab hominibus Apoſtolicis acceperant. Seu tandem dicendum erit *Miſſam Latinam* ex his Traditionibus conflatam fuiſſe initio ſeculi IV., quandoquidem ſine ulla controverſia vetuſtiſſima eſt Liturgiarum omnium Latinarum, quæ ad notitiam noſtram pervenerint. Ex quo fit eam exemplar fuiſſe Miſſarum omnium Latinarum. Habeto autem, qua ratione.

Non vacat dubitare, ab exordio Eccleſiæ ad initium uſque ſeculi V. nullam aliam in Occidente Liturgiam perſpectam fuiſſe, niſi *Miſſæ Latinæ*. Tunc vero cum Miſſæ ſolemnis uſus paulatim deſueſcere cœperit, & Liturgiæ prolixitas fidelium languori gravis eſſe: viſum eſt ſuperioribus Eccleſiaſticis rem flagitare, ut vetus Liturgia reficeretur, & dettaherentur ea, quæ vel obſoleverant, vel eam longiorem æquo reddebant. Id muneris Gelaſius Papa ſuſcepit pro Italia dempto Mediolano, & Diœceſi. Atque ita orta eſt Miſſa ſecundum Ordinem Gelaſianum. S. Gregorius iterum Gelaſii opus inculcavit, multa addidit, mutavit, ſuſtulit, atque inde profectus eſt Ordo Romanus. S. Ambroſius ejuſve ſucceſſor, aliiquis eamdem emendationem exorſus eſt, atque Ambroſianam peperit Liturgiam. D. Leander, ſive quis ex ejus deceſſoribus ex *Miſſa Latina* eam lucubravit, quæ Mozarabica appellata eſt, atque in Hiſpania, & Gallia Narbonenſi obtinuit. Muſæus, & Sydonius Apollinaris idem ſine ulla dubitatione pro Gallia, & Germania præſtiterunt, unde vetus Gallicana Miſſa exorta eſt, ſi modo a Liturgia Gelaſiana differat. Anglia ad tempus uſque S. Auguſtini ejus Apoſtoli illam ſervavit, quam ex Galliis ad eadem Patricius, vel Germanus detulerant: Nihil de Africa dico, cum lateat omnino, quo Liturgico Ordine ab Auguſtini ætate ſit uſa; quod unum certum eſt, id pronunciare non dubitamus, Miſſas omnes Eccleſiarum Africæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Germaniæ rerum ſummam a *Miſſa Latina* decerpſiſſe, eamque fontem cognoſcere debere, e quo profluxerunt.

§.VII.

§. VII.

Liturgia Gelaſii Papæ eadem eſt, *ac* Miſſa Latina *nonnullis immutatis*.

COnjecturam hanc elicio ex MS. Monaſterii S. Vincentii Ordiniſque S. Benedicti, quod ſervatur in Bibliotheca Chiſiana num. 521. Bona, qui ante omnes MS. hoc edendum curavit, nos docet, multa ab eo deeſſe folia in initio, & fine, Miſſamque reperiri dumtaxat uſque ad Evangelium. Perſuaſum vero habet, Miſſæ hujus fragmentum eam continere, quæ adhibebatur in Italia, non vero illam, qua Galli utebantur, propterea quod, inquid eruditus hic Cardinalis,' Pſalmi leguntur ſecundum veterem Italicam verſionem, non autem ex interpretatione Hieronymi, quæ appellabatur Gallicana verſio, quia ſtatim in Galliis recepta fuit. *Nullo modo ſpectat ad Galliam* ..... *in Italia uſitata fuit*.

At in Italia triplex dumtaxat fuit Liturgiarum genus; Latinum, Galaſianum, atque Gregorianum: Neque enim de Ambroſio laboramus. *Miſſa Latina*, cum ſolemnis more explicato eſſet, atque ab Epiſcopo celebraretur comitantibus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & reliquo Clero, diſſimillima ab ea erat, de cujus MS. loquitur Bona, cui non adſtabant, niſi Diaconus, Subdiaconus, & tres Clerici miniſtrantes Sacerdoti, non vero Epiſcopo. Neque item aliud requiritur argumentum, ut probemus, Miſſam illam Gregorianam non eſſe, niſi magnum Collectarum numerum, quæ ſublatæ fuerant e Liturgiis Gregorianis. Unde commodum eſt efficere, Miſſam illam Gelaſianam fuiſſe.

Numquid revera omnes non habet notas, quas literati viri in Miſſa Ritus Gelaſiani deprehendunt? in hac idem Ordo, atque in Gregoriana non retinetur, & quampluribus precibus referta eſt; denique apparet multa ei adjuncta, & multa detracta, quæ Gregorianam Miſſam a Gelaſiana diſtinguunt.

Ad hæc non erit operoſum probare, Miſſam Gelaſii Papæ, ſive illam MS. a Bona citati, quæ eadem eſt, non differre a *Latina*, ex qua deleta ſunt multa, quæ ſub finem ſeculi V. deſierant uſurpari; vel certe illud conveniat neceſſe eſt, ſummam *Miſſæ Latinæ* in Gelaſiana Miſſa deprehendi, vel in Miſſa MS. illius. 1. In utraque iidem Ritus coluntur. 2. Plenæ ſunt quamplurimis *Collectis*, & non paucis ſatis longis; quod obſolevit ætate D. Gregorii, & ſpecimen perſpicuum eſt, Miſſam MS. Ordine Gregoriano vetuſtiorem eſſe. Denique in hac Liturgia legimus preces multas, quæ in *Latina* pariter reperiuntur.

Nemo itaque diffiteri poterit, Miſſam Gelaſii Papæ, quæ non diſtat a Miſſa MS. efformatam fuiſſe ex *Miſſa Latina*, vel potius hanc fuiſſe a Gelaſio Pontifice adoptatam, qui nihil aliud effecit, niſi ſolemnis Miſſæ cæremonias ſubtrahere, quæ jam tum inveteraverant, & magnum illum *Collectarum* numerum, quæ Liturgiam Fidelibus incommodam reddebant. Senſa quoque nonullarum Orationum mutavit, & cæteras, uti deſcriptæ erant in *Miſſa Latina*, reliquit, in quam, veluti in exemplum intendebat, quæque ab omnibus, tamquam Gelaſianæ fons, & origo recognoſcenda eſt; niſi ſi velimus utramque eandem eſſe, pauculis tantummodo, ut dicimus, emendatis.

§. VIII.

Miſſa Sancti Gregorii originem ducit a Miſſa Illyriciana.

SI Gelaſius Papa *Miſſam Latinam* retractavit, intacta rei ſumma, idem præſtitit Gregorius, quod attinet ad Miſſam ipſius Gelaſii: illam namque hactenus inſtauravit, ut in ea Ordo ſemper Romanus ſe prodat, qui ex Gregorianis additionibus, & detractionibus nunquam omnino immutatus eſt. Immo perſpicuum fit, Miſſam Sancti Gregorii non modicam habere cum *Latina* ſimilitudinem in Ritibus; licet propter *Collectarum*, & Cæremoniarum Miſſæ ſolemnis multitudinem non parum diſcrepet. Harum etenim nullum veſtigium eſt in Miſſa Gregorii, neque Canon eodem modo in utraque Liturgia diſpoſitus eſt, quia nimirum S. Gregorius non pauca in eo, & verba præſertim mutavit.

Ex qua argumentatione concludere poſſumus, *Miſſam Latinam* fontem eſſe, ex quo manavit Miſſa S. Gregorii, poſtquam per Gelaſii canaliculum defluxit. Hoc cogitatum conſtiruo in duabus conjecturis, quæ alicujus ponderis videntur. Prima eſt, textum Sacramentarii D. Gregorii pluribus ex alio *Miſſæ Latinæ* emendatum fuiſſe. Secunda, D. Gregorium in idem Sacramentarium importaſſe orationes multas, quæ ſunt in *Miſſa Latina*, & vocabantur *Apologiæ*, iiſque annumerantur, quæ augent magnopere *Miſſam Latinam*, quaſque a Gelaſii Miſſa delevit. At argumenta iſta in bono lumine collocemus.

Didicimus a Menardo in Præfatione Sacramentario D. Gregorii ab ſe eruditis commentationibus aucto præfixa, illum tantum opus aggreſſum fuiſſe, *maxime occaſione nacta optimi*, *&* *vetuſtiſſimi Libri Sacramentorum Gregorii Papæ*. Cujus deinde MS. laudes celebrat, antiquitatemque oſtentat teſtimonio doctiſſimi viri, qui cum celeberrimas Romæ Bibliothecas inviſiſſet, teſtatus eſt, ſe nullibi reperiſſe Sacramentarium S. Gregorii, quod cum iſto de vetuſtate certare poſſit; quoniam per illum ante Caroli Magni tempora deſcriptum fuerat. Denique præſtantiam ejus, auctoritatemque petit a verbis, quæ leguntur in hoc MS. *Ex authentico Libro*

Bi-

Bibliothecæ Cubiculi ſcriptus. Quæ ſignificant, ait Menardus, MS. hoc exſcriptum fuiſſe de exemplari, quod ſervabatur cum aliis libris, uſitatis ſummo Pontifici pro Myſteriorum Sanctorum celebratione, in Tabulario Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Nihilominus antiquitas, perfectio, atque accuratio MS. hujus non obfuerunt, quominus illud Benedictinus hic ad *Miſſæ Latinæ* Illyricianæ textum correxerit, atque emendaverit locis amplius quinquaginta. Attende nonnulla.

Liber Sacramentorum *S. Gregorii apud Menard. pag.* 242. *col.* 2. *fine*. *Incipiunt Apologiæ*. *Impellit miniſtrandi Officium Hoſtia ſalutaris populi pro delicto*.

Codex Illyrianus. *Impellit me peccatorem miniſtrandi Officium, Hoſtiam ſalutarem offerre.*

Sacram. pag. 245. col. 1. *ne indignum quæſo*.

Codex Illyr. *Ne me indignum quæſo*.

Sacram. ibid. *Cui mox obtinuit confeſſio perſpicue Filium Dei*.

Codex Illyr. *Cui mox obtinuit confeſſio propitium Dei Filium*.

Sacram. ibid. col. 2. *Rogare vix audeo.*

Codex Illyr. *Rogare non audeo*.

Sacram. ibid. *Parce Domine, confitentibus ignoſce, peccavimus, miſerere*.

Codex Illyr. *Sed parce, Domine, confitentibus, ignoſce peccantibus, miſerere rogantibus.*

Sacram. ibid. *Sed ſi recedimus, veremur de inobedientia condemnari*.

Codex Illyr. *Tamen ſi recedimus, meremur de inobedientia condemnari*.

Sacram. pag. 244. col. 1. *Et cum pudendorum actuum ſecreta confiteor*.

Codex Illyr. *Et immundorum actuum ſecreta confiteor*.

Sacram. pag. 245. col. 1. *Ad veniam ſaltem pertineam te Domino miſerante*.

Codex Illyr. *Saltem per confeſſionem veniam merear te miſerante*.

Sacram. ibid. col. 2. *Quia tibi non ſunt occulta quæ gerimus*.

Codex Illyr. *Et quia tibi Domine non ſunt occulta, quæ geſſimus*.

Sacram. ibid. *Sit in nobis Domine non oris tantum confeſſio, ſed & doloris*.

Cod. Illyr. *Concede, ut in nobis non oris ſit tantum confeſſio, ſed etiam cordis*.

Sacram. ibid. *Sollicitudo carnis*.

Codex Illyr. *Sollicitudo terrena*.

Sacram. ibid. *Da præteritis veniam, præſentibus emendationem, futuris largire cuſtodiam*.

Codex Illyr. *Miſerere nobis, Domine, miſerere, & da de præteritis malis veniam, de præſentibus emendationem, de futuris cautelam*.

Sacram. pag. 246. col. 2. *Te Domine, volumus ſervare, quod feceris; non timemus obſervare, quod juſſeris*.

Codex Illyr. *O Domine volumus ſervare, quod feceris, non timemus negligere, quod juſſeris*.

Sacram. pag. 247. col. 1. *Ignoſce, Domine, commaculatæ vitæ conſcientiæ ſordido, & criminum confuſione captivo*.

Codex Illyr. *Ignoſce quæſo mihi, Domine, quem maculatæ vitæ conſcientia trepidum, & criminum meorum confuſio fecit eſſe captivum*.

At qui alia quoque multa poſſem loca congerere e Sacramentario Divi Gregorii, quæ Menardus ex *Miſſæ Latinæ* textu reſtituit; ſed variæ hæ lectiones ſatis eſſe poterunt, ut cognoſcat lector opus neceſſario eſſe, ut Sanctus hic doctor Liturgiam Latinam evolverit, atque ab illa traduxerit multa, præſertim decem, aut duodecim *Collectas* in hac Latina Miſſa contentas, quas magnus hic Pontifex utiliter admodum in ſuo Sacramentario adhibuit.

Videtur etiam S. Gregorius multa decerpſiſſe e canone *Miſſæ Latinæ*, ut in ſuum inferret; audi aliqua: in Canone veteris hujus Liturgiæ legitur: *in primis una cum Famulo tuo Papa noſtro N., & omnibus orthodoxis, atque Apoſtolicæ fidei cultoribus*.

Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumſtantium.

Memento etiam Domine, famulorum, famularumque tuarum N., qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.

Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur. *Per Dominum Chriſtum*.

In Canone Romano oratio hæc concluditur: *Per eumdem Chriſtum* &c. atque id unum, quod deprehendimus, diſcrimen eſt.

Hæc omnia nos cogunt, ut efficiamus, vel D. Gregorium per ſe ſe archetypum *Miſſæ Latinæ* conſuluiſſe, vel deprompſiſſe, quæ in eo ſimilia ſunt ex ordine Gelaſii, qui demum hauſerat e *Miſſa Latina*.

Poſtquam ſuperius locuti ſumus de aliis Occidentis Liturgiis ſingillatim, promptum eſt perſuadere ſibi eas aliunde non deſcendiſſe, quam a *Miſſa Latina*, cum Liturgia Gallicana a Gelaſiana non diſtinguatur, vel parum differat, uti luculenter oſtendimus, hæc ſane ab eodem, ac illa magni Pontificis, principio proficiſcitur. Cum Eccleſiæ Anglicæ Miſſam vel a Roma, vel a Galliis acceperint, aliam originem jactare non poſſunt. Cum Profuturus Roma in Hiſpaniam publici officii Ritus detulerit, qui obtinuerunt, antequam prodiret Miſſa Gothica, vel Mozarabica, ſatis habet imaginem veritatis, hanc in illius *Miſſæ Latinæ* ſumma ſtetiſſe.

Quod ad Africam ſpectat, ſunt qui opinentur, populos Provinciæ hujus cum Evangelio per ſummorum Pontificum flagrans ſtudium recepto, Miſſæ quoque Romanæ ritus ſuſcepiſſe: aliis placuit Liturgiam Africanam cæremonias multas Hiſpaniæ comprehendere; ſed quidquid ſit conjectationum iſtarum, non eſt dubitandum, eam ad *Miſſæ Latinæ* exemplar accommodatam fuiſſe.

§. IX.

§. IX.

Argumenta objecta adverſus antiquitatem, uſumque Miſſæ Latinæ.

IN *Miſſa Latina* Symbolum Apoſtolorum canebant: *Sacerdos incipit Symbolum ..... finito Symbolo* &c. immo addito verbo *Filioque* canebatur; porro mores iſti nondum invecti fuerant in Eccleſiam eo tempore, quo Miſſa hæc creditur uſitata fuiſſe: vel itaque ſuppoſititia eſt, vel IV. ſeculo recentior. Neque vero multi operis erit duas haſce aſſumptiones enucleare I. Græci cœperunt canere in Miſſa Symbolom anno 510. cum Timotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus juſſit illud quotidie ad Altare recitandum. Ante Decretum III. Concilii Toletani celebrati anno 587. nunquam Symbolum in Hiſpaniæ Eccleſiis fuerit decantatum. Mos hic in Galliam, & Germaniam translatus fuit receptuſque dumtaxat Caroli Magni ætate. II. Quamvis S. Leo Papa conceſſerit Hiſpaniis facultatem addendi Symbolo particulam *Filioque* propter hæreſim Priſcillianiſtarum; nihilominus non cœperunt illud canere in Miſſa cum hoc additamento, niſi poſt Concilium III. Toletanum a nobis laudatum. Quod attinet ad Gallias, & Germaniam, nemo unus ignorat, ante tempora Caroli Magni illud cani conſueviſſe ſine hac particula *Filioque*. Anno 1014. cum Imperator Henricus Romæ agens, inquit Berno Abbas, qui ipſius comeſerat cognoviſſet illud Chriſtianitatis caput non canere in Miſſa Symbolum Apoſtolorum, tot enixis precibus Benedictum Pontificem rogavit, ut tandem conſenſerit, ut impoſterum caneretur. Quæ facta omnia argumento ſunt Miſſam Latinam ſeculo IV. inſtitutam non fuiſſe.

Reſponſio eſt, tum diſciplinam, tum etiam Liturgias mutationi ſemper obnoxias fuiſſe. Epiſcopis namque facultate præditis addendi, & detrahendi, quod utilius cenſerent pro temporum, & locorum diſcrimine, ut ſacrificium auguſtius recoleretur, mirum non eſt, Symbolum cum particula *Filioque*, *Miſſæ Latinæ* multo poſt adjectum fuiſſe. Me ſane præterit, utrum ulla futura ſit legitima Liturgia, ſi cavendum eſſet, ne quidquam in ea, niſi primitus conſcriptum, reperiretur. Quis dixerit S. Gregorium Pontificem auctorem non eſſe Liturgiæ ipſius nomine inſignitæ; quoniam in ea nunc legitur *Agnus Dei* &c. quod inſtitutum atque illatum in Liturgiam non eſt, niſi VIII. ſeculo ineunte a Sergio Papa I. Si Pontifices Gregorio Magno poſteriores nihil in canone mutari paſſi ſunt, idemne dicere poſſumus de aliis partibus Miſſæ? Affirmabis ne a Sancto Joanne Chryſoſtomo alienam eſſe Miſſam eidem adjudicatam, quod ſcilicet ſint in ea multorum Sanctorum nomina, qui poſt ipſum defuncti ſunt, immo ipſum ejus nomen &c. Exiſtimabit, ne quis Liturgiam S. Baſilii, Mozarabum, Æthiopum, omneſque alias ſpurias eſſe, propterea quod nulla ſit, quæ mutationem aliquam non ſubierit? Quare cum Miſſa Latina inconcuſſas gerat notas antiquitatis ſuæ ſeculo IV. additio Symboli, & particulæ *Filioque* vetuſtati ejus nocere non poteſt.

Qui fieri poteſt ſubdunt pariter, Miſſam Latinam ævi IV. opus eſſe, ſi tamen in ea videmus Sacerdotem bis pro Rege preces ſundere: *Tibi Domine, Creatori meo offero hoſtiam precationis, & laudis pro Rege noſtro*, atque alibi: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro rege noſtro, & ſua venerabili prole, & ſtatu Regni ſui*, cum ex adverſo orandum fuiſſet pro Imperatore, ejuſque familia, neque etenim eo tempore dominabantur Reges in Italia vel Gallia, vel Hiſpania? Hæc igitur Miſſa Latina in Eccleſiis illis uſum habere non potuit a ſeculo IV. Huic tamen difficultati multifariam poſſumus obviam ire I. Mutato regimine commode ſufficere in Liturgia potuere nomen Regis nomini Imperatoris, uti mos erat. II. Vox Regis accipitur haud raro pro nomine Imperatoris. Quis dubitet, D. Ambroſii tempore Romæ Imperatorem præfuiſſe? Et tamen licet Valentinianus III., qui Sancti Ambroſii electioni ſuffragium ſuum tulerat, ad hanc dignitatem aſſumptus eſt, non deſinit tamen S. Doctor uti hac voce, dum loquitur de precibus, quæ *petuntur pro Populo, pro Regibus, pro cæteris*. Arnobius, qui ſeculo ante S. Ambroſium vixit, utitur quoque verbo Regis pro alio Imperatoris. Conquæritur namque igne abſumi libros Sanctos, *in quibus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur, Magiſtratibus, Exercitibus, Regibus*; Denique quamquam verbum Regis notione propria acciperetur, non tamen *Miſſæ Latinæ* antiquitatem oppugnaret. Alaricus namque Rex Gothorum Romam cepit anno 410. Genſerichus Vandalorum Rex ipſa potitus eſt anno 455. ſub Authemio Imperatore, Ricimerus Militiæ Præfectus, obſeſſa Roma in eam victor ingreſſus eſt anno 471. Odoacer Rex Herulorum iterum eam expugnavit anno 476., & Theodoricus Gothorum Rex anno 490. Denique Urbs hæc ſub Gothorum dominio fuit, Gelaſio Pontifice. Non eſt itaque cur miremur nomen Regis in Miſſæ Canone collocatum fuiſſe ſeculi V. initio, quoniam eo tempore Reges Urbis Romanæ imperium adepti ſunt.

Attende argumentum aliud non contemnendum. *Miſſa Latina*, inquiunt, quibuſdam afficitur notis, quæ jactatam ejus antiquitatem penitus deſtruunt, & evincere poſſunt Liturgiam hanc nunquam in Regno ullo uſurpatam fuiſſe, vel apud aliquam gentem, ſed tantummodo conſcriptam fuiſſe pro Monachorum congregatione, vel quibuſdam Monaſteriis: *Suſcipe S. Trinitas hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro; & cuncta Congregatione S. Petri*; alibi vero; *Suſcipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & noſtræ Congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris, & omni Populo Chriſtiano*; ex quibus duobus locis dedu-

deducit Mabillonius, *Miſſam Latinam* adhibitam fuiſſe in Monaſterio ſancti Petri d'*Hornbac* Diœceſis Metenſis, quod ſuum nomen tribuit Congregationi ſancti Petri d'*Hornbac.*

Hæc tamen eruditiſſimi Benedictini conjectura maximi ponderis non videbitur attendenti I. Miſſam Latinam, ut nunc eſt paſſim non conſueviſſe, niſi ab Epiſcopo celebrari, uti ex pluribus locis, & præſertim ex his verbis conjicere licet: *Hoſtias acceptabiles offero pro Grege mihi commiſſo .... pro Populo mihi ſubjecto .... pro Eccleſiæ mihi commiſſæ adverſantibus*. II. *Miſſam Latinam* ſolemnem, & publicam eſſe, quam ſæpe D. Gregorius Monachis interdicit. Concilium Lateranenſe Calixto II. ſummo Pontifice celebratum, idem interdictum tulit: *Interdicimus Abbatibus, & Monachis Miſſas publicas cantare*. Quidam vero auctor nos docet id uſque ad ſancti Bernardi tempora perſeveraſſe. III. Hæc *Miſſæ Latinæ* verba: *Memento Domine famulorum famularumque .... cunctorum mihi peccata ſua confitentium*, quæque quinquies, aur ſexties in eadem Liturgia iterantur, intelligi nequeunt de Abbate, & Monachis; quandoquidem Miniſterium audiendi, ſolvendique peccata non minus erat vetitum ipſis, ac illud ſolemnia ſacra celebrandi: uti conceptis verbis ſtatuit Concil. Later. a nobis laudatum, & titulus Decretalium de Capellis Monachorum; deinde ſatis ad veritatem accedit, Mabillonium firmaſſe interpretationem ſuam in verbis illis *ſenior*, quod vertit *Abbatem*, & *Congregatio*, quaſi diceret, uti nos ſolemus, *Congregationem S. Mauri*, *Congregationem Cluniacenſem*. Non inficior *ſeniorem* ambiguam eſſe, quæ multa ſignificat, videlicet virum potentiſſimum, Abbatem, vel Monaſterio Præfectum, Præſidem alicujus cœtus, Sacerdotem inter Græcos, antiquiorem Monaſterii, qui abſente Abbate illud moderabatur, ſed ur mihi videor nulla explicationum iſtarum congruere poteſt voci *ſenior* eo loci, ubi reperitur in Miſſa Latina.

Quod ſpectat ad verbum *Congregatio* non crediderim uſum habuiſſe in deſignandis ordinibus religioſis, niſi poſtremis ævis. Ducangius ait *Congregationem idem eſſe, ac collectam, Synaxim*, ſcilicet ſanctum Miſſæ ſacrificium, ad quod fideles congregabantur. In hunc modum interpretatur Hieronymus. *Poſt Alleluja cantatur, quo ſigno vocabantur ad collectam*; atque in Regula Sancti Pacomii: *in die Dominica, in collecta, in qua offerenda eſt oblatio.* In omnibus Liturgiis, in quibus emergit nomen hoc *Congregationis*, nihil aliud ſignificat, niſi cœtum virorum, qui officiis publicis aſtant * *Recordare, Domine, Congregationis noſtræ .... Orate pro hac Eccleſia, & noſtra Congregatione, quæ in ea eſt .... Benedic Domine Congregationi noſtræ ..... & cuſtodi eam in pace .... Vos quoque o Congregatio redempta, popule ſancte, qui adſuiſtis hodie, ſicut decet, coram ipſo Jeſu Domino Deo Salvatore.*

Quo verbo *Congregatio* hoc pacto explicato, aliud ipſi reſpondeo, nimirum *ſenior* plane alium quam Abbatem ſignificare debet. Cointius ait *ſeniorem* hoc loci accipiendum eſſe pro Archipresbytero, atque ita interpretatur can. 18. Concilii Rhemenſis: *Ut in Parochiis nullus Laicorum Archipresbyter præponatur, ſed qui ſenior in ipſis eſſe debet, Clericus ordinetur*. Poſt quas animadverſiones audi, qui, ut opinor, interpretari poſſent verba hæc: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam pro ſeniore noſtro nimirum Archipresbytero, & cunctis fidelibus in Eccleſia ſancti Petri congregatis* &c. Oratio hæc duodecima, & ultima earum eſt, quæ Apologiæ nuncupantur; cum in præcedentibus Sacerdos oraſſet ſigillatim pro Ordinibus omnibus, pro Eccleſia, pro Rege, pro Superioribus Eccleſiaſticis, pro vivis, & defunctis.

Cæterum non eſt admirandum, peculiarem hic Archipresbyteri memoriam uſurpari, qui a primis Eccleſiæ ſeculis habitus eſt tamquam Presbyterorum primus, qui jus in Clerum univerſum exercetet, Miſſam ſolemnem caneret, & omnia Eccleſiæ negotia expediret abſente Epiſcopo: *Super omnes Presbyteros in ordine poſitos curam gerere, & aſſidue in Eccleſia ſtare, & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Iſidorus Epiſtola ad Leudefredum Epiſcopum: *Sunt etiam Archipresbyteri in Epiſcopis Canonicorum curam gerentes*. Walafridus Strabo lib. de rebus Eccleſ. cap. ult. Atque hæc ſunt non nulla Archipresbyterorum munera, de quibus ſermonem habet Concil. Carthaginenſe IV. anno 398. celebratum. Verba autem hæc *Congregatione Sancti Petri* fortaſſe explicare poſſemus de Eccleſia Sancti Petri Romæ, vel de aliqua Sancto huic Apoſtolo nuncupata. Illud certe exploratum eſt; in Miſſalibus apparere non ſemel ditiones hujuſmodi, quæ nobis indicent Eccleſiam, cujus uſui addicta ſunt. Extat in Vaticani Bibliotheca Miſſale ante nongentos annos conſcriptum, in cujus *Collecta* pro Miſſa de Sancto Martino hæc habentur: *ſummi Sacerdotis tui Patris noſtri Martini Epiſcopi*. Quod in cauſa fuit, ut ſuſpicaretur Bona, Miſſale hoc adhibitum fuiſſe in Eccleſia S. Martini Turouenſis, vel aliqua alia, ejus nomini dicata. Atque adeo novum non eſſet verba hæc *Congregatione ſancti Petri* ſignificare, *Miſſam* illam *Latinam* celebratam fuiſſe in Eccleſia D. Petro ſacra.

Hæc ſunt cogitata, quæ in animum induxi ſuper *Miſſa Latina*, quæ quidem non protuli tanquam argumenta concluſa, & Geometricas Demonſtrationes, ſed tantummodo tamquam conjecturas, quas auguratus ſum, ut præſtolarer ab eruditioribus lumina clariora, quibus rei huic ſplendor nitidior accederet, & robur firmius pro majori Eccleſiæ emolumento; cum auctoritate, atque antiquitate Liturgiæ hujus probe conſtituta, magna inde commoda haurire poſſemus pro Dogmatibus multis, inter nos, atque hæreticos controverſis.

Cul-

* Meminiſſe oportet, nunquam cautum fuiſſe Monachis canere Miſſam ſolemnem, & Miniſtros multos i ea adhibere, ut colligere poſſumus ex cap. 38 Regulæ S Benedicti; interdictio, de qua ſuperius, ſpectabat ad Miſſas ſolemnes, ad quas populus confluerer, quod pacem, & animos Monachorum a contemplatione evocaret.

Cultus Deiparæ, & Sanctorum perſpicue in ea continetur, tum etiam mos priſcus collocandi Martyrum Reliquias ſuper Altari Divinorum Myſteriorum: *coram teſtibus, ſcilicet omninm Sanctorum tuorum Reliquiis, & omnibus Sanctis tuis*. Sermo in ea fit de ſecreta peccatorum confeſſione, de precibus pro defunctis, de veritate Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti in Euchariſtia, deque aliis Myſteriis non paucis, & capitibus diſciplinæ primorum ſeculorum, quorum teſtimonia ex hac Liturgia deducta in medium produxi.

Quoniam autem Eccleſiæ ſenſa in Liturgiis publicis perſpicue reſerata ſunt, non eſt dubitandi locus de his, quæ ſentiret ſeculo IV. ſuper dogmatibus, quorum meminit in hac *Miſſa Latina*: & licet non indigeamus hujus Liturgiæ teſtimoniis ad res Religionis confirmandas, illis tamen majorem addere poſſunt auctoritatem eo magis, quo ad nos traducta fuit per Scriptorem hujuſmodi, qui adverſariis noſtris nullam ſuſpicionem excitare debet.

Si conſtare igitur certo poſſet, Miſſam hanc in more publico fuiſſe ſeculo IV., quod quidem impoſſibile omnino non eſt; tum elegantioribus Chriſtianæ antiquitatis monumentis annumeranda eſſet. Nihil in ea eſt, quod opinionem hanc non ſuffulciat. Nihil irrepſit adverſum Fidem, bonos mores; ſolidamque pietatem; immo quod primitivæ Eccleſiæ ſimplicitatem, & ſpiritum non redoleat. Undique temporum Apoſtolicorum gravitatem refert; ipſaque ſenſa, & verborum diſpoſitio, nihil habent in ſeſe, quod pietatem non exprimat.

In Collectis, atque Orationibus omnia tendunt ad ſubſidium divinum impetrandum, quo digne tantum myſterium recolatur. Dei attributa extolluntur, recolitur memoria beneficiorum ejus, & creaturæ paupertas ob oculos ponitur, ut ad gratias conferendas veluti commoveatur. Nil tandem in hac Liturgia legimus, quod optimum exemplum non præbeat, & ſingularia Majeſtatis, & miſericordiæ Divinæ, necnon infirmitatis noſtræ, errorumque immanitatis ingerat monimenta.

Quandoquidem autem rariſſima eſt Liturgia hæc, eam in parergo Operis hujus collocabimus, additis quibuſdam Adnotationibus pro enodatione multarum difficultatum de Liturgiis veteribus, quæ ad Sacrificii hujus celebrationem attinent.

De eadem Illyriciana Miſſa

Ex JOANNIS MABILLONII

LITURGIA GALLICANA Lib. I. Cap. 3. num. 4.

Quæ & qualis fuerit quandam Liturgia Gallicana; an ea, quæ a Matthia Illyrico edita eſt. Certæ ejus notæ; hæc integra tandem reperta.

4. MAtthias Flaccus Illyricus, Centuriatorum Magdeburgenſium Princeps, Miſſam Latinam ex veteri Codice vulgavit Argentinæ anno 1557. ſub hoc titulo: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam, circa ſeptingenteſimum Domini annum, in uſu fuit, bona fide ex vetuſto, authenticoque codice deſcripta*. Codicem non ſatis deſignat titulus: ſed ex variis orationibus, quæ ad oblationem in illa Miſſa referuntur, una ſic habet: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam pro Seniore noſtro, & cuncta congregatione Sancti Petri . . . . . offero*, & in alia paullo ante, *quam tibi offero pro me peccatore & noſtra Congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris*. Ex his conjicio, hunc librum fuiſſe ad uſum Monaſterii Sancti Petri Hornbacenſis in Diœceſi Metenſi, quæ *Congregatio Sancti Petri* ex Monaſterio *Hornbac* appellatur in titulo Epiſtolæ 113. inter Bonifacianas ad Riculfum Lulli Succeſſorem. Hæc obſervatio aliquanti momenti in conſequentibus erit.

5. Hujus Miſſæ ab Illyrico editæ varia fuit fortuna. Primo triumphos de ea egerunt Lutherani, quaſi Catholicis penitus adverſaretur. Ut hos triumphos reprimeret Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Ducis Albenſis inſtinctu, ejus lectione interdixit; eamdemque poſtea Sixtus V. in librorum prohibitorum claſſem redegit. Lutherani aperte tandem Miſſam Illyricianam Catholicis ſuffragari, ſibique adverſari intelligentes, illam ſupprimere modis omnibus ſtuduerunt. Catholici ex hac palinodia proficientes, ipſammet accuratius legerunt, laudarunt, comprobarunt, & ad afferenda Euchariſtiæ, Confeſſionis, & ſuffragiorum pro mortuis dogmata adhibuerunt: in primis quidem Guillelmus Peyratus, in libro ſecundo de Hiſtoria Capellæ Regum Franciæ cap. 13. eumque ſecutus Carolus Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum ad annum 601. ubi Miſſam Illyricianam a Lutheranis ſuppreſſam recudit, quod etiam præſtitit Cardinalis Bona in fine Operis ſui Liturgici.

6. Hanc vero in Occidente, præſertim in Gallia, & in Germania, antequam Romanus Ordo admiſſus eſſet, uſui fuiſſe opinari ſe dicit Illyricus in Epiſtola præliminari ad

Principem Palatinum. Peyratus ipſam pro antiqua Gallicana indubitanter agnovit, eidemque ſententiæ Cointius ſubſcripſit: ambo porro eam ad primam Regum Francorum ſtirpem revocant. Ex adverſo Menardus noſter in notis ad librum Sacramentorum, etſi antiquam eſſe concedit; quædam tamen in contrarium opponit, ſed quæ rem non evincunt. Miſſæ Illyricianæ ſimilem edidit Menardus ex Codice Corbejenſi Ratoldi ejus loci Abbatis, atque aliam Eminentiſſimus Cardinalis Bona in libro 1. Rerum Liturgicarum cap. 12., ubi Illyricianam negat veram eſſe veterem Gallicanam, cujus notas, indicia, & vera ſpecimina ibidem producit. Indicium unum eſt, illudque certum ex Gregorio Turonenſi Epiſcopo, in Miſſa Gallicana duas lectiones Evangelio præmitti ſolitas, unam ex veteri paſſim, alteram ex novo Teſtamento. Atqui in Illyriciana mentio fit unius Epiſtolæ. Deinde in hac Miſſa Illyriciana agitur de *Sequentia*, cujus origo ſeculum nonum haud excedit, Notkero Balbulo S. Galli Monacho forſan tribuenda. Præterea in Symbolo legitur additamentum *Filioque*, quod a Caroli Magni tempore exordium ducit. Ut in pauca rem conferam, Ordo ille Illyricianus Miſſam Pontificalem continet ſecundum Ritum Romanum, & quidem nihil fere aliud, quam orationes privatas ab Epiſcopo recitandas, dum chorus canendo occupatur. Nam poſt orationes, quæ cum ante Miſſam, tum ſumendo veſtes ſacras indicantur, multæ aliæ ſubduntur *donec cantentur verſus ad Introitum, & KYRIE ELEISON, & deinde carmen Angelorum*. Poſtea *finita Angelica laude, Miſſalem orationem dicat Sacerdos. Deinde lectio recitetur, & inter lectionem, & Evangelium, id eſt tempore Gradualis, & ALLELUJA, ac Sequentiæ, Epiſcopus dicat has orationes* &c. Multis interjectis, *quamdiu offertorium, & verſus canuntur, has dicat orationes &c.* Præfatione finita, *quando alii SANCTUS decantant, hæc oratio curſim dicenda eſt a Sacerdote* &c.. Deinde cum reverentia incipiat: *TE IGITUR* &c. qui Canon eſt Ordinis Romani, ad cujus ritum indubie omnes illius Miſſæ Illyricianæ orationes reſpiciunt.

In eamdem Miſſam Illyrianam

Ex D. EDMUNDI MARTENE

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ RITIBUS

Tom. I. Lib. I. Cap. IV. Art. 12.

Monitum ad Lectorem.

ANno Domini 1557. Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgenſium Princeps latinam ex veteri codice Miſſam vulgavit Argentinæ, cum hoc titulo: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam, circa ſeptingenteſimum Domini annum, in uſu fuit, bona fide, ex vetuſto, authenticoque Codice deſcripta*. Hæc ubi primum in lucem emiſſa eſt, quaſi catholicis penitus adverſaretur, triumphos de ea egerunt Lutherani: quibus permotus Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Ducis Albenſis inſtinctu, ejus lectione interdixit; eum denique poſtea Sixtus V. in librorum prohibitorum claſſem redegit. At proprios mox triumphos repreſſerunt ipſi Lutherani, cum apertis tandem oculis, agnoſcentes Miſſam Illyricianam catholicis ſuffragari, ſibique non parum adverſari intelligentes, illam ſupprimere modis omnibus ſtuduerunt. E contrario autem Catholici ex hac palinodia proficientes, ipſammet accuratius legerunt, laudarunt, comprobarunt, & ad aſſerenda Euchariſtiæ, confeſſionis, & ſuffragiorum pro mortuis dogmata adhibuerunt.

Hanc in Occidente, præſertim in Gallia, & Germania, antequam Romanus Ordo admiſſus eſſet, uſui fuiſſe opinari ſe dicit Illyricus in Epiſtola præliminari ad Principem Palatinum: Guillelmus Peyratius, cui ſubſcribit Carolus Cointius, eam pro antiqua Gallicana Liturgia indubitanter agnoſcit. Verum hanc opinionem quatuor argumentis, totidemque demonſtrationibus deſtruit Eminentiſſimus Cardinalis Bona. I. Quod in Gallicana Liturgia paſſiones Martyrum recitarentur. II. Quod eodem ritu celebraretur, atque Toletana ſeu Mozaraba. III. Quod prima in ea lectio de Prophetis, ſecunda ex Apoſtolis, tertia ex Evangelio deſumeretur. IV. Denique, quod ſilentium in ea Diaconus indiceret: quæ omnia in Miſſa Illyriana cum non compareant, pro antiqua Gallicana haberi nullatenus poteſt: immo poſt extinctam Gallicanam aliquanto poſt ſcriptam fuiſſe duo perſuadent. I. Quod *Sequentiæ*, cujus origo nonum ſeculum excedere non videtur, mentionem facit. II. Quod in Symbolo legitur additamentum *Filioque*, quod a Caroli Magni tempore exordium habet.

Eam autem ſcriptam fuiſſe ad uſum Monaſterii S. Petri Hornbacenſis in Diœceſi Metenſi, conjicit Mabillonius: conjecturam reperit ab una ex variis ad oblationem orationibus, in qua Sacerdos celebrans offert *pro Seniore noſtro, & cuncta Congregatione S. Petri*; & in alia *pro noſtræ Congregationis ſalu-*

te, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris. Et revera præfatum Cœnobium *Congregatio S. Petri* ex Monaſterio *Hornbac* appellatur in titulo Epiſtolæ 113. inter Bonifacianas ad Riculfum Lulli ſucceſſorem. Hanc conjecturam etſi non rejiciam, longe mihi probabilius videtur Miſſam Illyricianam ad uſum Salisburgenſis Eccleſiæ, quæ S. Petro dicata eſt, & Benedictinis inſtitutis ab initio paruit: unde *Congregatio S. Petri* merito appellari potuit: a qua cum haud longe eſſet virginum monaſterium a S. Ruperto, qui eandem Eccleſiam conſtruxerat, fundatum; recte omnino offerri potuit *pro noſtræ Congregationis ſalute, & pro omnibus in Chriſto fratribus, & ſororibus noſtris*. Opinionem hanc noſtram confirmat vetus Pontificale Salisburgenſe MS. ante annos 600. exaratum, in quo eadem Miſſa compendio redacta continetur: id quod vitandæ prolixitatis cauſa ſubſecutis temporibus factum eſſe nemo non videt. Jam vero ſi quis Miſſam Illyrianam cum Gallicana, & Mozaraba a nobis modo relata conferat; eam ab illis omnino diverſam eſſe facile deprehendat: imo nec in Galliis ante receptum Ordinem Romanum invectam; ſed eſſe ipſiſſimam Liturgiam Romanam variis orationibus, a Sacerdote, dum chorus cantat, recitandis, interpolatam prorſus demonſtrabunt aliæ, quas ex variis eiſque antiquis codicibus ſubjiciemus, Miſſæ.

Quoad eadem Miſſa Illyriciana

Ex P. CAJETANI MARIÆ MERATI

Tom. I. Par. I. in Rubric. Gener. Comment., & Obſerv. Prælim.

Ad Sacrum Rituum Theſaurum D. Bartholomæi Gavanti Nota XXXI.

Miſſa Illyriciana eſt illa, quam Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgenſium Princeps, & rigidorum Lutheranorum errorum ſorde inquinatus, in antiquo Codice MS. ſe reperiſſe tradit, eamque prælo commiſit Argentinæ, anno 1557. ſub hoc titulo: *Miſſa Latina, quæ olim ante Romanam circa 700. Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto, authenticoque Codice deſcripta*. Sed titulus mentitur; eſt enim ipſammet Miſſa Romana, ſed mutila & variis orationibus interpolata. Mutilam dixi, quia in ea deſiderantur Introitus, Collectæ, Epiſtola, Graduale, Evangelium, Offertorium &c. Unde falſum eſt, quod ipſemet Illyricus opinatur in Epiſtola præliminari ad Principem Palatinum Rheni, nempe, eam Liturgiam in uſu fuiſſe in Occidente, præſertim in Gallia, & in Germania, antequam Romana Miſſandi ratio ubique recepta eſſet. Hujus Miſſæ ab Illyrico editæ varia fuit fortuna. Primo enim triumphos de ea egerunt Lutherani, quaſi per ipſam catholica dogmata evellerentur: unde Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ut bacchantium Hæreticorum ſubſannationes reprimeret, ejus lectionem interdixit, & a Sac. Congregatione pariter in odium præſertim improbi editoris, qui perverſo animo Eccleſiæ Catholicæ nocendi, eam evulgaverat, ejus lectio prohibita fuit. Verum Lutherani videntes tandem Miſſam Illyricianam catholicis dogmatibus favere, ſuiſque erroribus adverſari, omnem impenderunt operam, ut illam ſupprimerent. Tunc Catholici proficientes ex hac Hæreticorum palinodia, eandem Liturgiam attentius perluſtrarunt, eamque ad confirmanda Euchariſtiæ, Confeſſionis, & ſuffragiorum pro mortuis dogmata, perutilem invenerunt; & idcirco Catholicæ Eccleſiæ rem facere arbitrati ſunt, ſi Miſſam Illyricianam a Lutheranis ſuppreſſam iterum typis committerent, ſicut fecerunt Carolus la Cointe in tom. 2. *ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum Francorum ad annum* 601. *num.* 20. cum variis notis, & obſervationibus, necnon Card. Bona in calce ſui præclariſſimi operis de Rebus Liturgicis; & denique Edmundus Martene in *lib.* 1. *de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap.* 4. *art.* 12. De hac Liturgia egregie tractat max. laudatus Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. *& ſeqq.* ubi diſcurrit de ejuſdem Miſſæ antiquitate, uſu, & auctoritate. Sermonem pariter eruditum ſuper eadem Liturgia inſtituunt Grancolas *de antiquis Liturgiis p.* 360. Martene *loco citato pag.* 481., & Mabillon. *lib.* 1. *de Liturgia Gallicana cap.* 5.

APPENDIX

Ex LUDOVICI ANTONII MURATORII

LITURGIA ROMANA VETERI

Tom. I. Cap. VII. Diſſertationum ejus. De Rebus Liturgicis col. 86.

Ritus quotidianæ Miſſæ, expreſſi ex Codice Mutinenſis Eccleſiæ ante annos ſexcentos ſcripto.

„ I*Ncipit Ordo, qualiter Epiſcopus, vel Preſbyter ad Miſſam ſe debeat præparare. In primis cantet per ſe, & per circumſtantes Pſalmos iſtos cum Litaniis, & Antiphona*: Sanctifica nos, Domine. *Pſalm.* Quam dilecta. *Pſalm.* Benedixiſti. *Pſalm.* Inclina. *Pſalm.* Credidi *cum* Pater noſter, & precibus his. CAP. Exurge, Domine, adjuva. *Reſp.* Et libera. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos. *Reſp.* Quemadmodum. Deus, tu converſus vivificabis nos. *Reſp.* Et plebs tua letabitur. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. *Reſp.* Et ſalutare tuum. Ab occultis meis munda me, Domine. *Reſp.* Et ab alienis. Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine. *Reſp.* Quia non juſtificabitur. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. *Reſp.* Et Sancti tui exultent.

Et tunc exuat ſe quotidianam tunicam, dicens:

„ Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus ſuis, & indue me novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.

Ad manus lavandum.

„ Ablue, Domine, manus meas, & cor meum, quatenus templum ſancti Spiritus effici merear.

Ad Ephot dicat:

„ Dona, Domine, galeam ſalutis in capite meo, ad expugnandas, & ſuperandas omnes diabolicas fraudes.

Ad Albam.

„ Indue me, Domine, veſtimento ſalutis, & tunica lætitiæ & caſtitatis ac continentiæ circumda me ſemper.

Ad Cingulum.

„ Præcinge, Domine, lumbos meos, & circumcide omnia vitia cordis & corporis mei cum cuſtodia mentis meæ.

Ad Stolam.

„ Circumda, Domine, cervicem meam ſtola juſtitiæ, & ab omni corruptione purifica mentem meam.

Ad Caſulam.

„ Indue me, Domine, lorica Fidei, & galea ſalutis, & perfecta charitate reple cor meum,

Ad Manipulum.

„ Da, Domine, manibus meis manipulum ad extergendas ſordes a corde & corpore meo, ut ſine pollutione valeam nomen tuum laudare & benedicere in ſecula ſeculorum. Amen.

Et cum paratus fuerit, dicat.

„ Fac me, quæſo, omnipotens Deus, ita juſtitia indui, ut Sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum, conſortium adipiſcar tibi placentium Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus exuas, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat. Per &c.

Alia Oratio.

„ Rogo te, altiſſime Deus Sabaoth, Pater Sancte, ut me tunica caſtitatis digneris accingere, & meos lumbos balteo tui amoris ambire, ac renes cordis mei tuæ charitatis igne urere, ut pro peccatis meis poſſim intercedere, & adſtantis populi veniam promereri, ac pacificas hoſtias ſingulorum immolare. Me quoque audacter accedentem non ſinas perire, ſed dignare lavare, ornare, & leniter ſuſcipere.

Hac dicta, ingreſſio ſit ad Altare, incipiendo ita:

„ *Antiphona.* Introibo.

„ Judica me, Deus.

Cum autem pervenerit ante Altare, dicat humiliter inclinato vultu.

„ Pone, Domine, cuſtodiam ori meo.

„ *Reſp.* Et oſtium circumſtantiæ.

Et agat, ut mos eſt Confeſſionem. Peracta vero Confeſſione dicat:

„ Deus, vitam meam annuntiavi tibi.

„ *Reſp.* Poſuiſti lacrymas.

„ Delictum meum cognitum tibi feci.

„ *Reſp.* Et injuſtitiam.

„ Dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.

„ *Reſp.* Et tu remiſiſti.

„ Pro hac orabit ad te omnis Sanctus.

„ *Reſp.* In tempore opportuno.

„ Domine exaudi orationem meam.

„ *Reſp.* Et clamor.

„ Auſer a nobis quæſumus, Domine, intercedentibus iſtis, & omnibus Sanctis tuis, cunctas iniquitates, ut ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per &c.

Cum autem ſe erexerit, mittat incenſum in thuribulum, dicens:

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti benedicatur incenſum iſtud, & ac-

ceptabile

„ ceptabile ſiat in odorem ſuavitatis.

Tunc ſumat de eo, & oſculetur Evangelium, ut jubet Romanus. Deinde procedens paululum prope Altare, inclinatus dicat hanc Orationem.

„ Domine Jeſu Chriſte, mundi Redem-
„ ptor, propitius eſto mihi peccatori, om-
„ nibuſque modis in peccato jacenti: quia
„ tu ſolus, Domine, Deus noſter immor-
„ talis es, & ſine peccato. Indulge mihi
„ miſero præſumenti accedere ad ſanctum
„ Altare tuum, & invocare te: quia pec-
„ cavi ab infantia mea uſque nunc coram te,
„ & coram Angelis, & omnibus Sanctis tuis.
„ Sed per illorum interceſſionem tribue mi-
„ hi divinam clementiam, & veniam deli-
„ ctorum meorum, & doce me facere volun-
„ tatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui
„ vivis & regnas.

Deinde erigat ſe, & oſculetur Altare, & dicat hanc Orationem.

„ Domine Deus omnipotens, qui es ma-
„ gnus & admirabilis Dominus, qui donaſti
„ nobis introitum in ſancta ſanctorum, pro-
„ pter Incarnationem Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, unigeniti Filii tui, obſecramus &
„ petimus benignitatem tuam, & propterea
„ in timore ſumus, & tremore, volentes
„ aſſiſtere ante ſanctum, & glorioſum Alta-
„ re tuum. Emitte ſuper nos donum Spi-
„ ritus Sancti tui, & renova animas noſtras,
„ & corpora, ut mundo corde offeramus ti-
„ bi Sacrificium in remiſſionem peccatorum
„ noſtrorum, & omnium populorum tuo-
„ rum, qui gratia tua, & miſericordia
„ Chriſti tui ſunt redempti. Qui tecum vi-
„ vit &c.

Tunc dicat Gloria in excelſis Deo, *ſi adeſt tempus.*

Et eo plane finito, dicat hanc Orationem.

„ Ante conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ,
„ Deus, reus aſſiſto, qui invocare nomen
„ ſanctum tuum præſumo. Miſerere, Domi-
„ mine, mihi homini peccatori. Ignoſce in-
„ digno Sacerdoti, per cujus manus hæc ob-
„ latio videtur offerri. Parce peccatorum la-
„ be, præ ceteris capitalium, polluto, &
„ non intres in judicium cum ſervo tuo,
„ quia non juſtificabitur in conſpectu tuo om-
„ nis vivens. Et licet vitiis & voluptatibus
„ carnis aggravati ſimus, Deus, tamen re-
„ cordare, quod caro ſumus. In tuo con-
„ ſpectu etiam cæli non ſunt mundi: quan-
„ to magis nos homines terreni, immundi
„ ſicut pannus menſtruatus? Indigni ſumus,
„ Domine Jeſu Chriſte, ut ſimus viventes,
„ ſed tu, qui non vis mortem peccatoris, da
„ nobis veniam in carne conſtitutis, ut per
„ pœnitentiæ labores vita æterna perfrui me-
„ reamur in cælis. Per te, Chriſte Jeſu.

Alia Oratio.

„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui me
„ peccatorem ſacris Altaribus adſtare volui-
„ ſti, & ſancti nominis tui laudare poten-
„ tiam: concede quæſumus, per hujus Sa-
„ cramenti myſterium meorum mihi veniam
„ peccatorum, ut tuæ majeſtati digne mini-
„ ſtrare merear. Per &c.

Deinde cum Evangelium oſculatur, dicat:

„ Pax Chriſti, quam nobis per Evange-
„ lium ſuum tradidit, confirmet & conſer-
„ vet corda & corpora noſtra in vitam æter-
„ nam. Amen.

Et cum incenſum, antequam Evangelium legatur, in thuribulum mittit, dicat:

„ Odore cæleſtis inſpirationis ſuæ Domi-
„ nus accendat & impleat corda noſtra, ad
„ audienda, & implenda Evangelii ſui præ-
„ cepta. Qui vivit.

Deinde inclinato Diacono, benedictionem petenti, ſignum Crucis faciendo, dicat:

„ Dominus ſit in corde tuo & in labiis
„ tuis, ut nunties competenter Evangelium
„ pacis.

Item Benedictio.

„ Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spi-
„ ritus Sancti deſcendat ſuper te, & aperiat
„ os tuum, ad digne idoneeque pronuntian-
„ dum Evangelium ſuum.

Diaconus dicat:

„ Conforta me, Rex Sanctorum princi-
„ patum tenens, & da ſermonem rectum,
„ & bene ſonantem in os meum.

Poſt lecto Evangelio, dicat:

„ Per iſtos ſanctos ſermones Evangelii Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti, indulgeat nobis
„ univerſa delicta noſtra.

Et calice ſibi a Diacono cum oblata dato, dicat Diaconus.

„ Tibi Domino Creatori meo hoſtiam of-
„ ſero pro remiſſione omnium peccatorum
„ meorum, cunctorumque Fidelium tuorum.

Et Sacerdos, oblationem accipiens, dicat:

„ Domine Jeſu Chriſte, qui in Cruce
„ paſſionis tuæ de latere tuo, unde tibi Ec-
„ cleſiam conſecrares, ſanguinem manare
„ voluiſti: ſuſcipe hoc ſacrificium, quod ti-
„ bi offert famulus tuus, & concede cle-
„ mentiſſime, ut pro redemptione noſtra,
„ & totius mundi in conſpectu divinæ Ma-
„ jeſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat.

Tunc Diaconus libamen in calice offerens, dicat:

„ Acceptum ſit omnipotenti Deo ſacrifi-
„ cium iſtud.

Et cum Sacerdos id ipſum offert, dicat:

„ Suſcipe, clementiſſime Pater, hoſtias
„ placationis, & laudis, quas tibi offero in-
„ dignus famulus tuus, ad gloriam, & ho-
„ norem nominis tui, ut vivis proſit ad ve-
„ niam, & cunctis fidelibus defunctis ad in-
„ dulgentiam; & me indulgentiam quæren-
„ tem placatus reſpice. Qui vivis &c.

Deinde poſitum Sacrificium, benedicat his verbis, Crucem faciendo:

„ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus
„ Sancti, ſit ſignatum, & conſecratum, &
„ benedictum hoc Sacrificium.

Super Oblatam.

„ Sanctifica quæſumus, Domine, hanc ob-
„ lationem, ut nobis Unigeniti tui Corpus
„ fiat.

Super Calicem.

„ Sanctifica quæſumus, Domine, & hunc
„ Calicem, ut nobis Unigeniti tui Sanguis fiat.

Tunc

Tunc mittat incenſum in thuribulum, dicens:

„ Per interceſſionem Sancti Gabrielis Ar-
„ changeli ſtantis a dextris Altaris incenſi,
„ & omnium electorum ſuorum, Dominus
„ dignetur incenſum iſtud benedicere, & in
„ odorem ſuavitatis accipere.

Et cum vaporem emiſerit, dicat:

„ Incenſum iſtud a te benedictum aſcen-
„ dat ad te, Domine, & deſcendat ſuper
„ nos miſericordia tua.

Item.

„ Dirigatur Oratio mea, ſicut incenſum
„ conſpectu tuo.

Cum incenſum offertur ſingulis, dicatur.

„ Accendat in nobis, Dominus, ignem
„ ſui amoris, & flammam æternæ caritatis.

Ad offerenda munera.

„ Suſcipe, Sancta Trinitas, hanc oblatio-
„ nem, quam tibi offerimus in memoriam
„ Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Re-
„ ſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti, & in honorem perpetuæ Vir-
„ ginis Mariæ, atque omnium electorum tuo-
„ rum, quæ tibi placuerunt ab initio mun-
„ di, ut omnibus proficiat ad honorem, nobis
„ autem ad ſalutem, & illi omnes pro nobis
„ intercedere dignentur in cælis, quorum me-
„ moriam facimus in terris. Per eumdem·

Pro Defunctis.

„ Suſcipe, ſancta Trinitas, hanc oblatio-
„ nem, quam tibi offero pro animabus fa-
„ mulorum, famularumque tuarum, ut eis
„ requiem æternam donare digneris in nume-
„ ro electorum tuorum, ut in illorum con-
„ ſortio vita perfruantur æterna. Per Chri-
„ ſtum.

Poſtea vertat ſe, deoſculetur Altare, & dicat:

„ Orate pro me peccatore, fratres ac ſo-
„ rores, ut meum, ac veſtrum Sacrificium
„ acceptum fiat omnipotenti Deo ante con-
„ ſpectum ſuum.

Et reſpondetur a circumſtantibus.

„ Orent pro te omnes Sancti, & Electi
„ Dei, & exaudiat te Dominus orantem pro
„ noſtrum omnium ſalute, & memor ſit
„ omnis Sacrificii tui. Et immola Deo Sa-
„ crificium laudis, & miſereatur tui omni-
„ potens Deus, & dimittat tibi omnia pec-
„ cata tua. Dominus Deus ſit in corde tuo,
„ & in ore tuo, & ſuſcipiat Sacrificium ſi-
„ bi acceptum de manibus tuis, pro noſtra
„ & omnium ſalute.

Et poſtea dicant hos Pſalmos.

„ Exaudiat te. *Pſalm.* Ad te levavi. *Pſal.*
„ Miſerere mei Deus ſecundum. *Pſal.* Deus
„ refugium. *Pſalm.* Qui habitat. *Pſalm.* Ad
„ Dominum cum tribularer: *Canticum Gra-*
„ *duum uſque* qui fecit cælum & terram. Ky-
„ rie eleiſon, *cum* Pater noſter, *cum preci-*
„ *bus his*:

„ Salvum fac ſervum tuum.
„ *Reſp.* Deus meus.
„ Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei.
„ *Reſp.* Et voluntatem
„ Vitam petiit a te, & tribuiſti ei.
„ *Reſp.* Longitudinem.
„ Oculi Domini ſuper juſtos.
„ *Reſp.* Et aures ejus.
„ Fiat voluntas tua ſuper nos.
„ *Reſp.* Quemadmodum.
„ Exurge, Domine, adjuva nos.
„ *Reſp.* Et libera.
„ Domine exaudi orationem meam.
„ *Reſp.* Et clamor.

Collecta pro Sacerdote.

„ Gaudeat, Domine, famulus tuus bene-
„ ficiis impetratis, & cui fiduciam ſperandæ
„ pietatis tribuiſti, optatæ miſericordiæ præ-
„ ſta benignus effectum. Per.

Collecta pro omnibus.

„ Precibus noſtris quæſumus, Domine,
„ aures tuæ pietatis accommoda, & oratio-
„ nes ſupplicum, occultorum cognitor, be-
„ nignus exaudi, ut te largiente ad vitam per-
„ veniamus ſempiternam. Per.

Symbolum Apoſtolorum.

„ Credo in unum Deum, Patrem omni-
„ potentem.

Sequuntur Præfationes (1).

Sequitur Canon (2).

„ Te igitur &c.

Hic te inclina aliquantulum.

„ Hanc igitur oblationem &c. Corpus ✠
„ & Sanguis ✠ fiat dilectiſſimi Filii tui Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti.

Hic accipit oblatam de Altari.

„ Qui pridie quam pateretur &c. Benedi-
„ xit ✠ fregit, dedit Diſcipulis, dicens: Ac-
„ cipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc
„ eſt enim Corpus meum.

Hic accipit Calicem.

„ Simili modo poſtea quam cœnatum eſt.
„ &c. *ut in conſueto Canone.*

Antequam miſceatur Corpus cum Sanguine.

„ Hæc ſacroſancta commixtio Corporis &
„ Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat
„ omnibus ſumentibus ſalus mentis & cor-
„ poris, & ad æternam vitam capeſcendam
„ præparatio ſalutaris. Per eumdem.

Hic oſculetur aram Sacerdos, dicens:

„ Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apo-
„ ſtolis tuis &c.

Deinde pacem dicat.

„ Habete vinculum charitatis & pacis, ut
„ apti ſitis ſacroſanctis myſteriis.

Cæteri invicem dicant.

„ Pax Chriſti, & Eccleſiæ abundet in
„ cordibus noſtris. Amen.

Ante Communionem, dicat.

„ Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi &c.

Deinde Panem manu tenendo, dicat:

„ Panem cæleſtem accipiam, & nomen
„ Domini invocabo.

(1) Ideſt Præfationes *In Nativitate Domini. In Epiphania Domini. Per totam Quadrageſimam. In Reſurrectione Domini. In Aſcenſione Domini. In Penlecoſte. De Sancta Cruce. De Apoſtoliis. In Aſſumptione Sanctæ Mariæ. In honore Sanctæ Trinitatis.* Tum una Præfatio reliquis diebus uſitata, uti in editis. Ante poſtremam Præfationem occurrit imago Salvatoris, manu librum tenentus. Poſt illam viſitur altera Imago ejuſdem e Cruce pendentis. *Alia*
Utramque, aut unam ſaltem oſculari mos fuit. Aliquantum coloris oſcula data deterſerunt.

(2) Canon procedit, ut in editis. Ibi legitur „ Una „ cum famulo tuo Papa noſtro [illo] & Rege „ noſtro, & Antiſtite noſtro (illo) &c. Coſmæ „ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, „ necnon & illorum, quorum hodie ſolemnita- „ tis in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus. Quorum meritis, precibuſque &c.

Alia.

„ Domine, non ſum dignus, ut intres ſub „ tectum meum, ſed tantum dic verbo, & „ ſanabitur puer meus.

Cum Corpus accipit, dicat:

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit mi- „ hi ad remedium ſempiternum in vitam æter- „ nam. Amen.

Suſcipiendo Calicem, dicat:

„ Quid retribuam Domino &c.

Sumendo Calicem, dicat:

„ Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti cu- „ ſtodiat me in vitam æternam.

Poſt Corpus, & Sanguinem acceptum, dicat:

„ Corpus Domini mei Jeſu Chriſti, quod „ accepi, & Sanguis ejus, quo potatus ſum, „ adhæreat viſceribus meis, & præſtet, ut „ ibi nulla remaneat peccati macula, ubi „ ejus introierunt Sacramenta. Qui cum Pa- „ tre &c. (3).

Et cum aliis dederit, dicat.

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti con- „ ſervet animam tuam in vitam æternam. „ Amen.

Item alia.

„ Perceptio Sanguinis Domini noſtri Jeſu „ Chriſti conſervet animam tuam in vitam „ æternam. Amen.

Poſtcommunio.

„ Læti, Domine, ſumpſimus Sacramenta „ cæleſtia. Intercedente Beata Dei Genitri- „ ce ſemper Virgine Maria, cum omnibus „ Sanctis tuis, ad vitam nobis proficiant ſem- „ piternam. Per eumdem.

Item dicat:

„ Ite Miſſa eſt.

Finita Miſſa oſculetur Altare, & dicat:

„ Meritis, & interceſſionibus Beatiſſimæ „ Mariæ ſemper Virginis, & omnium San- „ ctorum, miſereatur noſtri omnipotens Deus. „ Qui vivit &c.

Poſtea rediens ad Sacrarium, dicat.

„ Benedicite omnia opera Domini Domi- „ no &c.

(3) Quantæ antiquitatis ſit hujuſmodi Oratio, quæ adhuc in Liturgia Romana quotidie reperitur, habes ex Miſſali Gothico ante annum Chriſti DCCC. uſurpato. Ibi ad Miſſam Dominicalem hæc *Poſt-Commun.* legitur: *Corpus tuum, Domine, quod accepimus, & Calicem tuum, quem potavimus, hæreat in viſceribus noſtris: præſta, Deus omnipotens, ut non remaneat macula, ubi pura, & ſancta intraverunt Sacramenta. Per.*

S U M M A

Rubricarum generalium Miſſalis Auguſtani, maxime in quo differunt a Ritu Romano.

IN Dominicis a feſto Paſchæ uſque ad Aſcenſionem in choro dicitur Miſſa Capitularis diei Paſchæ, & Miſſa Parochiæ dicitur de Dominica.

Quando in Dominica ſit Officium de feſto vel octava, Miſſa Capitularis dicitur de feſto, vel octava, & Parochialis de Dominica, niſi feſtum ſit ſolemne.

In Miſſa ſolemni, antequam Celebrans aſcendat ad Altare, Subdiaconus præbet illi textum Evangelii oſculandum.

In eadem Miſſa, loco *Kyrie* conſueti cantantur aliquando Sequent. Kyrie fons bonitatis, pater ingenite &c. Cunctipotens Dominator Cæli, & Angelorum &c.

In feſtis ſolemnibus B. M. V.

Cunctipotens genitor Deus omnium Creator eleiſon &c.

Rex Virginum amator, Deus Mariæ Deus eleiſon &c.

In eiſdem feſtis B. M. Hymnus *Gloria in excelſis* cantatur ſemper cum aliquibus additamentis, ut in ritu Lugdunenſi.

Poſt Hymnum prædictum Subdiaconus ferens præ manibus textum plicatum, vadit ad ambonem cantaturus Epiſtolam, & ſi non cantetur *Gloria in excelſis*, hoc ſtatim fit poſt Confeſſionem. Lecta Epiſtola redit Subdiaconus ad Altare tradens textum Diacono, & de manu Acolythi accipiens pulvinar; deinde pergit rurſus ad ambonem cum Diacono ibidem Evangelium cantaturo, qui Diaconus finito Evangelio revertitur cum textu aperto, & præbet deoſculandum; 1. Reverendiſſimo Epiſcopo (ſi adſit), deinde Celebranti, poſtea de manu Diaconi textum aſſumit Subdiaconus, & primo Canonicis paratis, exinde aliis miniſtrat oſculandum, dicendo ſingulis: *Hæc verba Dei vera ſunt*, cui reſpondetur: *Credo*.

Quoad Orationes in Miſſis tam privatis, quam aliis poſſunt dici pari, vel impari numero, modo non excedant ſeptennarium.

In Miſſis ſolemnibus, quæ dicuntur in proprio Altari alicujus Sancti ſuo die feſto, licet non ſit ſolemne, dicitur una tantum Oratio.

In Miſſis de Sancto Spiritu, & de Domina, quæ quandoque dicuntur in depoſitione 7. 30., & Anniverſario Defuncti dicitur Graduale cum ſuo verſu, deinde repetitur Graduale. In Dominicis, & feſtis ſimplicibus poſt Graduale, & ſuum verſum dicitur unum *Alleluja*, & deinde verſus, & poſt verſum repetitur *Alleluja*. In feſtis duplicibus majoribus poſt Graduale dicuntur duo *Alleluja*, & deinde verſus, & poſt verſum unum *Alleluja*; & deinde proſa, ſi aliqua habeatur. Eſt tamen in arbitrio Sacerdotis dicere proſam, vel non.

A Septuageſima uſque ad Sabbatum Sanctum in Miſſis de Feria,

&

& Vigilia, exceptis Feria v., & vi., & Sabbato a capite jejunii repetitur Graduale.

Tempore Paſchali in Miſſis de Feria poſt Epiſtolam dicitur ante & poſt verſum unum *Alleluja*. In Dominicis & feſtis ſimplicibus dicuntur duo verſus, & ante primum, & ſecundum, necnon poſt ſecundum unum *Alleluja*. In feſtis duplicibus majoribus ante primum, & ſecundum verſum, dicuntur duo *alleluja*, & poſt ſecundum verſum, unum. In dictis feſtis 1. verſus ſumitur ex Dominica præcedenti, & dicitur ℣. *Paſchalis*.

Duo Cantores Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Urſi (quæ tenetur adeſſe omnibus Miſſis Pontificalibus) parati cantant in eiſdem Miſſis Graduale ſuper ambonem.

Si ſit concionandum, Concionator finito offertorio prædicat.

Dum Sacerdos dicit *Orate fratres*, Diaconus, & Subdiaconus ſtantes in plano hinc, & inde reſpondent inclinati *Suſcipiat* &c.

Cum incipitur Præfatio Subdiaconus genuflectit in infimo Altaris, & Diaconus tradit ei patenam, quam velo operit, & Subdiaconus ſtans retro poſt Diaconum ſic eam tenet elevatam uſque prope finem Præfationis; tunc enim circulo circa Altare facto, eam remittit Diacono, qui eam reponit ſuper Altare.

Cum dicitur *Sanctus*, Diaconus & Subdiaconus aſcendunt ad Altare, ubi cum Celebrante manent uſque ad finem Canonis.

Ubi Sacerdos dicit *qui pridie*, genuflectunt in eodem loco hinc & inde, & Diaconus diſcooperit calicem, cum oportet.

Subdiaconus vero ſervit a parte libri: & cum Sacramentum elevatur, uterque elevat fimbriam planetæ, facta elevatione, ſurgit uterque, & iterum poſt hæc verba: *Sanctificas*, *vivificas* &c. genuflectit uterque elevando etiam fimbriam planetæ uſque ad *Per omnia ſecula*, ubi ſurgunt, & recedunt.

Ubi Celebrans incipit Orationem Dominicam, Subdiaconus aſcendit ad Altare, & accepta patena de Altari tradit eam Diacono, qui tenet eam velo ſubpoſito diſcoopertam, & elevatam retro Sacerdotem, uſque ad *dimitte nobis*, tunc aſcendit ad Altare.

Dum Celebrans ſe communicat, Diaconus, & Subdiaconus ſtant profunde inclinati verſus Altare in plano Altaris.

Dicto *Placeat* datur Benedictio etiam in Miſſis pro Defunctis, ſive Miſſæ pro illis ſint privatæ, ſive ſolemnes.

Poſt Benedictionem in Miſſis Capitularibus, vel Parochialibus, Sacerdos genuflexus ante Altare, incipit Antiphonam: *Ave Regina Cælorum*, *Mater Regis Angelorum* &c. vel *Regina Cæli* pro temporis varietate, qua finita dicit ℣. & Orationem convenientem. In Miſſis, quæ cantantur pro Defunctis, poſt benedictionem immediate cantatur *Libera me*: niſi in die obitus corpore præſente. In aliis Miſſis, & etiam in Miſſis votivis, quæ cantantur, poſt benedictionem dicitur Evangelium Sancti Joannis *In principio*; quando tamen ſit de feſto in aliqua Dominica, vel Feria, quæ habet Evangelium proprium, tunc dicitur Evangelium Feriæ, vel Dominicæ.

S U M M A

Rubricarum particularium Miſſalis Auguſtani.

EVangelium primæ Dominicæ Adventus eſt, *Cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis* &c.

Evangelium ſecundæ, *Erunt ſigna in ſole, & luna* &c.

Evangelium tertiæ, *Cum audiſſet Joannes in vinculis* &c.

Evangelium quartæ, *Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes* &c.

In Miſſa Vigiliæ Nativitatis Domini, & in tribus Miſſis feſti Nativitatis ejuſdem immediate ante Epiſtolam legitur Prophetia.

Prophetia Miſſæ mediæ noctis canitur a duobus Subdiaconis, quorum unus cantat ipſa Scriptoris ſacri verba, alter de Jeſu Chriſto Domino noſtro ea explanat; dicitur gallice hæc Prophetia, *Prophetie Farcie.*

In eadem Miſſa ſolemni, dicta Communione, Celebrans incipit laudes, dicens ℣. *Benedictus qui venit* &c. ſine *alleluja*. Poſtea *Deus in adjutorium* &c. & Chorus proſequitur laudes. Celebrans dicit Capitulum: *Ubi venit plenitudo* &c. & incipit antiphonam ad *Benedictus*. Et poſt *Benedictus*, dicta antiphona, dicit Poſtcommunionem. Loco *Ite Miſſa eſt*, dicitur, *Verbum Patris hodie proceſſit de Virgine, virtutes Angelicæ cum canoro jubilo, benedicamus Domino, alleluja.* Chorus reſpondet: *Pacem bonis omnibus nuntiavit Angelus, refulſit Paſtoribus veri ſolis claritas; dicant omnes gratias, alleluja.*

In Miſſa Sanctorum Innocentium non dicitur *Gloria Patri.*, nec *Gloria in excelſis*, nec *Alleluja*, nec *Agnus Dei*, etſi hoc feſtum venerit in Dominica, ſed in octava ſemper dicuntur.

Poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis Epiphaniæ Domini annuntiat Diaconus ſub tono lectionum diem Paſchæ his verbis: *Fratres chariſſimi annuntio vobis diem Paſchæ hoc anno* (1740.) decimoquinto Kalendas Maii, hoc eſt, 17. Aprilis eſſe celebrandum.

Ab octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam Paſſionis, quando fit de Dominica, dicitur Præfatio de Trinitate.

A Dominica Septuageſimæ non dicitur *Gloria in excelſis* uſque ad Paſcha, etſi fiat de feſto, exceptis tamen Feria quinta in Cœna Domini, quando Epiſcopus conficit Chriſma, & Sabbato Sancto.

Benedictio Cinerum differt a Ritu Romano. Celebrans, vel Epiſcopus incipit benedictionem, dicens alta voce verſus ad Altare in cornu Epiſtolæ *Dominus vobiſcum*; deinde Oratio: *Deus, qui non mortem*: Poſtea antiphona, *Exaudi nos*, cum ſuo verſu ſine *Gloria Patri*. Oremus, *Flectamus genua*: Oratio, *Concede nobis Domine*; Antiphona, *Juxta veſtibulum*: Oremus, *Flectamus genua*: Oratio, *Exaudi gemitum populi tui ſupplicantis*. Sequitur antiphona: *Immutemur habitu*. Oremus: *Flectamus genua*: Oratio: *Deus, qui juſte iraſceris*; Deinde dantur Cineres, dicendo ſingulis: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.*

Datis cineribus; Oratio: *Deus, qui humiliatione flecteris.*

In Miſſa Capitulari, vel Parochiali Dominicæ Paſſionis, Celebrans antequam ſumat Corpus Chriſti, accipiat Hoſtiam in manu dextra, & teneat ſuper calicem, quem accipiat in manu ſiniſtra, & elevan-

do

do totum incipiat communionem, cantando: *Hoc Corpus, quod pro vobis tradetur. Hic Calix*, chorus proſequitur, *novi Teſtamenti eſt in meo ſanguine* &c.; & idem ſervari debet Sabbato poſt Dominicam Paſſionis.

Dominica in Ramis Palmarum, finita Nona, Proceſſio Eccleſiæ Cathedralis pergit ad Eccleſiam Collegiatam Sanctorum Petri, & Urſi, & ibi primo Diaconus cantat Evangelium: *Cum appropinquaſſet* &c. Deinde Celebrans benedicit Palmas tribus ſequentibus orationibus: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui in diluvii effuſione* &c. *Deus, qui filium tuum unigenitum pro redemptione noſtra* &c. *Deus, qui diſperſa congregas* &c. ſequitur Præfatio. *Vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, mundi Creator, & Redemptor, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor* &c. Cantores canunt antiphonas: *Pueri Hebræorum*. Deinde orationes ſequentes dicit Celebrans: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum die azymorum* &c. *Petimus Domine Sancte Pater* &c. Poſtea rami aſperguntur aqua benedicta. Proceſſio revertitur in civitatem cantando antiphonam, *Cum approfinquaret* &c.

Cum proceſſio pervenit non longe a porta Civitatis, Cantores incipiunt: *Gloria, laus, & honor* &c. quibus muſici, qui in turre juxta fores ſita ſunt collocati, alternatim reſpondent.

In introitu Civitatis dicitur ℣. *Benedic Domine Civitatem iſtam.*

℟. *Quam ædificavi nomini tuo.*

Oratio. *Omnipotens Deus, ædificator, & cuſtos Jeruſalem Civitatis ſupernæ, cuſtodi iſtam cum habitatoribus ſuis, ut ſit in ea domicilium incolumitatis, & pacis, per Chriſtum* &c. Deinde dicuntur ℟. *Ingrediente Domino*: antiphona, *Cum audiſſet populus, quia venit Jeſus*. Alia antiphona: *Ante ſex dies ſolemnis Paſchæ.* ℟. *Circumdederunt me viri mendaces.*

Ante portam Eccleſiæ, Sacerdos accepta Cruce ad oſtium Eccleſiæ appropinquans, quod debet eſſe clauſum, cantat: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*: quo dicto percutit ſemel januam cum haſtili Crucis; Muſici, qui intus ſunt, interrogant cantantes: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Tunc Celebrans reſpondet: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*. Deinde Sacerdos dicit paullo altius iterum: *Attollite* &c. Quo dicto percutit bis fortius, & qui intus ſunt, clamant: *Quis eſt iſte* &c. ut ſupra. Et Sacerdos reſpondet ut ſupra, *Dominus fortis* &c. deinde dicit iterum, adhuc altiori voce: *Attollite portas* &c. Et illi, qui ſunt intus interrogant, ut ſupra, & Sacerdos fortius trina vice percutiendo altius reſpondet: *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.*

Tunc aperiuntur januæ, Sacerdos intrando Eccleſiam, dicit ſubmiſſa voce: *Pax huic domui*, & in medio Eccleſiæ cantatur Reſponſ. *Collegerunt* &c.

In Paſſione poſt verba: *Sedentes contra ſepulchrum*, mutatur ſolum tonus, qui non eſt Evangelii, ſed tonus peculiaris; non dicitur *Munda cor meum*, non petitur Benedictio, nec defertur incenſum.

In Miſſis privatis poteſt omitti Paſſio, & tunc dicitur Evangelium: *Cum appropinquaſſet*, & in fine Miſſæ Evangelium Sancti Joannis, *In principio*. Feria ſecunda, tertia, & quarta majoris Hebdomadæ, Miſſæ privatæ poſſunt dici votivæ, vel pro Defunctis. Feria v. in Cœna Domini non dicitur *Gloria Patri* in Introitu, nec datur Pax. In Miſſa, in qua Epiſcopus conficit Oleum, & Chriſma, dicuntur *Gloria in excelſis, Credo, Agnus Dei*. In aliis Miſſis non dicuntur. Hodie dicitur Præfatio communis. Sacerdos antequam ſumat ſanguinem,

accipit

accipit calicem coopertum, & dicit cantando primam Antiphonam Veſperorum: *Calicem ſalutaris accipiam*. Poſtea ſumit ſanguinem Domini, & dicit communionem; chorus autem proſequitur Veſperas, & Sacerdos, ſi velit, eas dicit, & poſt Antiphonam *Conſiderabam*, ipſe Sacerdos incipit cum cantu antiphonam ad *Magnificat*. Dicto *Magnificat* cum antiphona, Sacerdos cantando dicit ℣. *Chriſtus factus eſt* &c. Poſt hæc *Pater noſter* dicitur ſubmiſſa voce; deinde tono competenti Pſalmus *Miſerere*, quo facto Celebrans vertit ſe ad populum, dicendo ℣. *Dominus vobiſcum*. Oratio *Refecti*, qua dicta iterum vertit ſe ad populum, & dicit ℣. *Dominus vobiſcum*, & ℣. *Benedicamus Domino*.

A meridie hujus diei uſque ad horam benedictionis Fontium Sabbato Sancto non pulſantur campanæ.

Feria ſexta in Paraſceve, finita nona, Celebrans indutus ſtola, & pluviali violaceis, & Diaconus, Subdiaconuſque cum ornamentis ſuorum ordinum etiam violaceis, ſine tamen dalmatica, & tunica procedunt ad altare; poſt lectionem Prophetiæ, & Oſeæ Tractum *Domine audivi*; Orationem: *Deus, qui peccati veteris* &c. Lectionem ex Exodo &c. Celebrante ſtante ad Altare Diaconus, & Subdiaconus cum Ceroferariis, & aliquibus Cantoribus per portam a parte dextra vadunt ſubtus Chorum ad afferendam Crucem, quæ præparari debet ſuper Altare cooperta. Interim duo Clerici Chori cantant *Popule meus . . . . . paraſti Crucem Salvatori tuo*. Diaconus, & Subdiaconus accepta Cruce ante Altare cantant *Agios, o Theos, Agios, Yſchiros, Agios Athanatos: eleiſon Imas*, Chorus reſpondet: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus, & immortalis miſerere nobis*. Rurſus Clerici Chori cantant: *Quia eduxi te . . . . . paraſti Crucem Salvatori tuo*. Diaconus, & Subdiaconus portantes Crucem in ſummo graduum confeſſionarii a parte ſiniſtra, Chori cantant *Agios* ut ſupra. Chorus reſpondet: *Sanctus Deus*, ut ſupra. Duo Clerici chori: *Quid ultra debui facere . . . . . lancea perforaſti latus Salvatoris tui*. Diaconus, & Subdiaconus ad latus magnæ januæ Chori cantant *Agios* ut ſupra. Chorus *Sanctus*, ut ſupra. Poſt hæc Diaconus in primo gradu ſuperiori magnæ portæ Chori genibus flexis, tenens Crucem diſcooperit eam a parte dextra, dicens: *Ecce lignum Crucis*. Deinde in ſecundo gradu genuflexus, diſcooperit Crucem a parte ſiniſtra, cantando iterum altius: *Ecce lignum Crucis*. Deinde in tertio omnium ſupremo gradu, diſcooperit totam Crucem, & elevando dicit altiori voce: *Ecce lignum Crucis*, tunc Chorus reſpondet: *in quo ſalus mundi* &c.

Dum hæc, & Antiphonæ: *Crucem tuam adoramus* &c. *Dum Fabricator mundi* &c. *O admirabile pretium* &c. & Hymnus *Pange lingua* cantantur, Diaconus reponit Crucem in loco præparato in choro, & ceroferarii, relictis cereis juxta Crucem hinc, & hinc accendunt duas faces, & Sacerdos cum Diacono, & Subdiacono, ac duobus Clericis portantibus prædictas faces, vadit ad Sacrarium SS. Reliquiarum, & regrediendo per magnam portam chori, affert honorifice parvam Crucem, quæ continet de ligno Crucis, in qua pependit Salvator noſter; tunc fit adoratio Crucis.

Finita adoratione in choro, Sacerdos alius a Celebrante defert Crucem extra chorum in locum ad id paratum, ut ibi adoretur etiam a populo.

Celebrans autem vadit cum pluviali, præcedentibus Acolythis, Thuriferario, Diacono, & Subdiacono ad locum, ubi pridie repoſitum fuerat

rat SS. Sacramentum ; ibi orat aliquantulum, incenſat ipſum Sacramentum, & poſtea accipit unam ex duabus hoſtiis præcedenti die conſecratis, altera ibi relicta uſque in diem ſanctum Paſchæ, & tenens calicem coopertum patena, deponit eam ſuper patenam, cooperitque palla, & velo, affertque ad Altare, ac ſuper illud deponit Sacramentum, tunc illud incenſat, deinde facta reverentia vadit retro altare, ubi deponit pluviale, & inducit caſulam violaceam in parte poſteriori duplicatam ; qua accepta Sacerdos redit ad altare, facta reverentia dicit : *In nomine Patris* &c., & omiſſo Pſalmo *Judica me*, facit confeſſionem prout moris eſt ; deinde aſcendit ad altare, & altari deoſculato, ac adorato SS. Sacramento, dicit : *In ſpiritu humilitatis* &c. iterum adorato Sacramento, lavat manus, dicendo : *Lavabo* ; deinde redit ad medium altaris, & facta profundiori reverentia reponit SS. Sacramentum ſuper Corporale, deinde illud incenſat. Poſtea accipit calicem cum aqua, & vino, quem collocat juxta Sacramentum, & oſculatur altare, & vertit ſe ad populum, dicens : *Orate fratres*. ℟. *Suſcipiat* &c. Deinde converſus ad altare, dicit cantando, Oremus: *Præceptis ſalutaribus moniti . . . . . audemus dicere.* Hic Sacerdos accipit Corpus Domini, & oſtendit populo, mox illud reponit ſuper corporale, & dicit *Pater noſter*, Chorus reſpondet : *Sed libera nos a malo.* Celebrans ſecreto dicit : *Amen*, & *libera nos* : quó dicto frangit hoſtiam in tres partes, & unam mittit in calicem, dicit Orationem : *Perceptio* &c. *Panem cæleſtem* &c. *Domine non ſum dignus* &c. *Corpus Domini noſtri*. Poſtquam dixit : *Quod ore ſumpſimus* &c. ſtando in medio altaris, cantat : *Expleta ſunt omnia* ; vertit ſe ad populum, & benedicit etiam cantando : *In nomine Patris & Filii* &c. Poſt hæc dicuntur Veſperæ ; antiphona ad Magnificat incipitur per Celebrantem in altari cum cantu. Poſt Magnificat Sacerdos dicit : *Chriſtus factus eſt* &c., poſtea dicitur *Pater noſter*. *Miſerere*, quo finito Sacerdos dicit immediate Oremus : *Reſpice quæſumus*, ſine ulla concluſione.

Sabbato Sancto, dicta Nona, & extinctis luminibus chori, Sacerdos indutus pluviali violaceo, accedit ad altare cum miniſtris cum aqua benedicta, & incenſo, & a latere altaris excutitur de lapide ignis, quem Sacerdos benedicit, dicens ſine cantu Orationem : *Deus, qui per Filium tuum, angularem ſcilicet lapidem* &c. ; deinde benedicit incenſum per Orationem : *Deus omnipotens*, *Deus Abrahaam* &c. deinde Sacerdos aſpergit aqua benedicta ignem, & incenſum. His peractis Diaconus præ manibus ferens textum Evangelii, vadit ad ambonem cantaturus : *Exultet*, non petita prius a Celebrante benedictione. Finitis Cantico & Prophetiis, cantatur Litania ; I. Septennaria ; II. quinquennaria; III. ternaria; IV. binaria, & fit proceſſio ſolemnis ad fontes. De his Litaniis, earumque ordine vide Rituale antiquum Vaticanum Gregorii XIII. in 4. Ord. in Sabb. Sancto pag. 56. & ſeq.

Facta benedictione Fontium, Sacerdos aſpergit Crucem, ſe, & circumſtantes, quo facto redit Proceſſio ad chorum, dicendo : *Qui es trinus & unus Deus miſerere nobis. Sancta Maria* &c.. Finitis Litaniis Miſſa ſolemniter celebratur.

Die ſancto Paſchæ, fit in aurora Proceſſio ſolemniſſima, in qua SS. Sacramentum, quod a Feria v. præterita venerationi Fidelium expoſitum fuerat, cum magno apparatu defertur.

In feſtis, & feriis occurrentibus infra tempus Paſchale, non dicitur Præfatio Paſchæ, ſed communis.

Præ-

Præfatio SS. Trinitatis dicitur in ipſius feſto, & per ejus octavam, & in Dominicis a feſto SS. Trinitatis uſque ad Adventum Domini, & ab octavis Epiphaniæ uſque ad Dominicam de Paſſione, ſi fiat de Dominica, dicitur etiam in Transfiguratione, & in Miſſa pro ſponſo, & ſponſa.

Præfatio: *Qui corporali jejunio*, dicitur ſolum in Miſſis de Feria a capite jejunii uſque ad Dominicam Paſſionis.

In Miſſis ferialibus temporis Paſchalis, non dicitur *Gloria in excelſis*.

Vigilia Pentecoſtes finitis Prophetiis, & Orationibus, cantatur Litania; I. Quinaria; II. ternaria; III. binaria, deinde ſimplex, & itur ad Fontes, ut in vigilia Paſchæ.

In feſto Purificationis B. M. V., finita Nona Celebrans (Epiſcopus ſi adſit) indutus pluviali albo cum Miniſtris ſimiliter indutis procedit cum Clero Eccleſiæ Cathedradis ad Eccleſiam Collegiatam SS. Petri, & Urſi, ubi ſtans ad altare ambonis incipit benedictionem candelarum per Orationem: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris* &c. ſequitur Præfatio . . . . *Fons, & origo totius lucis, & ſalutaris. Qui mundum illuſtraſti lumine tuæ claritatis* &c. Poſt hæc dicitur *Sanctus* . . . . *Benedictus qui venit* &c.

Benedictio ignis. Oratio: *Domine Deus Pater, lumen indeficiens, qui es conditor omnium luminum, benedic hoc lumen* &c. Alia Oratio: *Benedic Domine hanc Creaturam ceræ* . . . . *feciſti eſſe munitos*. Celebrans elevat vocem: *Benedico te cera in nomine Dei Patris* &c. Deinde ter aſpergit candelas aqua benedicta, dicendo ſine cantu, & ſine Pſalmo *Aſperges me*; hic accenduntur candelæ, deinde cantatur, *lumen ad revelationem* &c. ut in Ritu Romano. Terminatur cæremonia per Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum ulnis Sancti Simeonis* &c. qua dicta redit Proceſſio ad Cathedralem Eccleſiam, canendo Antiphonas: *Ave gratia plena Dei Genitrix Virgo* &c. *Adorna thalamum* &c.

In medio Eccleſiæ Cathedralis ante Crucifixum totus chorus cantat, *Reſponſum accepit Simeon*. Cantores Cathedralis canunt: *Homo juſtus, timoratus, providus*. Tres Canonici S. Urſi, qui comitati ſunt Proceſſionem, ſtantes in forma Archidiaconi faciunt Neuma repetendo ultimam ſyllabam *US*. Totus chorus: *A Spiritu Sancto*: Cantores Cathedralis: *Imperando meruit a Domino*, Canonici S. Urſi: *O*. Totus chorus: *Non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini*. Cantores Cathedralis: *Per quem Pater omnia condidit*. Cantores S. Urſi: *IT*. Totus chorus: *Et cum inducerent puerum in Templum*. Cantores Cathedralis: *Prædicando Domino futuro*. Cantores S. Urſi: *O*. Totus chorus: *Accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit*. Cantores Cathedralis: *Gratiaque fidei Deo ſit*. Cantores S. Urſi: *IT*. Totus chorus: *Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace*. Cantores Cathedralis: *Expectatione jam apparente, quia ſalutare meruit conſiderare*: Cantores S. Urſi: *E*. Intrando chorum dicitur ℟. *Gaude Maria Virgo* &c.

Die 6. Auguſti, in qua fit de Transfiguratione Domini, Miſſæ, Introitus, Graduale, Offertorium, Præfatio, & Poſtcommunio ſunt de Trinitate.

Eadem die benedicuntur uvæ infra actionem, antequam Celebrans dicat: *Per quam hæc omnia* &c. *Benedic Domine & hos fructus uvæ, quos tu Domine rore Cæli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad uſus*

noſtros

noſtros cum gratiarum actione percipere, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, & præſtas nobis.

Feria tertia non impedita feſto novem lect. aut die infra octavam, Miſſa Capitularis dicitur de SS. Grato, & Jocondo, cum commemoratione feſti occurrentis, & cum *Gloria* ſine *Credo*. Feria v. ſimiliter non impedita, dicitur Miſſa de Spiritu Sancto, Sabbatis etiam non impeditis ut ſupra, dicitur Miſſa Capitularis de S. Maria, per Adventum ſine *Gloria* & *Credo*. Tempore Paſchali cum *Gloria* & ſine *Credo*. Aliis temporibus cum *Gloria* & *Credo*, quia hiſce temporibus (extra Quadrageſimam) Miſſa convenit officio; dicitur enim magnum officium de Domina.

Deinde uvæ diſtribuuntur toti choro.

In Miſſa de Sancta Maria a Septuageſima uſque ad Sabbatum ante Dominicam primam Quadrageſimæ incluſive dicitur Offertorium ſequens etiam in Miſſis privatis. Chorus: *Recordare Dei Genitrix in conſpectu Filii tui, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertat indignationem ſuam ab hac familia, tu propitia*. Pueri chori: *Ave Maria plena gratia*. Chorus: *Mater eximia pelle vitia*. Pueri chori: *Ave Maria* &c. Chorus: *Ter remedia reis in via*. Pueri: *Ave Maria* &c. Chorus: *Dans in Patria vitæ gaudia*. Pueri: *Ave Maria* &c. Chorus: *Pro quibus dulcia tu præconia*. Pueri: *Ave Maria* &c. Chorus: *Laudes cum gratia ſuſcipe pia Virgo Maria a nobis*.

In Miſſis Capitularibus a Paſcha uſque ad Pentecoſten, chorus incipit Graduale ab *Alleluja*, & ℣. *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum*; deinde duo Clerici chori retro majus Altare, cantant ℣.℣. *Reſpondens autem Angelus, dixit mulieribus: quem quæritis? Illæ autem dixerunt, Jeſum Nazarenum*. Chorus reſumit: *Alleluja*, & dicit ℣. *Virga Jeſſe floruit, Virgo Deum, & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in ſe reconcilians ima ſummis. Alleluja*.

In Miſſa pro Sponſo, & Sponſa. Introitus: *Benedicta ſit ſancta Trinitas* &c. ℣. *Benedicamus Patrem* &c. Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis* &c. Si Sponſi ſint tales, qui ſint benedicendi ſcilicet quando neuter, vel vir tantum fuit alias benedictus, Celebrans dicit ſub eadem terminatione Collectam ſeq. *Exaudi nos omnipotens, & miſericors Deus, ut quod noſtro miniſtratur officio* &c. Epiſtola: *Neſciſti quoniam membra veſtra, membra ſunt Chriſti . . . . portate Deum in corpore veſtro*. Graduale; *Benedictus es Domine, qui intueris abyſſos* &c. Tractus: *Te Deum Patrem ingenitum* &c.

Tempore Paſchali *Alleluja* ℣. *Mittat vobis auxilium de Sancto* &c. *Alleluja. Benedicat vobis Dominus ex Sion, qui fecit cælum, & terram, Alleluja*.

Evangelium, ut in Miſſali Romano, dicitur *Credo*. Offertorium, & ſecreta de Trinitate. Alia ſecreta, ſi ſint benedicendi: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad ſtatum maturitatis, & ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placatus, & benignus aſſume*. Præfatio de Trinitate.

Dicto a Celebrante *Sanctus*, proſternunt ſe in oratione Sponſus & Sponſa, qui ſunt benedicendi, extenſo pallio ſuper eos. Et dicto *Pater noſter*, Celebrans convertitur ad Sponſos, dicens ſuper eos orationes: *Propitiare* &c. *Deus, qui poteſtate* &c. Dicto *Agnus Dei*, Sacerdos dat pacem Sponſo, & Sponſæ (ſi ſint tales, qui ſint benedicendi)

 por-

porrigendo eis Crucem, quæ in extremitate Stolæ eſt, oſculandam, & dicendo *Pax vobis*.

Communio, & Poſtcommunio *de Trinitate*, & additur alia Poſtcommunio pro benedicendis, *ut in Miſſali Romano*.

Finita Miſſa Sponſi oſculantur Altare, & vadunt in Pace.

In Miſſis pro Defunctis in 1.° *Agnus Dei*, dicit. *Dona eis requiem*, in 2.° additur *Sempiternam* in 3.° *Et locum Indulgentiæ, cum Sanctis tuis in gloria*.

In eiſdem Miſſis celebrans ſemper benedicit Populum.

MISSA EUSEBIANA

Juxta priſcum Ritum, excerpta e pluribus antiquiſſimis Miſſalibus.

Quando primo induitur Sacerdos ſacris veſtimentis, hos Pſalmos, inferius annotatos cantet, cum Capitulis ſimiliter ſignatis, & Orationibus.

Pſal. Quam dilecta tabernacula tua. *Pſal.* Benedixiſti Domine Terram &c. *Pſal.* Inclina Domine aurem tuam. *Pſal.* Credidi propter quod locutus. *Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Exurge Domine adjuva nos. ℟. Et libera nos. ℣. Deus tu converſus vivificabis nos. ℟. Plebs. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum. ℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. ℟. Et Sancti. ℣. Propitius eſto Domine peccatis noſtris. ℟. Propter nomen tuum. ℣ Eſto nobis Domine Turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Fac me quæſo Omnipotens Deus ita juſtitia indui, ut in Sanctorum tuorm exultatione merear lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus vitiorum, conſortium adipiſcar tibi placentium Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat. Per.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus meis &c. *ut in Miſſali Romano*. Qui cum Patre, & eodem Spiritu.

Cum lavat manus.

Largire ſenſibus meis, Omnipotens Pater, ut ſicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur interius pollutiones mentium, & creſcat in nobis augmentum ſanctarum virtutum. Per.

Dum tergit manus.

Da vim Domine manibus meis ad abſtergendum omnem maculam immunditiæ, ut ſine pollutione mentis, & Corporis tibi valeam ſervire. Per Dominum &c.

Ad Amictum.

Pone Domine galeam ſalutis in capite meo ad expugnandas, & ſuperandas ſævitias omnium inimicorum meorum. Amen

Ad Camicem.

Indue me Domine veſtimento ſalutis, & circumda me lorica fortitudinis. Amen.

Ad Cingulum.

Præcinge me Domine zona juſtitiæ, & conſtringe me in charitate, & dilectione tui, & proximi. Amen.

Ad Manipulum.

Merear, precor Domine, Manipulum portare lacrimabiliter, ut in futuro judicio illum offerre valeam cum Sanctis exultanter. Amen.

Ad Stolam.

Stola juſtitiæ circumda Domine cervicem meam, & ab omni pollutione purifica corpus meum. Amen.

Ad Phenolion.

Indue me Domine ornamento humilitatis, & concede mihi protectionem contra hoſtem inſidiatorem, ut valeam puro corde laudare nomen tuumglorioſum, in ſecula ſeculorum. Amen.

Cum accedit ad Altare, dicat Antiphonam: Introibo ad Altare Dei. Ad Deum. *Et totum Pſalmum.* Judica me Deus: *& poſtea eamdem Antiphonam cantet, qua expleta dicantur* ℣.℣. ℣. Dignare Domine die iſto. ℟. Sine peccato. ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit Cælum. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus. ℟ Quoniam in ſecula.

Poſtea cum Fratribus confeſſionem faciat.

Confiteor Deo omnipotenti, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, me graviter peccaſſe per ſuperbiam in lege Dei mei, cogitatione, locutione, delectatione, omiſſione, conſenſu, viſu, verbo, & opere: & de omnibus peccatis meis dico meam culpam, & meam maximam culpam. Unde precor B. Mariam Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, & Evangeliſtam, Beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum, Venerandum Euſebium Dominum noſtrum, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & vos fratres, ut oretis pro me ad Dominum Deum noſtrum, ut ipſe miſereatur mei. ℟. Deo gratias.

Miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra præterita, & præſentia, & de futuris vos cuſtodiat, ſalvet, & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde Confiteor, *ut ſupra.*

Abſolutio quam facit Sacerdos. Miſereatur. *ut ſupra.*

Indulgentiam, remiſſionem, abſolutionem omnium peccatorum noſtrorum, ſpatium vitæ, & fructuoſæ pœnitentiæ, & cor pœnitens, per gratiam Sancti Spiritus, tribuat nobis omnipotens, pius, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Queis expletis Sacerdos dicat Capitula.

℣. Domine averte faciem tuam a peccatis noſtris.
℟. Et omnes.
℣. Exurge Chriſte, adjuva nos.
℟. Et libera nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde Sacerdos injungat fratribus Pater noſter. Et ipſi reſpondeant: Et vos Miſſam in nomine Domini.

Poſtea dicit. Oremus. Aufer a nobis Domine iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur ſenſibus introire. Per.

Confeſſio, quam facit Sacerdos ſolus.

Ante tuam clementiam, confiteor Deus omnipotens, omnia peccata mea: Deus Cæli, & Terræ, propitius eſto mihi peccatori, quia tu es immortalis, qui mortale vivificas, tu es benedictus, qui benedicis omnia; tu es Sanctus, qui ſanctificas, indulge mihi, quæſo, famulo tuo, qui peccavi coram te, & coram Angelis tuis: da mihi, quæſo, Indulgentiam peccatorum meorum, & confirma me in fide recta, atque doce me facere voluntatem tuam, ut in Collegio Sanctæ, atque Catholicæ Eccleſiæ digne adminiſtrare valeam officium Sacerdotii mei.

Quando ingreditur ad Altare, repetit. Aufer, ut ſupra.

In Commixtione Aquæ, & vini dicat Sacerdos.

Ex latere Domini N. Jeſu Chriſti Crucifixi Sanguinem, & aquam exiiſſe credimus (*hic ponatur aqua in Calice*) Et ideo hæc pariter commiſcemus, ut cunctis credentibus in Chriſto ſit remiſſio peccatorum. Per eumdem.

Quando Diaconus accipit librum de Altari, poſtquam ipſum fuerit oſculatus, poſtulet a Sacerdote benedictionem, dicens.

Jube Domne benedicere.

Et Sacerdos imponat benedictionem, dicens.

Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut annunties competenter Evangelium pacis.

Cum Diaconus offert oblata Sacerdoti, ea Sacerdos benedicat ſignando dicens.

Oblationes iſtæ benedi✠cantur a Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Amen.

Et accipiens oblata cum Calice, humiliter, & corde contrito dicat.

Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro ſalute vivorum, & remiſſione omnium fidelium Defunctorum, & noſtræ Congregationis, & his, qui ſe in noſtris commendaverunt orationibus, & qui nobis ſuas largiti ſunt eleemoſynas tam pro vivis, quam etiam pro defunctis, & pro peccatis meis innumerabilibus, quibus peccavi coram te, & coram omnibus Sanctis tuis, in dictis, in factis, in cogitationibus, ut præterita mihi dimittas, & de futuris me cuſtodias, mente, & corpore, & ab inſidiis antiqui hoſtis me defendas, & ad peragendum hoc myſterium Corporis, & Sanguinis Chriſti me idoneum reddas. Qui vivis.

Et deponens hoſtiam, ſignando dicat.

Sancti✠fica Domine hanc oblationem, ut nobis Unigeniti tui Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus fiat. Qui tecum vivit.

Deponens Calicem, ſignando dicat.

Sancti✠fica Domine hunc Calicem, ut nobis Unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguis fiat. Qui tecum.

Et benedicat utrumque dicens.

In nomine D. N. J. Chriſti ſit ſigna✠tum, ordina✠tum, & bene✠dictum hoc Sacrificium. Amen.

Accipiens Thuribulum de manu Diaconi, ſignando dicat.

Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Elevatio manuum mearum, Sacrificium veſpertinum. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

Cum lavat manus, dicat. Lavabo inter innocentes, *uſque in fin.*

Poſtea ſimpliciter dicat, & devote.

In ſpiritu humilitatis, & animo contrito ſuſcipiamur a te Domine, & ſic fiat Sacrificium noſtrum, ut a te ſuſcipiamur hodie, & placeat tibi Domine Deus.

Et

Et volvens ſe ad Populum, dicat.

Orate pro me, Fratres, & Sorores, ut meum, & veſtrum Sacrificium ſit acceptabile in conſpectu Domini.

Et omnes reſpondeant.

Spiritus Sanctus ſuperveniat in te, & virtus Altiſſimi obumbret tibi. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Memor ſit omnis Sacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.

Hic Sacerdos dicat.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus &c.

Poſtea incipiat Secretellam. Deinde dicitur Præfatia.

Canon Miſſæ. Te igitur &c., *ut in Miſſali Rom.*

Commem. pro vivis. Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui mihi conſanguinitate, & familiaritate juncti ſunt, & quorum eleemoſynas, & confeſſiones ſuſcepimus, & qui ſe in noſtris commendaverunt orationibus, & omnium circumſtantium &c. *Reliqua, ut in Miſſali Rom.*

Communicantes, & memoriam venerantes &c., *ut in Miſſali Romano. Sed poſtquam dictum eſt:* Coſmæ, & Damiani; *addit.* Euſebii, Honorati, & Æmiliani: necnon & illorum Sanctorum, quorum hodie in conſpectu tuo celebratur triumphus, & omnium Sanctorum &c. (*Reliqua, ut in Miſſali Romano, præter ſequentia.*)

Unde & memores (*hic extenduntur brachia in modum Crucis.*)

Supplices te rogamus (*hic flectit brachia in modum crucis.*

Dicendo. Per omnia ſecula ſeculorum: *ante* Pater noſter, *tenet hoſtiam ſuper Calicem.*

Ad Libera nos quæſumus Domine, *poſtquam dictum eſt:* atque B. Andrea: *additur*, & B. Euſebio, cum omnibus Sanctis tuis (*hic recipiat Patenam, & tangat hoſtiam, Calicem, & oculos, & ſignet ſe.*)

Dicto Pax Domini, *dicitur ſtatim et* Agnus Dei: *Deinde commiſcetur Corpus Sanguini, dicendo:* Fiat commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini N. J. Chriſti nobis accipientibus ſalus in vitam æternam. Amen.

Accipiendo pacem, dicat: Pax Chriſti, & Eccleſiæ abundet in cordibus noſtris. Amen.

Oſculatur Patenam, & Librum, dat Fratribus pacem, dicens: Habete vinculum charitatis, & pacis, ut apti ſitis Sacroſanctis Myſteriis

Poſtea ſimpliciter dicat hanc orationem: Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi &c. *ut in Miſſali Romano.*

Accipiens patenam dicit. Panem Cæleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.

Antequam ſumat Corpus Chriſti, dicat: Corpus Domini N. J. Chriſti conſervet corpus meum, & animam meam in vitam æternam. Amen.

Accipiens Calicem, humiliter dicat: Quid retribuam Domino &c. *ut in Miſſali Romano.*

Accipiens Sanguinem, dicit: Corpus, & Sanguis Domini N. J. Chriſti ſit mihi in remiſſionem omnium peccatorum ad vitam æternam. Amen.

Poſt ſuſceptionem utriuſque. Corpus Domini N. J. Chriſti, quod accepi, & Sacroſanctus Sanguis ejus, quo potatus ſum, adhæreat viſceribus meis, & præſta, Omnipotens Pater, ut non ſit mihi ad judicium, neque

que

que ad damnationem, ſed ad ſalutem, & remedium animæ meæ. Per eumdem.

Deinde dicit Canticum: Nunc dimittis.

Finita Miſſa, ante benedictionem dicit: Placeat tibi Sancta Trinitas, *ut in Miſſali Romano.*

Poſtea benedicit Populum, dicens. Oremus. Benedicat vos Divina Majeſtas. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.



Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
In Tomi III. Textum
EMIN. CARDINALIS BONA.

Numerus primus Caput, Secundus §., Tertius paginam indicat.

A

Ablutio poſt communionem, ſive poſt conſumationem ſanguinis in Calice. XX. 1. 427.
Abſolutio Pœnitentium poſt Evangelium. VII. 7. 159.
Abuſus varii in pluribus Eccleſiis introducti dum auditur Evangelium. VII. 3. 152.
Acceſſus ſolemnis Græcorum ad Altare. III. 6. 70.
Actio idem ac Canon. XI. 1. 243.
Additamenta olim varia, ſive interpolationes ad Hymnum Angelicum Gloria in excelſis. IV. 6. 86.
Aetii Arianiſmi inſtauratoris error ſubdole celatus circa Hymnum Gloria Patri *&c.* III. 2. 52.
Agni benedictio in die Paſchatis. VIII. 5. 185.
Agnum offerre a Romanis calumnia Photii. ibid.
Agnus Dei, *quo ritu dicatur, quando, & a quo inſtitutus*. XVI. 5. 347.
Varie interpolatus. ibid. - 348.
Olim antequam diceretur Agnus Dei *aliquot Pſalmi recitati*. ibid. 4. 343.
Agreſtinus Monachus plures Orationes, vel Collectas in Miſſa non poſſe recitare impugnans, reprehenſus. V. 6. 110.
Alba, & aliis veſtibus ſacris dum induuntur Græci, ad ſingulas eorum oratio. I. 6. 22.
Alexander I. Summus Pontifex non fuit inſtitutor Lectionis S. Scripturæ in Miſſa, ſed Apoſtoli. V. 1. 120.
Non fuit iſte Auctor mixtionis aquæ in calice, ut nonnulli perperam ſcripſere. IX. 3. 205.
Alleluja. VI. 4. 132. *Hæc vox quando primum audita*.
David primus qui in Pſalmis cecinit. Poſtea Aggæus propheta; Et in Lib. Tobiæ etiam habetur, non alibi reperitur in veteri Teſtamento. In novo Teſtamento, ſive in Apocalypſi, ipſe Joannes teſtatur ab Angelis in Cœlum decantari: Ex quo hoc canticum in Eccleſiam introductum. Toto anno pſallitur exceptis novem hebdomadibus, ſive a Septuageſima uſque ad Paſcha. Sozomenus, & qui ſequuntur eum correpti. ibid. 5. 136.
Cur omittatur illis diebus. Quid ſit Tractus qui ejus loco canitur in Miſſa. Neuma quid; & quomodo in Alleluja decantando protrahatur; & quid ſignificet Alleluja. ibid. - 137.
Altaria erecta ſemper ſuper Reliquias Sanctorum Martyrum. II. 8. 47.
Altaris oſculatio cum dicitur Aufer a nobis. II. 8. 46.
Alterni cantus origo. Vide Cantus.
Ambo quid? Ejus derivatio, & uſus in Eccleſia. Hæc vox non Latina, ſed Græca contra Walfridum Strabonem. Quidquid in plano prominet, & exurgit ſignificat; variis Synonimis nuncupatus. VI. 3. 127. & VII. 2. 145.
Cur in Ambone nunc non legatur Evangelium, & verſus Aquilonem, & non ad meridiem. ibid. 3. 152.
Ambroſiana Eccleſia, & Lugdunenſis ſumunt Amictum poſt Albam. I. 6. 22.
Ambroſiani numquam repetunt Introitum Miſſæ niſi in Miſſis Defunctorum. III. 2. 54.
Ambroſiani utuntur veteri Pſalterio. III. 5. 67.
Amen clauſula finalis Collectarum. V. 6. 110.
Ab Hiſpanis olim poſt Epiſtolam adhibitum. VI. 4. 132. *Reſponſum poſt Evangelium*. VII. 4. 154.
Etiam reſponſum poſt Conſecrationem. XIII. 1. 274.
Item reſponſum ante Communionem. XVII. 3. 367.
Amula, columella, ſive vaſculum pro vino illa, pro aqua iſta vocatur. IX. 1. 198.
Angelicus hymnus. Vide Gloria in excelſis.
Anonymus quidam, circa poteſtatem conſecrandi confutatus a Patavio. VIII. 4. 182.
Antiphona, Antiphonarium ad Introitum Miſſæ; Antiphonatim canere quid ſit. III. 1. 48.
Antiphonæ nomen ſolo Introitu attributum. ib. - 49.
Antiphonarium; Liber continens Introitus, Reſponſoria, Offertoria, *&* Communio, *ſive* Poſtcommunio *a Gregorio Magno vocatus, ab aliis* Gradualis. ibid.
Apologeticus Baſilii. Vide Baſilii.
Apologia Sacerdotis. I. 1. 3.
Apologiæ, ſive prolixæ precationes, vel orationes præparatoriæ. ibid. - 2. & - 2. 10.
Apolyſia Græcorum. XX. 3. 433.
Apoſtoli Lectionem ſacræ Scripturæ in Eccleſia ex Synagogæ exemplo deduxiſſe. VI. 1. 119.
Apoſtolicæ traditionis eſt Hymnus Glorificationis dictus Gloria Patri *&c.* III.
Apoſtolorum commemoratio in Canone poſt Beatam Virginem. XII. 3. 260.
Eorumdem tempore lectum Evangelium in Eccleſia VII. 1. 145.
Archiparaphoniſta. IX. 1. 199.
Aqua vino miſcenda ex Chriſti inſtitutione, ejuſdem omiſſio, etſi lethalis ſit, non tamen invalidam efficit conſecrationem; in modiciſſima quantitate miſcenda. IX. 3. 205.
Eam Græci bis miſcent. ibid. 4. 214.
Eadem pro Miſſa parata a Cantoribus. Vide Cantores.
Aquarii Heretici, ſive Hydroparaſtatæ, & Encratitæ, itemque Armeni a Jacobo Syro ſeducti. IX. 3. 206.
Armarius. XIV. 5. 324.
Arma depoſita &c. dum auditur Evangelium. VII. 3. 151.
Arnoldus Abbas Bonævallis auctor Sermonis de Cœna Domini perperam Cypriano tributi. XIV. 5. 315.

Aufer

Aufer a nobis cum oſculo Altaris. II. 2. 46.
Anthor alterni Cantus quis fuerit. Vide Cantus.
Authores Sequentiarum. VI. 6. 141.

B

BAculi olim depoſiti cum legeretur Evangelium, atque aliæ res veluti Corona &c. VII. 2. 148. & 3. 151.
Et cur depoſiti, & ſtantes omnes illud audiant; item depoſiti ad Confeſſionem Sacramentalem. ibid. - 152.
Baptizandorum nomina ſcripta in Tabulis. XII. 2. 264.
Baſilica Vaticana veteris verſionis Pſalterium cum Canticis ſola retinuit, & adhuc ſervat. III. 4. 58.
Baſilii Apologeticus qua occaſione ſcriptus: ideſt circa Hymnum Gloria Patri &c. quia uſus fuit verbis Actis. III. 2. 52.
Ejuſdem obſervatio circa ritum flectendi genua. V. 2. 94.
Benedictini in Monaſterio Caſinenſi morem legendi, ſive cantandi græce, & latine Epiſtolam, & Evangelium ſervant; & in Monaſterio S. Dionyſii in Francia. VII. 2. 149.
Benedictio ante Evangelium, & antequam quid publice legatur in Eccleſia, antiquiſſima. VII. 2. 149.
Benedictio duplex in Miſſa, & hic quidam Scriptores notati. XVI. 3. 340.
Alia quædam de Benedictionibus. ibid. - 342.
Benedictio in fine Miſſæ accipienda. ibid. - 341. & XX. 4. 436.
Benedictio pro Collecta, ſive Oratione. V. 3. 96. XVI. 342. & XX. 4. 436.
Benedictiones Epiſcopales ante Communionem, & priſcus earum uſus. XVI. 1. 337. & 2. 338.
Benedictiones frugum, & aliarum rerum, quo loco Miſſæ fierent. XIV. 5. 313.
Berno Augienſis ritum olim non recitandi Gloria in excelſis a Preſbyteris, niſi ſolo in die Paſchatis convellere nitens notatus. IV. 5. 85.
Bona Cardinalis Auctor, primus qui dubitavit, an Expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales S. Gregorio Magno hactenus attributa, vere ipſius ſit. III. 5. 68.
Bruno Aſtenſis ignorans veteris Pſalterii Romani Expoſitores, non laudatus. III. 5. 67.

C

CÆſarii Arelatenſis monitio ſuper ritum flectendi genua. V. 2. 94.
Campanæ ſonus ad elevationem Hoſtiæ recentis inſtituti eſt. XIII. 2. 281.
Canon Miſſæ, ejuſque interpolationes illicitæ; ipſique olim, & nunc præfixa Crucifixi imago. XI. 1. 242.
Eſt regula, qua novi Teſtamenti Sacrificium celebrandum eſt. ibid. - 243.
In Canone Miſſæ poſt B. Virginem, & Sanctos Apoſtolos ſoli Martyres nominati. XII. 3. 266. XIV. 5. 313.
In aliquibus tamen Eccleſiis, veluti Ambroſiana, addita Confeſſorum nomina. Ejuſdemque finis. ibid. - 315.
Canonis nomina varia apud Antiquos. XI. 1. 243.
Ejus auctor, & origo a quo. Scholaſtici nomine quid. Canon vero antiquior Gelaſio, Muſæo, Voconio, aliiſque &c. ibid. 2. 245.
Tempore Leonis Iſaurici Imp. Gregorius III. Oratorium ædificavit &c., & Monachis trium Monaſteriorum Baſilicæ S. Petri inſervientium clauſulam inſtituit dicendam in Canone pro Celebrantibus tantummodo in illo Oratorio. ibid. - 246.
Canonis prima Oratio, in ea mentio Papæ, & Epiſcopi. XI. 3. 250.
Olim ſeparati a Communione univerſali, qui inter Miſſas memoriam Romani Pontificis non faciebant. ibid. - 251.
Imperatoris nomen, ac Regis additum ex Apoſtolica traditione. ibid. 4. 254.
Orandum pro Imperatoribus, Regibus &c. etiam infidelibus, aut hæreticis ex Apoſtolo docent Sancti Patres. ibid. - 255.
Orat etiam Sacerdos ſpecialiter pro Offerentibus; ſed nonnulla in aliquot antiquis Codicibus addita, ſuperflua: atque recitata deinde nomina illorum pro quibus Sacrificium offerebatur. ibid. 5. 256.
Recitata nomina in Sacrificio ex Diptychis, & cur non in die Dominico. ibid. - 257. Vide Diptycha.
Cantores aquam ad Miſſam parabant. IX. 1. 199.
Cantus alterni origo. Quis fuerit auctor diſquiritur. Apud Ægyptios &c., & præcipue apud Monachos receptus hic alternus cantus. In Oriente &c. a S. Ignatio Antiocheno introducta hæc alternatio introducta ex viſione Angelorum.
Eadem de Pſalmis Davidis alternatim canentibus Flaviano, & Theodoro attributa. In Occidente a S. Ambroſio inſtitutus ſecundum morem Orientalium cæteris Eccleſiis per Orbem imitantibus. IV. 1. 71. & ſeq.
Canticum trium Puerorum. XX. 6. 442.
Carmelitarum preces poſt elevationem. XIII. 2. 281.
Carnis munditia. I. 4. 53.
Chartuſianorum, Prædicatorum, olim Ciſtercienſium, aliorumque præparatio panis, & vini ante Miſſam. I. 7. 24.
Caſſianus aſſerens Monachos in Ægypto ſolitos fuiſſe ad Miſſam decantare Pſalmos explicatus. III. 1. 49.
Caſula dum induuntur Græci eorum Oratio. I. 6. 22.
Charta donationum poſitæ in Altari. VIII. 8. 195.
Chriſtiani cur ſe invicem mutuo fratres appellent. IX. 6. 223.
Chriſtus pictus in forma Agni. XVI. 5. 347.
Ejuſdem mandatum, ut ipſum Sacrificium in ejus memoriam faciamus, in omnibus Liturgiis memoratum. XIII. 3. 290.
Chronicis quibuſdam a Radulpho allatis quoad inſtitutorem incenſi Altaris nulla fides adhibenda. IX. 5. 218.
Chryſoſtomi in Liturgia deprecatio poſt conſecrationem ut panis fiat &c. a Græcis orthodoxis contra Schiſmaticos catholice interpretata. XIII. 4. 294.
Clauſula finalis, ſive vox Amen. V. 6. 150.
Clauſula Orationis Per Dominum noſtrum. V. 5. 105.
Cnaphæus Patriarcha Antiochenus circa additamentum ad Triſagion Sanctus Deus &c. damnatus. X. 5. 238.
Cœleſtinus Papa in Occidente Auctor Introitus, ſive recitationis Pſalterii ante Miſſam, cum antiquitus inciperet Miſſa ab Epiſtola. III. 1. 48.
Idem Orationes in Collectis contentas ab Apoſtolis traditas aſſerit. V. 4. 98.
Collecta, ejus nomen æquivocum, aliquando pro hominum multitudine uniта ſimul; verius pro conventu fidelium ſumpta: proprie pro brevi oratio-

ne

ne ſacerdotali ſuper populum congregatum dicta. V. 3. 95.
  Olim nomen benedictionis ipſi tributum; & ſententia comprobans nomen benedictionis Collectis tributum non Ambroſii, ſed Hilarii Diaconi eſt, ſicuti & Commentaria in Paulum. ibid. - 96.
  Uſum earumdem quocumque nomine vocentur in Eccleſia viguiſſe ante SS. Gelaſium, & Gregorium Magnum, quamquam a pleriſque prima illarum inſtitutio ipſis tributa ſit. ibid.
Collecta, ſive Orationes publicæ in Eccleſia recitandæ ab Apoſtolis traditæ. ibid. 4. 98.
  Earum propter numerum, & diverſitatem nimia Prælatorum licentia, poſtea nonniſi approbatæ, recitandæ in Miſſa. Et Gregorianæ Orationes a Gelaſianis, Ambroſianis, & Mozarabis diverſæ. ibid. - 99.
  A Recentioribus editæ Orationes, ab antiquis facile dignoſcuntur. ibid. - 100.
Collectarum concluſio, ſive Oratio in ipſis Miſſæ Collectis ſemper fere ad Patrem, raro ad Filium, non ita ad Spiritum Sanctum invenitur directa; & iſtius concluſionis antiquitas comprobatur. V. 5. 105.
Collectarum numerus, ſive Orationes in Miſſa quot dicendæ. ibid. 6. 110.
  Non plus ſeptem dicendæ. ibid. - 111.
  Eædem non ſolum in Miſſa, ſed in Officio, & in quolibet Clericorum conventu dictæ. ibid.
  Olim barbaro vocabulo dicta Rogus Dei. ibid.
  In Officiis Græcorum concluduntur in Dei glorificatione, ibid.
  Iſtæ in utroque Teſtamento manibus, & brachiis extenſis recitatæ; ac Myſteria ſacra non pauca ex hoc ritu eruuntur. ibid. 7. 114.
  Natura duce etiam Infideles extendunt manus ad Cælum in eorum precibus. ibid. - 115.
  Poſt Collectam olim, & laudes dictæ. ib. 8. 115.
Comes, ſive Lectionarium S. Hieronymi. V. 2. 123.
Comes peregrinationis S. Pauli non Barnabas, ut Græci putant, ſed Lucas Evangeliſta. VII. 1. 145.
Commemoratio Sanctorum poſt Confeſſionem. II. 7.
Commentaria in Paulum Hilarii Diaconi ſunt. V. 3. 96.
Communicantium modus, ordo, & ſitus. XVII. 8. 394.
Communicatio cum Sanctis. II. 8. 47. & XII. 1. 260. *Vide* Tom. II. XIX. 5. 58.
Communio duplex commercii, & Eucharistiæ. VIII. 6. 186. & XIX. 3. 416.
  Laica, & Eccleſiaſtica. XIX. 3. 416.
  Negata aliquando in fine vitæ. XIX. 4. 418.
  Peregrina. XIX. 5. 420. & ſeqq.
  Puerorum. XIX. 1. 412. & 2. 414.
Communio eadem cum mortuis, quæ cum viventibus. VIII. 6. 189.
Communio, idest antiphona populo communicante. XVII. 1. 359.
Communio olim veterum quotidiana ad Clerum, tunc ad Miniſtros Altaris redacta. ibid. 2. 363.
  Olim ante Communionem clamabat Diaconus Sancta Sanctis, *quam accipiens populus reſpondebat* Amen. ibid. 5. 367.
  Olim tabellæ communicaturis expoſitæ, nunc linteamina. ibid. *Vide* Eucharistia.
Communio intincta. XVIII. 3. 409.
Communio ſub utraque ſpecie. XVIII. 1. 393.
Quando defierit. ibid. 2. 405.
  Sub una tantum. ibid. - 393.
Communio ſummi Pontificis cum ſolemniter celebrat. XVII. 8. 394.
Communionis nomen æquivocum multa ſignificat; cum nomine Communionis duæ eſſent ſpecies: utraque privati, ſicuti hodie Excommunicati, erant Pœnitentes primi gradus. Quid de Cathecumenis, & Pœnitentibus ſecundi, tertii, & quarti ordinis, aliiſque &c. VIII. 6. 188. & ſeqq. *& Vide* Tom. I. III. 2. 24. *Item* hujus Tomi III. XIX. 3. 416.
Communionis varii Ritus. XVII. 2. 363. & ſeqq.
Concilia inſcripta diptychis. XII. 1. 261.
Confeſſio generalis ante Miſſam, & ejus variæ formulæ, atque hic ritus antiquiſſimus eſt. II. 3. 31. & ſeqq. *uſque* ad 7. 44.
Confeſſio Sacramentalis, ſive auricularis peccatorum ad celebrandum, ſive ante Communionem præmittenda. I. 1. 2. & ſeqq.
Confeſſionis priſcus uſus. ibid.
Conſecratio, & ejus forma. XIII. 1. 274.
  Eam non fieri verbis deprecativis. ibid. 4. 293. & 5. 298.
Conteſtatio Miſſæ. X. 1. 227.
Coſmas, & Damianus Martyres qui fuerint. XII. 3. 267.
Crucis ſignum ad Miſſam ex traditione ſine ullius ſcripturæ teſtimonio præmittendum. II. 3. 31.
Crucis ſignum poſt lectum Evangelii titulum a Diacono, primo Librum ſignante, deinde ſe ipſum ſignans in fronte, ore, & pectore, quod & omnes adſtantes faciunt, quid ſignificet. VII. 2. 150.
Cum ſpiritu tuo *hæc reſponſio antiquiſſima*. V. 1. 90.
Cyprianus an fuerit auctor cujuſdam ſermonis de Cœna Domini. XIV. 5. 315.

D

Damaſus Papa an primus præcepiſſet ſervandum ritum alterni cantus. IV. 1. 72.
Damnatio Hæreticorum &c. Vide Hæreticorum.
David Rex primus qui cantaverit Alleluja. VI. 5. 156.
Defenſores Eccleſiæ. II. 1. 26.
Defunctorum Fidelium commemoratio in omnibus Liturgiis deſcripta; atque ante hanc memoriam quædam interpolatio rejecta. XIV. 1. 304.
Denuntiationes jejuniorum, Feſtivitatum &c. quo loco fierent in Miſſa. XVI. 4. 343.
Deo gratias. *Hæc reſponſio antiquiſſima*. VI. 3. 128.
Derivatio Ambonis. Vide Ambo.
Deſcriptio primæ, & ſecundæ Proceſſionis Pontificalis ad Altare, & quidem ſummi Pontificis ad Miſſam celebrandam. II. 1. 26.
  Eadem cæterorum Epiſcoporum. ibid. 2. 29.
Diaconi olim preces decantabant, & admonitiones, ſicut & Flectamus genua. IV. 3. 79. & V. 2. 94.
  Olim etiam a Diaconis dicebatur Levate. ibid.
Diaconicæ preces. IV. 3. 79.
Diptycha quid ſint; iſtorumque Eccleſiaſticorum tria genera: Eorum uſum, atque lectionem ad Ambonem intra Miſſarum ſolemnia, & qui ab iis expuncti, in his ſcripta nomina vivorum &c. item Concilia. XII. 1. 260. & ſeq.
  In Diptychis inſcribendis olim delectus habebatur, & eorum tantum nomina recitata, qui præ cæteris eminebant. ibid. 2. 264.
Diptycha mortuorum. XIV. 1. 304.
  Iſtorum nomina per Eccleſias, & Monaſteria tranſmiſſa, ut in Diptychis deſcriberentur, & cum aliis recitarentur, ibid. 2. 307.

Cur hæc ſolo commemoret Dionyſius. ibid.
Diviſio particularum panis a Græcis uſitata ante Miſſam. I. 7. 25.
Donaria ſacra poſita in Altari. VIII. 8. 195.
Donatiſtæ reprehenſi ab Optato Milevitano circa fractionem Altarium. VIII. 4. 182.
Domine non ſum dignus. XVII. 1. 360.
Dominica oratio; & ejus expoſitio; Iſtiuſque recitatio in Miſſæ ſacrificio ab Apoſtolica traditione, & ex eorum more devoluta. XV. 1. 319.
Ipſius Dominicæ orationis Præfationes variæ. ibid. 320.
Dominicale. XVII. 3. 36.
Dominus vobiſcum. V. 1. 87.
Doxologia. *Vide* Gloria in excelſis.
Durandus quoad inſtitutionem Troporum Gregorio Magno tributam emendatus. III. 3. 55.

E

ECcleſia Ambroſiana adhuc preces prolixas obſervat in diebus Dominicis Quadrageſimæ. IV. 3. 79.
Eccleſiæ aliquæ veluti Ambroſiana, & Lugdunenſis amictum ſumunt poſt albam. I. 6. 21.
Eccleſiaſticus quidam ab Epiſcopo excommunicatus, ab Ethnicis pro fide occiſus, e Templo, in quo erat ſepultus, ſemper egrediebatur, dum Epiſcopus proferret Pax vobis, *donec ab eodem fuit abſolutus*. V. 1. 90.
Elevatio Euchariſtiæ, ejus exemplum habetur in veteri Teſtamento, & quando cœperit iſte mos in Italia &c. XIII. 2. 280.
Emboliſmus, ideſt oratio poſt Pater noſter. XX. 2. 324.
Epinicion. *Vide* Præfationis ſeries.
Epiſcopi prædicare tenentur: VII. 7. 159.
Epiſcoporum ſolemnis proceſſio ad Altare. II. 2. 29.
Poſt confeſſionem aſcendentes ad Altare oſculantur Evangelium, & Altare. ibid. 3. 31.
Epiſtola, ſive Lectio ſacræ Scripturæ in Miſſa. VI. 1. 119.
Ex Synagoga exemplo in Eccleſia ab Apoſtolis deducta; Hanc vero non ab Alexandro I. incepiſſe Lectionem. ibid. 120.
Olim in pulpito legebatur. ibid. 3. 127.
Epiſtola, & Evangelium olim a Lectore legebantur. VI. 3. 128. & VII. 1. 146.
Dum ſummus Pontifex ſolemniter celebrat: Epiſtola, & Evangelium leguntur latine, & græce. ibid. 2. 149. & *vide* Evangelium.
Epiſtolæ nomen cur Lectionibus Liturgicis tributum. VI. 1. 119.
Earum uſus antiquiſſimus. ibid. 2. 122.
Epiſtolæ Pontificum, & Epiſcoporum lectæ in Eccleſia. ibid.
Erectio Altarium ſemper ſuper Martyrum Reliquias. II. 8. 47.
Error Græcorum Schiſmaticorum. *Vide* Græcorum.
Ethnici lotionem manuum atque totius corporis ex quadam naturæ inſtinctu Sacrificio præmittebant. I. 5. 19.
Evangelia ſignato ſigillo Crucis. *Tactis ipſis mos jurandi, & collo appenſa*. VII. 4. 154.
Evangeliorum libro qui honor habitus. III. 6. 70. & VII. 1. 146. 149. & ſeq. & 4. 154. *Vide* Tom. II. XXV. 10. 351.
Evangelium quando cœperit in Miſſa legi; Ab exordio Eccleſiæ cœpiſſe indubitatum: Hoc tamen munus non ſtatim tributum Diaconis. VII. 1. 145.
Lectum etiam Catechumenis tempore Leonis. I. ibid.
Evangelium Marci a Principe Apoſtolorum approbatum primum in Eccleſia publice lectum. ibid. 146.
Ad ipſum legendum, aliaſque Scripturas deſtinatus ordo Lectorum. ibid.
Ante Diaconatus ordinem lectum Evangelium. ib.
Subdiaconis tantum fuiſſe traditam facultatem legendi Epiſtolam circa finem ſæculi octavi. ibid.
Diaconis Evangelii lectionem olim non tributam fuiſſe ex vi ordinationis, ſed ob ſanctitatem, majeſtatem, reverentiam &c. Evangelii. ibid.
A ſolo Archidiacono, a Diaconis, a ſolis Sacerdotibus, in diebus ſolemnibus a ſolis Epiſcopis lectum Evangelium juxta conſuetudinem diverſarum Eccleſiarum. ibid.
Quo ritu olim legeretur, & nunc legatur. ibid. 2. 148. & ſeqq.
Ipſum audientium ſitus, & cæremoniæ. ibid. & 3. 151. & ſeqq.
Antequam canatur Evangelium, aut aliud publice legatur in Eccleſia, a Celebrante petitur benedictio, ejuſque antiquiſſimus ritus. ibid. 2. 149.
Lecto Evangelio reſponſum Amen, *& quid ſignificet*. Deo gratias, *& quid ſignificet*. *Nunc dicitur* Laus tibi Chriſte. ibid.
Reſponſum Amen *etiam in Miſſa Mozarabum, & ipſum Evangelium univerſo Clero, & populo deoſculandum porrigebatur*. ibid. 4. 154.
Quomodo legatur a Maronitis. ibid. 5. 157.
Cur unum potius, quam aliud Evangelium in Miſſa legatur. ibid. 6. 157.
Oſculum libri in fine, ideſt lecto Evangelio, Epiſcopo, vel Celebranti, olim omnibus exhibitum. ibid. 2. 148. 3. 151. & 4. 154. & ſeqq.
Stando, & non ſedendo ſemper auditum Evangelium ab omnibus, Græci Epiſcopi Omophorium deponunt &c., & cur. Milites &c. enſem de vagina educunt, & cur. ibid. 3. 152.
Poſt Evangelium immediate fiunt ſolemnes Monachorum Profeſſiones, & Puerorum a parentibus factæ Monaſterio oblationes, earumque ritus. ibid. 6. 158.
Poſt ipſum ſermones, homiliæ, monitiones ad populum ab Epiſcopo, vel ab alio de ejus mandato, a Parocho in propria Eccleſia factæ, & Pœnitentium ſolemnis abſolutio. ibid. 7. 159.
Ejuſdem lectio in fine Miſſæ. XX. 5. 440.
Euchariſtia non ſumenda, niſi prævia auriculari confeſſione. *Vide* Confeſſio auricularis.
Euchariſtia olim manu excepta XVII. 3. 367.
Et quæ manuum compoſitione a viris, & quomodo a fœminis accepta. ibid. 369.
Domi delata, & ſervata. ibid. 4. 373.
Miſſa ad abſentes, atque in itinera delata, idque pluribus exemplis demonſtratur. ibid. 5. 376.
Cuſtodita in Eccleſiis, Defunctis conſepulta. ibid. 6. 377.
Quando cœperit ore accipi a Communicantibus. ibid. 7. 392.
Abuſus Laicorum eam miniſtrare præſumentium. ibid.
Quomodo conſervetur a Græcis. XVIII. 2. 405. & 3. 409.
Eulogiæ, earumque uſus, ac diſtributio. XIX. 7. 423.
Exempla ritus orationem dandi. V. 1. 93.
Exempla Sanctorum circa Orationes præparatorias ad Miſſam. I. 2. 10.
Exempla Troporum. III. 3. 55.

Exem-

Exemplum damnationis Hæreticorum &c. Vide Hæreticorum.
Expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales hactenus Sancto Gregorio attributa, an vere ipſius ſit. III. 5. 68.
Extenſio manuum, & brachiorum in recitatione Collectarum ſemper uſitata, etiam ab Infidelibus natura duce. V. 7. 114. & ſeq.

F

F*Anon quid*. IX. 1. 198. & *Vide* Tom. II. *in Indice ſub eodem verbo* Fanon.
Ferrerus Jo. Petrus Raven. Sequens Durandum quoad inſtitutionem Troporum Gregorio Magno tributam correctus. III. 3. 55.
Fidelium Miſſa. Vide Miſſa.
Fides cum ſit una, unum etiam Symbolum. VIII. 1. 167.
Finis Canonis. XIV. 5. 315.
Flectamus genua. *Ante Collectam, ſive ad Orationem; olim poſt talem Diaconi monitionem aliquantulum orabatur a* Fidelibus, *inde ab eodem Diacono dicto* Levate *omnibus ſtantibus Sacerdos Collectam recitabat*. V. 2. 94.
Super hunc ritum Baſilii Magni obſervatio: & Cæſarii Arelatenſis monitio. ibid.
Formulæ diverſæ Confeſſionis ante Miſſam. Vide Confeſſio.
Fractio hoſtiæ. XV. 3. 327. & 4. 331.
Fratres cur ſe mutuo vocent Chriſtiani. IX. 6. 223.
Functiones ſacræ peractæ ſemper intra Miſſarum ſolemnia. XIV. 5. 313.
Et cur iſtæ a Miſſa ſejunctæ ſint. ibid. 315.

G

G*Elaſii Miſſale, ſive Sacramentarium*. V. 4. 99. & *Vide* Tom. II. XXV. 10. 331.
Genebrardus arguens Auctores ſuſtinentes Cœleſtinum Inſtitutorem Introitus *&c. refellitur*. III. 1. 49.
Gloria in excelſis. *Cur Hymnus Angelicus dictus, & quis eidem cætera verba addiderit. Nullus autem hoc nobilior*. IV. 4. 81.
A ſummis Pontificibus decretum ut ante Sacrificium recitaretur. ibid. 82.
A Græcis Doxologia nuncupatur, & recitatur in Matutinis, & Laudibus, ſicuti & alibi. ibid.
Olim a ſolis Epiſcopis dicebatur, a Presbyteris in ſolo die Paſchatis, & Berno Augienſis hunc ritum convertere nitens notatus. ib. 5. 85.
Idem Hymnus interpolatus. ibid. 6. 86.
Gloria Patri *&c. Hymnus Glorificationis dictus, Apoſtolicæ traditionis eſt, & poſt Introitum decantatur*. III. 2. 52.
Gloria tibi Domine *poſt lectum Evangelii titulum*. VII. 2. 150.
Græca verſio LXXII. *Interpretum. Vide* verſio.
Græci ſacras veſtes, antequam illis induantur, ſingulas, propriam orationem recitantes, benedicunt. I. 6. 22.
Eorum præparatio panis, & vini; ac diviſio panis in tot particulas ipſorum more. ibid. 7. 25.
Græcorum duplex introitus, parvus, & major, eorum ſolemnis ad Altare acceſſus. III. 6. 70.
Eorumdem Oratio poſt Conſecrationem ut panis fiat Corpus Chriſti, & ejus explicatio. XIII. 4. 293. & 5. 298.
Atque hæc deprecatio poſt Conſecrationem in Liturgia Chryſoſtomi a Græcis Orthodoxis contra Schiſmaticos Catholice interpretata. ibid. 294.
Iidem bis aquam ponunt in Calice. IX. 4. 214.
Eorum ritus in paranda Euchariſtia &c. XVIII. 3. 409.
Graduale pro Antiphonario a Gregorio Magno compoſito. III. 1. 48.
Non a gradibus Altaris, ſed a gradibus Ambonis, ſive pulpiti nuncupatum. VI. 4. 131.
Nomen Reſponſorii datum, ejuſque origo, ac ejuſdem varii ritus. ibid. 132.
Poſt ipſum Graduale quid fuerint olim, & nunc item ſint Laudes apud Hiſpanos. ibid.
Ritus Ambroſianorum, ac Maronitarum circa Graduale. ibid.
Pſallendi aliquot Pſalmi verſiculos ante Gregorium Magnum aderat uſus. ibid.
Toletani Concilii quarti Decretum circa Graduale &c. male intellectum; & Garzias Loayſa notatus. ibid.
Gregorius Magnus auctor Libri Introitus *&c. qui Liber ab ipſo Antiphonarium vocatur*. III. 1. 48. & 4. 56.
Idem etiam nova verſione D. Hieronymi uſus eſt in expoſitione Libri Job. ibid. 57.
Ipſius non eſt expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales. ibid. 5 68.
An idem eam precationem. Kyrie eleiſon *a Græcis ad Latinos traduxerit*. IV. 1. 72.
Idem Sacramentarium Gelaſii cum ſuo coarctavit. V. 4. 99.
Quid addiderit Canoni. XII. 4. 271. & XIV. 5. 313. & XV. 1. 320.

H

H*Æreſis Manichæorum*. XVIII. 1. 399.
Hæreticorum damnationis horribile exemplum calamo intincto in ſanguine Chriſti. XVIII. 3. 409.
Hæreticorum ſalutatio non recipienda, neque ipſis danda. V. 1. 89.
Ipſis numquam ſcriptas Literas irenicas, pacificas, aut communicatorias. VI. 2. 122.
Hanc igitur oblationem. *Variæ hujus Orationis formulæ antiquæ indicantur*. XII. 4. 271.
Hieronymi verſio vetus, & nova ſacræ Scripturæ. Vide Verſio.
Ejuſdem Liber Comitis dictus, qualis fuerit. Vide Liber Comitis.
Hippolyti Martyris Canon Paſchalis. VI. 2. 123.
Homouſion: Hac voce creditur una Trinitatis ſubſtantia. IV. 1. 73.
Hora celebrandi Miſſam. I. 4. 13.
Hoſtiæ, & Calicis elevatio, & Hoſtiæ elevationis exemplum in veteri Teſtamento habetur. XIII. 2. 280.
Hoſtiæ ſitus in Altari, ſive olim quomodo collocarentur Hoſtia, & Calix &c. IX. 5. 217.
Humiliate capita veſtra Deo. XX. 2. 430.
Hymni Liturgici quatuor apud Græcos, & tres apud Latinos. X. 5. 239.
Hymnus Angelicus. Vide Gloria in excelſis.
Hymnus Glorificationis. Vide Gloria Patri.
Hymnus Seraphicus. Vide Præfationis ſeries.

I

J*Ejunia quatuor Temporum olim propria ſede carebant*. XVI. 4. 343.
Jejunium neceſſarium ante Sacrum celebrandum. I. 4. 13.
Illuſio nocturna ſine culpa eveniens an impediat celebrationem. I. 4. 14.
Imagines ſacræ D. noſtri Jeſu Chriſti eodem hono-

re, quo Liber SS. Evangeliorum adorandæ. VII. 4. 153.
Incenſi uſus in Miſſa. IX. 5. 218. & Vide Tom. II. XXV. 21. 337.
Incredulorum pro converſione orandum contra opinionem Vitalis Carthaginenſis. V. 2. 93.
Indulgentiæ quo loco in Miſſa publicarentur. XVI. 2. 239.
Ingreſſus major apud Græcos, cum dona feruntur ad Altare. IX. 4. 214.
In ſpiritu humilitatis: Per hanc deprecationem quid intelligatur. IX. 5. 217.
Interpolationes in Miſſa. III. 3. 54. & IV. 2. 76.
Variæ ad Hymnum Angelicum, atque additamenta. ibid. 6. 87. X. 4. 236. XIV. 1. 304. XVI. 1. 337. & ſeqq. uſque ad 347.
Introitus Miſſæ, ejus inſtitutio, & antiphona quid ſit. III. 1. 48.
Introitus irregulares dicti a Durando, quia antiquo more non deſumpti ex Pſalmis, & iis caret Antiphonarium Gregorianum. III. 3. 54.
Introitus Miſſæ dictus ab Ambroſianis ingreſſa. ibid. 1. 48. & ſeqq.
A nonnullis Eccleſiis in diebus ſolemnioribus ter decantatus. ibid. 3. 54.
Ambroſiani numquam repetunt, niſi in Miſſis Defunctorum: Quia ipſarum ingreſſa caret Pſalmo, & Gloria Patri. ibid.
Mozarabes poſtremam tantum partem bis repetunt. ibid.
Aliquando intermixtus aliquo Tropo. ibid. 55.
Omnes fere Introitus a Gregorio Magno compoſiti, & ex ſacra Scripturæ verſione veteri Itala dicta deſumpti. ibid. 4. 56.
Græcorum duplex Introitus, parvus, & major. ibid. 6. 70.
Inventio miraculoſa Triſagion Sanctus Deus &c. X. 5. 238.
Invocatio Spiritus Sancti ad Oblationem &c. IX. 5. 217.
Invocatio Spiritus Sancti poſt Conſecrationem in aliquibus Occidentis Eccleſiarum Liturgiis ſuſtinetur. XIII. 4. 293. & 5. 298. & ſeq.
Irenicæ, ſive Diaconicæ preces Græcorum. IV. 3. 79.
Irenicæ, Pacificæ, aut communicatoriæ Literæ. VI. 2. 122.
Ite Miſſa eſt. XX. 3. 433.
Jubilationis nomen, ſive jubili notis poſt Alleluja ſignatis, traditum. VI. 5. 137.
Judica me Deus Pſalmus vario modo recitatus. II. 3. 31.

K

Kyrie eleiſon, ſeu Domine miſerere ex quodam naturæ occulto inſtinctu prolato. Hæc precatio etiam apud Gentes fidei lumine deſtitutas communis. Ab Armenis &c. ſuo idiomate uſurpata. A Græcis ſimul ab univerſo cœtu canitur. IV. 1. 72.
Olim toties Chriſte, quoties Kyrie, nunc tantum ter Chriſte, & ſex Kyrie dicitur. ibid.
Cur græce potius poſitum, quam latine a Latinis dicatur. ibid.
Hac voce quocumque idiomate dicta unius Dei natura a cunctis rogatur, ut miſereatur. ibid. 73.
Kyrie in aliquibus Eccleſiis cantatum, quibuſdam clauſulis interpoſitis additum, & adſunt aliquot in exemplum. ibid. 2. 76.
Poſt Kyrie in diebus, quibus non dicebatur Gloria, olim prolixæ preces dictæ; a Græcis Irenicæ, ſive Diaconicæ dictæ: atque a Latinis olim recitatæ. ibid. 3. 77.
Quæ nunc in Eccleſia Mediolanenſi in diebus Dominicis Quadrageſimæ etiam obſervatæ. ibid. 80.

L

Labrum æneum in Templo ad lavandas manus. I. 5. 19.
Lac, & Mel propter infantes, panis, vinum, oleum, incenſum, ſpicæ novæ, fructus, primitiæ oblatæ, hæc omnia benedicuntur. VIII. 4. 182.
Laici aſcendere ſuggeſtum Lectoris, atque Cantoris officio fungi non poſſunt. VI. 3. 127.
Laici excluſi ab Altare, & a Sanctuario. X. 1. 199.
Latini a Græcorum calumnia vindicantur. Et quamvis in aliquibus Occidentis Eccleſiarum Liturgiis poſt Conſecrationem brevis oratio legatur, qua invocatio Spiritus Sancti praeſcribitur, hæc tamen Catholicum ſenſum non excludit. XIII. 5. 298.
Laudes poſt Collectam olim recitatæ ſuper Pontifices, Imperatores, Reges, ac Principes, atque etiam Litaniæ. V. 8. 115. & ſeq.
Lectio ex Prophetis præmiſſa olim Epiſtolæ. VI. 3. 128.
Lectiones in Miſſa. ibid. 1. 119.
Lectionum ordo per annum, etiam ante Hieronymum in Eccleſia datus. ibid. 2. 123.
Lectores olim Epiſtolam, & Evangelium legebant. ibid. 3. 127.
Levate. 5. 2. 94.
Liber Comitis, qui & Lectionarium dictus, jubente Damaſo Papa a Hieronymo ordinatum; idemque Pontifex in Eccleſia ſervari ordinem illum præcepit. VI. 2. 123.
Liber Evangeliorum quanta reverentia tractatus. III. 6. 79. & VII. 1. 146. & in Conciliis in Throno collocatus. ibid. 4. 154. & vide Evangelium.
Liber Introitus. Vide Antiphonarium.
Libera nos poſt Pater noſter, quæ oratio Embolismus dicta. XV. 2. 324.
Literæ Irenicæ &c. Vide Irenicæ.
Lotio manuum ante ſacrum tractandum Græcis, Ægyptiis, atque Hebræis, indeque Chriſtianis communis. I. 5. 19. & poſtquam quis Thus adolevit, & cur. IX. 6. 222.
Lucas laudatus a Paulo de Evangelio; & fuit comes ſuæ peregrinationis: & hæc laus in Evangelio non fuit de Barnaba, ut Græci putant. VII. 1. 145.

M

Macrobius Donatiſta convictus quoad memorias Sanctorum. II. 8. 46.
Manichæorum hæreſis. XVIII. 2. 399.
Manipulo dum induuntur Græci eorum oratio. I. 6. 22.
Manuum lotio ante Sacrum faciendum. Vide Lotio.
Mare æneum ad lavandas manus poſuit Salomon in ingreſſu Templi. I. 5. 19.
Maronitæ quo ritu legant Evangelium. Vide Evangelium.
Martyres ſoli in Canone Miſſæ poſt B. Virginem, & Apoſtolos nominati. XII. 3. 266.
Mediolanenſes Ambroſiani utuntur veteri Pſalterio. III. 5. 67.
Mediolanenſis Eccleſia etiam nunc præmittit Epi-

ſtolæ

ſtolæ lectionem aliquam ex Prophetis; ita & Mozarabica. VI. 3. 128.
Memento Domine &c. XI. 4. 255. & 5. 256. & *vide* nominum recitatio.
Meridæ quid ſignificent. I. 7. 25.
Milites religioſi, & equeſtris ordinis viri enſi manum admovent, vel de vagina educunt, cum recitatur Evangelium; & cur. VII. 3. 152.
Miniſtri proceſſionis Pontificalis ad Miſſam celebrandam, qui. II. 1. 26.
Miſſa edita ab Illirico. *Vide in* Appendice.
Miſſa Fidelium; Ejus initium a Symbolo ab Apoſtolis ſine ſcripto traditum. VIII. 1. 166.
Miſſa Latina interpolata. *Vide in* Appendice.
Miſſa pro conventu Monachorum quando ſumpta. III. 1. 48.
Miſſa præparatio I. 1. 1. & ſeq.
Ejuſdem celebratio qua hora facienda. ibid. 4. 13.
Miſſale S. Gelaſii. *Vide* Gelaſii.
Miſſalis cum Breviario conſonantia. III. 5. 68.
Miſſatica paratura. I. 7. 24.
Monachorum profeſſio in Miſſa poſt lectum Evangelium ſolemniter facta. VII. 6. 158.
Mortuorum diptycha. *Vide* Diptycha.
Mos legendi Evangelium in Eccleſia antiquiſſimus, & ab ipſius exordio. VII. 1. 145. & ſeq.
Mos veteris Eccleſiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinens benedicere, niſi ex oblatis. VIII. 4. 182.
Mos veteris Eccleſiæ officium cum Miſſa convenire. IV. 3. 79.
Mos panem, & vinum offerendi antiquiſſimus; aliaque &c. VIII. 4. 182.
Mozarabes poſtremam tantum partem Introitus Miſſæ bis repetunt. III. 3. 54.
Iſti utuntur veteri Pſalterio. ibid. 5. 65.
Præmittunt etiam nunc Epiſtolæ lectionem aliquam ex Prophetis. VI. 3. 128.
Eorumdem ſpecialis ritus in nominum recitatione, & quare cum mortuis nomina etiam Sanctorum recenſeant. XIV. 3. 308. & 4. 310.
Munda cor meum. *Oratio ante Evangelium*. VII. 2. 149.
Munditia carnis ante Miſſam, quæ in caſtitate conſiſtit. I. 4. 13.
In veſtimentis. ibid. 5. 20.
Munera, & oblationes inter ſe invicem diſtinguuntur. VIII. 5. 185.
Munus concionandi in Eccleſia poſt Evangelium Epiſcoporum proprium, & ab initio ad noſtra uſque tempora obſervatum. VII. 7. 159.
Mutatio veteris verſionis Pſalterii ante annos ſexcentos, & ultra facta, non bene conſiderata. III. 5. 68.
Mutationes in veterum verſionem ſacræ Scripturæ. ibid. 4. 57.
Myſterium ſanguinis, & aquæ e latere Chriſti emanatæ commemoratum. I. 7. 25.

N

N*Ecrologium*. XIV. 2. 307.
Neumata, Neumæ, Pneumata quid? & quomodo in Alleluja *decantando protrahantur*. VI. 5. 137.
Nitor veſtium apud omnes Templum ingreſſuros obſervatus. I. 5. 20.
Nobis quoque peccatoribus. *In hac oratione ſancti Martyres ex diverſis ordinibus ſelecti*. XIV. 5. 313.
Nomen Antiphonæ Introitu Miſſæ proprie tributum. III. 1. 48.
Nominum recitatio in Miſſa. VIII. 7. 191. XI. *per totum Caput* XIV. 2. 307. & ſeqq. *Vide* Canon.
In nominum recitatione Mozarabum ſpecialis ritus, & quare cum mortuis nomina etiam Sanctorum recenſeant. XIV. 3. 308. & 4. 310.

O

O*Bjectio quædam diluitur quoad primam oblationis Orationem* Suſcipe Sancte Pater. IX. 3. 205.
Oblatio Calicis, cur in hac oblatione dicatur Offerimus, *& in oblatione panis dicatur* Offero. IX. 5. 217.
Oblatio Agni a Romanis, calumnia Photii. VIII. 5. 185.
Oblatio panis & vini conſecrandi a Populo facta, antiquiſſima. VIII. 4. 182.
Oblatio pecuniæ. ibid. 8. 194.
Oblatio, quod vocalis ſit, ac certis orationibus prolata ad Sacrificii integritatem non pertinet. IX. 2. 201.
Oblationes impiorum, & infidelium rejectæ. VIII. 5. 186.
Oblationes in uſus pauperum. ibid. 8. 195.
Oblationes nomen æquivocum. ibid. 5. 186.
Oblationis ritus deſcribitur. IX. 1. 198.
Oblationum, & donationum chartæ olim ab antiquis ſuper Altare poſitæ: ſicuti & profeſſionis Novitiorum, & Abbatum ſponſionis Epiſcopo. VIII. 8. 195. & ſeq.
Oblationum, & munerum diſcrimen. VIII. 5. 185.
Offerendi mos antiquus. VIII. 4. 182. & 5. 185.
Quando deſierit: probabile admodum hunc uſum ceſſaſſe apud Latinos, cum Panis azymus a Miniſtris Altaris pro Miſſæ Sacrificio confici cœpit. ibid. 8. 194.
Offerendi jus annexum jure communicandi. ibid. 5. 185.
Offerentes an accederent omnes ad Altare. XI. 1. 199.
Offerentes non ſemper communicabant. VIII. 6. 188. & 7. 192.
Offertorium, ſive Antiphona, & verſus, qui poſt Evangelium, vel poſt Symbolum cantantur, vel recitantur; quiſve fuerit Auctor, ejuſque ritus, & quid ejus nomine ſive offerenda intelligatur; verſus vero ceſſati ceſſantibus oblationibus, & introductis organis. Et cur repetiti verſus præcipue in offertorio hebdomadæ XXI. poſt Pentecoſtes. VIII. 3. 178.
Offerumenta. ibid. 5. 186.
Offerunt Græci pro diverſis plures particulas. I. 7. 25.
Omiſſio aquæ vino miſcenda etſi lethalis ſit, non tamen invalidam efficit conſecrationem. IX. 5. 206.
Omophorium, ſeu Pallium depoſitum ab Epiſcopis Græcis ad audiendum Evangelium, & cur. VII. 3. 152.
Orate Fratres: *& cur dicatur* orate, *& cur Chriſtiani ſe invicem* Fratres *appellent*. IX. 6. 222. & ſeq.
Oratio Aufer a nobis, *ſicut & alia* Oramus &c. *vetuſtiſſima*. II. 2. 46.
Oratio cur manibus, & brachiis expanſis fiat. V. 7. 114.
Oratio Dominica, ejuſque præfationes, & expoſitio. XV. 1. 319.
Oratio Libera nos *poſt Orationem Dominicam, dicitur Emboliſmus*. ibid. 2. 324.

Oratio

Oratio præparatoria, quæ incipit Summe Deus, *non S. Anſelmo Cantuarienſi adſcribenda, ſed S. Ambroſio.* I. 2. 10.

Oratio ſuper populum. XX. 2. 429.

Orationem dare quid ſit; illiuſque ritus exempla. V. 2. 93.

Orationes a Græcis in præparatione panis ad Protheſim recitatæ. I. 7. 25.

Orationes ante Communionem. XVI. 6. 350.

Orationes dum Sacerdos induit ſe ſacris veſtibus, quas Græci antequam ſumant, ſingulas ſemper benedicunt. I. 6. 22.

Orationes in oblatione munerum diverſæ in diverſis Eccleſiis. IX. 2. 200.

Orationes olim pro pace, & pro aliis neceſſitatibus poſt Orationem Dominicam. XVI. 4. 343.

Orationes poſt Communionem dictæ pro Communicantibus. XX. 2. 429.

Orationes præparatoriæ ante Miſſam. I. 1. 2. & 2. 10.

Orationes recitandæ a Sacerdote dum ſacris veſtibus induitur, cum non ſint ex præcepto, utrum illis dimiſſis aliquod Pſalmum poſſit ſubrogari. I. 6. 22.

Orationes Sacerdotis cum aſcendit ad Altare. II. 8. 46.

Orationes Sacerdotis cum diſcedit ab Altari. XX. 6. 442.

Orationes ſecretæ. IX. 6. 223.

Ordo Diaconatus multo ante Subdiaconatum, & ob reverentiam Evangelii inſtitutus. Lectoratus vero ab initio Eccleſiæ. Subdiaconatus circa finem ſæculi octavi inſtitutus. In Diaconatus ordinatione antiquitus non tradebatur Liber Evangeliorum, neque proferebantur verba, quæ hodie in uſu ſunt. VII. 1. 146.

Ordo Proceſſionis Pontificalis ad Miſſam celebrandam deſcriptus: & apud antiquos procedere nihil aliud eſt, quam in Eccleſiam ad Synaxim celebrandam convenire. II. 1. 26.

Oremus *ante Collectam, quare præmitti ſoleat.* V. 2. 93.

Origenes an viderit Prototypon verſionis veteris ſacræ Scripturæ. Vide Verſio

Origo alterni cantus. Vide Cantus.

Origo ſalutationis Epiſcopalis Pax vobis. *Sacerdotalis apud Latinos* Dominus vobiſcum. *Apud Græcos* Pax omnibus, *ejuſque reſponſio* Et cum ſpiritu tuo *antiquiſſima. Pax cum omnibus indiſcriminatim ab Hæreticis adhibita damnata.* V. 1. 88. & ſeq.

Oſcula tum Miniſtrorum, tum Evangelii, & Altaris antiquitus ſancita. II. 3. 31. & *vide* Evangelium.

Oſculatio Altaris in recitatione Orationis Oramus te Domine. II. 8. 46.

Oſculatorium. XVI. 7. 356.

Oſculum Evangelii non ſolum Epiſcopo, ac Celebranti, olim omnibus exhibitum. VII. 2. 148. *Vide* Evangelium.

Oſculum pacis ante Communionem; diverſi quoad oſculum pacis Eccleſiarum Ritus, & quis fuerit inſtitutor. XVI. 6. 350.

Item in omnibus Sacramentis, & functionibus ſacris. ibid. 7. 356.

P

Panem, & vinum offerendi mos antiquiſſimus, aliaque addita ſicuti lac, & mel. VIII. 4. 182.

Panis, & vini præparatio Latinorum. I. 7. 24.

Panis conſecrandus cur dicatur hoſtia immaculata in oratione Suſcipe ſancte Pater. IX. 3. 205.

Papæ celebraturi proceſſio ad Altare. II. 1. 26.

Papæ communio ſolemniter celebrantis. Vide Communio.

Papæ nomen in Canone, & Epiſcopi. XI. 3. 250. & ſeq.

Parochi in reſpectiva propria Eccleſia debent poſt Evangelium ſermonem habere populo. VII. 7. 159.

Paſſionis Chriſti commemoratio. XIII. 3. 270.

Pax cum omnibus debet habere Sacerdos ante celebrationem Miſſæ. I. 3. 12.

Pax cum omnibus debet habere Sacerdos ante celebrationem Miſſæ. I. 3. 12.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. XVI. 4. 343.

Pax vobis *Salutatio Epiſcopalis antiquiſſima; utraque ſalutatio* Pax vobis, & Dominus vobiſcum, *communionis, & pacis Teſſera eſt.* V. 1. 89.

Percuſſio pectoris, ſive Tunſio in peccatorum confeſſione antiquiſſima. II 7. 44.

Peregrinationis Comes S. Pauli. Vide Lucas.

Pervigilium ante Miſſam. I. 4. 13.

Photii calumnia de Agno a Romanis oblato. VIII. 5. 185.

Placeat tibi Sancta Trinitas. XX. 3. 434.

Pœnitentiales in Pſalmos expoſitio. Vide Expoſitio.

Pœnitentium abſolutio poſt Evangelium data. VII. 7. 159.

Pollutio nocturna. Vide Illuſio.

Poliptycha, Triptycha, atque Pentaptycha. XII. 1. 260.

Populus an ſua dona oblaturus ad Altare accederet. IX. 1. 199.

Poſtcommunio. XX. 2. 429.

Præfationes Miſſæ, ſive immolationes, conteſtationes, inlationes, & quis primus earumdem extiterit Auctor incertum. Verum ipſarum inſtitutio Apoſtolicis viris tribuenda. X. 1. 227.

Cur in iſtis præmiſſa ſalutatione populo dicantur Surſum corda, Habemus ad Dominum, Gratias agamus &c., Dignum, & juſtum eſt. ibid. - 228.

In fine Præfationum cur dicatur Sanctus &c. ibid. - 229.

Ritus, & origo hujus clauſulæ Præfationum Hymno Seraphico. ibid. 4. 235.

Atque Hymnus iſte olim alicubi quandoque interpolatus. ibid. - 236.

Præfationis ſeries, ſive uſus ipſius antiquiſſimus in omnibus Eccleſiis, ſed formulæ diverſæ, & licet variæ in diverſis, earum tamen argumentum idem ubique. X. 2. 230.

Quod argumentum quidem circa Dei perfectiones, & attributa, æternam Verbi generationem, ipſiuſque incarnationem, ac immenſam erga homines miſericordiam verſatur. ibid. - 231.

Etiam aderat Præfatio pro Miſſa, in qua Epiſcopus conſecratur. ibid. - 232.

Præfationum numerus in Romana Eccleſia redactus ad novem, & hæc reſtrictio perperam Pelagio II. tributa X. 3. 233.

His addita una communis a Gelaſio, vel Gregorio; Altera de B. Virgine ab Urbano II. ibid.

Præparatio Miſſæ I. 1. 1. & ſeq.

Præparatio panis, & vini apud Græcos ante Miſſam; Ipſos Chartuſiani, Prædicatores, olim Ciſtercienſes, aliique imitantur. I. 7. 24.

Præſentia, ſeu modus, quo Chriſtus Dominus in Eu-

Euchariſtia realiter exiſtit, nonnullis veterum textibus comprobatur. XV. 3. 328.
Preces Irenicæ. IV. 3. 79.
Preces olim poſt Kyrie. IV. 3. 79.
Poſt Pater noſter. XVI. 3. 340.
Poſt Pax Domini. ibid. 4. 343.
Preces præparatoriæ apud Antiquos prolixæ. I. 2. 10.
Priſcillianus non ſemel, ſed ſemper ab Epiſcopis Pax vobis *dicendum eſſe contendens damnatus.* V. 1. 89.
Procedere apud antiquos nihil aliud eſt, quam in Eccleſiam ad Synaxim celebrandam convenire. II. 1. 26.
Proceſſio prima, & ſecunda ſolemnis Pontificalis, & quidem ſummi Pontificis ad Miſſam celebrandam. II. 1. 26.
Epiſcoporum ejuſdem deſcriptio. ibid. 2. 29.
Profeſſio puerorum. VII. 6. 158.
Profeſſionis ritus Monaſticus. ibid.
Pronus, ſive Præconium. VII. 7. 160.
Propbetalis verſus. II. 1. 27.
Proteleſticæ. Vide Preces præparatoriæ.
Protbeſis, ſeu Menſa Altaris. I. 7. 24.
Pſalmi aliquot olim recitati antequam diceretur Agnus Dei. XVI. 4. 343.
Pſalmi ante Miſſam. I. 2. 10. & 6. 22.
Pſalmi recitandi a Græcis dum ſe parant. I. 6. 22.
Pſalmus Judica me Deus *vario modo recitatus.* II. 3. 31.
Pſalmus poſt Introitum. III. 2. 52.
Pſalterii verſio vetus cum canticis dicta Italica. III. 4. 56.
Hac Baſilica Vaticana a mendis purgata ſola adhuc utitur. ibid. 58.
Vetuſto more Ambroſiana Eccleſia, ac Mozarabica ex inſtitutione Ximenes Archiepiſcopi Tolet. ea utuntur. ibid. 5. 67. *Vide* Verſio vetus.
Puerorum communio. Vide Communio.
Puerorum oblatio poſt Evangelium facta. VII. 6. 158.
Pulpitum ad legendas Lectiones. VI. 3. 127.
Puritas mentis, & corporis Sacerdoti ad ſacrificandum neceſſaria. I. 1. 1. *Item animi.* ibid. 3. 12. *Vide* Munditia.

Q

QUam Oblationem &c. XIII. 1. 274.
Quantitas aquæ vino miſcendæ modiciſſima. IX. 3. 206.
Qui pridie &c. XIII. 1. 275.

R

R*Econciliatio cum omnibus ante Miſſam.* I. 3. 12.
Regis nomen in Miſſa. XI. 4. 256.
Regula Fidei una eſt &c. & cur illi nomen Symboli impoſitum. VIII. 1. 166. *Vide* Symbolum.
Reſponſio Et cum ſpiritu tuo *antiquiſſima.* V. 1. 90.
Reſponſorium. VI. 4. 131. *Vide* Graduale.
Ritus confeſſionis generalis ante Miſſam præmiſſo Pſalmo Judica me, *antiquiſſimus eſt, licet diverſæ ejus formulæ ſint.* II. 3. 31.
Ritus deponendi baculos, arma, & alia inſignia, & ad Confeſſionem Sacramentalem, & ſtandi dum legeretur Evangelium, antiquiſſimus. VII. 3. 151.
Ritus flectendi genua ad Orationem. V. 2. 94.
Ritus Græcorum bis aquam vino miſcendi approbatus. IX. 4. 215.
Ritus manuum ablutionis poſt Oblationem omnibus Nationibus communis. IX. 6. 222.
Ritus Oblationum. Vide Oblationis.
Ritus Orationem dandi exempla. V. 2. 93.
Ritus priſcus fuit ea tantum offerre, quæ Sacrificio uſui erant: Reliqua vero velut oleum, incenſum, mel, lac, & primitias &c. quomodo & cur permiſſum fuerit, & benedici. VIII. 4. 182.
Ritus procedendi ad Altare, antonomaſtice Ordo *vocatus.* II. 2. 29.
Ritus prolixarum precum in Eccleſia Latina uſque ad IX. ſæculum perſeveratus. IV. 3. 79.
Ritus ſacræ Benedictionis antequam quid publice legatur in Eccleſia antiquiſſimus. VII. 2. 149.
Rogus Dei. V. 6. 111.

S

S*Acerdos dum ſacris veſtibus induitur, utrum poſſit Orationes ad eaſdem præſcriptas omittere.* I. 6. 28.
Sacerdos quidam ab Epiſcopo excommunicatus. Vide Eccleſiaſticus.
Sacerdotis ad Altare duplex proceſſio. II. 1. 26.
Ejuſdem ſecunda proceſſio ad Altare. ib. 2. 29.
Sacerdotis præparatio ad celebrandum. I. 1. 1.
Sacræ Scripturæ verſio vetus, & nova. Vide Verſio.
Salutatio ab Hæreticis non recipienda, neque ipſis danda. V. 1. 89.
Salutationes Pax vobis, & Dominus vobiſcum *antiquiſſimæ.* V. 1. 8.
Sancta Sanctis. I. 1. 2. & 3. 12. & XVII. 3. 367.
Sanctorum commemoratio poſt confeſſionem. II. 7. 44. & 46.
Sanctorum communicatio. II. 8. 47. *Vide* Communicatio.
Sanctorum memoria in Miſſa. XII. 2. 264. & 3. 266.
Quomodo pro Sanctis Sacrificium offerri dicatur. XIV. 4. 310.
Sanctus, Sanctus, Sanctus. X. 4. 235.
Sanguine Chriſti ſcripta damnatio quorumdam hæreticorum. Vide Hæreticorum.
Scholaſticus quis olim diceretur. XI. 2. 245.
Scriptorum audacia, vel Epiſcoporum licentia, mutationes in veterem ſacræ Scripturæ verſionem. III. 4. 57.
Scripturæ ſacræ lectio in Eccleſia ex Synagogæ exemplo ab Apoſtolis deducta. VI. 1. 119.
Sermo poſt Evangelium. Vide Evangelium.
Sequentiæ cur ſic appellatæ. Primus earum auctor Notgerus Abbas S. Galli: Plurium ſæc. XII. Adam de S. Victore.
Multi multas introduxerunt, inter quas multæ ineptæ.
Lugdunenſes proprias habent in omnibus fere Miſſis; Etiam propriæ in Miſſali Novergiæ, & in aliis &c. VI. 6. 141.
Romana Eccleſia tantum quatuor canit, videlicet: Victimæ Paſchali, *cujus Auctor Notgerus;* Veni ſancte Spiritus, *Robertus Galliarum Rex;* Lauda Sion Salvatorem, *S. Thomas Aquinas;* Dies iræ, dies illa; *quæ improprie dicitur ſequentia, nulli antiquorum tribuenda, ſed alicui recentiori.*
Græci nullis utuntur, ſed poſt Orationem canunt Triſagion, & Alleluja; completa Epiſtola repetunt Alleluja. ibid. 142.
Septuaginta Interpretum auctoritas. III. 4. 57.
Signum Crucis ad Miſſam ex traditione ſine ullius Scripturæ teſtimonio præmittendum. II. 3. 31.
Spiritum Sanctum invocandi ad Oblationem &c. mos antiquiſſimus. IX. 5. 217.

Spiritus

Spiritus Sancti invocatio poſt Conſecrationem quomodo explicanda. XIII. 5. 297.
Statuta Monachorum circa illuſiones nocturnas impedientes celebrationem Miſſæ. I. 4. 14.
Stola dum induuntur Græci eorum oratio. I. 6. 22.
Subdiaconi quo tempore Epiſtolam legere cœperint, incertum. VI. 3. 128.
Suggeſtus Eccleſiæ. VI. 3. 127.
Summi Pontificis proceſſio ad Altare. II. 1. 26.
Surſum corda. X. 1. 228.
Supplices te rogamus. XIII. 4. 293.
Suſcipe S. Trinitas: *In hac oratione non legendum* juſtorum *ficuti perperam aliqui volunt, ſed* iſtorum, *& hac oratio antiquiſſima*. IX. 6. 222.
Suſcipiat Dominus. ibid.
Symbolum ſola voce traditum Fidelibus. Et cur illi Symboli nomen impoſitum fuerit. VIII. 1. 66.
Hoc ſolo Apoſtolico Symbolo trecentis, & amplius annis uſa eſt Eccleſia, ideſt uſque ad Arium; Et ſolum ab Athanaſio, Baſilio, & Leone, aliiſque ſuis ſcriptis inſerto. ibid. - 167.
Cur Conſtantinopolitanum potius, quam Nicenum in Miſſa cantari inſtitutum ſit. ibid.
Quis primus Symbolum Liturgiæ inſeruerit, aut cantari præceperit, incertum; Verum ante annum 510. *in Paraſceve tantum dicebatur; ideſt ſemel in anno: atque eodem anno Conſtantinopolim, & etiam Antiochiæ poſtmodum per ſingulas Synaxes recitari inſtitutum eſt*. ibid. 2. 171.
Primi inter Latinos receperunt Hiſpani, & quidem apud Mozarabes poſt Conſecrationem recitatum Symbolum Conſtantinopolitanum. ibid. - 172.
Sæculo V. addita Symbolo particula Filioque *in Synodo Aquiſgranenſi, & quid tempore Leonis ſucceſſum*. ibid.
In Eccleſia Romana non cantatum in Miſſa niſi poſt annos mille: & cur. ibid. - 172.

T

T*Abellæ appoſitæ Communicantibus, nunc lintramina*. XIII. 3. 367.
Te igitur. XI. 3. 250.
Thronus Epiſcopalis in Eccleſia. VI. 3. 127. *Vide* Tom. II. XX. 7. 90.
Thurificatio &c. IX. 5. 218.
Tractus quid ſit. VI. 5. 137.
Triſagion duplex. X. 5. 238. *Vide* Præfationis ſeries.
Triſagion Sanctus Deus: *iſtius miraculoſa inventio*. ibid.
Tropi ad Introitum, eorumdem inſtitutio cui tribuenda. III. 3. 55.
Tunſio pectoris in Confeſſione peccatorum antiquiſſima. II. 7. 44.

V

VEni Sanctificator: *Hujus deprecationis quæ directio*. IX. 5. 217.
Verſiculi ex Pſalmis poſt Confeſſionem. II. 7. 44.
Verſio vetus Pſalmorum ſive ſacræ Scripturæ Italica dicta, tempore Apoſtolorum compoſita poſt Chriſti Aſcenſionem, ex qua D. Gregorius Magnus deſumpſit fere omnes Introitus. III. 4. 56.
Iſtius Prototypon an Origenes viderit. ib. - 57.
Integrum tamen ejuſdem corpus nullibi extat, ſolumque remanſit Pſalterium cum Canticis quæ in divinis officiis recitabantur. ibid.
Quod Pſalterium cum Canticis ſola Baſilica Vaticana retinuit, & adhuc ſervat. ibid. - 58.
Eadem Itala deinde dicta, atque etiam Romana, omnibus Latinis verſionibus præſtantior. ibid. - 57.
Verſio Græca LXXII. Interpretum Apoſtolis, primiſque Fidelibus initio Eccleſiæ admodum uſitata. ibid.
Vetus illa an poſt verſionem S. Hieronymi omnino interierit. ibid.
Scriptorum audacia, vel Epiſcoporum licentia mutationes in veterem verſionem. ibid.
Nova verſione D. Hieronymi uſus eſt S. Gregorius Magnus in Expoſitione libri Job. ibid.
Veteri verſione Pſalterii utuntur in divinis Officiis Ambroſiani, & Mozarabes, & in Hiſpania. ibid. 5. 67.
Uſus iſtius juxta veterem Italicam verſionem ante annos ſexcentos & ultra ſublatus. ibid.
Bruno Aſtenſis ignorans iſtius verſionis veteris Italæ dictæ Expoſitores non laudatus. ibid.
Hinc Cardinalis noſter, primus eſt qui dubitavit, an expoſitio in Pſalmos Pœnitentiales hactenus S. Gregorio Magno attributa vere ipſius ſit. ibid. - 68.
Italicæ veteris verſionis Pſalterii mutatio non bene conſiderata. ibid.
Veſtes ſacræ ad celebrandum cum Orationibus a Sacerdote dicendis dum illis induitur, earumque Ordo veſtiendi. I. 6. 22. *Vide* Tom. II. XXIV. 1. 211.
Veſtium munditia ſive nitor ad ſacrificandum. I. 5. 20.
Viaticum duplex abſolutionis, & Euchariſtiæ. XIX. 4. 418.
Vigiliæ nocturnæ ante Miſſam. I. 4. 13.
Vinum aqua miſceri ex Chriſti inſtitutione: Alexander autem Papa I. *non auctor mixtionis aquæ in Calice, ut nonnulli perperam ſcribunt*. IX. 3. 205.
Ejuſdem aquæ vino miſcendæ omiſſio, etſi lethalis ſit, non tamen invalidam efficit conſecrationem. ibid. - 206.
In modiciſſima vero quantitate vino aqua miſcenda. ibid. - 207.
Myſterium ejuſdem mixtionis. ibid.
Virginis Mariæ, & Sanctorum commemoratio. XII. 2. 264. 3. 266. XV. 2. 325.
Vitalis Carthaginenſis docens non eſſe orandum pro incredulis a S. Auguſtino correctus. V. 2. 93.
Unde & memores. XIII. 3. 291.
Uvæ benedictio. XIV. 5. 314.

X

X*Imenes Archiep. Tolet. ex iſtius inſtitutione Mozarabes vetuſto more Pſalterii veteri verſione cum Canticis etiam nunc utuntur*. III. 5. 67.

Z

Z*Ona dum induuntur Græci, ſive cingulo eorum Oratio*. I. 6. 22.

I N D E X

PRÆCIPUARUM RERUM, ET VERBORUM

IN COMMENTATIONES, ADDITIONES, ET NOTAS

Ad Librum ſecundum, ſeu Tomum tertium.

Numerus primus Caput, ſecundus §., tertius Notam, quartus paginam indicat.

A

ABlutio poſt Communionem facienda &c. xx. 1. 1. & ſeqq. 428.

Abuſus olim Presbyterorum, vel Epiſcoporum emendatus: Nam dicta ab illis Collecta, ſive Oratione ab alio quod Miſſæ ſupererat, dimittebatur peragendum. v. 2. 1. 94.

Acceſſus ad Altare non omnibus offerentibus conceſſus; & affertur exemplum ſcitu dignum. ix. 1. 3. & ſeqq. 199.

Acceſſus Sacerdotis ad Altare, ſive ad ſacram Aram poſt Confeſſionem nunquam ſine aliqua Oratione ab omnibus fere Liturgiis præſcripta, & ab ipſo recitanda permiſſus. ii. 8. 2. 47.

Ejuſdem Altaris deoſculatio, & cur in medio fiat. ibid. - & 4. -

Adoratio Euchariſtiæ. Vide *Canon*.

Agnus a Romanis oblatus in die Paſchatis, ut manducetur, tantum ad benedictionem, & non aliter contra Photii Calumniam. viii. 5. 1. 286.

Agnus Dei olim a Clero, & Populo tantum, poſtea a Sacerdotibus etiam ad Altare recitatus. xvi. 5. 1. 348.

Quoad *Agnus Dei* ſingularis Lateranenſis Baſilicæ Ritus. ibid. - 3. -

Notantur circa *Agnus Dei* Macri Fratres, aliique, ac vindicatur Angelus Rocca a nonnullorum cenſura. ibid. - 4. 349.

Poſtulatio pacis ad Agnus Dei jam in uſu antequam narrata B. M. V. Apparitio contigiſſet. ibid. - 5. -

Aliæ ad *Agnus Dei* interpolationes olim ex quorumdam licentia uſurpatæ. ibid. - 6. 350.

Alba ſignificat munditiam; & poſt ipſam in aliquibus Eccleſiis ſumitus Amictus ex antiquiſſimo Ritu. i. 6. 1. 23.

Albaſpinæus male interpretatur Tertullianum circa confeſſionem auricularem. i. 1. 3. 4.

Alleluja, variæ de hac voce opiniones. vi. 5. 1. 137.

Cur hæc vox retenta fuerit in Hebraico idiomate ab Eccleſia. ibid. - - 138.

Familiare non tantum Clericis in Eccleſia, ſed & Ruſticis apud Syros *Alleluja*. ibid. - - -

Quater ab Angelis in Apocalypſi cantatum *Alleluja*, & cur. ibid. - - -

Item *Alleluja* canticum, quando cani debeat in Eccleſia, forte etiam ex Synagoga deſumptum. ibid. - - -

Olim antiquo more proclamatum *Alleluja* in ipſis funeribus Defunctorum. ibid. - - -

Sozomenus circa *Alleluja* recte a Card. Baronio notatus, quidquid e contra Valeſius ſentiat. Et a Valeſii nota vindicatur Card. Baronius. ibid. - 2. & ſeqq. 139.

Diebus Quadrageſimæ intermiſſum *Alleluja* quidquid in contrarium oblatret Lutherus. ibid. - 5. 140.

Alia circa *Alleluja*. ibid. 6. 13. 144.

Altaria ſupra SS. Martyrum ſepulcra erecta. ii. 8. 4. 47.

Altaris antiquitus quæ pars dextera, & quæ ſiniſtra; & nunc quæ ſit dextera, & quæ ſit ſiniſtra. iii. 1. 1. 49.

Ejuſdem prima Thurificatio. vide *Introitus*.

Ambonis varia apud veteres nomina. vi. 3. 1. 129.

Vindicatur Card. Bona a Joſeph Binghami nota quoad locum ordinarium Epiſcopis concionandi, negans eſſe Ambonem. ibid. - - -

Ex Ambone quidquid publice legendum erat, annunciabatur. ibid. - 3. -

Ambones veterum deſcribuntur. ibid. - 4. 130.

Amen olim reſponſum poſt conſecrationem, & cur. vide *Canon*. *Collectarum*.

Amictus in aliquibus Eccleſiis ſumitur ex antiquiſſimo Ritu poſt albam; immo apud Maronitas poſt Zonam, ſive Cingulum, ejuſque ſignificatio. i. 6. 1. 23.

Amulata, ſeu Phylacteria quid. vide *Evangelium*.

Anima pura Locus Sanctus. i. 3. 2. 13.

Animæ puritas neceſſaria ad communicandum. ibid.

Animæ vitia ita revelanda Confeſſario, ſicuti vitia corporis medico. i. 1. 3. 8.

Antiphona, quæ initio Miſſæ recitatur, quare dicta *Introitus*. Ab aliquibus *Officium* etiam dicitur, & ab Ambroſianis *Ingreſſa*. iii. 1. 11. 51.

Aperitio vitiorum. vide *Animæ vitia*.

Aquæ, & vini præparatio vel ante Miſſam, vel poſt Evangelium libere permiſſa. i. 7. 2. 25.

Aquæ ſolemnis benedictio qualibet die Dominica, ejuſdem aſperſio non prætermittenda ii. 2. in Appendice ad hunc §. 30.

Armeni &c. auricularem Confeſſionem admittunt. i. 1. 3. 9.
Athanaſii Liber de Virginitate pleriſque ſpurius reputatus. Verum alii viri docti idem opus Athanaſii eſſe propugnant. iv. 4. 4. 83.
Auctoris gratiarum actio pro Operis clauſula. xx. 6. 2. 443.
Aufer a nobis. ii. 3. 2. 33.
Auricularis Confeſſio. vide *Confeſſio*.

B

Baronius Card. circa *Alleluja* a nota Valeſii vindicatus. vi. 5. 2. 139.
Item a Baſnagii nota quoad Euchariſtiam &c. vide *Communio*, *Baſnagius* quoad alterni cantus &c.
Baſilicæ Lateranenſis Ritus, vide *Agnus Dei*.
Baſnagius quoad vigilias nocturnas confutatus. i. 4. 1. 16. & 18.
Idem quoad originem alterni cantus notatus, & ab ipſius cenſura vindicatus Card. Baronius. iv. 1. 1. 73.
Idem quoad Codicem Gelaſianum confutatus, unacum Pfaffio ejus vindice. vide *Gelaſianus*.
Quoad Canonis antiquitatem confutatus. xi. 1. 6. 247.
Quoad antiquitatem elevationis Sacramenti. vide *Canon*.
Quoad Elevationem iterum. ibid.
Item quoad elevationem Calicis. ibid.
Item quoad Euchariſtiam &c. vide *Communio*.
Item quoad aſſervationem Euchariſtiæ. ibid.
Circa Turrium ſignificationem unacum Dallæo. ibid.
Quoad alia pariter confutatus. vide *Communio*, *Pax*.
Bellarminus Card., & Tornellius quoad Collectarum clauſulas obſervati. vide *Collectarum origo*.
Benedicamus Domino. vide *Dimiſſio*.
Benedictio ſolemnis aquæ qualibet die Dominica, atque ejuſdem aſperſio ſuper populum non prætermittenda. ii. 2. in Appendice ad hunc §. 30.
Benedictio ſolemnis data olim antequam diceretur *Agnus Dei*, adhuc nunc in aliquibus Eccleſiis obſervatur. xvi. 1. 1. 338.
Quæ ſolemnis Benedictio cenſebatur finis Miſſæ. ibid. - 2. -
Hujuſmodi benedictiones, etſi Epiſcoporum propriæ, quandoque tamen a Preſbyteris datæ. ibid. - 3. -
Olim accepta benedictione, ante Communionem Miſſa cenſebatur expleta, ac propterea licebat iis, qui non communicabant, diſcedere. ibid. 2. 2. 342.
Benedictio Populi in fine Miſſæ, de hac nulla ante annos mille mentio facta habetur. xx. 4. 2. 438.
Ritus trinæ benedictionis in Miſſa olim permiſſus, nunc in Miſſali Romano abrogatus. ibid. - 5. 439.
Benedictiones fructus &c. ante verba: *Per quem hæc omnia*. Vide *Canon*.
Benedictus Sanctus Patriarcha circa conſepultam, quam juſſit, defuncto ſacram Euchariſtiam excuſatus. vide *Communio*.
Berengarii poſt hæreſim exorta elevatio Hoſtiæ, & Calicis. vide *Canon*.
Binghamus auricularem Confeſſionem negans confutatus. vide *Confeſſio auricularis*.
Item circa Confeſſionem Generalem in Miſſa ſoli Deo faciendam. ii. 5. 1. 41.
Circa Epiſtolam Athanaſii ſcriptam ad Euſtaſium Card. Bona male vellicans refellitur. vide *Bona*.
Græcis Schiſmaticis adhærens confutatus. vide *Canon*.
Quoad cenſuram circa abrogatam conſuetudinem conſepeliendi mortuis ſacram Euchariſtiam contra Card. Bona confutatus. vide *Communio*.
Quoad cætera alia. vide *Confeſſio*, *Communio*, *Epiſtola*, *Oratio Dominica*.
Bona Card. noſter quoad introitum Miſſæ a Scheleſtratii nota vindicatus. iii. 1. 7. 50.
Ejuſdem circa veterem verſionem Pſalmorum cum Canticis votum, & Merati obſervatio. ibid. 4. 9. 66.
Eumdem Joſeph Binghamus circa Epiſtolam Athanaſii ſcriptam ad Euſtathium male vellicans refellitur. v. 1. 4. 91.
Vindicatur a nota Binghami. vide *Ambonis*.
Item ab alia Binghami nota quoad locum ordinarium Epiſcopis concionandi ideſt Ambonem vindicatus. vi. 3. 1. 129.
A nonnullorum cenſura circa Calicis elevationem vindicatus. vide *Canon*.
A cenſura Renaudotii circa Invocationem Spiritus Sancti. vide *Canon*.
A cenſura Binghami quoad conſepeliendam mortuis Euchariſtiam vindicatus. vide *Communio*.
Quoad cætera alia, vide *Communio*. *Pax*. *Præfatio*. *Oratio Dominica*.

C

Campanulæ pulſatio introducta eodem ferme tempore, quo elevatio Sacramenti præſcripta. xiii. 2. 8. 285.
Canere antiphonatim, id eſt alternis Choris. iii. 1. 3. 50.
Canon an ſemper ſecreto recitatus fuerit; circa hoc gravis inter Eruditos exorta eſt controverſia, non obſtante antiquiſſimo uſu quo multa a Sacerdotibus in Miſſa ſecreto dicerentur. xi. 1. 1. 243.
Canon proprie, non a Præfatione, ut olim nonnulli arbitrati ſunt. ibid. - 2. 244.
Quis fuerit Canonis Author, incertum. ibid. 2. 1. 246.
Ex Apoſtolica traditione derivari certo credendum eſt. ibid. - 4. 247.
Indicantur Authores, qui de Canone Miſſæ aliquid ſcripſere. ibid. - 6. -
Jacobus Baſnagius Canonis antiquitatem impugnans juſte a Matthæo Pfaffio confutatur

tatur; Et uberius Canonis antiquitas confirmatur. ibid. - - -

Neque obſtat Canonis antiquitati, quod a pluribus iſte compoſitus fuerit. ibid - - 248.

Indicantur, quæ in Canone ſunt Apoſtolicæ inſtitutionis, & quæ Pontificiæ. ibid. - - -

Canonis antiquitas iterum comprobatur, non obſtante quod olim Canon varius fuerit pro diverſitate Miſſarum. ibid. - - 249.

Ex Miſſa a Flacco Illyrico edita corroboratur Canonis antiquitas; atque ejuſdem ordo quoad ſubſtantiam, ejuſque partes eſſentiales ubique conſimilis. ibid. - - 250.

Ejuſdem prima Oratio *Te igitur* non eadem apud omnes, qui de ipſa mentionem faciunt. ibid. 3. 1. 252.

Ex hac oratione Primatus Petri Cathedræ ſuper omnes adverſus Oxonienſes Cypriani editores vindicatur. ibid. - 2. -

Commemoratio Summi Pontificis in Miſſa, ejus nomine recitato in prima Canonis oratione, antiquiſſima. ibid. - 3. 253.

Item proprii Antiſtitis &c. ibid. - 4. 254.

Item Imperatoris, & Regis &c. ibid. 4. 1. 255.

Antiquis precibus pro ſingulis hominum gradibus ſubſtituta una generalis, quæ omnes comprebenderet: & hæc eſt *Memento*. ibid. 5. 1. 257.

In hac oratione olim nomina alta voce recitata, poſtea ſubmiſſa, nunc ſola mentis intentione recognita. ibid. - 2. -

Benefactorum nomina olim per Diaconos alta voce recitata. ibid. - - 258.

Tempore veterum Oblationum, in Oratione dicebatur tantum *Qui tibi offerunt*. ibid. - 4. -

Fideles offerunt, etiamſi pro illis Sacerdos offerat. ibid. - - 259.

Suſceptorum ad Baptiſmum nomina recitata. ibid. - 5. -

Eadem nomina ſive offerentium, ſive ſuſceptorum non recitata die Dominico, aut feſtis ſolemnioribus, & cur. ibid. - 6. & 7. -

Dypticha Eccleſiaſtica in ſacra Myſteria expoſita a profanis diſtincta, & in quo. xii. 1. 1. 261.

Gaſpar Svicerus Acatholicus Scriptor circa Dypticha mortuorum confutatus. ibid. - 4. 263.

Omnes olim Patriarchæ ſua invicem nomina ſacris ſuarum Eccleſiarum Dyptichis inſcribebant. ibid. - 5. -

In Sanctorum Commemoratione, quæ fit in Oratione *Communicantes*, illud obſervat Eccleſia, quod & in veteri Teſtamento antiquitas agere conſuevit. ibid. 2. 2. 265.

Cur nulla veterum Patriarcharum mentio fiat in Canone Romano. Et cur in hac Canonis parte nulla inter Apoſtolos S. Mathiæ fit mentio. ibid. - - -

Beatiſſima Virgo uti Regina Martyrum prima in Canone collocata. ibid. 3. 2. 267.

De primis B. Petri ſucceſſoribus variæ Eruditorum ſententiæ. ibid. - 3. -

Quibus non obſtantibus comprobatur Lino, & Cleto Clementem ſucceſſiſſe. ibid. - - 268.

Joannes Launojus notatus, quoad diverſum unius ab alio cultum Sanctis ab Eccleſia exhibitum. ibid. - 4. 269.

Cur poſt Cornelium Cypriani nomen, non Stephani in Canone adſcriptum fuerit. ibid. - - -

Clar. Tillemontius notatus quoad SS. Coſmam, & Damian. Fratres, & Martyres. ibid. - 5. -

SS. Marcus, & Lucas Evangeliſtæ, dubium, an vere in martyrio occubuerint. ibid. - 8. 270.

Nullus Sanctorum in Canone poſt Apoſtolos, niſi certo martyr appoſitus. Propterea Xiſtus II. non primus in Canone adſcriptus. ibid. - - 271.

In nonnullis antiquis Codicibus additum nomen Sancti, cujus ea die Feſtivitas celebratur. ibid. - - -

Hanc igitur &c. Hujus Orationis nonnullæ formulæ. ibid. 4. 1. 273.

Addita a S. Gregorio. ibid. - 2. -

Olim ad hanc Orationem Sacerdos ſe uſque ad Altare inclinabat. ibid. - 3. -

Nunc Sacerdos pariter ac in Ritu legali veteri manus ſuper Hoſtiam, & Calicem, ideſt ſuper Victimam, expanſas tenet. ibid. - - -

Quatuor a Deo poſtulantur in hac Oratione, quæ contra Hæreticorum calumnias vindicantur. ibid. - - -

Quam oblationem. Hæc oratio magis protracta. xiii. 1. 1. 276.

Quomodo intelligi debeat hæc oratio, explicatur. ibid. - 2. -

Qui pridie quam. In hac oratione aliqua addita ex Apoſtolica traditione, & quidem in Conſecratione ibid. - 3. -

Cæremoniæ a Chriſto Domino adhibitæ in Sacrificii Euchariſtici inſtitutione cum antiquo Hebræorum rituali fere omnes conveniunt. ibid. - 4. 277.

Nonnullæ Euchariſticæ Conſecrationis formulæ antiquorum referuntur. ibid. - 5. & ſeqq.

Olim ad Conſecrationis verba a Populo reſpondebatur: *Amen*. ibid. - 9. -

In qua voce *Amen* continetur fidei confeſſio de reali præſentia Corporis Chriſti, quæ ſic a Populo fiebat. ibid. - - -

Juſtiniani Imp. Legem de non proferendis ſecreto verbis Conſecrationis, Sectarii magnificant, ſed refutantur. ibid. - - 278.

Hoſtiæ elevatio ante conſecrationem prohibita. ibid. - 10. -

Ritus, quem nunc ſervat Eccleſia, ſacra conſecrationis verba ſecreto proferendi *Sanctus*, & ſua ipſa antiquitate venerabilis eſt; Quamvis inter Eruditos quæſtio ſit an ſemper, & ubique ſecreto verba conſecrationis pronunciata fuerint. ibid. - - 279.

Nonnulli ritus obſervati ad elevatioem Sa-

1 2 cra-

cramenti , tum apud Grecos , tum apud Latinorum aliquot Eccleſias . ibid. 2. 1. 281.

Sacri Ritus elevationis , Sacramenti antiquitatem deridens Baſnagius confutatur . ibid. - 2. 282.

Elevatio Sacramenti poſt Conſecrationem recentior quidem apud Latinos , ſed ſeculo XI. longe antiquior . ibid. - - 283.

Itidem confutatur Baſnagius quoad Sacramenti elevationem apud Æthiopes . ibid. - 3. -

Quamvis olim nonnulli Euchariſtiam ſtatim poſt Conſecrationem non elevarent , poſtea tamen omnes eamdem adorandam elevarunt , ſicut nunc . Et quidem ab antiquiſſimo tempore apud omnes Orientis nationes . ibid. - 4. 284.

Nonnullæ veterum ſignificationes elevationis Sacramenti . ibid. - 5. -

D. Thomæ Aquinatis ævo Calicis elevatio in uſu fuiſſe non videtur . ibid. - 8. 285.

Utramque hujuſmodi Hoſtiæ , & Calicis elevationem poſt exortam Berengarii hæreſim cœpiſſe plerique putant . ibid. - - -

Duas proinde donorum elevationes nonnulli diſtinguunt . ibid. - - -

Eodem ferme tempore , quo elevatio Sacramenti præſcripta , campanulæ pulſatio introducta . ibid. - - -

Apud nonnullos Regulares in eorum antiquis Ritualibus nulla elevationis Calicis mentio . ibid. - - 286.

Vindicatur Card. Bona a nonnullorum Eruditorum cenſura . Et præcipue Sam. Baſnagius confutatur . ibid. - 9. -

Euchariſtiæ adoratio ab omnibus Eccleſiæ Patribus tum Latinis , tum Græcis aſſerta . ibid. - - 287.

Quare hanc debitam Chriſto Domino adorationem ab Apoſtolica traditione deſcendere credendum eſt . Neque obſtat Pelagii II. Decretum , quod in contrarium opponi poſſet . ibid. - - -

Sacra Euchariſtia olim poſt Conſecrationem ſtatim pallio , aut velo obvoluta . ibid. - 10. 288.

Nonnulla proferuntur ab aliquot recentioribus ſcripta circa publicam expoſitionem SS. Euchariſtiæ Sacramenti . ibid. - - -

Soli Carthuſiani inter Occidentales Hoſtiam poſt Conſecrationem palla contegunt . ibid. - - 289.

Excuſatur Mabillonius ab Alexandri Plovvierii cenſura, quoad dictam publicam expoſitionem Sacramenti . ibid. - - 290.

Hæc quotieſcumque &c. quædam adnotationes ſuper hæc verba . ibid. 3. 1. 291.

Unde , & memores &c. Iſtius Orationis variæ apud diverſos formulæ ; atque in eamdem variorum obſervationes , ſed ſuperflua illa Maldonati . ibid. - 2. 292.

Supplices &c. ibid. 4. 1. 294.

Verba *Jube hæc perferri* in dicta oratione quomodo intelligi debeant . ibid. - 2. -

Verbum imperativum *fac* , quod extat in Liturgia Baſilii non legitur in vetuſtiſſimis Euchologiis Bibliothecæ Vaticanæ. ibid. - 4. 295.

Explicatur contra Cabaſilam quid vere in hac Oratione apud Latinos precetur Sacerdos ; & *Sancti Angeli* nomine hoc loco videtur intelligendus ipſe Chriſtus Dominus . ibid. - 5. -

Græci Schiſmatici , & Binghamus iis adhærens confutantur . ibid. - 7. 296.

Vindicatur a pleriſque Card. noſter contra Renaudotii in ipſum cenſuram circa Invocationem Spiritus Sancti poſt Conſecrationem . ibid. 5. 2. 299.

Hæc Catholica interpretatio invocationis Spiritus Sancti poſt Conſecrationem pluribus exemplis demonſtratur . ibid. - 3. - & ſeqq. uſque ad 303.

Memento etiam Domine &c. Sacerdos non ſolum orat pro iis , quos ſpecialiter commendat Deo , ſed pro cæteris omnibus omnino defunctis in Chriſto quieſcentibus . XIV. 1. 1. 305.

Defunctorum etiam Epiſcoporum , qui ab Eccleſia excommunicati erant , nomina a Diptychis expuncta . Ibib. - 3. 306.

Nomina Defunctorum per Eccleſias , & Monaſteria tranſmiſſa &c. ibid. 2. 1. 308.

Quomodo nomina ſive viventium, ſive mortuorum ad Altare recitarentur . *ibid.* 3. 1. 309.

Nomina Defunctorum in Miſſa recitari deſiiſſe admodum probabile , cum anniverſaria perpetua pro Defunctis celebrari cœperunt . ibid. - - 310.

Explicantur quomodo intelligi debeant nonnulla verba ab antiquis adhibita quoad Sanctorum cultum . ibid. 4. 2. 312.

Nobis quoque peccatoribus . ibid. 5. 1. 315.

Rationes aliquot cur nonnulli Sancti in hac Oratione nominentur . ibid. - 2. -

Ritu Ambroſiano nonnulli Sancti additi Canoni leguntur . ibid. - 4. 316.

Sancti Confeſſores in Canone quamvis non expreſſi,implicite tamen continentur. ibid. - - - .

Per quem hæc omnia &c. Ante hæc verba benedictiones fructus &c. ibid. - 5. -

Veterum aliquot explicationes hujus Orationis *Per quem hæc omnia &c.* ibid. - 6. 317.

De Calicis cum Hoſtia elevatione , atque de ſignis Crucis quæ ſupra , & extra Calicem fiunt cum Hoſtia , ac variæ de iis veterum explicationes . ibid. - 8. -

Finis Canonis . ibid. - - 319. vide *Oratio Dominicalis* .

Canticum trium Puerorum *Benedicite* pro gratiarum actione poſt Miſſam, vel Hymnus *Deum laudamus* . XX. 6. 2. 443.

Cantus alterni origo . IV. 1. 1. 73.

Etiam apud Ethnicos alternus cantus uſitatus . ibid. - 2. -

Cantu ſic in Eccleſia introducto , inſtituti etiam Cantores , qui eum dirigerent . Eccleſiaſtici cantus in animam miri effectus deſcripti . Reges olim , ac Imperatores voces ſuas ſubditorum vocibus miſcebant in cantu Eccleſiaſtico . ibid. - 4. 74.

Cantus Pſalmorum audientes allicit , & melodiæ mirorum effectuum in mortalium animis conceptorum deſcriptio. VIII. 3. 4. 181.

Car-

Carmelitæ etiam ante Miſſam præparant panem, & vinum. i. 7. 2. 25.
Caſula ſignificat ſanctitatem, & juſtitiam. i. 6. 2. 23.
Celebrandi Miſſam quæ hora. i. 4. 2. 18.
Chriſti Domini realis præſemiæ in Euchariſtia invictiſſimum, & ineluctabile argumentum ex Gallicana veteri Liturgia adverſus noſtri temporis Sectarios. xvii. 1. 4. 363.
Cingulum, ſive Zona ſacra ſignificat continentiam. i. 6. 2. 23.
Clemens Papa ſucceſſor Lini, & Cleti. xii. 3. 3. 268.
Clementis Romani textus circa auricularem Confeſſionem contra Binghamum explicatur. i. 1. 3. 7.
Codex Gelaſianus. vide *Gelaſianus*.
Codices a Thomaſio editi. ibid.
Collectarum, ſive Orationum origo. v. 3. 1. 96.
Iſtæ vero paucis verbis multa concludentes. ibid. - 3. 97.
Ante ipſas præmittitur *Oremus* aliquando *Flectamus genua*, & *Levate*. Et veteres Chriſtiani modo ſtantes, modo genuflectentes orabant. ibid. 2. 1. & ſeqq. 94.
Iſtarum antiquitas ab Apoſtolica traditione derivata. ibid. 4. 1. 100.
Earum ordo ferme idem extitit, ac nunc eſt. ibid. - - 101.
Duplex earumdem ſtylus, deprecatorius, & hiſtoricus; earum vero maxime veterum ſeries, & diſpoſitio quatuor partibus conſtans. ibid. - 7. 104.
Iſtarum concluſiones aliquot ex antiquiſſimis Patribus priorum trium ſeculorum. ibid. 5. 1. 106.
Quamvis ad Patrem dirigatur oratio, tota tamen Trinitas exoratur; atque hujuſmodi clauſula plurium hæreſum perfidia jugulatur. ibid. - 2. -
Statutum in Conciliis Orationes in Eccleſia ad Patrem dirigi, & nonniſi probatas adhiberi. Et cur ad Perſonam Spiritus Sancti non dirigatur ſpecialis in Miſſa. ibid. - 3. 107.
Hic Micrologus notatus parum æquæ in Romanus cenſuræ. ibid. - - 108.
In fine Collectarum clauſula in ſecula ſeculorum appoſita, antiquiſſima. ibid. - 4. -
Hic Card. Bellarminus, & Tournellius obſervati. ibid. - - 109.
Clauſula finalis *Amen*: Hæc vox ex ipſis Moſaicis cæremoniis traducta in Eccleſiam. ibid. 6. 1. 112.
Olim una tantum Collecta, deinde tres, & poſtmodum plures ad Miſſam dictæ uſque ad novem. ibid. - 2. -
Collectæ in numero fere ſemper diſpari dictæ. ibid. - 3. -
Collectæ non tantum in Miſſa, ſed etiam in quibuslibet Divinis Officiis dictæ, atque in fine cujuſque Pſalmi recitatæ. ibid. - 4. 113.
Quibus Orationibus bis, reſpondebatur *Amen*; Idque ſolum cum eas Epiſcopi, vel Presbyteri recitarent. ibid. - 5. 114.
Cur manus, & brachia extendantur ad Orationes. ibid. 7. 1. 115.
Poſt Collectam variis Eccleſiarum ritibus Laudes, ſeu Litaniæ decantatæ. Cantoribus data pecuniæ retributio; Iſtæque poſt Antiphonam ad communionem decantatæ. ibid. 8. 1. 118.
Eædem non ſolum Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ſed Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis factæ; Inter quas antiquiſſimæ illæ ab Hipponenſi Clero, & Populo S. Auguſtino publice in Eccleſia factæ. ibid. - 2. & ſeqq. 119.
Commentaria in Epiſtolas Pauli non ipſi Ambroſio hactenus deſcripta, ſed Hilario Diacono tribuenda plures exiſtimant. Alii e contra &c. v. 3. 1. 97.
Commentaria in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales non Gregorio Magno, ſed Gregorio VII. potius tribuenda. iii. 5. 4. 69.
Communicantes. vide *Canon*.
Communio Chriſtiana in Eccleſiaſticam, & Laicam diviſa: item duplex per Epiſtolas data. viii. 6. 1. 190.
Communio Sacramentalis quomodo facienda. vide *Miſſa*, *puritas animæ*, *munditia*, *Lotio*, *Nitor*.
Ejuſdem ſingularis quidam Ritus in veteri Miſſali FF. Minorum præſcriptus. xvii. 1. 1. 360.
Qui tamen non videtur in Romana Curia viguiſſe, ut ibi dicitur. ibid. - - -
Fabuloſa, & putida narratio quoad communionem ex Dominicano ritu diſpellitur; Ejuſdemque ritus antiquitas ab ipſius Ordinis Prædicatorum inſtitutione demonſtratur. ibid. - - 361.
Olim Pſalmi cantati ad Communionem. ibid. - 2. 363.
Cronotaxis Euchariſticæ Communionis Populi ab initio Eccleſiæ uſque nunc quo modo obſervatæ. ibid. 2. 2. 365.
Inter cæteras SS PP. querelas de infrequenti Euchariſtica Communione vindicatur S. Jo. Chryſoſtomus adverſus Sectarios. ibid. - 3. 366.
Modus, & formulæ, quibus invitabantur Fideles ad Communionem. ibid. 3. 1. 369.
Quæ ſanctitas requiratur ad Communionem. ibid. - 2. 370.
De tribus Orationibus ante Communionem. vide *Pax*.
Mos olim communicandi apud Monachos. ibid. - 3. -
Poſt verba *Corpus Domini &c.* reſpondebatur *Amen*. ibid. - 4. 371.
Olim in Eccleſia Hieroſolymitana Peregrinis adminiſtrata Euchariſtia, extra Sacrificium Miſſæ. ibid. - 9. -
Ad Fœminarum communionem uſus Dominicalis, ſeu veli. ibid. - 10. -
Tribus modis apud Orientales Euchariſtia diſtributa. ibid. - 12. 372.
Quoad Euchariſtiam domi delatam, & ſervatam reſpondetur Samueli Baſnagii Cavillationibus. ibid. 4. 1. 374.
Iterum confutatur Baſnagius, & ab ejus nota vindicatur Card. Baronius. ibid. - 2. -
Ad abſentes Miſſa Euchariſtia, adducuntur exempla quoad Monachos, & Virgines Deo ſacras. ibid. 5. 1. 377.

Quam

Quamdiunam perſeveraverit conſuetudo iſta tum apud Græcos, tum apud Latinos. ibid. - - -

Contra aſſervationem Euchariſtiæ ad Viaticum infirmorum afferuntur Calviniſtæ Baſnagii argumenta. ibid. 6. 1. 379.

Reſpondetur omnibus, & ſingulis prædictis Baſnagii objectionibus. ibid. - - 381.

De Turribus, in quibus olim aſſervabatur Euchariſtia. ibid. - - 383.

Item de Columbis ad eumdem ſacrum uſum deſtinatis. ibid. - - 385.

Baſnagius circa Euchariſtiam olim in Eccleſiis aſſervatam ab ipſis ſuis gregalibus confutatus. ibid. - 2. 387.

Iterum de Turribus ad conſervandam in eis Euchariſtiam olim in Eccleſiis adhibitam. ibid. - 4. -

Dallæus, & Baſnaglus circa dictam Turrium ſignificationem, & uſum confutati. ibid. - - -

Columbas aureas, ſive argenteas Altari ſuſpenſas, in quibus Euchariſtia recondebatur, pluribus antiquorum documentis oſtenditur. ibid. - 5. 389.

Vindicatur Card. Bona a Joſephi Binghami cenſura, circa veterum nunc abrogatam conſuetudinem conſepeliendi mortuis Euchariſtiam. Et excuſatur item S. P. Benedictus circa conſepultam, quam juſſit, defuncto Monacho ſacram Euchariſtiam. ibid. - 7. 390.

Nonnulla antiqua proferuntur exempla Euchariſtiæ a Fidelibus ore ſumptæ. ibid. 7. 2. 393.

Intra Cancellos Altaris communicare olim neque Imperatoribus conceſſum. ibid. 8. 2. 395.

Latinos etiam olim ſtantes, ſicuti Græci, communicaſſe nonnulli ex antiquorum aliquot monumentis nituntur oſtendere. ibid. - 3. 396.

Communio, ſi fieri poteſt, miniſtranda adſtantibus inter Miſſarum ſolemnia. ibid. - 4. -

Formula, ſeu verba dicenda a Sacerdote in miniſtranda communione, & aliquorum abuſus in eadem fœminis data. ibid. - - -

Variæ apud Græcos Communionis formulæ. ibid. - - 397.

Oſculum ab Epiſcopo, ſive 'x Sacerdote communicantibus datum. ibid. - - -

Vinum poſt Communionem ſumere volentibus porrectum ad oris ablutionem. ibid. - - 398.

Communio ſub utraque ſpecie ad initia ſeculi 12. viguir. xviii. 1. 1. 400.

Nec videtur dicti ſeculi 12. initio uſus Calicis Laicis præberi deſiiſſe. ibid. - 2. -

Sed circa ſeculi 13. vel ſequenr. 14. initia dictum uſum obſoleviſſe ſcribunt nonnulli. ibid. - - 401.

Verba Card. Bona circa hanc materiam in ſuo ſenſu, & ſano modo intelligenda. ibid. - - -

Refertur Binghami oppoſitio adverſus Cardinalem Bona quoad ſententiam circa Communionem ſub utraque ſpecie nec eſſe divinitus inſtituta &c. ibid. - 4. 402.

Reſpondetur ad Binghami dicteria contra Cardinalem Bona. Et vindicatur Communio extra Sacrificium ſub una rantum ſpecie omnibus ſufficiens, & neceſſaria. ibid. - - 403.

Quæ Communio comprobatur tum ex ipſo Chriſti facto, tum ex ejus Apoſtolis; atque ex ipſa primitivæ Eccleſiæ praxi, & aliis Theologicis argumentis. ibid. - - 404.

Nonnulla Orientalium placita de Communione aſſervata. ibid. 2. 1. 407.

Reſpondetur Baſnagii cenſuræ in Cardinalis Bona quoad Æthiopum, ſeu Abaſſinorum communionem. ibid. - 2. 408.

Nonnulla ex medii ævi monumentis afferuntur Communionis intinctæ exempla. ibid. 3. 2. 411.

Ritus peculiaris Græcorum ſubſcribendi calamo Sanguine Domini intincto Hæreticorum damnationem. ibid. - 3. -

Communio Puerorum olim recte obſervata. xix. 1. 2. & ſeqq. 413.

De Puerorum Communione veterum Ritualium Rubricæ, & quandiu hæc Communio duraverit. ibid. 2. 2. 416.

De Laica Communione referuntur nonnulli Scriptores, qui de ea ſcribunt. ibid. 3. 1. 417.

Viaticum etiam abſolutionis negatum criminoſis extremo ſupplicio puniendis adhuc ſeculo 13. & 14. in Anglia, & Gallia hic rigor uſurpatus. Qui tantus rigor a S. Pio V. an. 1568. penitus ſublatus eſt. ibid. 4. 1. 419.

De Peregrina Communione: Nullum hucuſque exemplum profertur ex veteris Eccleſiæ monumentis, quo particularis pro Peregrinis Euchariſtiæ Oblatio fieret, ut nonnulli opinantur. ibid. 5. 2. 421.

Quoad Peregrinam Communionem ex Concilii Agathenſis Canone tria obſervanda deducuntur. ibid. 6. 1. 422.

Quæ licet non ſatis Emin. Authori ex ſui ingenua ſinceritate perſpecta, uberius tamen ex aliis monumentis illuſtratur. ibid. - 2. 423.

Eulogiarum poſtremum Communionis genus: Quoad ad has indicantur nonnulli Authores, qui Card. Bonæ ſententiam tuentur. Et contra eamdem P. Macedonis Auguſtini exceptionibus reſpondetur. ibid. 7. 1. 425.

Poſt communionem Orationes ſecreto dicendæ. xx. 1. 1. 428.

Cur Sacerdos abluat digitos poſt ſumptionem Sacramenti, & cur ipſos ter abluat. ibid. - 2. -

De Orationibus dicendis in Purificatione Calicis, & digitorum ablutione. ibid. - - -

Ablutionem digitorum probabilius a Sacerdote ſumptam fuiſſe videtur, quam in ſacrarium projectam. ibid. - 3. 429.

De Antiphona quæ vocatur *Communio*, & Oratione quæ vocatur *Poſtcommunio*. ibid. 2. 1. 430.

De Communione Populi extra Miſſam ex hodierna conſuetudine, an licet antiquæ praxi difformis, toleranda ſit, ac permittenda. ibid. - 2. 431.

Tole-

Toleranda videtur hæc conſuetudo, ſi multi fuerint communicandi, non vero ſi pauci. ibid. - - -
Vindicatur Card. Bona, quoad aſſervationem Euchariſtiæ a P. de Berlendis exceptione. ibid. - - 432.
Confeſſio auricularis neceſſario facienda a peccatore Sacerdoti ante Euchariſtiæ ſumptionem; & eſt de præcepto Divino. i. 1. 2. 4.
Hanc ſecretam, ſeu auricularem Confeſſionem faciendam non ſoli Deo, ſed ipſi, & ejus Sacerdotibus, qui reis pœnitentiam imponant, qua Deo ſatisfaciant, intelligit Tertullianus; Immo neque de publicis dumtaxat, ac notoriis, ſed & de internis, aut occultis peccatis confitendis intelligendus. ibid. - 3. -
Ex eodem Tertulliano hujus Sacramenti tres partes, ſcilicet contritio, confeſſio peccatorum, & ſatisfactio deducuntur. ibid. - - 5.
Neceſſitas hujus Sacramentalis Confeſſionis ex nonnullis recentioribus Theologis etiam comprobatur. Immo Civitas Norimbergenſis contra Lutheri abrogationem a Carolo V. Imp. reſtituendam Sacramentalem Confeſſionem expetiit. ibid. - 4. 5.
Hujuſmodi neceſſitati Binghamus obſiſtens confutatur, ipſis ſuis argumentis refellitur, iiſdemque evidenter eamdem auricularem Confeſſionem non ex conſilio tantum, ſed ex præcepto oſtenditur. ibid. - - 6.
Maldonatus ab ipſo male intellectus contra ipſum defenditur; item explicatur Clementis Romani textus ab eodem allatus, & in eumdem retunditur. ibid. - - 7. & ſeqq.
Confeſſio Generalis omnium Gentium more probata. ii. 4. 1. 37.
Hæc facienda initio Miſſæ. ibid - 2. -
Ejuſdem formulæ in Miſſa recitari ſolitæ incertus Auctor. ibid. 5. 1. 38.
Non amplius addendum in Confeſſione publica alicujus Sancti nomen. ibid. - 3. 39.
Joſeph Binghamus iterum confutatus. ibid. 6. 1. 41.
Confeſſio publica peccatorum in aliquibus Eccleſiis extra Altare facta. Quare Ritu Romano fit hujuſmodi Confeſſio a Sacerdote etiam ſacris Veſtibus induto. ibid. 7. 1. 45.
Quomodo intelligendæ nonnullæ antiquæ Confeſſionis Generalis formulæ. ibid. - 2. -
Varii ritus circa locum, & modum hujus publicæ Confeſſionis; & in hac Tunſio pectoris. ibid. - 3. 46.
Confeſſione peccatorum particulari, ſive generali etiam olim obſtricti Judæi. ii. 4. 1. 36.
Copti &c. auricularem Confeſſionem admittunt. i. 1. 3. 9.
Coſmæ, & Damiani Fratres, qui ſint in Canone poſiti. vide *Canon*.
Crucis, & Crucifixi imago poſita ante Canonem, & cur. ii. 3. 4. 33.
Crucis ſigno munitur Sacerdos initio Miſſæ, & quare. ibid. 3. 1. 32.
Cypriani nomen, non Stephani cur poſt Cornelium adſcriptum fuerit. xii. 3. 4. 269.

D

DAllæus circa Turrium ſignificationem confutatus. vide *Baſnagius*, *Præfatio*.
Defenſores S. R. E. qui fuerint, quando, & a quo inſtituti, eorumque munera. ii. 1. 2. 28.
Dimiſſio Populi, eamque varii Eccleſiarum Ritus annunciandi, ſeu de *Ite Miſſa eſt*, aut *Benedicamus Domino*. xx. 3. 1. & ſeq. 434.
Dominicalis, ſeu veli uſus ad Fœminarum Communionem, vide *Communio*.
Dominus vobiſcum, *Pax vobis*. In his ſalutationibus cur non dicatur *Deus*, ſed *Dominus vobiſcum*; Et ab Epiſcopo cur dicatur *Pax vobis*, & non *Dominus vobiſcum*. v. 1. 1. 90.
Olim & alii ab Epiſcopis ſcilicet Lectores, Diaconi, ac Presbyteri Populum eadem formula *Pax vobis* ſalutabant; quod poſtea vetitum, & ſolis Epiſcopis veluti proprium relictum. ibid. - 2. 91.
Epiſcopi tamen in reliquis poſt primam ſalutationem dicunt *Dominus vobiſcum*. Hæc autem ſalutatio divinitus ſuſcepta. ibid. - 6. & ſeq. -
Reſponſio hujus ſalutationis *Dominus vobiſcum*, apud Græcos *Pax omnibus*, *& cum ſpiritu tuo* multa præfigurat. ibid. - 9. 92.
Quid vere ſignificat Sacerdotalis ſalutatio, & Populi reſponſio. ibid. - 10. -
Si Sacerdos celebret in Altari vultu ad Populum converſo dicens *Dominus vobiſcum* immotus maneat. ibid. - - -
Durantus quoad verſionem introitus Miſſæ notatus. iii. 5. 5. 70.
Dypticha Eccleſiaſtica. vide *Canon*.

E

ELevatio Calicis cum Hoſtia &c. vide *Canon*.
Elevatio Hoſtiæ ante Conſecrationem prohibita. ibid. - - -
Elevatio Sacramenti poſt Conſecrationem. ibid. - - -
Elevationis Sacramenti ſignificatio. ibid. - - -
Epiſcopus ſolemniter celebrans in ingreſſu Altaris poſt dictas Orationes: *Aufer a nobis &c.* Evangelium oſculatur. ii. 3. 3. 33.
Epiſtolæ nomen datum Lectionibus ſacræ Scripturæ, præcipue ex Apoſtolo Paulo, poſt Collectam recitatio in Miſſa, & hæc Lectio in Eccleſia ex Synagogæ exemplo ab Apoſtolis deducta. vi. 1. 1. & ſeqq. 121.
Epiſtola S. Pauli Apoſt. ad Laodicenſes Apocrypha. ibid. - 3. -

Epiſto-

Epiſtolæ ſacræ in Eccleſia lectæ, dum divina peragentur Myſteria. ibid. - 5. -
Ad eamdem Lectionem impoſitum ſilentium. ibid. - 6. -
Ex earum uſu antiquiſſimo orta eſt conſuetudo legendi in aliquibus Eccleſiis SS. Martyrum, & Confeſſorum acta. ibid. 2. 1. 124.
Lectæ etiam Summorum Pontificum, & Epiſcoporum Epiſtolæ. ibid. - 2. -
Immo & Imperatorum. ibid. - 3. -
Earum ſeries, & Ordo Lectionum &c. eſt in Libro, qui *Comes* dicitur, non primis ſeculis, ſed Eccleſia in ſumma pace conſtituta a Sancto Hieronymo diſpoſito. ibid. - 4. -
In ordine Lectionum probabile, ac veriſimile eſt Eccleſiam primitivam eumdem morem ſervaſſe, quem olim habuit Judæorum Synagoga; Idque ab initio Eccleſiæ obſervatum colligimus; Hinc quoad Librum, qui *Comes* dicitur Clar. Joannes Pinius notatus, & ab ejus cenſura vindicatus Card. Bona. ibid. - - 125. & ſeq.
Eædem, ſive Evangelia in Ambone ſeu Pulpito lectæ; Varia itaque apud veteres *Ambonis* nomina; Et quod Epiſcopi etiam ex Ambone concionarentur; Vindicatur Card. Bona a Joſeph Binghami nota, illiuſque ſententia confirmatur. ibid. 3. 1. 129.
Quidquid publice in Eccleſia legendum erat ex Ambone annunciabatur. ibid. - 3. -
Deſcribuntur veterum Ambones. ibid. - 4. 130.
Plura referuntur quoad Lectoris ætatem, gradum, & Officium. ibid. - 6. -
Tres Libri ad legendum in Miſſa olim ſuper Altare collocati. ibid. - 8. -
Poteſtas legendi ſcripturas in Eccleſia quandoque Principibus delata. ibid. - 9. 131.
Olim Epiſtolæ variis linguis publice ad Miſſam recitatæ. vii. 2. 6. 150.
Ethiopes &c. auricularem Confeſſionem admittunt. i. 1. 3. 9.
Evangelium a Luca ſcriptum ab Apoſtolo laudatum; atque hic Lingfootii, & Baſnagii opiniones confutatæ. vii. 1. 1. 146.
Sectarii negantes jam ab Apoſtolico ævo lectum fuiſſe Evangelium refelluntur. ibid. - 2. 147.
Ante recitationem Evangelii petitur benedictio. ibid. 2. 1. 150.
Sacer Evangeliorum Codex olim magno apparatu ad Altare delatus. ibid. - 2. & ſeqq.
Olim Epiſtola, & Evangelium variis linguis publice ad Miſſam recitata. ibid. - 6. -
Quare a Diacono præmittatur ſalutatio Populi antequam legat Evangelium. ibid. - 8. 151.
Dum legitur Evangelium Epiſcopi etiam, & Abbates baculos deponunt, Item Imperator Diadema. ibid. 3. 1. & ſeqq. 153.
Juſſum item Sacerdotibus ab Anaſtaſio Papa, ut nec ipſi ad Evangelii lectionem ſederent, ſed cum cæteris erecti ſtarent. ibid. - 4. -
Diaconus dum legit Evangelium, vertit ſe ad Aquilonem. ibid. - 5. -
Idque etiam ex antiquo more. ibid. - 6. 154.
Lecto Evangelio extinguebantur lumina &c. Et cur in Miſſis Defunctorum non afferantur lumina ad Evangelii lectionem, neque oſculetur librum. ibid. - 7 -
In oſculo Evangelii nonnullæ olim Orationes dictæ. ibid. 4. 1. 155.
Evangelii oſculum, & ſi olim Populo conceſſum, poſtea tamen ademptum, & viris tantum Principibus, ac Magiſtratibus indultum. ibid. - - -
Evangelium quo ritu, & honore delatum ad Miſſam olim ſive a Græcis, ſive a Latinis. iii. 6. 1. 71.
Evangelii Codex Celebranti apertus, cæteris vero clauſus ad oſculandum datus. ibid. - 2. -
Collo appenſa &c. hinc Amuleta, ſeu Phylacteria quid? ibid. - 3. -
Evangeliorum Codices olim pretioſiſſime ornati; atque unus ex ipſis olim in publicis Proceſſionibus delatus. ibid. - 4. 156.
Poſt Evangelii Lectionem Puerorum oblatio &c. ibid. 6. 1. 158.
Poſt eamdem Epiſcoporum ſermo ad Populum. ibid. 7. 1. 160.
Ritus, quo poſt concionem Indulgentiæ conceduntur, deſcribitur. ibid. - - 161.
Chronologice demonſtratur, quod Summi Pontifices Romani ante S. Leonem ad Populum prædicarent, incipiendo a Clemente I. Romano contra Sozomenum, Caſſiodorum, & Valeſium iſtis adhærentem. ibid. - 2. 162. & ſeqq.
Epiſcopi olim, ſi per ſe non poterant concionari, ſermones ſuos, vel aliorum legi jubebant. ibid. - 3. 165.
Ita & Parochi &c. ibid. - 4. -
Super Catechumenos &c. poſt ſermonem benedictio, ſeu abſolutio &c. ibid. - 5. -
Evangelium in fine Miſſæ recitatum. xx. 5. 1. 441.
Euchariſtia olim prælata Summo Pontifici procedenti ad Altare ii. 1. 3. 28.
Euchariſtia. vide *Communio*.
Eulogiæ. vide *Communio*.
Expoſitio Sacratiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. vide *Canon*.

F

FEſtorum denunciatio ex antiquo Ritu facta a Diacono in Miſſa ſolemni. xvi. 4. 4. 347.
Fœminarum ad Communionem uſus Dominicalis, ſeu Veli. vide *Communio*.
Formulæ Conſecrationis. vide *Canon*.

G

GElaſianus Codex Præfationum, & Orationum ab Anaſtaſio indicatus extat in Bibliotheca Vaticana. v. 4. 4. 101.
Et quoad hunc Codicem Jacobus Baſnagius con-

confutatus, etiam ab ipſo Guillelmo Cave; & refellitur Chriſt. Matth. Pfaffius Baſnagii vindex, ibid. - - 102.

Hunc Codicem a Thomaſio editum tribus libris diſtinctum nongentis annis vetuſtiorem, ibi etiam deſcribitur Miſſa de Nativitate B. M. V. Quæ ſolemnitas Auguſtini ævo nondum erat inſtituta; & Sergio Papæ I. a nonnullis tribuitur. Verius tamen Gelaſio tribuenda videtur, licet fortaſſe ante Gelaſium in aliquibus Locis celebrata fuit. ibid. - 5. 103. & ſeq.

Gloria in excelſis &c. Hymnus Angelicus dictus, ſed variæ iſtius Hymni apud veteres habentur nuncupationes. iv. 4. 1. 82.

Qui aliud addiderint huic Hymno. ibid. - 5. 84.

Nonnulla Romanorum Pontificum decreta circa iſtius Hymni recitationem. ibid. - 7. -

Iſte in publicis gratiarum actionibus adhibitus, item ad matutinas Laudes. ibid. - 8. -

Olim a Preſbyteris non dicebatur, niſi in Paſchate; Quare ex hodierno more veteris Eccleſiæ inſtitutio non æſtimanda. ibid. 5. 1. 85.

Variæ circa hujus Hymni cantum Eccleſiarum conſuetudines, atque interpolationes, ſed per S. Pium V. ſublatæ. ibid. 6. 1. & ſeq. 87.

Gloria Patri &c. Hymnus glorificationis dictus, qui a Græcis Doxologia vocatur, ab Apoſtolica traditione derivari probatur. iii. 2. 1. & ſeq. 53.

Additio *Sicut erat &c.* Ex Concilii Nicæni decreto facta, quæ additio contra Arianos, & Macedonianos poſita fuit; Item Leontium Arianum Epiſcopum: atque S. Baſilius defenditur &c. ibid. - 2. & ſeq. 54.

Graduale, ſeu Gradale quid? A quo denominatum: variæ de eodem opiniones. vi. 4. 1. & ſeq. 133.

Quis Reſponſoriorum Auctor fuerit. ibid. - 3. -

Graduale Reſponſorium olim ab uno tantum Cantore, deinde poſt ſeculum X. a duobus, vel pluribus cantatum. ibid. - - -

Fœminis vero etiam ſanctimonialibus id genus modulationis, ſeu publice in Eccleſia pſallere interdictum. ibid. - - 134.

Qui autem Cantor Reſponſorium Gradale inchoabat, ipſe uſque ad finem ſolus cantabat, præcipue in Eccleſia Romana, & Reſponſorium a reſpondendo dictum. ibid. - - -

Erat & olim Liber Gradalis dictus, ſeu Cantatorius, ex quo Gradualia, Reſponſoria, & Tractus canebantur. ibid. - - 135.

Quomodo, quando, & ubi primum contractus Reſponſorius Pſalmus. Id forte, vel Gelaſii Papæ, aut S. Gregorii ævo fieri inceptum. ibid. - 4. -

Garzias Loaiſa quoad Laudes, ſeu Reſponſorium a Card. Bona recte notatus. ibid. - 7. 136.

Græci, aliique Orientales, inter quos Armeni, Copti, Æthiopes &c. auricularem Confeſſionem admittunt. I. 1. 3. 9.

Græci Schiſmatici quoad verba contenta in Oratione *Unde & memores*, & Binghamus iis adhærens, confutantur. vide *Canon*.

Græcorum Orationes recitatas in præparatione panis ad Protheſim. i. 7. 1. 25.

Eorumdem Ritus ſolemnis accedendi ad Altare. iii. 6. 1. 71.

Gregorius Magnus quæ addiderit in Oratione Canonis. *Hanc igitur*. xii. 4. 2. 273.

H

H*Anc igitur*. vide *Canon*.

Hæc quotieſcumque. vide *Canon*.

Hæretici auricularem Confeſſionem negantes. vide *Confeſſio auricularis*.

Hæreticorum contra Calumnias, quatuor a Deo poſtulantur in Oratione *Hanc igitur* quæ vindicantur. xii. 4. 3. 273.

Hoſtiæ fractio, elevatio &c. vide *Canon*, *Oratio Dominica*.

Hymnus Angelicus. vide *Gloria in excelſis*.

Hymnus Glorificationis. vide *Gloria Patri*.

Hymnus Te Deum laudamus. vide *Canticum Benedicite*.

I

JEjunium quatuor temporum ex veteri Lege deſumptum, ex Apoſtolica traditione in Eccleſia retentum, & ante *Agnus Dei* denuntiatum. xvi. 4. 2. 347.

Imperatores olim, & Reges voces ſuas ſubditorum vocibus miſcebant in cantu Eccleſiaſtico. vide *Cantus*.

Inſtitutio Sacrificii a Chriſto Domino. vide *Canon*.

Introitus Miſſæ, & ejus inſtitutio &c. iii. 1. 1. & ſeqq. 49. & ſeqq.

Sacerdos ſolemniter celebrans antequam recitet Introitum, Altare thurificat. ibid. 1. 11. 51.

Varii Introitus modi deſcribuntur. ibid. 3. 1. 55.

In Nonnullis Eccleſiis quandoque ter repetitus. ibid. - 2. 56.

Invocatio Spiritus Sancti poſt Conſecrationem. vide *Canon*.

Joannes Chryſoſtomus jam vita functus a Succeſſore ſuo in Throno collocato ejus corpore dixit ad Populum. *Pax vobis*. v. 1. 3. 91.

Ite Miſſa eſt. vide *Dimiſſio Populi*.

Judæ imitator indigne ſe communicans. I. 3. 2. 13.

Judica me Deus. Circa recitationem hujus Pſalmi Claudius de Vert notatus. A variis diverſimode recitatus. Neque Cœleſtino I. Papæ, neque Ambroſio Mediolanenſi recitationis hujus inſtituenda. Iſte Pſalmus cum ſua Antiphona non ante annos mille initio Miſſæ recitari conſuetus. Non autem ab omnibus Eccleſiis, & Ordinibus recitatus. ii. 3. 5. 34.

Judicium Dei prævenire per Confeſſionem. I. 1. 3. 8.

Juſtiniani Imp. Legem de non proferendis ſecreto verbis Conſecrationis, Sectarii magnificant, ſed refutantur. xiii. 1. 9. 278.

K

K*Yrie eleiſon*. iv. 1. 1. 73.

Quis *Kyrie eleiſon* dici in Miſſa inſtitue-rit, variæ opiniones. ibid. - 8. 75.

Nonnulli Authores circa *Kyrie eleiſon* a Latinis & Græcis cantatum emendati: Et cur novem vicibus dicatur *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon* ad Filium dicamus, non *Kyrie* ſicut ad Patrem, & Spiritum Sanctum. ibib. - 10. 76.

Kyrie, & *Chriſte eleiſon* variæ interpolationes. ibid. 2. 1. & ſeqq. 78.

Poſt *Kyrie* Irenicæ Preces, ſeu Litaniæ alternis Choris olim decantatæ. ibid. 3. 1. 80.

L

LAudes, ſeu Litaniæ poſt Collectas factæ. vide *Collectarum &c.*

Lannojus Joannes notatus quoad diverſum unius ab alio cultum Sanctis ab Eccleſia exhibitum. xii. 3. 4. 269.

Lectoris Epiſtolæ ætas &c. vide *Epiſtolæ*.

Liber Comitis. vide *Epiſtolæ*.

Libri tres ad legendum in Miſſa olim ſuper Altare collocati. vide *Epiſtolæ*.

Liturgia Gallicana Gregorio Magno antiquior, ſed hæc quam habemus, an eadem ac illorum temporum ſit, remanet probandum. iii. 1. 5. 50.

Ex eadem Præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia inviictiſſimum, & ineluctabile argumentum adverſus noſtri temporis Sectarios. xvii. 1. 4. 363.

Lotio manuum ante Communionem facienda, & cum nitore veſtium ad eamdem accedendi. i. 5. 1. & 2. 20. 21., vide *Offertorium*, *Communio*.

Lucas Evangeliſta, an vere in Martyrio occubuerit. xii. 3. 8. 270.

Lutherus, aliique. & Joannes Jacobus Hottingerus Calvinianus Confeſſionem occultam, utilem, immo neceſſariam admittunt. i. 1. 3. 9.

Idem circa *Alleluja* inflictus. vi. 5. 5. 140.

M

MAbilonius ab Alexandri Plovverii cenſura, quoad publicam expoſitionem Sacramenti excuſatus. vide *Canon*.

Macedonis Auguſtini contra Eulogiarum Sententiam Card. Bona ad exceptiones reſponſio. xix. 7. 1. 425.

Macri Fratres, aliique circa *Agnus Dei* notati. xvi. 5. 3. 348.

Maldonatus male a Binghamo intellectus defenditur. vide *Confeſſio auricularis*.

Ejuſdem obſervatio circa Orationem *Unde & memores* ſuperflua. vide *Canon*.

Marcus, & Lucas Evangeliſtæ dubium, an vere in Martyrio occubuerint. xii. 3. 8. 270.

Mathiæ Apoſtoli cur in Canonis Oratione *Communicantes* inter Apoſtolos nulla de eo fiat mentio. xii. 2. 2. 262.

Matutinalis Officii recitatio ante Miſſam. vide *Recitatio*.

Memento &c. vide *Canon*.

Michaelis nomen tenendum in incenſi Benedictione. vide *Offertorium*.

Micrologus quoad Collectas notatus parum æquæ in Romanos cenſuræ. v. 5. 3. 108.

Miſſa Fidelium, dicta etiam Miſſa Sacramentorum. Qui expellebantur poſt ſermonem, qui poſt Symbolum. viii. 1. 1. 167.

Miſſa qua præparatione celebranda. i. 1. 1. 1.

Animæ puritate. ibid. 3. 2. 13.

Corporis, & mentis. ibid. 1. 1. 3.

Lotione manuum, ac nitore veſtium. ibid. 5. 1. & 2. 20. 21.

Ejuſdem quælibet etiam minima pars proprio ordine alphabetico reperitur.

Miſſæ privatæ Sacerdotis ad Altare proceſſio. ii. 2. in Appendice ad hunc §. 30.

Miſſæ ſolemnis Pontificalis Proceſſio. vide *Proceſſio*.

Miſſam celebrandi quæ hora. i. 4. 2. 18.

Mos olim in Eccleſia Romana, ut procedenti ad Altare Summo Pontifici ſacra præferretur Euchariſtia. ii. 1. 3. 28.

Munditia veſtium. vide *Nitor*.

N

NEceſſitas Sacramentalis Confeſſionis ante Sumptionem Euchariſtiæ contra Hæreticos. vide *Confeſſio auricularis*.

Nitor veſtium ab Ethnicis in eorum Sacris adhibitus, quanto magis a Chriſtofidelibus communicaturis cuſtodiendus. i. 5. 2. 21.

Nobis quoque peccatoribus. vide *Canon*.

Norimbergenſis Civitas contra Lutheri abrogationem a Carolo V. Imp. reſtituendam Sacramentalem Confeſſionem expetiit. i. 1. 4. 5.

O

OBlatio. vide *Offertorium*.

Officii matutinalis recitatio ante Miſſam. vide *Recitatio*.

Oratio Dominica in Miſſæ Sacrificio ab Apoſtolica traditione recitata; & circa illius recitationem Card. Bon. Clara. Nic. Ana-

Antonelli cenſura quoad intelligentiam verborum S. Gregorii Magni vindicatus. xv. 1. 1. 321.

Non ſolum apud Grecos, ſed & apud Latinos olim alicubi ab adſtante Populo Dominica Oratio recitabatur. ibid. - 5. 322.

Antiquitus uſus recitandi Orationem Dominicam in Eccleſia ad Miſſam cum illius Præfatione comprobatur. Hæc Oratio a quibuſdam antiquis Patribus *Legitima*, & *Cæleſtis* dicta. Olim etiam clara, & alta voce recitata, & quare. ibid. - 7. 323.

Iſtius Orationis variæ expoſitiones, & ſeptem petitiones in ea contentæ exhibentur. ibid. 2. 1. 325.

Præfatio *Oremus &c.* atque Oratio Emboliſmalis *Libera nos*, a quo Pontifice Orationi Dominicali additæ ſint. ibid. - 2. & 3. 326.

In hac Oratione ſpeciatim nominatus S. Andreas, & cur. Feſtum S. Andreæ olim æquali ſolemnitate ac S. Petri celebratum in Eccleſia Romana. ibid. - 4. 327.

Olim alicubi poſt S. Andream additi nonnulli Sancti. ibid. - 5. -

In concluſione iſtius Orationis frangitur Hoſtia: Et hic Joſephi Binghami Heterodoxi Scriptoris Angli cenſura in ſacram hujuſmodi fractionem expenditur. ibid. 3. 1. 328.

Chriſti Domini memoria in triplici Hoſtiæ fractione convenientius cæteris repræſentata. ibid. - - 329.

Antiquitus, contra Binghamum, non de Sacerdotis proprio pane conſecrato participabant Fideles; ſed unuſquiſque de ſuo, quem antea eidem conſecrandum obtulerat, communicabat. Poſtea vero, ut panis pro ſingulis communicandis eſſet integer, nitidus, atque uniformis, inſtitutæ modicæ oblatæ, hodiernis ſimiles; Quas jam inde a ſeculo ſecundo in uſu fuiſſe penes Eccleſiam Romanam demonſtratur. ibid. - - 330.

Antiqui Ritus veſtigia quædam in Miſſa ſolemni Summi Pontificis, & in Conſecratione Epiſcopi adhuc obſervata. ibid. - - - 331.

Variæ partitiones in diverſis Eccleſiis de eadem Hoſtia factæ. ibid. 4. 2. & ſeqq. 332.

Immiſſio particulæ (*dum dicitur Pax Domini &c.*) in Calicem varie apud quoſdam antiquitus habita. ibid. - 6. 333.

Nonnullæ Quæſtiones circa commixtionem particulæ cum Sanguine expenduntur. ibid. - 7. -

Hæc commixtio antiquiſſima, ac varii antiqui Ritus olim obſervati circa particulam Hoſtiæ in Calice immittendam. ibid. - - 334.

Myſticæ aliæ rationes immiſſionis particulæ Euchariſtiæ in Calicem afferuntur. ibid. - - 335.

Cur hæc particulæ immiſſio in Calicem conſecratio dicatur. ibid. - - 336.

Oratio præparatoria ad Miſſam, quæ incipit *Summe Sacerdos* S. Ambroſio potius tribuenda, quam S. Anſelmo Cantuarienſi. i. 2. 1. 11.

Orationes a Græcis in præparatione panis recitatæ i. 7. 1. 25.

Orationes a Sacerdote dici præſcriptæ, dum ſacris veſtibus induitur, an abſque gravi culpa omitti poſſint. i. 6. 3. 23.

Ordinis Prædicatorum Ritus communicandi antiquitas ab ipſius inſtitutione demonſtratur, & fabuloſa quædam, & putida narratio contra eumdem diſpellitur. xvii. 1. 1. 361.

Offertorium ab Antiphona, quam Chorus canit, nuncupatum, ante Gregorium Magnum in Africa decantatum in Miſſa. viii. 3. 1. 178.

Mos canendi Offertorium ſeculo 4. introductus: Et tunc Oblatio duplex erat. ibid. - - 179.

Ad ipſum Antiphonæ poſt ſingulos verſus cantatæ. ibid. - 2. -

Quod etiam nunc obſervatum in aliquibus Galliarum Eccleſiis. ibid. - 3. -

Quando ceſſaverint Populi Oblationes incertum. ibid. - 4. -

Probabile quod ceſſaverint circa ſeculum nonum, quod pluribus rationibus, & argumentis demonſtratur. ibid. - - 180.

Quarum Oblationum veſtigia adhuc pleriſque in locis viſuntur, ſed tantum in Miſſa ſolemni & publica. ibid. - - 181.

Panis, & vini Oblatio antiquiſſima. ibid. 4. 1. 183.

Qualis olim Ordo ſervatus fuerit in Oblationibus. ibid. - 2. -

Qualis olim fuerit, & nunc eſſe debeat vini color, an albus, vel rubeus; Pro Fidelium libito vinum alterutrius coloris, utpote materia apta, oblatum. ibid. - - 184.

Agnus a Romanis oblatus ad benedictionem ut manducetur tantum, & non aliter contra Photii calumniam, quæ rationibus diluitur. ibid. 5. 1. 186.

Offerendi poteſtas olim unita cum poteſtate communicandi. ibid. - 2. 187.

Offerentium nomina olim in Eccleſia publice recitata. ibid. - 3. -

Diſcrimen inter dona, & munera. ibid. - 4. 188.

Aqua cum vino oblata. ibid. 6. 1. 191.

Qui ab oblationis onere eximebantur, atque de tempore, die, ac loco quibus fiebat oblatio. ibid. - - -

Recitata etiam illorum nomina, qui ſublevandis Fratribus in anguſtiis poſitis aliquid contulerunt. Non tamen omnium ubique, ſed præcipuorum in Urbibus. ibid. 7. 1. 193.

Loco priſcarum Oblationum ſuffecta pecuniæ Oblatio, atque diſtributa pecunia iis, qui Miſſæ ſolemni inſerviebant; Neque ex Epiſcopi ſumptibus, ſed ex Fidelium Oblationibus. ibid. 8. 1. 196.

Quando deſiit offerri a Laicis materia Sacrificii. ibid. - 2. 197.

Donationum Chartæ ponebantur ſuper Altare. ibid. - 4. -

Panis, & vini oblatio cum Fanonibus: Fanon quid? Triplex ejus ſignificatio. ix. 1. 1. 199.

Poſt ſuſceptas oblationes Epiſcopus manus lavat, & lotionis tempore cantatus olim Pſalmi *Lavabo* verſiculus. ibid. - 2. 200.

Non omnes Offerentes accedebant ad Altare, ſive intra ſepta Altaris: Hic affertur exemplum ſcitu dignum. ibid. - 3. & 4. -

Oblatio quæ fit in Miſſa a Sacerdote quid? Et in quo conſiſtat. ibid. 2. 2. 203.

Olim in Defunctorum Miſſis, quia privatæ erant, & ſine Populi Communione, Oblationes non fiebant. ibid. - 3. 204.

Primæ Orationis ad Oblationem verba: *Hanc immaculatam Hoſtiam* explicantur. ibid. 3. 1. 107.

Variæ conſuetudines circa apparatum panis ſuper patenam, ac vini & aquæ in Calice ex Chriſti inſtitutione, variiſque SS. Patrum Teſtimoniis corroboratæ; indeq; explicatur mens S. Cypriani circa hanc ſacram mixtionem: Et licet omittens graviter peccet, tamen valida eſt Conſecratio, quia vinum neceſſarium neceſſitate Sacramenti, aqua neceſſitate præcepti eſt, quod ex perpetua Eccleſiæ traditione, & ex plurium Conciliorum Decretis, quidquid dicant Calumniantes Sectarii, præcipue Baſnagius, confutati, comprobatur. ibid. - 2. & ſeqq. 208. uſque ad 210.

Minima gutta aquæ ſufficiens eſt, licet apud Syros, & Moſcovitas &c. plus aquæ, quam vini obſervanda ſit admixtio in Calice. ibid. - 8. & ſeqq. 211.

Quoad vinum Honorii III. Decretalis non ſatis ad captum expoſita in Gloſſa. ibid. - 9. 212.

In vino potius albo, quam rubro conſecrandum propter Altaris munditiem. ibid. - - -

Cochlearis uſus ad infundendam aquam in Calicem. ibid. - 10. 213.

Obſervatio digniſſima datur Sacerdotibus quoad apparatum Hoſtiæ ſuper patenam, vini, & aquæ in Calicem, & reprobatur quorumdam uſus circa conſecrationem, ac de benedictione ſuper aquam olim, & nunc uſitata. ibid. - 11. -

Variæ Orationes ad ipſam in pleriſque Eccleſiis dictæ, & explicatur myſterium iſtius ſacræ mixtionis aquæ cum vino. ibid. - 12. -

Græci bis aquam miſcent, primo ut ſupra, ſecundo calidam poſt Conſecrationem, & hanc Cæremoniam, quam apud Coptos &c. ignorari ajunt Edmundus Martene, & Renaudotius notati. ibid. 4. 1. 215.

Vindicatus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus a cujuſdam in ipſum cenſura, ac proinde Græci non ob hunc Ritum culpandi. ibid. - 2. 216.

Cur in Oblatione Calicis Oratio *Suſcipe Sancte Pater* dicatur in plurali. ibid. 5. 1. 218.

Formulæ pro ſolemni Miſſa inſtitutæ, in privata non mutantur. ibid. - 2. -

Quo ſitu olim Hoſtia collocari conſueviſſet ex antiquis Ritualibus. ibid. - 3. 219.

An Oratio *Veni Sanctificator* referenda ſit ad Patrem. ibid. - 4. & ſeq. -

In incenſi benedictione ad adolenda Oblata nonnullis videtur expungendum Michaelis nomen, & ejus loco reponendum Gabrielis. ibid. - 6. -

At retinendum eſſe nomen Michaelis oſtenditur. ibid. - - 200.

Et ſi apud Romanos olim non incenſarentur Oblata, alibi tamen id pene ubique fiebat. ibid. - 7. 221.

Adjiciuntur nonnulla de Thure, & Thuribulis alibi prætermiſſa. ibid. - 8. -

Cur Sacerdos poſt Oblationem, vel poſtquam adolevit, lavet manus, aliæ iſtius lotionis rationes indicantur. Hic Duvertius notatus circa originem Ablutionis. ibid. 6. 1. 223.

Oratio *Suſcipe Sancta Trinitas* non ex aliquo ordine, ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine recitata. ibid. - 2. 224.

Cur etiam Fideles in formula *Orate Fratres*, cum Sacerdote Sacrificium offerre dicantur; Immo ipſique etiam pauperes, qui præter deſiderium nihil habent quod offerant. ibid. - 3. 225.

Suſcipiat. Hæc reſponſio ſi a Miniſtro, vel ab alio non recitetur, ipſe Sacerdos debet eam recitare. ibid. - 4. 226.

Orationes ſecretæ, ſive Collectæ poſt *Suſcipiat*, quæ ſuper Oblata recitantur, eorum a quo taliter nominatæ. ibid. - 5. -

Cur extollatur earum concluſio a Sacerdote dicendo *Per omnia &c.* ibid. - 6. 227. ſequitur *Præfatio*.

Oſculum pacis, Euchariſtiæ, Oſculatorium &c. vide *Pax*, *Communio*.

P

P*Ater noſter*. vide *Oratio Dominica*.

Pax cum omnibus poſtulanda ante Miſſam. i. 3. 1. 13.

Pax Domini &c. vide *Oratio Dominica*.

Pax quæ poſt primam Orationem ante Communionem datur, quare non detur in Miſſis Defunctorum. xvi. 6. 1. 352. & 357.

Pleriſque in Locis Pax data antequam ſacra celebraretur Oblatio. In Eccleſia autem Romana eadem Pax data poſt confecta myſteria. ibid. - 2. -

Olim in Galliis introducta conſuetudo bis pacem dandi ad Miſſam, atque variæ olim in dando pacis oſculo Eccleſiarum conſuetudines; ac vindicatur Card. Bona a Baſnagii cenſura. ibid. - 3. 353.

Hodiernus Græcorum uſus ſibi invicem iterum pacis oſculum dandi poſt Communionem. ibid. - 6. 354.

Nonnulla alia referuntur de pacis oſculo; negatum autem pacis oſculum, quibuſcumque ab Eccleſia notorie proſcriptis. ibid. - 7. 355.

In

In Miſſis Conventualibus Monachorum pax data, etſi nonnulli contrarium ſcripſerint. ibid. 7. 2. 357.
Cur in Paraſceve non detur pacis oſculum. ibid. - 3. -
Indicantur nonnulli recentiores, qui de hoc veteri pacis oſculo ſcripſerunt. ibid. - 4. -
Variæ olim oſculatorii nomina; itemque varii Ritus pacem dandi in diverſis Eccleſiis. ibid. - 5. -
Mos oſculandi Euchariſtiam olim in aliquibus Eccleſiis uſu receptus. ibid. - - 358.
Poſtea intermiſſus non ſine rationabili cauſa, & oſculata vaſa ſacra, aut linteamina; deinde eorum loco ſubrogatus mos oſculandi Altare: Tandem reſtitutus circa finem ſeculi xv. inſtrumenti deoſculatorii uſus, cum antea mos mutui amplexus invariatus permanſerit uſque ad ſeculum xiii. ibid. - - -
De aliis duabus Orationibus ante Communionem. ibid. - 6. -
Pax vobis. vide *Dominus vobiſcum*.
Peccator non revelans peccata Sacerdoti, cum poſſit, ex ſe ſalutem animæ conſequi non valebit, niſi dolens, ſaltem cum abſit Sacerdos, ejuſdem Confeſſionis votum habeat. i. 1. 3. 8.
Per quem hæc omnia. vide *Canon*.
Pfaffius Chriſt. Matth. quoad Codicem Gelaſianum Baſnagii vindex confutatus. v. 4. 4. 102.
Pinius Clar. Vir. notatus quoad Librum, qui *Comes* dicitur. vide *Evangelium*.
Placeat tibi Sancta Trinitas. xx. 5. 4. 441.
Polidorus Virgilius quoad vigilias nocturnas confutatus. i. 4. 1. 15.
Poſtcommunio. vide *Communio*.
Præfatio ante *Pater noſter*, vide. *Oratio Dominica*.
Præfatio, quæ poſt primas Orationes ſecretas recitatur, olim etiam dicta *Immolatio*, & *conteſtatio*. x. 1. 1. 229.
Joannes Dalæus Calviniſta negans in primordiis ipſius Eccleſiæ jam uſum Præfationum extitiſſe notatus. ibid. - 2. -
Initium Præfationis non a *Per omnia &c.* ſed a *Surſum corda*. ibid. - 3. -
Apud Latinos, Mozarabes præcipue, myſteria feſtivitatis, vel Sancti, cujus eſt Miſſa, Laudes in Præfationibus decantatæ. ibid. 2. 2. 282.
Reſtrictio Præfationum ad numero novem perperam tributa Pelagio II. Ejuſdemque Epiſtola ſcripta ad Epiſcopos Germaniæ ab Eminentiſſimo Bona ut dubia, ab aliis Eruditis ut ſpuria habetur. ibid. 3. 1. 234.
Præfationes a ſeculo xi. uſque ad numero decem redactæ. ibid. - 2. -
Indicantur nonnullæ Præfationes, quæ in pleriſque Miſſalibus impreſſis olim alicubi dicendæ ex ſpeciali privilegio erant. ibid. - 3. -
Vindicatur ab aliquot Eruditorum cenſura Card. Bona quoad Auctorem Præfationis de B. Maria Virgine ibid. - 4. 235.
Idem etiam a Canonici Panormitani Joannis de Joanne graviter inflicta nota quoad numerum Præfationum purgatur. ibid. - 5. -
Cur in concluſione Præfationis Hymno Seraphico ter *Sanctus* dicatur, & ſemel *Deus*. ibid. 4. 1. 237.
Vox *Oſanna*, quid ſignificet. ibid. - 2. -
Nonnullæ olim Orationes a Sacerdote recitandæ præſcriptæ dum Chorus decantaret *Sanctus*. ibid. - 3. -
Cur *Ad Benedictus, qui venit &c.* Sacerdos ſignat ſe ſigno Crucis, & Campanula pulſatur, ibid. - 4. 238.
Duplex eſt Triſagii Hymnus Seraphicus videlicet: *Sanctus &c.* & *Sanctus Deus &c.* Et indicantur præcipui Authores veteres, qui de ſecundi Triſagii inſtitutione ſcripſerunt. ibid. 5. 1. 239.
Hoc ſecundum Calendion a Fullone corruptum reſtituere conatur. ibid. - 2. -
Indicantur item recentiores præcipui, qui de eodem Triſagio ſcripſere. ibid. - 3. -
Præfationes ad Patrem directæ leguntur, ſicuti de Collectis obſervatum. ibid. - 4. -
Sacerdos etiam Populi nomine Deo ter *Sanctus* proclamat. ibid. - 4. 240.
Cur huic Hymno Seraphico poſt *Sanctus &c.* adjungantur illa verba *Oſanna in Excelſis &c.* ibid. - - -
Deſcribuntur, & corriguntur errores in Fullonis Appendice ad Triſagium prædictum contenti. ibid. - - -
Præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia invictiſſimum, & ineluctabile argumentum, ex Liturgia Gallicana veteri adverſus noſtri temporis Sectarios. xvii. 1. 4. 363.
Preces aliquot ante *Agnus Dei* dici olim præſcriptæ pro pace Eccleſiæ. xvi. 4. 1. 344.
Dictas preces recitantibus Indulgentiæ conceſſæ, & confirmatæ. ibid. - - 345. vide *Jejunium*.
Preces, in quibus priſci fideles Synaxim peragentes longe perſeverabant, poſtea tepeſcente poſteriorum credentium pietate, ac devotione reſtrictæ fuerunt. vii. 1. 4. & ſeq. 147.
Primatus Petri Cathedræ ſuper omnes adverſus Oxonienſes Cypriani editores vindicantur. xi. 3. 2. 252.
Proceſſio Sacerdotis ad Altare in Miſſa privata. ii. in Appendice ad §. 2. 30.
Proceſſio Summi Pontificis ad Altare celebrandi cauſa, olim facta etiam cum Euchariſtiæ Sacramento. ibid. 1. 3. 28.
Pſalmi ante Miſſam quot olim, & nunc recitati. i. 2. 4. 11.
Recitati ſeptem Pſalmi Pœnitentiales juxta numerum ſeptem petitionum Orationis Dominicæ ad ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti obtinendam. ibid. - - -
Recitandi quinque Pſalmi, ut quidquid per quinque ſenſus deliquit Sacerdos, quinque Pſalmorum recitatione purgetur, ibid. - - 12.
Puritas animæ ad communicandum neceſſaria. i. 3. 2. 13.
Puritas mentis, & corporis ad ſacrificandum ne-

neceſſaria; Quod non ſolum in Lege veteri obſervatum eſt a Sacerdotibus, ſed etiam a Gentilibus. i. 1. 1. 3.

Q

QUam Oblationem. vide *Canon*.
Qui pridie quam. vide *Canon*.

R

REcitatio matutinalis Officii an prærequiratur ex neceſſitate præcepti ante Miſſæ celebrationem. i. 4. 2. 18.
Renaudotii a cenſura circa Invocationem Spiritus Sancti poſt Conſecrationem Card. noſter vindicatus. vide *Canon*.
Revelatio peccatorum. vide *Confeſſio auricularis*.
Ritus aliquot Eccleſiarum ſumendi amictum poſt albam, antiquiſſimus eſſe videtur, & ab Eccleſia Romana deſumptus. Apud Moronitas poſt cingulum. i. 6. 1. 23.
Ritus Baſilicæ Lateranenſis circa *Agnus Dei*. vide *Agnus Dei*.
Ritus lavandi manus ante Communionem antiquiſſimus, & cum nitore veſtium ad eamdem accedendi. i. 5. 1. & ſeq. 20.
Ritus, ſive mos olim in Eccleſia Romana, ut procedenti, ad Altare Summo Pontifici ſacra præferretur Euchariſtia. ii. 1. 3. 28.
Ritus Ordinis Prædicatorum. vide *Communio*.
Ritus ſive Ordo Epiſcoporum in Proceſſione ad Altare olim ſervatus in aliquibus Eccleſiis. ii. 2. 1. 30.
Rocca Angelus a nonnullorum cenſura vindicatus circa recitationem. xvi. 5. 4. 449.

S

SAcerdos an Orationes præſcriptas, dum ſacris veſtibus induitur, abſque gravi culpa omittere poſſit. i. 6. 3. 23.
Sacerdos quare profunde inclinatus Miſſam incipit, & ſignat ſe ſigno Crucis. ii. 3. 1. 32. & - 4. 33.
Sacerdoti puritas mentis, & corporis ante celebrationem neceſſaria, quod etiam Gentilibus jubebatur. i. 1. 1. 3. & ſeqq. vide *Lotio manuum*, *Nitor veſtium*.
Salus Animæ quomodo conſequatur. i. 1. 3. 8.
Sancta Sanctis. i. 3. 2. 13. xvii. 3. 2. 370.
Sanctorum Cultus. vide *Canon*.
Sequentiæ poſt *Alleluja* dictæ. vi. 6. 1. & ſeq. 142.
A Carthuſianis, Ciſtercienſibus non admiſſæ. a Carmelitis, & Prædicatoribus in Miſſis privatis non admiſſæ. ibid. - 3. -
Earumdem varii Authores referuntur. ibid. - 5. & ſeqq. -
Dies iræ &c. Hæc non admodum antiqua, ſed fortaſſe circa ſec. xiv. addita in Miſſis Defunctorum. ibid. - 12. 143.
Significationes morales, & myſticæ ſacrarum veſtium. i. 6. 2. 23. vide Tom. II. xxiv. 3. 219. & ſeqq.
Sozomenus, & Valeſius circa *Alleluja* notati. vi. 5. 2. 139.
Item quoad Evangelium. vide *Evangelium*.
Suicerus Gaſpar Acatholicus Scriptor circa Dypticha mortuorum confutatus. xii. 1. 4. 263.
Summus Pontifex olim, dum procedebat ad Altare celebrandi cauſa, præferebatur etiam Euchariſtia. ii. 1. 3. 28.
Supplices te rogamus. vide *Canon*.
Suſcipe S. Trinitas. vide *Offertorium*.
Suſcipiat &c. vide *Offertorium*.
Symbolum Apoſtolicum ita dictum, vere ab ipſis Apoſtolis conditum fuiſſe demonſtratur. viii. 1. 3. 168.
Antiquitus, & nunc Symbolum Apoſtolicum dictum, ſive ſinguli ſuum articulum condiderint, ſive omnes unanimiter confluxerint. ibid. - 4. 169.
Quamvis Tertullianus aliquos in Symbolo articulos prætermiſerit, eos tamen Africana tenuit Eccleſia uti de fide credendos. ibid. - 5. -
Confutatur Baſnagius falſo aſſerens nos Catholicos Symbolum Conſtantinopolitanum Apoſtolico præferre. ibid. - 5. 171.
Morem cantandi Symbolum in Miſſa, primi inter Latinos receperunt Hiſpani. ibid. 2. 1. 173.
Varii ejuſdem Symboli recitandi ritus. ibid. - 2. -
Chriſt. Lupus notatus quoad ritum Symboli recitandi in Hiſpania. ibid. - - -
Hiſpanica Liturgia quoad Symbolum antiquior ſæculo v. ibid. - 3. 174.
Et quidem ſeculo v. ineunte in Concilio Braccarenſi addita particula *Filioque*. ibid. - 4. -
Qui fuerint Legati a Leone Papa miſſi ad Concilium Aquiſgranenſe, & quæ acta de voce *Filioque*. ibid. - 5. -
Quando cœperit Romæ cantari Symbolum in Miſſa. ibid. - 6. -
Id cantari cœptum videtur jam ante ſæculum nonum, quidquid afferatur in contrarium a Recentioribus. ibid. - - 175.
Peculiaris Carthuſianorum, & aliquot Galliæ Eccleſiarum ritus circa Symboli cantum. ibid. - - -
A ſeculo nono ad undecimum Symboli recitatio in Sacrificio quandoque Romæ intermiſſa. ibid. - - 176.
Quatuor primis Chriſtianæ Fidei ſeculis fere omnes Eccleſiæ non alio, quam Apoſtolico Symbolo uſæ ſunt. ibid. - 8. -
Symbolum aliquibus in Locis Occidentis Græce cantatum. ibid. - - -
Radulphus Tungrenſis improbans flectendi genua ad *Et Homo factus eſt* notatus. ibid. - - 177.
Indicantur dies, quibus in Miſſa Symbolum dicitur. ibid. - - -
Myſticæ Symboli ſignificationes deſcriptæ. ibid. - 9. -

T

TAu Græcorum Littera, ejuſque ſignificatio. ii. 3. 4. 33.
Te igitur. vide *Canon*.
Tertullianus circa Confeſſionem auricularem quomodo intelligendus. i. 1. 3. 4.
Ejuſdem Articulorum Symboli Apoſtolici deſcriptio. viii. 1. 2. 168.
Thomaſii Ven. Card. Codices Sacramentorum. vide *Gelaſianus Codex*.
Idem circa antiquarum Orationum Phraſes obſervatus. vide *Collectarum origo*.
Thurificatio Altaris in Miſſa ſolemni antequam recitetur Introitus. vide *Introitus*.
Tillemontius notatus quoad SS. Coſmam, & Damianum Fratres, & Martyres. xii. 3. 5. 269.
Tractus quid? & cur ita appelletur. vi. 5. 6. 140.
Olim in Pſalmis tituli eorum pronunciati. ibid. - - 141.
Triſagium. vide *Præfatio*.
Tuntio pectoris obtritio cordis in Confeſſione generali ante Miſſam. ii. 7. 3. 46.
Turres, & Columbæ ad aſſervandam Euchariſtiam. vide *Communio*.

V

V*Eni Sanctificator*. vide *Offertorium*.
Veritas Ortodoxa neceſſariæ Lapſis Sacramentalis Confeſſionis veterum monumentis confirmatur. i. 1. 3. 8.
Verſionis Græcæ 72. Interpretum an Autographum viderit Origenes. iii. 4. 1. 58. uſque ad 61.
Hæc verſio Latine reddita ab aliquo Apoſtolorum Diſcipulo; in uſu apud Eccleſias vulgatæ, & veteris nomine, atque Itala nuncupata. ibid. - 3. 61.
Hæc vero Itala pene extincta a Flaminio Nobilio, aliiſque reſtituta, feliciori ſucceſſu per Theologos a Summis Pontificibus vulgatæ editioni Typis Vaticanis imprimenda deputatos priſtinæ puritati reddita fuit. Nonnullis Theologis viſum eſt hodiernam noſtram vulgatam unam, & eamdem eſſe cum Itala antiqua, licet alii aliter ſentiant: Cæterum Italica vetus latina Bibliorum verſio nullibi integra reperitur. iii. 4. 5. 62.
S. Hieronymus duplicem Pſalmorum verſionem ſe adornare memorat juxta ſententiam Auctoris, & Martianæi; Quater circa Pſalterium emendandum elaboravit juxta Baronium. ibid. - 7. 64.
Pſalterium ex Hieronymi verſione cur Gallicanum dictum. ibid. - 8. 65.
Sola Romæ Baſilicâ Vaticana verſione veteri Pſalmorum cum Canticis in divinis Officiis utitur. Circa hoc Pſalterium Card. Bona votum, & obſervatio Clar. Merati. ibid. - 9. 66.
Hac Italica verſione Ambroſiani, Mozarabes, & Patriarchalis Eccleſia S. Marci Venetiarum; hicque variæ Pſalterii Romani Editiones indicatæ. ibid. 5. 1. 68.
Veteris Pſalterii Romani Expoſitores ſec. xi. ibid. - 2. -
Circa hanc verſionem antiquam Jo. Stephanus Durantus notatus. ibid. - 5. 70.
Veſtium nitor a Chriſtifidelibus communicaturis cuſtodiendus. i. 5. 2. 21.
Veſtium ſacrarum ſignificationes myſticæ, & morales. i. 6. 2. 23. & Tom. II. xxiv. 3. 219. & ſeqq.
Vigiliarum uſus noctis antecedentis ad ſacrum peragendum in Eccleſia antiquiſſimus, qui & ad ſæculum xv. perduravit, neque ab ullo umquam veterum Patrum ſublatus. i. 4. 1. 14.
Earumdem teſtimonia tum apud Judæos, tum apud Chriſtianos. ibid. - - 15.
Quoad eaſdem Polidorus Virgilius, & Baſnagius confutati. ibid. - - 16.
Promiſcui ſexus vigiliæ nocturnæ ſublatæ, earumque loco aucta jejunia. ibid. - - -
Eaſdem execrantes Sectarii ex Latinis, & Græcis Patribus confutantur. ibid. - - 17.
Item adhuc nunc temporis in Eccleſia Latina fideliter cuſtoditæ contra Baſnagium. ibid. - - 18.
Vitia Animæ ita revelanda Sacerdoti, ſicuti vitia corporis Medico. i. 1. 3. 8.
Unde & memores &c. vide *Canon*.

X

XIxtus II. non primus in Canone adſcriptus. xii. 3. 8. 271.

Z

ZOna, ſive Cingulum ſignificat continentiam, & ab aliquibus ante Amictum ſumpta. i. 6. 1. & ſeq. 23.

Digitized by Google

Digitized by Google